Scompleti

DECOR CARMELI

ANNALES

SACRI, PROPHETICI, ET ELIANI ORDINIS Beat. Virginis Mariæ de monte Carmeli

AB ELIA PRIMO IPSIUS PATRIARCHA USQ. ad Christum Seruatorem per Prophetas, filios Prophetarum, Rechabitas, Essenos, et Assideos in Carmelo, et Syriæ locis perenniter propagati.

Notabiliores quoq; Orbis euentus compendio recensentes.

TOMUS PRIMUS

IN QUO PLURA PRO S. SCRIPTURÆ studiosis ex libris præsertim Regũ, Paralipomenon, Prophetarũ, Esdræ, et Machabæorum.

Plura quoq; pro humana historia ex Sacris, et prophanis auctoribus excerpta.

AD EMINENTISS. ET Rᴹ. DOM. D. CARD. GINETTI Ordinis Protectorem.

PER P. M. IOANNEM BAPTISTAM DE LEZANA Hispanum Matritensem S. Congregat. Indicis Consultorem, et Sapientiæ Romanæ publicum lectorem, Carmelitam.

Romæ ex Typographia Mascardi Anno Dñi. M·D·C·XXXXV. Superiorũ pmissu.

Lucas Ciamberlanus Vrbinat. I.V.D. delineabat et faciebat.



EMINENTISSIMO PRINCIPI, ET REVERENDISS. DOMINO,

D. CARD. GINETTI

SANCTISS. D. N. VICARIO,

Et Carmelit. Ord. dignis. Protectori,

FR. IO: BAPTISTA DE LEZANA CARMELITA CLIENS Salutem precatur æternam.



ARMELI decor Sponsæ Ecclesiæ *Isai.* 35. datus, & ab ipsa Tibi (Eminentissime Princeps) commendatus, vt Tibi hos ex Carmelæo penu, Diuorum Cornucopia vberiori vouerem flosculos, non tam egit, quam coegit, compellere potius, quam impellere potuit. Carmeli viridarium Adonidis hortis, Hesperidum, Alcinoi pometo, Midæque rosetis sic præest, vt ipsi coæquata omnino sordescant. Stratus enim rosarum aulæis paratus ibi cernitur, hypæthrum textili palmite opacatum aspicitur; argenteis aquarum vorticibus, aureis arenulis, amaranthis, & floribus redimitus Fons Eliæ, sinuosis post flexibus, ac pellucidis bullantium riuulis in Mediterraneum liquores influens, sacris, & prophanis litteris concelebratur. Cui hæc nisi Tibi debita, qui veluti Cherubim alter, Eliadæ huic amœnitati acuto mucrone munitus luctuosam insilienti stragem minitans custos felici sidere è Carmeli vertice dilapsus, & ianitor vigilantissimus ades? Vbi enim nisi in scatebra purior ebulliet riuulus? Aut sidus quam in sole splendidius clarescet? Aut flos quam in areolam suam rediret lætior?

 2 Habes

Habes inter tesseraria symbola nobilissimas rosas, olim è cœlo in solum originem trahentes (nec mutantes, dum ad Te transierunt) cum ipsis ergo Carmelæ symbolum habentes Te petunt nouæ pulchritudinis, & decoris corollas ambientes, & tantæ fragrantiæ participium anhelantes. Quid ni facerent, si *rosa* (Sappho teste apud Achillem Tatium) *Florum Regina, terræ ornamentum, plantarum decus, prati rubor, pulchritudo coruscans, & terræ risus* appellatur? An hæc Tibi aptentur, modestia tua cohibet audire, nec mihi fas dicere; Arx mundi (Romam dico) fatur, quæ Te in minoribus, & suprema Purpuræ dignitate iustitiæ, charitatis, benignitatis, patientię cæterarumq; virtutum comitatu, satellitio veluti, stipatum aspiciens, inter Ecclesiæ sidera iubar splendidissimum agnoscit. Nouerat sanè omnigenam hanc virtutum in te radiantium Panopliam Vrbanus ille Orbis Sol, vt propterea summi Imperij veluti participem reddendo, Purpura coruscantem, Purpuratorum consessibus cunctis fermè fulgentem, Vrbis Vicariatu præcelsum, & pro totius Christianæ Reipublicæ negotijs pertractandis Gordiano nodo non absimilibus ad Cæsarem, & Germanos a latere Legatum cooptauerit. Sed quid nō faceret, qui ir Vum ab incunabulis fermè familiariter nouerat, ingenij celsitudinem intus, & incute Lynceo intuitu inspiciebat, mirisque laudum encomijs condignum æstimabat? Redeo ad rosas tuas, quæ, ni fallor, hæc tua virtutum fastigia hieroglyphicè, graphicèque simul demonstrant, si Chinenses quasdam, in hoc Orbis Theatro a paucis annis visas, speculemur. Carent eæ spinis, benignitatis in symbolum; primitus candidæ, puritatis notæ; rubescunt postea, charitatis indices; purpurescunt tandem iustitiam, & alia charismata lucidè indigitantes. Ad hæc, rosæ apud veteres lætitiæ, & pulchritudinis signa erant, quòd inter flores omnes solæ purpu-

purpureo conſpicuę colore reſplendeant, & toto rubentium, rutilantiumque foliorum orbe pandantur; quod & lætiſſimam vultus hilaritatem, benignamque iucunditatem, qua cunctos ad Te velut commune Aſylum venientes excipis; non deſpicis, vt autumo, demonſtrat. Me ergo, qui ſæpius nec mediocriter huius tantæ munificentiæ particeps fui, dum meas has Tibi lucubrationes conſecro, Tui memor foue, & protege; non effectum, ſed clientis affectum pedibus adrepentem patiens; & quia roſæ (a quibus non diſcedam) ſcarabęum è ſtercore, cui incubat, ſordentem, & fœtentem odore ſuo necant, ſerpentiniſque morſibus non patent, Elianum hoc Muſæum, qua conſueuiſti, pietate tuere; nec enim idcirco abs re cogitatum erit, vt qui Te conſortem in Ordinis protectione habet; in longæuitate quoque (bis mille, & quingentos ſuperans annos) ac æterna beatitudine ſocium a Deo precibus impetrabit. Interim vale, & Protector noſter aſpice, & diſpice.

Fr. Leo

FR. LEO BONFILIVS MAGISTER, ac humilis Vicarius Generalis Apostolicus Carmelitarum antiquæ Obseruantiæ Regularis.

AVctoritate Nostra, præsentium tenore, dilecto Nobis in Christo Admodum R.P. Magistro Io: Baptistæ de Lezana, nostræ Prouinciæ Castellæ professo Sacerdoti, Socio nostro, Prouinciali, Terræ sanctæ, Sacræ Congregationis Indicis Consultori, & in Vrbis Sapientia Sapientiæ Professori licentiam impertimur, quantum ad Nos spectat, Typis mandandi librum, cui titulus est: Annales sacri Prophetici, & Eliani Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli Tomus primus, a Magistris Theologis nostri Ordinis, quibus id commisimus, perlectum, & approbatum. Horum fide, &c. Datum Romæ die 11. Julij 1644.

Fr. Leo Bonfilius Vicarius Generalis Apostolicus Carmelitarum antiquæ obseruantiæ Regularis.

Fr. Franciscus Montius Prouincialis Saxoniæ, & Secretarius Ord.

Hos

HOs facros Annales Propheticos, & Elianos ab Admodum Reu. Pat. Magistro Ioanne Baptista de Lezana nostri Ordinis Carmelitarum Prouinciali Angliæ, Socio Generali, in Romana Sapientia Metaphysices ordinario Professore compositos, iussu Reuerendissimi Patris Magistri Alberti Massarij eiusdem Ordinis Vicarij Generalis Apostolici, vidi. Opus sanè deprehendi, quod suum Auctorem non alieno labore, sed proprio, eoque diuturno studio comparasse sacrarum Litterarum nimis altam cognitionem ostendit, quarum peritia, scientia, sapientia eumdem reddit Auctorem ad mores benè compositum, virtutum scilicet omnium decore spectabilem. Quidquid in veteri Testamento pro statu Religioso in obscuro profertur, in hoc reperient historiæ sacræ studiosi mirifica eruditione narratum. Typis ergo censeo dandum omnium omnino hominum generi litterario maximè vtile. Horũ fide, &c. Datum Romæ, in Conuentu Sanctæ Mariæ Transpontinæ, die quinta Maij 1643.

Fr. Antonius Marinarius Prouincialis Carmelitarum Daciæ, & in Sapientia Romana Theologiæ moralis Professor.

DE mandato Reuerendissimi Patris Leonis Bonfilij Ordinis nostri Carmelitici Vicarij Generalis Apostolici, Opus istud, quod pro titulo habet: Annales sacri Prophetici, & Eliani Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, a Reuerendo Admodum Patre Magistro Io: Baptista de Lezana, Prouinciali Terræ sanctæ, Generalique Socio, necnon sacræ Congregationis Indicis Consultore, ac in Sapientia Romana Professore, compositum attentè perlegi: Auctoremque in historicis haud secus, ac in alijs suis tum Theologicis, tum Canonicis non paucis Operibus in lucem editis, & probatis, Catholicè, & secundum bonos mores locutum censui, & testor. Romæ, in Conuentu Carmelitarum Sanctæ Mariæ Transpontinæ, hac die octaua Iulij 1644.

Frater Iustinus ab Epiphania, Reformatæ Prouinciæ Turoniæ Ordinis Carmelitarum in Gallia Theologus, & eiusdem Prouinciæ Procurator.

Impri-

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Mag. Sacri Apostolici Palatij.

A. Sacratus Episc. Comaclen. Vicesger.

Reuerendissime Pater. Tomus hic primus Annalium sacri Prophetici, & Eliani Ordinis Beatissimæ Virginis de Monte Carmeli, iussu, & commendatione Reuerendissimæ Pat. T. a me cum auctoritate cognitus, nihil habet eorum, quæ in quibusdam alijs, in hoc ipso argumento infeliciter versatis, meritò reprehendi possent. Auctor est Admodum Reu. Pat. Magister Ioannes de Lezana eiusdem Ordinis pluribus alijs ingenij, & doctrinæ sanæ, solidęque munimentis, publico bono iampridem clarus. In ijs si semper sui similis, in hoc præterea, ob variam, & reconditam sacrorum eruditionem seipso maior est; nihil vt in medium afferat, quod in historiæ genere, aut ex sacra Scriptura, sanctorumque Patrum placitis certum non sit, aut Doctorum Catholicè sentientium opinione receptum; aut denique inoffenso pede accuratè libratum. Quocirca, si annuat Reuerendissima P. T. censeo dignum, qui Typis mandetur, nec minus iucunda, quam pia, docta, & vtili lectione, juxta prælatas in fronte notas, animos fruentium erudiat. Romæ, in peruigilio sancti Ioannis Baptistæ 1644.

Melchior Inchofer S. C. I. C.

Imprimatur, F. Hyacinthus Serronius Mag. & Socius Reuerendiss. P. Fr. Michaelis Mazarini S. P. A. M. Ord. Præd.

APPA-



APPARATVS AD ANNALES.





OCTISSIMORVM Annaliſtarum Cardinalis Baronij, Auguſtini Tornielli, & Iacobi Saliani veſtigia ſecuti, antequam ad Annalium hiſtoriam accedamus, apparatum quemdam inſtruere operæ pretium duximus. In quo veluti communi promptuario, armamentario potiùs, & panoplia tractandorum generalia quædam documenta in diſcurſu Operis ſupponenda, ne vel hiſtoriæ curſum præpedire, vel eadem ſæpius repetere cogamur, præmeditata, quantum fas eſt pro materiæ capacitate comprobata Lector ſtudioſus habere poſſit: quo planè & ipſius commoditati, noſtræ vtilitati, ac eorum quæ dicenda ſunt, maiori claritati conſultum erit. Primò ergo in omni lege, ſtatu, & ætate, etiam ante Chriſtum, fuiſſe aliquos inter fideles ſpecialiori ritu & forma, Dei cultui dicatos homines, ſacræ Paginæ præcipuè ducti teſtimonijs oſtendemus. Deinde ſpecialiter in Lege veteri fuiſſe Ordinem quemdam, ſeu Inſtitutum Prophetarum, cuius fermè omnes, qui poſt Samuelem Prophetæ nuncupabantur, Alumni, & Profeſſores erant, ex varijs auctoritatis, & rationum monumentis comprobabimus. Ad hæc, huiuſmodi Prophetici Ordinis primum fundatorem quadantenus Samuelem extitiſſe (licet aliquo modo vetuſtior fuerit) multifariè declarabitur. Magnum tamen Prophetam Eliam ipſum in Religionem (modo proprio loco explicando) ſuo tempore erexiſſe pro poſſe fulcietur. Propterea Monaſtici, ſeu Religioſi ſtatus veteris Teſtamenti Principem, ac Patriarcham meritò nuncupandum, ex iugi fermè, & conſtanti Patrum & Doctorum ſententia demonſtrabitur. Iure tamen ſpecialiori primum Carmelitani Ordinis Parentem, & Inſtitutorem dicendum conſequenter omnigenæ literaturæ ſtudio oſtendetur. Quibuſnam præterea titulis huius Prophetici Ordinis à Samuele inſtituti, & ab Elia ad ſtatum veluti Religioſum euecti cultores cognominati fuerint, ſedulò examinabimus. Iugiter etiam ab Elia vſque ad Chriſtum Carmelum montem, vel alium Terræ ſanctæ locum, perenne ipſorum habi-

Ratio dicendorum.

habitaculum fuiſſe elucidabitur. Librum ſimiliter de Inſtitutione monachorum inter Bibliothecæ Patrum volumina recenſitum ſuo auctori Ioanni Patriarchæ Ieroſolymitano vindicabimus. Ac denique, qualiter tam ipſe, quàm alij auctores Ordinis in rebus ad ipſius hiſtoriam ſpectantibus tanquam legitimi teſtes audiendi ſint, & quinam ij fuerint, pro viribus diſcutiemus. Faxit Deus, vt totum hoc Opus, qualecunque id ſit, in Dei ſolius gloriam & honorem, ac legentis ſpiritualem profectum cedat: à quo id efflagitandum, quod Iſidorus Peluſiota à ſuo Herminio, cùm ei Orationem de fato deſtinaret, poſtulabat, *ne famæ, ſiue bona, ſiue mala ſit, in ferenda ſententia* circa dicenda *iudicium* ſequatur, ſed diſſertationem accuratè perpendat, fundamenta exploret, non plus æquo auctoritati aduerſariorum tribuat, ſed æqua benignitatis trutina humilitatis noſtræ æquanimiter ſuſtineat audire probationum fulcimenta.

Semper in Eccleſia Dei, etiam ante Legem, & Euangelium fuiſſe plures ſpecialiori ritu, & forma Dei Cultores. Cap. I.

Cultus Dei, 1 ICET ab Adæ ipſius protoparentis noſtri æuo plura fuerint diuini cultus inter fideles veſtigia, quibus Deus vt auctor vitæ & mortis, & Dominus cunctarum creaturarum ab ipſis honoraretur, vt conſtat ex oblationibus Caini, & Abelis. *Geneſ. 4. v. 3. & 4.* ex feſtis ab Adamo in Dei honorem inſtitutis, ſabbato ſcilicet, vt colligitur ex Philone, *libro de Opificio hominis; lib. de Decalogo, & de Vita Moyſis*, quod plures alij recentiores amplectuntur; & natalitijs ſuorum filiorum, prout ex Fagio, & Aben Ezrà colligit Iacobus Boulducus *De Eccleſia ante Legem lib. 1. cap. 2. §. Aliud feſtum.* ac ex ſacris locis Diuinitatis cultui nuncupatis, quæ & ab eo tempore cœpiſſe idem Boulducus, *ibidem §. ex dictis*, probat: quia tamen infans fuit tunc Eccleſia, nihil ad intentum ſacra Pagina expreſsè loquitur, vt propterea de hoc æuo vſque ad tempora Seth, & filij eius Enos, qui vt *Geneſ. 4. v. 26.* habetur, *cœpit inuocare nomen Domini*, ſilere prorſus cogamur.

Per Seth. 2 Nato autem Seth filio Adæ anno 131. mundi, prout ex *Geneſ. 5. v. 3.* deducitur, Eccleſia, quæ ſemper in ſuo profectu, progreditur *quaſi aurora conſurgens*, *Cantic. 6. v. 9.* vt propterea *pulchri greſſus* illius dicantur, *Cantic. 7. v. 1.* noui luminis ſplendore illuceſcere cœpit, primam veluti lineam, etſi vmbroſam, Religioſi ſtatus

in orbe

in orbe futuri designans. Neque enim sine causa dictus est *Genes.* 5. *v.* 3. genitus *ad imaginem & similitudinem* Adæ, quod de Caino, & Abele eiusdem filijs dictum non erat, quia scilicet Seth ob eam, quam diximus rationem plus cæteris filijs referret imaginem, & similitudinem parentis, in qua à Deo conditus est, *in iustitia & veritate*. Addit & Suidas apud Cornelium in *Genes.* 4. *vers.* 25. Seth à pietate, sapientia, & astrologia cognominatum esse Deum, quod non discordat ab intento nostro. Sicut neque quod stolidi hæretici Sethiani apud Epiphan. *heres.* 39. dum ad ipsum omnia, quæ virtutis, & iustitiæ sunt, referrent. Etymologia etiam nominis Seth, quæ est iuxta sanctum Hieronymum *in traditionibus hebraic.* idem quod *Thesis*, seu *Positio*, proposito nostro fauet; quia Religiosus status, cuius vmbra Seth erat, ponit aliquid supra communia præcepta. Alij interpretantur *Seth* nomen, *Resurrectionem*, vt Augustinus *lib.* 15 *de Ciuitate cap.* 17. & 18. & Chrysostomus *hom.* 21. Alij, *compensationem*, vt Epiphanius *heres.* 34. Alij, *fundamentum*, vt Chronicon Alexandrinum *p.* 185. quæ omnia non incongruè ad eiusdem Religiosi status commendandam dignitatem trahere poterit prudens Lector. Hic igitur Seth non tam euasit gloriosus propter mirabilem ipsius educationem à patre, quam refert Iosephus *lib.* 1. *antiquit. c.* 3. nec propter duas ab ipso pro posteris excitatas columnas, in quibus doctrinalia multa insculpta erant, eodem Iosepho teste; nec quia procero, & giganteo corpore fuisse dicatur, & ab Angelo raptus, & edoctus, vt propterea ex hoc Angelico congressu cælesti splendore circumfusum corpus gestauerit (de quo Raderus *in Chronic. Alexandr.*) sed quia Pater fuerit illorum, qui in sacra Scriptura *Genes.* 6. vocantur, *filij Dei*, qui erant homines specialiori modo, & ratione Dei cultui, & obsequijs, Religiosorum instar, deuoti, vt iam dicemus.

Seth Etymologia.

3 Non enim leuis controuersia est inter Patres, & Expositores, quinam illi fuerint, qui *filij Dei* loco relato nuncupantur. Quidam enim *filiorum Dei* nomine, Angelos intelligunt. hi sunt Iosephus, Philo, Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, & alij. Quidam verò, quibus subscribit Eugubinus, *filios Dei*, appellari credunt, filios Principum, & Magistratuum. Cæterùm perquam celebris est, & magnorum Scriptorum auctoritate nobilitatâ sententia, asserens eos fuisse filios Sethi. sic præter Theodoretum, & Cassianum, qui de hac re seriò disputant, tenent Augustinus, Cyrillus, Rupertus, Albinus Flaccus, Procopius, S. Thomas, Sixtus Senensis, Abulensis, Pererius, Cornelius, & ple- Filij Dei qui?

A 2 rique

rique alij. Huius autem appellationis origo fuit, quòd cùm eodem tempore filij Cain improbi, scelerati, & facinorosi essent, vtpote talis parentis liberi, & propterea *filij hominum*, id est, humanè viuentes, vel humana solùm sapientes, appellarentur; ex aduerso ex Seth geniti, *filij Dei*, quia pij, boni, Deique cultores erant, cognominati sunt. De quo Theodoretus *q. 47. in Genes.* Procopius *in cap. 4. Genes.* Cornelius *in 6. Genes. vers. verum dico*. & maximè Cyrillus *lib. 3. in Genes.* eos vocans, *sanctissimum genus*, quod *solum per se viueret, nulloque se vitio commisceret*. Optimè etiam Vvaldensis noster *to. 1. doctrinalis fidei lib. 3. art. 1. cap. 1.* vbi pluribus probat filios Seth, *filios Dei* appellatos, & Religiosos nuncupandos. Boulducus etiam *lib. 1. de Eccles. ante Leg. c. 4. §. 1.* inquit à Seth institutam, & à filijs eius mirificè propagatam & illustratam *sanctissimam filiorum Dei, vtpote Prophetarum, Doctorum, ac Religiosorum virorum Sodalitatem*. Legatur Iosephus *lib. 1. antiquitat. cap. 3.* vbi multa de Seth: maximè verò Raderus *in animaduersionibus ad Chronicon Alexandrinum n. 5.* ex fragmento cuiusdam Chronici Bibliothecæ Palatinæ, vbi plura etiam de prophetia Seth, & qualiter ex congressu cælesti cum Angelo splendorem circumfusum per reliquam vitam tenuerit. Iam ergo Sethi tempore homines erant in Ecclesia specialiori cura Dei cultui & obsequijs dicati, vt propterea nostrorum Religiosorum vmbra iure appellari possent.

De Enos, & Enoscæis.

4 Clariùs id notum erit de seculo Enos eiusdem Sethi filio. De hoc enim *Genes. 4. v. 26.* dicitur: *Iste cœpit inuocare nomen Domini*, circa ann. mundi 250. vt indicat ibi Salianus *n. 2.* vel annis sequentibus, vt alijs placet. Illud certiùs, dici Enos cœpisse *inuocare nomen Domini*; non quia ante ipsum id nullo modo vsu fuerit: quis enim credat Adamum etiam post pœnitentiam virum iustum, Abelem sanctum & pijssimum, Dei inuocationem cuilibet homini tantopere necessariam neglexisse? sed sanè, ideo de ipso dicitur, cœpisse *inuocare nomen Domini*, quia id cœperit palam, & excellentiùs, quàm vulgus hominum, prædicando videlicet, vel certas cerimonias, & precum formulas adhibendo, vt ex Ruperto, Lyrano, Abulensi, Lipomano, Vatablo recentiores accipiunt. Addit Cornelius *in Genes. 4. vers. 29.* hæc: *Enos auctor fuit, vt passim homines ritè Deum colerent. vnde Hebræa habent:* Tunc cœptum est, *scilicet publicè, & per cætus auctore Enos*, inuocari nomen Domini. *Tempore ergo Enos videntur cætus hominum instituti, & in Ecclesiam congregari cœpisse, ad publicas preces, ad publicas conciones, & catecheses, ad cultum Dei publicum per sacrificia, aliosque ritus, & cerimonias*. Approbatque ex Vval-

ex Vualdensi nostro, & Bellarmino, Enos instituisse peculiarem aliquem cultum, & sublimiorem, quàm esset religio vulgi, & veluti præludium, & initium vitæ Religiosæ, & Monasticæ. Similia fermè Laurentius Beyerlinck *in Theatr. vit. human. to. 6. lib. 16. verbo Religiosus Religio. §. de Enos*. Addit Boulducus *De Ecclesia ante Legem lib. 1. cap. 13.* hunc Enos fundasse Sodalitatem quamdam Prophetarum, qui dicebantur *Enoscai*, & postea *Esseni*, vel *Essai*. Quod satis rationi consentaneum est; primò ex *Genes. 6. v. 4.* vbi enim vulgatus legit: *Isti sunt potentes à seculo viri famosi*, ex Hebræo legi potest: *Isti sunt illi heroës, qui à seculo Enoscai nomine*. Ex quo sequitur ea tempestate fuisse genus aliquod hominum, qui *Enoscai* vocarentur, quod nomen procul dubio refertur ad Enos ipsorum auctorem, prout ex ipsius etymologia conijcitur: secundò ex Chrysostomo *hom. 20. in Genesim*; vbi clarè genitos ex Enos, eiusdem appellationem sortitos esse his verbis denunciat: *Sicut hic Enos vocatus est, eo quod inuocauit nomen Domini Dei sui; sic & qui ex eo deinceps ducunt originem, eandem sortiuntur appellationem*. Tertiò ex Vualdensi nostro *to. 3. de sacramentalibus tit. 19. c. 150.* in fine dicente de ipso: *Primò meruit origo fuisse in forma Religiosorum perfectorum in statu naturæ*. verbum namque illud, *in forma*, denotat ipsum instituisse Sodalitatem virorum specialiori modo inuocantium nomen Domini. Quòd autem hi *Enoscai* idem cum Essenis essent, non solùm constat ex nominis similitudine, sed & ex eo, quod Plinius & Solinus de illis dixerunt. Plinius enim *lib. 5. histor. c. 17.* Essenos ait, *per seculorum millia*; & Solinus, *per immensum spatium seculorum* durasse, quo eorum Institutum originaliter iam à mundi principio extitisse denotatur. Sed quo pacto posterioribus secul.s appellari cœperint, cùm de ipsis agemus, dicetur: illud enim dumtaxat pro nunc sufficiat, tempore Enos non defuisse aliquos specialiori ritu, ac forma præ cæteris Dei cultores.

5 Idem etiam ostenditur de tempore Cainam filij Enos, de quo *Genes. 5. v. 9.* ab hoc enim ortos fuisse Cinæos specialiores Dei cultores filiorum Dei, ac Enoscæorum Instituti æmulatores, vnius veri Creatoris per orbem prædicatores, ac fidei propagatores doctè satis ostendit Boulducus *lib. 1. relato de Ecclesia ante Legem c. 15. & 16.* qui etiam *cap. 17.* Cedmonæos, de quibus *Genes. 15 v. 19* eosdem esse cum Assamonæis, seu Machabæis ex eadem Enoscæorum Societate probat. De Cainam.

6 Et saltem de Henoch pronepote Cainam, de quo *Genes. 5. à v. 18.* negari non debet, cùm ibi *v. 22.* dicatur: *Et ambulauit Henoch* De Henoch.

A 3 cum

cum Deo. Quæ locutio, vt habet idem Boulducus *cap.* 18. illis temporibus idem valebat, ***ac adhibitis quibusdam cerimonijs totum se diuino seruitio solenniter, & perpetuò deuouere.*** Hoc enim sensu illi *filij Dei*, de quibus *Iob.* 1. *v.* 6. & 2. *v.* 1. qui ex Cinæis erant, dicuntur assistere, & astare *coram Domino*; & Elias qui etiam ab illis originem traxit, dicebat 3. *Reg.* 17. *v.* 1. *in cuius conspectu sto*. Quin inter suos Cinæos, seu filios Dei tantum profecisse videtur iste Henoch, vt ad quosdam illorum, qui veritatis viam deseruerant, missus fuerit prædicator. Hoc enim sibi voluit Irenæus *lib.* 4. *cap.* 30. dicens: ***Henoch placens Deo cùm esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur.***

Henoch Dei legatus. Quod sic explicat Salianus *to.* 1. *Annalium ann.* 987. *n.* 11. satis congruè ad ea, quæ diximus: ***Nec tantùm posteros Cain, sed etiam pij Sethi nepotes religionis alioqui ac pietatis cultores, impunitate vitæ ac licentia, morumque improbitate valde infectos fuisse atque deprauatos. Quò fortasse respexit D. Irenæus: Henoch, inquit, placens Deo cùm esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur. Angelorum enim nomine videtur intelligere eos, quos Moses paulò inferiùs appellat filios Dei, & à quibusdam Angeli dicti sunt, apud Augustinum, & Philonem Iudæum. Qui cùm improbam vitam degerent, & Henochi virtus insignis, Deique erga illum beneuolentia nota omnibus esset, consensu maiorum natu electus est non semel, vt ad eos legationem obiret, à flagitijs auocaret, ad studium virtutis accenderet; quomodo rectè eum locum interpretatus est Feu-ardentius; idque consentaneum est ijs; quæ habet Theodoretus. Vocatur autem Dei legatio, quia Dei nutu, & Dei causa agebatur.*** Propter hanc etiam causam *Ecclesiast.* 44. *v.* 16. dicitur translatus in Paradisum, *vt det gentibus pœnitentiam*, id est, vt exponit idem Salianus, *sub anno* 688. *n.* 4. ex Iansenio: ***Qui cùm viueret, erat omnibus exemplum pœnitentiæ, nimirùm quia vita sua integritate seculi homines docebat pœnitentiam & ad eam trahebat.*** Librum præterea scripsit suæ prophetiæ, vt testatur S. Iudas in sua Epistola *v.* 14. qui etsi apocryphus communiter censeatur, ab alijs tamen defenditur; & Scaliger *in notis ad Eusebium p.* 244. & 245. ingens quoddam fragmentum illius refert, in quo de quadam Congregatione, seu quasi Capitulo filiorum Dei sermo esse videtur. ex quo magis roboratur id, quod dictum est. Fauét dictis, quòd Henoch appelletur *dicatus*, vel *inclinans*, quia hic erat mos colendi Deum, de quo alibi. Item, quòd, vt habet Cornelius in Ecclesiastic. *c.* 49. *vers.* 16. Henoch fuit sui æui Nazaræus, quia separatus à conuersatione hominum.

De Noë. 7 Subsequenti tempore cùm iam *filij Dei* nuncupati à pristino eorum instituto (quod humanum est, & fuit semper) deuiassent, *filias*

lias

lias hominum, id eſt, Caini filias in vxores accipiendo, miſit Deus quendam inſignem præconem veritatis, Noë iuſtum circa ann. 1057. ortum ex eiſdem filijs Dei, Enoſcæis, ſeu Cinæis, imò & ipſorum Sodalitatum Moderatorem, ſeu Archimandritam, vt probat Boulducus *De Eccleſia ante Legem lib.2.cap.1.* De illo enim *Geneſ. 6. v.9.* dicitur: *Noë vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit.* Diuino videlicet ſe obſequio vouens, prout diximus de Henoch, & perfectioris vitæ ſtudio incumbens. Vnde eum Sibylla vocat: *In omnibus iuſtiſsimum, fideliſsimum, veracem, boniſque operibus deditum.* Fuit vnus ex præconibus iuſtitiæ appropinquantis per diluuium, octauus ſcilicet, vt ait ſanctus Petrus *in Epiſtola 2. cap.2. v.5.* Hoc munus quingentis annis exercens, vt colligitur ex Chryſoſtomo *hom.21. & 22. in Geneſ.* Adeo diuini cultus propagandi ſtudioſus, vt teſte Beroſo *lib.3. Antiq.* ſuis poſteris *Theologiam, & ſacros ritus docuerit*, & tam arcana *quæ ſolis Sacerdotibus Scythæ & Armeni commendant. Neque enim fas eſt illa vlli aſpicere, aut legere, quàm ſolis Sacerdotibus & inter Sacerdotes dumtaxat, ſicut & quos rituales libros reliquit.* Ipſius veſtigia ſecutus eſt Sem filius eiuſdem anno 1559. ortus. Propterea enim benedictionem illam à parente promeruit, *Geneſ.9. v.26. Benedictus Dominus Deus Sem.* ea namque, teſte Saliano *ſub anno 2158. n. 3.* indicatur *retenta in eius familia vera pietas, veruſque Dei cultus, alijs penè omnibus in idololatriam prolabentibus.* Promeruit etiam, vt Melchiſedech exiſtimaretur à S. Hieronymo, Ruperto, Lyrano, Genebrardo, Toſtato, & alijs, quem fuiſſe illuſtriſſimum Dei cultorem omnes norunt. Patrem etiam Cinæorum habitantium in *Emath* eum vocat Boulducus *De Eccleſia ante Legem lib.3.c.16. §. Verumtamen ſi nomen,* apud quem multa de hoc Patriarcha. De Sem.

8 Pariter Arphaxad eiuſdem Semi filius circa ann.mundi 1659. natus, de quo *Geneſ.10. v.22. & 24.* inter illuſtres Dei cultores ab aliquibus cenſetur, eo quod *Caſed Rapha*, id eſt, *Chaldææ Curator & Antiſtes* vocatus ſit: quo non ſolùm ex priſcis Enoſcæis, ſeu filijs Dei vocatis, ſed ipſorum Moderatorem fuiſſe denotatur. Videtur etiam vnum fuiſſe ex illis filijs Noë, qui, vt habetur in lib. reuelationum S. Methodij, ædificauerunt ſibi poſſeſſionem in Regione appellata *Thamua.* Quod ſi ita eſt, clariùs inde oſtenditur hunc Patriarcham ex Enoſcæis duxiſſe originem, ſiquidem Rechabitæ, qui ex ipſis orti ſunt, appellebantur *Viri Theima*, vt teſtatur Beniaminus Iudæus *in ſuo Itinerario.* Arphaxad.

9 Celebris etiam inter iſtos eximios diuini cultus propagatores fuit

Heber. fuit Heber filius Sale, & nepos Arphaxad circa annum 1754. natus, & de quo *Genes.* 10. *v.* 24. *&* 25. agitur. *Propheta* enim ab Hebræis *in Sederolam* vocatur, non resistente S. Hieronymo, *in quæstionibus Hebraic. & pius, ac religiosus* ab Epiphanio, *in init. Panar.* Insignem porro fuisse ex eo colligunt aliqui, quòd ab eo Hebræi nomenclaturam acceperint. Vocat & ipsum Boulducus *De Ecclesia ante Legem lib.* 2. *cap.* 7. Cinæorum Archimandritam, habuisseque dicit tabernaculum, in quo manebat, docebat, vel orabat in deserto prope Iordanem, vbi Cinæi quondam, & postea Ioannes solitudini studebant. Plura etiam de illo falsè & doctè, *dicto cap.* 7. 8. *&* 9. quibus inter magnos Dei seruos hunc Heber nominandum fore satis concluditur.

10 Post istos succedit vir omnino magnus, aut potiùs virorum miraculum, talis vt non homo, sed Angelus, aut Spiritus sanctus, *sine patre, sine matre & sine genealogia* à quibusdam reputatus, Melchisedech Rex Salem, Rex pacis, Sacerdos Dei altissimi, Hebræis inuidia, Chananæis gloria, & toti orbi admiratio. Meruit ab Angelis conuerti, & doceri, vt habet Dionysius Areopagita, *De Ecclesiast. Hierarch. c.* 9. ab Abrahamo, *Genes.* 14. *v.* 21. decimas accipere, & figura multiplex Christi Redemptoris esse in Regia dignitate, in Sacerdotio, in sacrificio, in benedictione, in decimatione, in virginitate, & alijs, quæ doctè prosequitur Salianus, *sub anno* 2118. *à num.* 37. Appellatur à Suida, *Vir religiosus ex Gentibus.* Item, *per omnem ætatem virgo, ac vir iustus.* Dixerunt quidam eum adhuc in viuis esse cum Henoch, & Elia, sed exiguo fundamento ducti: probabiliori illum aliqui vocant *Prophetam*, vnum ex filijs Dei cognominatis, & fundatorem Collegij Prophetarum in Valle Raphaim. De quo & alijs relatus Boulducus, *dicto lib.* 2. *cap.* 10. 11. *&* 12.

Abraham, Isaac, & Iacob, 11 Sed vocant nos tres illi eximij, ac clarissimi Patriarchæ, Abraham videlicet, Isaac filius eius, & Iacob nepos, qui ea tempestate viuebant; Abraham quidem Melchisedecho coæuus, & natus circa ann. mundi 2039. Isaac circa ann. 2139. cùm pater eius centenarius esset; Iacob verò circa 2199. Hos enim illustrissimos viros, specialissimos ac singularissimos Dei cultores, diuinæ legis obseruatores, pietatis, & religionis zelatores fuisse tam patens, & manifestum est in sacra Genesis historia à cap. 15. vsque ad 50. & vltimum. Interim omittimus, quæ de ipsis in alijs vtriusque Testamenti libris, Patrum commentarijs, diuersisque monumentis continentur, quòd actum agere videremur, si rem ex professo discutere voluisse-

luissemus. Id ergo de illis probare dumtaxat enitendum, fuisse videlicet discipulos, & alumnos eorum, quos *filios Dei*, *Enoscaeos*, & *Cinaeos* appellatos esse diximus: ex hoc enim non mediocris gloria ipsorum Instituto, ex quo postea Propheticus Ordo prodijt, procul dubio accrescet.

12 Et primò de Abrahamo id constat, quem Dei cultum non ex stellis, vt aliqui putarunt, desumpsisse, sed à patribus Noë, Semo, Iapheto, Arphaxad, Cainam, & Hebero, quos eiusdem Instituti fuisse diximus: approbat Salianus sub anno 2052.*num*.4. & 5. quin & veritatis praeconem extitisse, non solum Thare patrem idola fingentem increpando, prout Suidas verbo *Abraham* tradit, sed ad alios etiam idem munus exercendo, scribit Iosephus *lib*. 1. *Antiquit. cap*.8. Imò & Onchelus *in Paraphrasi Chaldaic*. illud quod *Genes*. 12. *v*. 5. dicitur: *Et animas quas fecerant*, interpretatur, *quas subiecerant Legi*. Nam, vt ibi Fagius ait, Hebraei tradunt, Abraham viros, Saram verò vxorem ipsius mulieres in Dei cultu instituisse. quod & recipit Tostatus, ac alij. Illud praeterea eiusdem *cap*. 12. *v*.8. vbi dicitur inuocasse Dominum, alij vertunt, vt ait Vatablus, *& praedicauit alijs in eo loco Dominum*. Vnde Chrysost. *hom*.31. eum Doctorem Palaestinorum & Aegyptiorum vocat. Hac etiam de causa plantasse videtur nemus in Bersabeae, vt dicitur *Genes*. 21. *v*. 33. illic enim solitus erat peregrinos excipere, ac Dei fidem, & cultum docere, & sic dimittere, vt ex Thargo Ierosolymitano, & Delrio affert Salianus *sub anno* 2154. *n*. 5. Quibus si adiungas eximias huius Patriarchae virtutes, fidem scilicet, spem, ac fiduciam, charitatem, pietatem, obedientiam, & hospitalitatem, omnibus notas, facilè comperies eum ex primoribus Enoscaeis, seu filijs Dei nuncupatis alumnis fuisse. Hinc notat Bouldducus *lib*. 1. *relato cap*. 14. ipsummet Abrahamum *Genes*. 13. *v*.8. se, & suum nepotem Loth appellasse Enoscaeos, illis enim verbis, *fratres enim sumus*, Hebraicè respondet, *Enoscem fratres sumus*. Item *lib*. 3. *cap*. 2. suae Sodalitatis Enoscaeorum multa tabernacula erexisse, vnde postea Rechabitarum Institutum emanauit. Plura demum ad hoc intentum eo *cap*. 2. & sequentibus, quae apud ipsum videri possunt. Abraham.

13 De Isaaco etiam eiusdem Abrahae filio, vel ob eius obedientiam, patientiam, deuotionem, & alia, propter quae Christi innocentissimi typus fuit, prout omnis Sanctorum & Doctorum chorus agnoscit, non solùm verissimũ Dei cultorem fuisse, sed Enoscęorum, vel filiorum Dei propaginem plusquam coniectari possumus. Hinc Enos Enoscaeorum patris, qui coepit *inuocare nomen Domini*, egregius imita- Isaac.

imitator Isaac in eo cognoscitur, quòd *Genes.* 24. *v.* 63. egrediebatur *ad meditandum in agro*. Quod S. Hieronymus *in tradit. hebraic.* sic explicat: ***Adorationem quasi virum iustum domo egressum, & vel hora nona, vel ante solis occasum Spirituales Dei victimas obtulisse.*** Si hæc tibi, Lector pie, non sufficiant, memento filium Abrahæ esse, & sic facilè concipies eiusdem cum illo Instituti sectatorem.

Iacob. 14 De Iacob Isaaci filio eadem ratione idem suspicari possumus. Extant etiam de ipso specialia quædam, & inter ipsa præclarum illud, quod cùm *Genes.* 25. *v.* 27. dicatur, quòd *habitabat in tabernaculis*, tabernaculorum enim nomine intelliguntur Scholæ, in quibus manebat Iacob addiscens sapientiam, & Dei timorem, vt exponunt Hebræi, & referunt Lyranus, & Abulensis, qui ex eisdem aiunt fuisse huiusmodi duo tabernacula, alterum Melchisedechi (in Valle Saue, vt quidam volunt) qui erat sapiens & Sacerdos Dei altissimi; alterum Heberis (apud Hebron vt putant) qui erat Propheta, & res diuinas docens. Alludit Paraphrastes Chaldæus dicens: ***Iacob erat vir integer, & minister domus doctrinæ.*** Potuit proinde, vt doctis quibusdam placet, quando in Ægyptum cum filijs suis descendit, solicitè eorum Ecclesiam regere, in lege, & cultu Dei instruere, & alia facere, quæ à priscis Enoscæis, filijs Dei vocatis, in præfatis tabernaculis didicerat.

Filij Iacob. 15 De Iacob, seu Israëlis filijs, vel sanctitas parentum, auorum, & proauorum idem intentum conuincit. Sed, & ipso quoque tempore, quo inter idololatras Ægyptios morabantur, Dei veri cultui non renunciasse, sed eidem veluti paternæ hereditati sedulò adhæsisse, ex 1. *Reg.* 2. *v.* 27. vbi id exprobratum Heli à Domino conspicimus, elici manifestè videtur: ***Numquid*** (dicebat vir Dei) ***non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm essent in Ægypto in domo Pharaonis? & elegi eum, &c.*** Si enim Deus ipsis reuelatus apertè fuit, & ab ipso electi, veri ergo Diuinitatis cultores etiam tunc erant. Id etiam inferri potest ex Augustino *in Psal.* 104. circa illud quod de Iosepho ibi dicitur, *vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret*. Quod non tam de corporis, quàm de animæ regimine intelligendum docet. *Vnde enim fieri posset* (inquit Augustinus) *vt vir tantus veri Dei cultor in Ægypto alendis tantùm corporibus, & rebus tantùm corporalibus gubernandis esset intentus, & quo eos meliores redderet, curam non gereret animorum?* Simili namq; argumentandi modo dicere & nos possumus: Si Ioseph tanta sedulitate & diligentia fratrum temporalis regiminis curæ incumbebat, quanta in sacra Genesis historia describitur; quomodo non magis cu-

ram

ram gereret animorum, eos in veri Dei cultu confortando, & adiuuando, ne à paterna religione deuiarent? Etsi fatendum sanè, post Ioseph & filiorum Iacob obitum, ipsorum successores Israëlitas à Dei cultu turpissimè declinasse (non vniuersè, cùm de Tribu Leui, & alijs temerè id dicatur à R. Abraham in Cabbala historica) & vitulum, Ægyptiorum more, qui Apim, seu Serapim bouem colebant, adorasse, Pseudo-prophetarum de filijs Ephraim & Galaad, vt Rabbini tradunt, seductione. Propterea enim meruerunt eorum serui fieri, indignissimè tractari, ærumnis affligi, laboribus opprimi, & flagris verberari, prout ex sacra Exodi historia *cap.* 1. deducitur.

16 Deus autem sapientissimus prouisor, qui nunquam suæ Ecclesiæ conseruationi defuit, quo tempore apud Iacobi filios ipsius Dei cultus veluti desiderabatur, benignissimè inter Idumæos Esau posteros, pios aliquos sibi præparauit fideles, qui spretis Idololatriæ ritibus, vero Deo Cæli, & terræ corde, & animo deseruirent. Inter quos vnus Princeps fuit Iob vir sanctissimus, ipsius Dei testimonio incomparabilis; Esau trinepos, vt aliqui autumant, vel saltem ex ipsius posteris, ac in Bosra Idumææ metropoli circa hoc tempus natus. Hunc enim pijssimum virum inter fidissimos Dei cultores computandum esse, ipsius historia manifestè demonstrat; & apertè fatetur Vvaldensis *to.* 1. *doctrin. fidei lib.* 3. *ar.* 1. *c.* 5. id desumens ex Augustino 18. *de Ciuitate Dei c.*47. Quid namque aliud denotare possunt crebra ab ipso oblata Sacrificia pro filijs, ne peccauerint? de quibus *Iob.* 1. *v.* 5. preces, & holocausta pro amicis oblata? *Iob.*42. *v.*9. fides, pietas, patientia, & aliæ eximiæ virtutes eo libro descriptæ? Sacerdotem, imò summum Pontificem legis naturæ eum aliqui vocant cũ Boulduco *De Eccles. ante Legem lib.* 3. *c.* 8. §. *Quartò veste. &* §, *nec silentio.* hoc fundamento, quòd eo loco *Iob.*42. ad eum mittantur amici ipsius, vt pro eis offerat Sacrificia, quod indicat id quod diximus. Numerandi etiam videntur inter huiusmodi fideles vnius Dei cultores in eadem Idumæa tres isti Iob amici, videlicet Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Nahamatites, tum ex eo quod amici Iob sanctissimi viri appellentur, tum quia ea, quæ in longa illa cum ipso habita disputatione dixerunt, Dei veri, eiusque prouidentiæ, rectitudinis, & bonitatis notitiam indicant, vnde tam Iobum ipsum, quàm eos idem Boulducus *de Ecclesia ante Legem lib.* 1. *c.* 15. §. *Vtriusque autem*, ex Cinæis, seu Enoscæis fuisse denotat. Quod etiam dicit de Eliù illo, qui *Iob* 32. *v.* 2. vocatur filius Barachel Buzites (eiusdem namque fidei & Religionis cum illis fuisse videtur) ac de illis filijs Dei, qui *Iob.* 1. *vers.* 6.

Iob.

Amici Iob.

verſ. 6. dicuntur aſtitiſſe coram Domino. de quo *d. libro c.* 18. §. *Denique eodem prorſus*.

Iethro. 17 Eadem quoque de cauſa, vt ſcilicet Deus ſapientiſſimus pro filijs Iſraël eius cultum hoc tempore magna ex parte deſerentibus, inter Gentiles ſibi cultores aliquos aſciſceret, Iethronem Moyſis ſocerum inter Madianitas ſuæ gratiæ lumine illuſtrabat, vt verus Dei ſectator haberetur. Eum namque veram in Deum fidem ab Abrahamo in Iecſan filium eius, & Dadan nepotem, indeque ad Raguelem patrem Iethro propagatam, & perpetuò in eadem familia conſeruatam agnoſcit Salianus *to.* 2. *ſub anno* 2504. *n.* 14. & probant coniugium Moyſis cum Zephora ipſius filia, & plures ipſius virtutes, de quibus tum in ſacra Pagina, tum in alijs auctoribus fit mentio: illas enim faciliùs in fideli, quàm in Idololatra aut perfido reperiri conſtat. Vnde grauiſſimus auctor Vvaldenſis relatus *to.* 1. *doctrinal. fidei l.* 3. *art.* 1. *c.* 5. ipſum vocat vnum Deum colentem & religiosè ſapientem, ſicut Iob; quod & confirmat ex Origene in *Exod.* 18. idem aſſerente.

Iethræi. 18 Quia tamen auctor iſte magni in Eccleſia nominis eo loco contendit hunc Iethro caput fuiſſe Iethræorum, Rechabitarum, & Cinæorum, quos eoſdem eſſe putat, & religiosè ſapientes in lege naturæ appellat, ideo hæc ſingula pro maiori eorum luce diſcutienda ſunt, nec extra noſtrum intentum; ex eo namque deducere poſſumus veros Dei cultores, permultos ſaltem, ſemper non ſolùm in Hebræorum populo, ſed & inter alienigenas extitiſſe. Primò ergo quòd Vvaldenſis hos Iethræos, & Cinæos religioſos nuncupare videatur, ſano modo intelligendum eſt; quatenus ſcilicet vmbra fuerunt, & veluti primordia Religionis per Eliam clariùs adumbrandæ, & per Chriſtum perficiendæ, iuxta dicenda in ſequentibus. Quod ſecundò de Cinæis addere videtur, ab hoc tempore ſcilicet cœpiſſe, pariter explicatione eget, ne contrarij ſimus ſuperiùs dictis, vbi eos à multis ſeculis, ex Cainam videlicet filio Enos originem, & nomen duxiſſe probabile cenſuimus. Dici autem poteſt, quòd etſi à Cainam præfato nomenclaturam, & quodammodo primordia ſuſceperint, quia tamen ab iſto Iethronis viri illuſtriſſimi æuo celebriores, & populo Dei coniunctiores, propter affinitatem ipſius Iethronis cum Moyſe facti ſunt, ideo tunc primò cœpiſſe crederentur. Maximè ſi verum eſt, quod multi aſtruunt, & Lyranus in *Iudic.* 1. 16. ex communi ſententia refert, quòd ſcilicet Iethronis filius Cin, vel Cinæus appellatus fuerit, alias Hobab. Et in idem redit, ſi cum alijs, quos ſequitur Cornelius in *cap.* 10. *Numeror.*

meror. v. 29. dicamus hæc nomina eiusdem Iethronis fuisse. Quod ex 70. Interpretum mēte amplectitur etiam Gaspar Sanchez, *in Ierem. c. 35. n. 4.* Quod ijdem sint Cinæi, Iethræi, & Rechabitæ, prout Vualdensis putat, verum existimamus, modo explicando *capite 7. huius Apparatus.* Colligitur primò ex 1. *Paralipomen* 2. vbi postquam *v. 53.* inter familias numerantur Iethræi, dicitur enim: *Et de cognatione Cariatbiarim, Iethræi.* postea paucis interiectis *v. 55.* subiungitur: *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Iabes, canentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore Patris domus Rechab.* vbi Iethræos, Cinæos, & Rechabitas simul coniunctos videt lector. Secundò ex Ioanne Patriarcha Ierosolymitano, *in lib. de Institut. monachor. c. 25.* vbi Rechabitas, & Cinæos eosdem fuisse affirmat. Tertiò ex alijs Auctoribus, qui idem astruunt, quales sunt Abulensis, *in 1. Paralipom. 2. q. 20.* Serarius *in Iudic. 1. v. 16.* à quo non recedit Salianus, *sub anno mundi* 1604. & sequitur Bouldueus, *De Ecclesia ante Legem lib. 1. cap. 16. §. quod autem isti.* Sed de hac re commodiùs d. cap. iterum redibit sermo, modò enim, ne plus æquo intenti nostri cursus interrumpatur, dicta sufficiant.

19 Supponere etiam videtur idem Vualdensis loco relato hos Cinæos, seu Rechabitas fuisse Sodalitatem, seu Congregationem quamdam hominum vitæ Religiosæ formam sectantium, non gentem solam, aut populum purè secularem. Quod nos etiam autumamus, & latè probat Boulducus, *De Ecclesia ante Legem lib. 1. c. 16.* Et quamuis ex dicendis per totum hoc Opus, præsertim cap. sequenti, id constare poterit, vlteriùs probatur ex loco, *primo Paralipomen* 2. adducto, vbi illi non solùm dicuntur *cognationes Scribarum*, sed etiam *canentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes.* quæ sine dubio veluti Religiosorum propria videntur. Secundò, quòd ipsi, Religiosorum instar, qui nullibi habent locum permanentem, sed varias habitationes, non in vna, aut alia prouincia, tribu, aut ciuitate morabantur; sed in plures distracti erant, & diuisi mansiones, vt credi potest, secundùm quod sui Instituti ratio & commoditas postulabat. Primò enim inter Madianitas fuisse, vel ex eo conijcitur, quòd Iethro ipse, & Cin, vel Cinæus, vel Hobab filius ipsius Iethronis Madianitæ erant, vt communiter admittitur. Deinde in tribu etiam Iudæ commoratos fuisse ex loco 1. *Paralipom. 2. v. 55.* adducto, manifestè colligitur; ibi enim est sermo de tribus Iudæ cognationibus, vt patet ex titulo præfixo dicto *c. 2.* Constat etiam ex *Iudic. 1. v. 16.* ipsos de Ciuitate Palmarum, id est

Cinæi, & Rechabitæ.

Iericho, apud quam morabantur translatos fuisse in desertum, quod est ad meridiem Arad, & habitasse ibi. Præterea *Iudic.* 4. *v.* 11. expresse habetur Haber Cinæum recessisse à fratribus suis, & tetendisse tabernacula sua ad vallem, quæ vocatur *Sennim*, iuxta Cedes, quem locum in tribu Nephtalim esse ex Abulensi & Adricomio tenet Salianus, *sub anno* 2741. *n.* 4. Ad hæc, inter Amalechitas, seu Amalecitas etiam fuisse Cinæos, ex *Reg.* 15. *v.* 6. palam deducitur. Cùm enim Saul delere vellet Amalech, dixit Cinæis: *Abite, recedite atque descendite ab Amalech, ne fortè inuoluam te cum eo.* Et postea dicitur: *Recessit Cinæus de medio Amalech.* Erant ergo Cinæi etiam inter Amalecitas. Addit Serarius, *q.* 7. *in lib. Iudicum*, præter Cinæos illos, qui in Ierichuntino agro consederant, alios in Arabicam solitudinem secessisse, alios in Zabuloniam demigrasse portionem. Quibus sanè satis ostenditur, eos familiam veluti Religiosam, & non merè secularem fuisse, siquidem tot loca, tamque diuersa habitare curabant, *canentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes.* vt dicitur in loco 1. *Paralipom.* 2. relato.

Confirmatio. 20 Id etiam confirmat, quod *Iudic.* 1. *v.* 16. dicitur: *Filij autem Cinæi cognati Moysi ascenderunt de Ciuitate palmarum cum filijs Iuda in desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.* Hæc enim transmigratio de optimo & amœnissimo loco, qualis erat ille Ciuitatis Palmarum, siue Iericho, vbi nascitur Balsamum, ad alium inamœnum, & inuium, non potuit alia ex causa esse, nisi quam Serarius ibi his verbis profert: *Videbimus eos hoc ipso iam tempore vitam illam, quæ veteris Testamenti monastica quædam, & anachoretica fuit, quæ apud Ieremiam* 35. (Rechabitarum videlicet) *valde à Domino laudatur, & stabilitur incboasse, ideoque locis frequentioribus, & mollioribus desertis, solitudines, e quibus in vrbes tanquam in carceres, vt ait epistola* 8. *Hieronymus ad Paulinum, interdum venire coacti sunt, prout capite quarto de Habero dicitur, vers.* 11. Quæ merito laudat Boulducus, *de Ecclesia ante Legem lib.* 1. *c.* 16. §. *Hæc & alia*, nec improbat Salianus, *sub anno* 2604. *n.* 10. Imò & ista tam facilis de loco in locum istorum transmigratio, sicut & illa, quæ tempore Saulis ex Amalecitano tractu facta est, satis indicat Cinæos istos, quia Rechabitæ erant, nullas habuisse possessiones, agros, aut vineas, sicut de ijsdem Rechabitis legitur, *Ierem.* 35. sed in tabernaculis habitasse, ac proinde cito & facilè de vna ad aliam stationem transmigrare potuisse, prout notat idem Salianus, *sub anno* 2968. *n.* 14. Notant vlterius ijdem Serarius & Boulducus, desertũ istud ad meridiem Arad fuisse ad extremas occidentales, meridionalesque

falsi

falsi maris partes, qui erat lacus Asphaltites. Quod & nos maximè notare debemus, quia eo etiam loco habitasse Essenos eiusdem Instituti cum Cinæis, & Rechabitis sæpius in sequentibus, cùm de eisdem agemus, dicetur. Ibi etiam Christum, & Ioannem Baptistam versatos fuisse aliquando ijdem suspicantur, de quo aliàs & nos.

21 Indicatur etiã hæc veluti Religiosa Cinæorum Sodalitas in illo 1. *Reg.* 15. *vers.* 6. superiùs relato de recessu illorum de medio Amalech. Propterea enim à Saul nihil damni recepisse videntur, quia erant homines Dei cultui tantùm addicti, & non sicut alij Amalecitæ improbi, & idololatræ: propterea etiam nõ est reprehensus Saul à Samuele, quòd istos non tetigisset, sed quòd alia sibi contra Dei voluntatem reseruasset, & quod in eo textu habetur, dixisse videlicet tunc Saulem ad Cinæum: *Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filijs Israël, cùm ascenderent de Aegypto*. Indicat Cinços, quamuis essent inter Amalecitas, quia erant viri pij, & veluti Religiosam vitam ducentes, Israëlitis transeuntibus, benignè eos recipiendo, liberum permisisse transitum, quem Amalecitæ negarunt, resistendo ipsis. Ita Boulducus, *vt supra*. Amplius.

22 Ex dictis autem in toto hoc capite satis, vt credimus, comprobatum manet intentum illius, quòd scilicet semper in Ecclesia Dei, in lege naturæ vsque ad Moysis æuum, etiam ante legem, fuerint plures homines specialiori modo, & ritu ab alijs distincto Dei cultores, quos simul ostendimus Religiosi, seu monastici status temporibus sequentibus futuri rudia veluti delineamenta, vmbram, & figuram extitisse. Hoc idem probandum restabat de tempore post Moysis legem vsque ad Christum; quia tamen hoc manifestè ex omnibus sacræ Paginæ voluminibus, à libro Exodi vsque ad Machabæorum historiam, ac ex alijs Iudaicarum rerum scriptoribus constat, pluraque capite sequenti, & per totum hunc Annalium primum Tomum de hoc dicturi sumus, supersedendum censemus. Meritò proinde D. Gregorius, *hom.* 19. *in Matthæum*, Patremfamilias illum, qui iuxta Christi testimonium, *Matth.* 20. mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima in vineam suam operarios conducit, Conditorem nostrum esse dixit: *Quia mũdi huius initio vsque in finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non destitit: Mane etenim mundi fuit ab Adam vsque ad Noë, hora verò tertia à Noë vsque ad Abraham, sexta quoque ab Abraham vsque ad Moysem, nona autem à Moyse vsque ad aduentum Domini, vndecima verò ab aduentu Domini vsque ad finem mundi*. Hæc ille. Conclusio.

In Lege veteri Ordinem quendam, seu Institutum Prophetarum fuisse, ad quod ferme omnes, qui post Samuelem Prophetæ vocabantur, pertinebant. Cap. II.

1 RIVSQVAM quæsito directè satisfiat, operæ pretium valde est, lectori sacræ Paginæ studioso præ oculis ponere varias huius nominis, *Propheta*, acceptiones in eiusdem Paginæ voluminibus passim repertas; ex eo namque dicendorum tum hoc capite, tum in Operis totius cursu clarior notitia prælibari poterit. Nec est sermo de ea voce per catachresim, aut abusionem accepta: quo sensu de Saule 1.*Reg.* 18. *vers.* 10. dicitur: *Inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat.* Ibi enim, *prophetabat*, significat idem quod, *insaniebat*, vt Chaldæus vertit; vel *desipiebat*, vt Vatablus; vel *aliena referebat*, vt Auctor quæstionum apud S. Hieronymum; vel futuros rerum euentus à Diabolo correptus, qui per ipsum loquebatur, *præsagiebat*, vt Theodoretus, Hugo, Lyra, Abulensis, Caietanus, & alij. Hęc autē abusiua vocis, *Propheta*, acceptio vulgarissima est inter profanos scriptores. Sic enim Ouidius 6. *Fastorum* dixit de suis Poëtis:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Et Virgilius *lib.* 6. De illa sua prophetissa:

——— Cui talia fanti
Ante fores subitò non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale sonans, affata est numine quando
Iam propiore Dei.

Imò Turcæ epilepticos, & lunaticos, *Prophetas* veros vocant, honorant, & venerantur; eo quòd Mahomet eorum propheta, laborans epilepsia, cùm ea correptus fureret, vt morbum hunc apud suos tegeret, dicebat se corripi tunc à Spiritu diuino, ab eoque reuelationes accipere, & prophetare. Solent autem similes quandoq; vera, spiritu malo suggerente, prædicere; prout contigit in præsenti Sauli, de quo Philo Biblicus: *Mansit*, inquit, *spiritus in Saul, & prophetauit, dicens: Quid seduceris Saul? aut quem persequeris in vanum? Completum est tempus regni tui. Perge in locum tuum: tu enim morieris, & Dauid regnabit. Nonne tu & filius tuus simul moriemini, & tunc apparebit Dauid regnum?* Hac ergo abusiua, & impropria nominis, *Propheta*,

ta, acceptione reiecta, proprias alias in sacris codicibus exaratas recēsebimus. De quibus Abulensis, Carthusianus, Torniellus, Sanchez, Boulducus, Laur. Beyerlinck, Franciscus à S. Maria inferiùs referendi cum alijs. Quibus iungimus ex nostris Thomam de Blauxamis egregiū scriptorem, *in Harmonia Euang. to. 2. in Matth. 13. fol. 483.*

2 Primò ergo, vt à notioribus & solemnioribus exordiamur, *Propheta*, in sacro Sermone pro eo accipitur, qui occulta pandit, vel futura reuelat. Sic Moyses, Samuel, Elias noster, Elisæus, Isaias, & alij quatuor maiores, & duodecim minores, *Prophetæ* vocabantur. Est enim Prophetia in hoc sensu, quod Iunilius Afer, *de partibus diuin. leg.* dixit: *Rerum latentium præteritarum, aut futurarum ex diuina inspiratione manifestatio.* Quos tales putabant Ethnici, *Vates* dicebant. Sic Virg. 6. *Æneid.* — Prophetæ prima acceptio.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum.

Sic Horatius *de arte Poëtica*:

Sic honor & virtus diuinis vatibus, atque
Carminibus venit.

Sic quoque Homerus, Martialis, Iuuenalis & Persius sæpius. Appellabantur autem isti crebriùs in sacris Litteris, *Videntes*, vt patet 1. *Reg.* 9. 11. 19. & 20. 2. *Reg.* 15. 27. 2. *Reg.* 24. 11. 1. *Paralip.* 21. 9. & alibi.

3 Secunda nominis, *Prophetæ*, acceptio est pro diuinarum laudū Cantoribus, seu musicis, qui in templo ex officio coram Deo, adhibitis instrumentis psallebant, & cantabant. De quibus erant Asaph, Heman & Idithum, qui, vt habetur 1. *Paralip.* 25. *v.* 1. prophetabant in *citharis, & psalterijs, & cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio seruientes.* De quibus etiam ibidem versibus sequentibus. Is quoque qui istis præerat Chenonias, dicitur Princeps, seu præesse *Prophetiæ*, *c.* 15. eiusdem libri *v.* 22. & 27. Hi etiam dicebantur psallentes, seu psalmistæ, quia psalmis psallendis seu cantandis addicti erant. Propterea autem videntur isti appellati *Prophetæ*, quia scilicet non quascunque, sed Propheticas dumtaxat cantiones præcinerent, vt ait Torniellus, *to.* 1. *Annal. sub anno mundi* 2545. *n.* 14. Coincidit hæc secunda, *Prophetæ*, acceptio cum tertia, quam afferemus, quia, vt ait Salianus *sub anno* 3127. *n.* 23. credibile est magnam Prophetarum (in tertia acceptione) partem fuisse Leuitas, *qui Cantorum officio in Templo fungebantur sub cura Asaph, Heman, & Idithum. Cæteros magno numero diuersis familijs distinctos, quos Prophetarum cuneos Hieronymus vocat, vixisse, varijsque in locis collectos.* — Secunda.

 Nihil-

Nihilominus maioris lucis cauſa vtramque acceptionem *Propheta* diſtinguendam cenſuimus.

Tertiò.

4 Tertiò tandem, & magis ad intentum noſtrum (alijs acceptionibus prætermiſſis, quia ad iſtas reduci poſſunt) ſumitur *Propheta* in diuinis Litteris pro homine pio, iuſto & Sancto, Dei cultui ſpecialiori modo addicto, vitam à mundo alienam agente, cum Deo conuerſante, & qui propterea veluti diuinæ voluntatis interpres, opere, & ſermone, precibus etiam, & quandoque ſignis, & miraculis alios in via Dei inſtruit, docet, & ædificat. Indicat hanc *Propheta* acceptionem Abulenſis, *in Geneſ.* 20. *v.* 7. circa illa verba de Abrahamo dicta, *Quia Propheta eſt:* vbi poſtquam dixit, quòd *Propheta dupliciter dici poteſt, vno modo pro illo, cui aliqua à Deo reuelantur hominibus publicanda.* ſubiungit: *Alio modo accipitur Propheta, pro illo, qui à Deo aliquas reuelationes accipit, & cum Deo loquitur, licet hominibus nihil eorum, quæ audit à Deo, denunciet.* Quo pacto, Abrahamum, Aaron, & Mariam ſororem ipſius, ac Ioſue appellatos dicit

Abraham, Aaron, & Maria an Prophetæ?

Prophetas. Clarius *in* 1. *Reg.* 10. *q.* 5. poſtquam dixit, quòd *Propheta eſt ille, qui à Deo reuelationem recipit.* Addit poſtea: *Alij autem vocantur Prophetæ, qui non enunciant aliqua de futuris, nec reuelant abſcondita, nec Deus tangit mentem eorum ad cognoſcendum hæc, tamen ſunt viri valde ſapientes in Scriptura, & magni iudicij, & per hoc ſciunt formare magnas laudes de Deo, faciendo plura cantica, & pſalmos.* Adhuc magis ad intentum inferius dicens: *Quandocunque reperiuntur ſimiles modi loquendi in Scriptura, vel dicitur, quia multi ſunt Prophetæ ſimul, aut quod erant prophetantes, intelligendum eſt de iſtis Prophetis, & non de verè Prophetis.* Quod maximè memoriæ mandari debet propter dicenda ſæpius de pluribus in ſacra Scriptura nuncupatis Prophetis. Vide & ipſum in 1. *Reg.* 19. *q.* 31. Carthuſianum 1. *Reg.* 10. Sanchez etiam *act. Apoſtol. c.* 11. *v.* 27. expreſsè dicit: *Sicut olim Propheta idem dicebatur, qui Sanctus, ſic prophetare Sanctum eſſe, aut aliquid ſanctum moliri.* Vide eundem *in c.* 2. *v.* 39. *& c.* 13. *v.* 1. Maximè *in Prologomenis in lib.* 1. *Eſdræ Prologomeno* 2. vbi propterea Eſdram *Prophetam* vocat, quia erat vnus ex illis, qui *diuinis laudibus ex Inſtituto, aut conſuetudine* vacabant. Fauet ad intentum Laurentius Beyerlinck, *in Theatro vitæ humanæ, tom.* 6. *verbo Propheta, Prophetia.* §. *Hinc tertio*, vbi propterea Eliæ, & Eliſæi diſcipulos Prophetas dictos eſſe approbat, quia *quaſi viri Religioſiores certis temporibus, tum decantandis pſalmis, orando, & laudando Deum, tum excutiendo, meditando & docendo legem Domini præ alijs ſeſe ſtudioſè occupabant.* Eamdem *Propheta* acceptionem, traditamque doctrinam recipit Torniel-

Torniellus *to. 1. Annal sub anno 2545. n. 14.* vbi loquens de Prophetis veteris Testamenti hæc habet, tum pro dictis, tum pro dicendis nobis necessaria: *Quamquam horum* (scilicet Prophetarum) *duplex genus habeatur: Alterum, ac præcipuum erat eorum, qui diuinis potissimùm reuelationibus præfulgebant, futura prædicebant, Reges arguebant, populis prædicabant, miracula perpetrabant, & denique tanquam oracula, & spirituales populorum patres ab omnibus communiter habebantur. Eiusmodi fuerunt in primis Moyses, & Aaron, deinde Iosue, & Samuel; postea verò per singulas propemodum generationes ferè vsque ad tempora Machabæorum, Gad, Nathan, Abias, Silonites, Michæas, Elias, Elisæus, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel & qui duodecim Prophetæ minores appellantur, & alij multi. Quorum temporibus plurimos item non defuisse pseudo-prophetas, qui ipsis per omnia aduersabantur, infra suis locis ostendemus. Alterum genus illorum, qui licet futura non prædicerent, nec alia mirabilia facerent, nihilominus ipsi quoque dicebantur Prophetæ seu filij Prophetarum, & quandoque etiam cunei gregesue Prophetarum, quòd gregatim conuiuentes, ac certis quoque horis simul conuenientes, vt de rebus diuinis dißererent, mira quadam mentis illustratione cælitùs affecti, arcanos scripturarum sensus ad spiritualem ipsorum, cæterorumque progressum aperirent, explicarentque, non secus, ac postmodum in primitiua Ecclesia fieri consueuit. Quemadmodum ex 1. Corinth. c. 14. manifestè colligi potest, vbi Apostolus Prophetam præferri debere dono linguarum pluribus demonstrare conatur. Iidem quoque statis temporibus diuinis laudibus vacabant, hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus, musicisque diuersorum generum instrumentis suauiter personantes, eo ferè modo quo solent nostri temporis Ecclesiastici homines in Ecclesijs, vel etiam aliquando per vias, quando scilicet ordinatè exeunt ad processiones publicè celebrandas. Duas horum Prophetarum Congregationes tempore Samuelis in populo Israël extitisse certum est, quarum vna venit cum canticis, & organis obuiam Sauli, posteaquam à Samuele in Regem vnctus fuit, vt traditur 1. Reg. 10. v. 5. & 10. & hæc manere solebat in Gabaa Beniamin, quemadmodum latè probat Abulensis super cap. Reg. citato, q. 4. vltra medium. Altera cui præsidebat Samuel, morabatur in Ramatha, ad quam cùm venissent nuncij Saulis quærentes Dauidem, & post ipsos ipsemet Saul, illico omnes cum cæteris prophetare cœperunt, vt accuratiùs describitur 1. Reg. c. 19. v. 20. vsque ad finem capitis.* Recipit eandem *Prophetæ* acceptionem Iacobus Boulducus, *de Ecclesia ante Legem lib. 1. c. 5. §. Quinto Prophetæ.* vbi post relatas plures nominis *Prophetæ* acceptiones sic habet: *Cùm autem ex ijs, quæ postea dicturi sumus, constet Prophetarum Ordinem, & Insti-*

Prophetarum duplex genus

Prophetarum Ordo, & Institutum.

Institutum, quandam fuisse Sanctorum hominum Congregationem à Deo in bonum, & ædificationem Ecclesiæ ab initio mundi constitutam; Prophetæ *nomine dictæ professionis virum generaliter intelligendum censeo: cui Deus cùm bene vellet, & valde illum diligeret, sua illi affatim largiebatur charismata, singulis ea pro sua voluntate distribuens. Ita vt pro vniuscuiusque dono, alij ad consulendum Dei oracula, alij ad psallendum, diuinisque die ac nocte vacandum laudibus decantandis; alij ad benedictiones & maledictiones pro varijs euentibus, locis ac personis annuntiandas destinarentur; alij dono miraculorum essent conspicui; alij ad docendum alios; alij ad prædicandum mitterentur; alij denique etiam corporum sanationibus, vel cùm expedire viderent, illa à morte suscitando, vacarent. Quapropter mystico illi ac sanctissimo Prophetarum corpori verba Apostoli optimè conuenirent.* Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, (*id est missos*) secundò Prophetas, tertiò Doctores; deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes, &c. Eodem etiam *lib. c. 14. in fine*, explicans illud *Ioannis 1. v. 25.* quod Pharisæi Ioanni dixerunt: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* dicit: In illis verbis, & ferè semper alibi, si res bene attendatur, nomen, *Prophetæ*, propriè sumitur pro ijs, qui vt Elias, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & alij duodecim Prophetæ vitam à mundo alienam agebant, quique propterea vocantur Prophetæ, *qui a seculo sunt*, id est, à mundo semoti. Idem amplectitur perdoctus Pater Franciscus à S. Maria, *in historia Prophetica Hispanè lib. 1. cap. 3. n. 12.*

5 Hæc ergo, *Prophetæ*, acceptio accuratè nobis ex S. Pagina illustranda est: & primò ex *Genes. 20. v. 7.* vbi Deus ipse loquens de Abraha ad Abimelech, vocat eum Prophetam: *Nunc ergo*, inquit, *redde viro suo vxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues.* Cùm enim Abraham nequeat appellari Propheta propter alicuius rei occultæ, aut futuræ prædictionem, cùm de hoc nihil in sacris Litteris habeatur, nec quia cantoris, aut musici munus exercuerit, cùm nec id vllo fundamento affirmari possit, sequitur dumtaxat appellari, *Prophetam*, modo dicto, quia scilicet vir Sanctus, & iustus erat. Cui expositioni cohæret id quod sequitur: *Et orabit pro te, & viues.* Talium namque preces Deus vt plurimum exaudit. Fauent huic expositioni Carthusianus hic, & Torniellus, *in Annalibus sub anno 2138. n. 18.* dicens nominatum fuisse Prophetam, *hoc est, Dei mysteria cognoscentem, ac videntem, & veluti ipsiusmet Dei intus oracula dictantis fidum interpretem, & consequenter virum valde sapientem, ac sanctum,*

Explicatur.

sanctum, & ipsi Deo valde charum. Idem dici posse videtur de Iosue, qui, *Ecclesiastic.* 46. *v.* 1. vocatur *successor Moysi in Prophetis.* quo & ipse Propheta, & inter Prophetas vnus denunciatur. Si tamen Prophetæ vocem ad eum, qui futura alijs prænunciat, aut cantoris munus exercet, restringamus, vix ipsum Iosue inter Prophetas recensere possumus. Nomine ergo, *Prophetæ*, aliquid aliud præter ista denotatur. Vnde Abulensis, *in Genes.* 20. eum Prophetam dici credit, non quia populis aliqua prædicendo nunciaret, sed quia ipse cum Deo loquebatur, & reuelationes ab ipso accipiebat, quod reduci potest ad genus Prophetarum, de quibus nos loquimur.

6 Maximè tamen in sacra Scriptura, *Prophetæ*, nomen importare sæpius hominem Deo deuotum, & specialiori modo ipsi addictum modo superius dicto, nec solùm futura, aut occulta prædicentem, Templiue Cantorem, manifestè constat ex 1. *Reg.* 10. *v.* 5. vbi postquam Samuel vnxit Saulem in Regem, dixit illi: *Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Phylistinorum, & cum ingressus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.* Et infra *v.* 10. dicitur, quod cùm peruenisset Saul ad prædictum collem, *ecce cuneus Prophetarum obuius ei, & insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum.* Grex enim, seu cuneus iste Prophetarum, aut *Prophetæ* isti non erant aliud, nisi viri sapientes, ac veluti Religiosi Dei laudibus assistentes. Vnde Chaldæus Paraphrastes eos vocat, *Scribas*, qui erant Doctores illius temporis. Lyranus autem dicit: *Vocantur hic Prophetæ homines deuoti & Religiosi, quos congregauerat Samuel ad laudandum Deum, & cum hoc Spiritum prophetiæ, saltem aliqui eorum habebant.* Hugo verò Cardinalis sic habet: *Nota, Samuel primus inuenit, & instituit Conuentus Religiosorum iugiter psallentium Domino: & dicebatur Conuentus eorum cuneus, quasi coeuneus, à coëo cois, quod est conuenio, conuenis; quia simul conueniebant, & simul manebant, & dicebantur iugiter Deum laudare, & fortè aliqui ex eis aliquando prophetabant.* Abulensis verò q. 5. sic: *Erant viri sapientes & deuoti, qui conueniebant ad collem illum in Gabaa, & ibi laudabant Deum in canticis, & psalmis habentes diuersa vasa musica.* & q. 13. explicans quid esset ille Cuneus Prophetarum, hæc dicit: *Hic accipitur pro multitudine solum congregata, quia Prophetæ illi erant multi, & accipiuntur Prophetæ non propriè, sed largè pro viris sapientibus, facientibus laudes, & cantica Dei.* Consonat & Carthusianus ibi asserens illos vsos fuisse musicis instrumentis, ludentes, & psallentes *ex Spirituali iucunditate, & ad* Amplius.



prono-

prouocandum Spiritualem feruorem, & alacritatem. Inferius etiam refert ex Comestore, quæ ex Hugone adduximus. Salianus quoque *sub anno 2962. n. 100.* expresse asserit istos Prophetas non fuisse eos, qui futura, aut occulta reuelabant, sed viros sapientes in lege Domini, & diuinis mysterijs exercitatos, qui diuinas laudes celebrabant.

Confirmatio. 7 Idem argumentum desumitur ex *1. Reg. 19. v. 20.* cùm enim Dauid fugisset à facie Saulis, qui eum occidere volebat, venissetque ad Naioth in Ramatha, vbi erat Samuel, Saul tunc, qui id resciuit, lictores misit, vt raperent eum, qui (inquit textus) *cum vidissent Cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi.* Quod etiam fecisse alios nuncios bis postea à Saule missos, imò & ipsum Saulem, adeo vt exiret in prouerbium, *num Saul inter Prophetas?* eodem capite inferiùs dicitur. Hic enim Prophetarum cuneus, seu isti Prophetæ, non erant nisi viri quidam in sacra Scriptura studiosi, qui Deum religiosè canentes laudabant. Vnde Chaldæus illos appellat, *Turmam Scribarum laudantium.* Lyranus, *Societatem Religiosorum Deum laudantium.* Hugo Cardinalis ex Glossa sic de illis loquitur: *Isti Prophetæ viri Religiosi erant dicti Nazaræi, qui non bibebant vinum, & vacabant semper canentes hymnos, & psalmos.* Abulensis verò *q. 31.* hæc habet, quæ omitti non debent, vtpote valde necessaria pro nostro intento: *Considerandum quòd in veteri Testamento, cum esset vnicus locus Sanctuarij, omnes homines qui volebant vacare contemplationi, & diuinis laudibus, non poterant conuenire in Templum illud, sed fiebant diuersa Collegia per terram Israel, &* (Prophetarum Collegia.) *in quolibet eorum erant multi viri, qui specialiter vacabant contemplationi, in comparatione ad alios homines, sicut nunc sunt Religiosi in comparatione ad populares: & isti in illis Collegijs vacabant studijs sapientiæ & doctrinæ, & disciplinæ Legis, & addiscebant facere cantica diuinæ laudis, & illa faciebant. De his erant aliqua Collegia tempore Samuelis, & omnes qui erant in illis, vocabantur* Prophetæ. *Fuit autem vnum in Gabaa colle, ad quem venit Saul, quando dimissus fuit à Samuele, & dicitur quòd Saul, & puer suus venerunt ad prædictum collem, & exijt cuneus Prophetarum obuius ei, & insiluit super eum Spiritus Domini, & prophetauit, vt patet sup. c. 10. Aliud Collegium in Ramatha, de quo hic, & erant multi Prophetæ ibi laudantes Deum. Quod autem isti prophetarent per doctrinam, apparet: quia dicitur, quòd stabat Samuel super eos, id est, docebat illos prophetare: si tamen illi haberent hoc per Spiritum Dei, nemo doceret eos, sed illa solùm prophetarent, ad quæ Spiritus Dei illos moueret.* Et Samuelem stantem super eos, *id est, viderunt*

derunt, quòd Samuel stabat super Prophetas illos, scilicet erudiendo eos: quia ipse erat Doctor diuinæ laudis; vel erat super eos, scilicet quòd erat Princeps eorum: nam etiamsi dicatur, quòd isti habebant spiritum propheticum, poterat Samuel stare super eos: sed erat honorabilior inter omnes Prophetas, & antiquior. Et factus est etiam in illis Spiritus Domini; *id est, non solùm fuit Spiritus Domini in alijs Prophetis ad prophetandum, sed etiam in nuncijs Saulis. Ex quo innuitur, quòd aliqui de illis, qui prophetabant cum Samuele, habebant spiritum propheticum, & non prophetabant per doctrinam, cum ponatur hic (etiam) quæ est dictio copulatiua. Potest tamen referri ista copulatio non ad spiritum propheticum, sed ad actum prophetandi, vt dicatur, quod factus est Spiritus Domini in istis, & prophetare cœperunt, etiam sicut alij prophetabant, qui non habebant spiritum propheticum, sed etiam isti qui illum habebant. Sed prior sensus est melior: quia hic ponitur bis:* Et prophetare cœperunt etiam ipsi, *scilicet isti qui missi erant à Saule, cœperunt canere laudes Dei, sicut omnes alij Prophetæ.* Hæc ille.

8 Accinit Torniellus *sub anno* 2974. dum dicit cum istis Prophetis Samuelem solitum esse, *diuinis laudibus & Sanctis collocutionibus vacare.* Clariùs in sequentibus dicens: *Quòd autem hic prophetare non significet futura prædicere, sed laudes diuinas cantare, expressè colligitur ex fine dicti capitis, vbi de ipso Saule dicitur, quòd nudus, hoc est, vestibus regijs exutus, cecinit tota die illa, & nocte.* Torniellus.

9 Simile quoque argumentum fit de illis centum Prophetis, quos Abdias etiam Propheta 3. *Reg.* 18. *v.*4. & 13. abscondit in speluncis à facie Iezabel, quæ plures ex illis occiderat. Quis namque credat istos Prophetas, omnes saltem, appellatos tales propter spiritum propheticum, quem non nisi raro Deus hominibus concedit, aut omnes fuisse ex Templi Cantoribus? Rectiùs ergo à Lyrano vocantur viri Religiosi, intenti diuino cultui, quos primò congregauit ad hoc Samuel, & aliqui etiam habebant Spiritum Prophetiæ. Bene etiam Carthusianus ibidem dicit, vocatos fuisse Prophetas, *vel quia prophetiæ gratia coruscabant, vel quia Discipuli erant Prophetarum maiorum, intenti diuino obsequio, psalmis atque eloquijs Prophetarum Sanctorum.* Argumentū.

10 Simile prorsus, imò & efficacius argumentum desumitur ex 4. *Reg.* 2. *v.* 3. 5. 7. & 15. *ac cap.* 4. *v.* 1. & 38. *item capite* 6. *ver.* 1. *vsque ad* 8. ex quibus locis constat in Bethel, Galgalis, & Iericho fuisse Collegia filiorum Prophetarum in tam copioso numero, vt Galgalis numerarentur centum, 4. *Reg.* 4. *v.* 43. & ex Ierichuntino Collegio quinquaginta pro Elia associando, 4. *Reg.* 2. *v.* 7. existent. Hos Aliud.

enim

enim Prophetas fuisse pro comperto est,& tamen nullus dicet omnes prophetico illustratos fuisse spiritu, aut Templi Cantores, cùm Templi sedes Ierosolyma esset, non autem Bethel, Galgala, aut Iericho. Ex hoc verò clarè deduci videtur, *Prophetæ* nomen in Sacris voluminibus, vltra prædicta importare etiam sæpius virum Dei cultui, deuotioni, & Religioni specialiori modo, & ritu nuncupatum. Vnde de huiusmodi Prophetarum filijs hęc habet Lyranus, 4. Reg. 2. *Erant isti viri Religiosi, simul collegiati, vacantes orationi, & contemplationi, quorum aliqui habebant spiritum prophetiæ, & tales fuerunt primò congregati sub Samuele Propheta, & postea sub alijs Prophetis excellentibus, propter quod dicebantur filij Prophetarum, id est, Discipuli eorum, sicut dixit Rabbi Salomon super locum istum.* Carthusianus etiam *in* 4. *Reg.* 6. eos vocat, *Deuotarios*, dicitque numero, ac merito creuisse sub regimine Elisæi.

Aliud. 11 Nec minùs efficaciter conuinci potest intentum ex ijs, quos in sacris Literis Pseudo-prophetas, aut Prophetas Baalis hoc tempore, quo veri Dei Prophetæ, ac filij Prophetarum erant, nominatos videmus. Etsi enim de illis, ac de veris Dei Prophetis diuersa omnino ratio sit, cùm illi Idololatræ, & hæretici essent; veri autem Prophetæ fideles & pij: quia tamen simiarum instar eos imitari studebant, & ad ipsorum similitudinem, & veluti analogiam ab Achab & Iezabele impijs regibus instituti, vel tolerati erant, ideo ex eis congruè licet argumentum desumere ad ea, quæ diximus, efficaciùs roboranda. Cùm enim ipsi ex eo *Prophetæ* appellarentur, vt ex Abulensi 3. *Reg.* 18 *q.* 18. colligitur, quia Baalis, & aliorum Idolorum laudibus, cultui, falsæ religioni (potiùs superstitioni) addicti essent, idque munus varijs ritibus, & cerimonijs exercerent (constat enim ex 3. *Reg.* 18. *v.* 26. & 28. bouem pro sacrificio tulisse, nomen Baalis de mane vsque ad meridiem inuocasse, dicentes: *Baal exaudi nos*. & cùm non exaudirentur, voce maiori clamasse, ac se *iuxta ritum suum cultris, & lanceolis* incidisse, donec perfunderentur sanguine) ideo clarè deduci videtur, veros Dei Prophetas, ad quorum æmulationem isti etiam Prophetæ vocabantur, fuisse viros Dei cultui, & obsequio specialissimè deuotos, varijsque ac pijs precibus, ritibus ac cerimonijs eum colere, & honorare solitos esse, ac proinde nomen, *Prophetæ*, de illis pronunciatum hoc maximè denotare. Quod præterea roboratur, quia cùm isti Pseudo-prophetæ in tam copioso numero essent, vt 3. *Reg.* 18. *v.* 19. octingenti quinquaginta numerentur, & post ipsorum necem iussu parentis Eliæ iuxta Carmelum factam, ibidem *cap.* 22. *v.* 6. circiter quadringenti à Rege Israëlis

Israëlis congregati dicantur, nullo modo credibile videtur, eos omnes à futurorum prædictione etiam Diabolico instinctu facta Prophetas appellatos, sed vt diximus, ex eo quòd Baalis, & aliorum Idolorum cultui destinati, & addicti essent. Ex quo colligitur idem proportionaliter de veris Dei Prophetis, quorum illi æmulabantur Institutum, dicendum fore; ita vt, *Prophetæ* nomen non à futurorum, seu occultorum denunciatione, sed ex eo quòd veri Dei cultui, & obsequio, modo dicto, veluti ex professione astricti essent, desumeretur.

11 Mahumetanorum somnia audiamus. Omnium Prophetarum numerum esse Saraceni nugantur centum & viginti millia. Legatorum verò Dei, trecentos & quindecim: inter quos quinque Hebræi, Adam, Seth, Esdrick, Noë, Abraham: quinque Arabes, Muth, Schale, Ismaël, Schaib, Mahometus. Moysen Iudæorum primum, & Christum vltimum Prophetam extitisse, liber de Chronica Saracenorum asserit. Mille Prophetas inter Christum & Moysen in populo Israël fuisse; & inter Christum, & Mahometum quatuor. Prophetis cælitùs missos esse libros centum & quatuor: quorum quinquaginta Seth dati, Moysi Testamentum, Christo Euangelium, Mahometo Alcoranum, & Alfurcam. Hæc Laurentius Beyerlinck, *in Theatro vitæ humanæ tom. 6. litera P. verbo Propheta Prophetia*. Quæ propterea in medium adducere placuit, vt inde innotescat, qualiter etiam apud Barbaros, & falsos Dei cultores Prophetæ nomen non tantùm futurorum præsagum, aut diuinarum laudum cantorem, sed etiam virum diuino obsequio specialiter nuncupatum denotare soleat. Mahumetanorum somnia.

12 Conuincitur etiam idem intentum, ex eo quòd plures in Sacris voluminibus hoc *Prophetæ* nomine notati conspiciantur, quos aliquid de futuris, aut occultis reuelasse, aut ex Templi Cantoribus extitisse, vix cum fundamento affirmari potest. Vel esto, quòd aliquando prophetauerint, id non fuit nisi semel, aut raro. Ex hoc enim rectè deducimus alio sensu vsurpandam eam vocem crebriùs. Hos verò hîc indicare operæ pretium erit, quamuis in discursu Operis de eis specialiter sit agendum. Primi occurrunt Prophetæ illi, *2. Paralipomen. 24. v. 19.* vocati, qui post Ioiadæ summi Sacerdotis mortem contra Regem Ioam, & Principes ipsius, ob Idololatriæ cultum introductum, insurrexerunt, *protestantes*, id est, obtestantes, & comminantes illis tum sceleris grauitatem, tum pœnam à Deo illis infligendam, de quibus *sub anno 3184.* dicemus. Idem dici posse videtur de Amos patre Isaiæ, qui à pluribus, *Pro-* Aliud argumentum. Plures appellati prophetæ.

pheta nuncupatur, & tamen de ipsius Prophetia nihil habet Scriptura, cùm Amos ille eiusdem nominis, qui inter Prophetas minores refertur, diuersus valde ab ipso fuerit, prout *sub anno* 3197. dicetur. Idem dicito de illo viro Dei, qui Amasiæ Regi Iudæ, 2. *Paralipom.* 25. *v.* 7. suasit, ne haberet socios in prælio contra Idumæos, Israëlitas, iuxta dicenda *sub anno* 3208. ac de illo alio Propheta, qui contra eundem Amasiam, ob fœdissimam ipsius Idololatriam, mortem comminando prophetauit, eodem 2. *Paralipom.* 25. *v.* 15. *&* 16. de quo *sub anno* 3209. dicemus. Quod etiam probabiliter dici potest de Zacharia illo, cuius mentio fit, 2. *Paralipomen.* 26. *v.* 5. & intelligens, ac videns Deum nuncupatur, iuxta dicenda, *sub anno* 3227. potiori ratione id dici debet de Propheta illo, *Oded* (alijs *Obed*) 2. *Paralipomen.* 28. *v.* 9. qui Israëlitas crudelitatis arguit ob cladem ab eis Iudæis fratribus illatam, de quo *sub anno* 3294. dicemus. Item & de illo Zacharia filio Barachiæ, de quo Isaias Propheta, *c.* 8. *v.* 2. quem S. Hieronymus, Paraphrastes Chaldæus, Glossa interlinealis, Procopius, & alij ibidem, *Prophetam* vocant, cùm tamen de ipsius prophetia nō constet. De eo autem dicemus, *sub anno* 3296. Maximè id videtur asserendum de ingenti illa Prophetarum multitudine, quam impius Rex Iuda Manasses interimi fecit, prout ex, 4. *Reg.* 21. *v.* 16. Iosepho *l.* 10. *Antiquit. c.* 4. Abulensi. *q.* 16. *&* 17. & alijs colligitur, de quo, *sub anno* 3341. sermo erit. Ac de illo Vria, de quo, *Ierem.* 26. *v.* 20. dicitur prophetasse in nomine Domini, si forsan hoc prophetare non fuit aliud, quàm prædicare: de illo dicemus, *sub anno* 3426. Pariter & de Baruch Ieremiæ discipulo affirmari idem potest, si cum pluribus Doctoribus asseramus librum illum, qui sub ipsius nomine in Biblijs circumfertur, à Ieremia conscriptum, de quo sub anno 3429. fusiùs dicetur. Item de Saraia, qui *Ierem.* 51. *v.* 59. vocatur *Princeps Prophetiæ*, de quo *sub anno* 3439. Et de Habacuch illo, qui ad Danielem ductus est cum pulmento, quod messoribus deferebat, de quo *sub anno* 3473. dicetur.

Vltimum. 13 Accedunt vltimò noui Testamenti testimonia, in quibus, *Propheta*, vel prophetandi vox nec pro rei futuræ, aut occultæ prænunciatore, nec pro ipsius prædictione vsurpatur. Et vt omittamus Euangelij loca, quibus, dum est sermo de Christo, & Ioanne, vocantur Prophetæ non eo sensu, quòd futura aut occulta prædicerent; etsi enim id facerent, & propterea proprijssimè Prophetæ titulo digni essent, populus tamen non ex eo præcisè eos Prophetas sæpius appellabat, sed ea dumtaxat ratione, quòd ipsos crederet iustos & sanctos, ac speciali modo diuini honoris zelatores. Sic enim

enim cæcus ille Ioann. 9. v. 17. de Christo dixit: *Quia Propheta est.* Alia tamen ex eodem nouo Testamento non prætermittenda nobis sunt, sed sigillatim notanda; videlicet, *Actuum Apostolorum c. 2. v. 39.* illud Ioëlis à S. Petro relatum: *Prophetabunt filij vestri.* Deinde *cap. 11. v. 27.* vbi dicitur: *Superuenerunt ab Ierosolymis Prophetæ.* Item, *c. 13. v. 1.* illud: *Erant autem in Antiochia Prophetæ.* Maximè illud, *1. Corinth. 14. v. 1.* vbi Paulus inquit: *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis.* Deinde *v. 3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* & infra *v. 4. & 5. Qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat: volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare: nam maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis.* Item *1. ad Timoth. 4. v. 14.* inquit idem: *Quæ data est tibi per prophetiam.* & *cap. 1. v. 18. secundùm præcedentes in te Prophetias.* In his enim locis & similibus, prout apud Expositores illorum facilè reperiet lector, *Prophetæ, prophetiæ,* & *prophetandi* vox de illis dicitur, qui vitæ sanctitate, vel doctrina Scripturam interpretantur, arcanos illius sensus explicant, concionantur, alios docent, instruunt, & illuminant, & non nisi raro de illis, qui occulta aut futura prædicunt. Vnde noster Guido Maioricensis, & Elnensis Episcopus in egregio illo opere, *Quatuor vnum,* vocato, seu *Concord. Euangelic. in c. 7. Matthæi* ex Chrysostomo dicit, quod post Ioannem, *Prophetæ fuerunt, & sunt, sed qui non prophetarent de Christo, sed qui interpretarentur ea, quæ ab antiquis fuerant prophetata, id est, Doctores Ecclesiarum.* Ergo, vt propiùs ad nostrum intentum accedamus, cùm ex dictis elici valeat, *Prophetæ,* titulum pluribus viris in sacra Pagina concessum (idemque censendum de Prophetissæ nomine quibusdam fœminis) indifferenter, & indeterminatè significare posse personam cælitùs à Deo inspiratam ad occulta, vel futura hominibus pandenda, vel eam quæ Dei cultui, & obsequio sanctè & religiosè dicata, & oblata est, modo superiùs designato. Ideo quo sensu ex prædictis accipiendum sit, ex circumstantijs ipsius personæ, loci, temporis, & alijs pensandum ac discernendum relinquitur. Illud tamen animaduersione dignum est, quandoque in eodem subiecto vtramque rationem reperiri, propter quam appellatione, *Prophetæ,* decoratur, & quia sit futurorum, seu occultorum prænunciator & quòd vir Dei cultui specialiter, & religiosè modo dicto dicatus & deuotus fuerit, vt constat ex ijs, quæ ex Rabbi Salomone, Lyrano, Hugone, & alijs supra retulimus, idque manifestè ostenditur in Samuele, Elia nostro, Elisæo, & multis alijs, tunc ergo ex alijs

 indicijs

indicijs colligi debet, quo sensu Propheta nuncupari debeat, an vno tantùm ex dictis, an vtroque simul.

Capitis intentum. 14 Ijs iam præiactis, id quod pro titulo præsenti capiti præfiximus verissimum esse, videlicet in Lege veteri Ordinem quemdam Propheticum, seu Prophetalem appellatum extitisse, ad quem omnes ferme, qui *Prophetæ* nuncupabantur, pertinerent, pro viribus roborandum est. & primò quoad nomen ipsum, ne illud tanquam nuperum aut nouitium aliquis aspernetur. Et sanè si de nomine sit quæstio, cùm ex dictis & dicendis constet hunc Ordinem à Prophetis primordialiter originari, prudens nullus refragabitur Propheticum nuncupari posse. Deinde cùm præcipuè ad hoc institutus fuerit, vt etiam ex dictis, & dicendis constare poterit, vt homines diuinas laudes cantibus, & musicis instrumentis celebrarent, & hoc munus iuxta dicta, *n. 3.* & sæpius in sequentibus inculcanda, S. Scripturæ phrasi Prophetare dicatur, manifestè elicitur, denominatione sumpta à præcipuo Religionis scopo Ordinem Propheticum dici debere. Sed tam de re ipsa, quàm de nomine ex alijs fundamentis comprobari potest.

Carolus Sigonius. 15 Vtrumque enim vir apprimè doctus, & de Hebræorum historia optimè meritus Carolus Sigonius, *de Republica Hebræorum lib. 5. c. 9.* sic expressit, loquens de Samuele huius Prophetici Ordinis Institutore: ***Demum Samuel prodijt, qui omnes ea gloria superauit,*** *cuius tempore sermo Domini erat pretiosus, non erat visio manifesta. Reg. 1. c. 2. Abijt Samuel, & dormiuit, & vocauit eum Dominus ter, & dixit: Ecce ego facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius. Creuit inde Samuel, & Dominus erat cum eo, & cognouit vniuersus Israël, quòd fidelis esset Propheta Domini. Ab illo inde* (hoc notandum pro intento) *ordinarium quoddam, quasi Prophetarum Collegiū extitit, ita vt in singulis ætatibus, & ciuitatibus greges Prophetarum inuenirentur. Vnde 28. 1. Reg. Saul consuluit Dominum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas: conuenerunt autem ad Samuelem multi scripturæ exponendæ studio se dicantes, quibus ille præfuit, atque ex eis aliquot Deus suscitauit, qui Prophetæ officiū exercerent. Itaque post Samuelem perpetua successione Prophetæ fuerunt vsque ad Malachiam tempore Darij, cùm Templum est restitutum. De conuentu autem virorum ad Samuelem, & vt Deus eos inspirauerit sic 10. 1. Reg. vbi Samuel ita loquitur ad Saulem: Venies in collem Dei, &c.* Post quæ refert ea quæ ex *1. Reg. 10. & 19.* nos superiùs retulimus. Numerat deinceps inter istos Prophetas tum filios Prophetarum, de quibus, *4. Reg. 2.* tum etiam Gad, Nathan, Asaph,

Asaph, Idithum, Ahiam, Sameiam, Iad, Azariam, Hanani, Iehu, Iaziel, Eliezer, Zachariam, Eliam, Elisæum, Oseam, Ioëlem, Amos, Abdiam, Ionam, Michæam, Nahum, Abacuch, Sophoniam, Aggæum, Zachariam, & Malachiam, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, & Danielem.

16 Ex hac autem Sigonij doctrina, præter alia, quæ suis locis deducemus, quoad præsens id elicitur, satis clarè tradidisse, quod intendimus de *Ordine Prophetico* tempore veteris Legis vigente. Ea namque verba: ***Ab illo inde ordinarium quoddam quasi Prophetarum Collegium extitit***, id abundè denotant. Quid enim hoc veluti, ***Collegium Prophetarum*** esse potest, nisi collegialis Prophetalis Ordo? præsertim cùm dicat: ***In singulis ætatibus & ciuitatibus greges Prophetarum inuenirentur.*** & rursus: ***Perpetua successione Prophetæ fuerunt***, ac denique ex illis fuisse denotet, qui in illis Collegijs, de quibus 1. *Reg.* 10. & 19. agitur, viuebant. Corollarium.

17 Accedit Genebrardi clarissimi auctoris testimonium *lib.* 1. *chronolog.* de seculo Samuelis loquentis per hæc verba: ***Hic incipit tempus Prophetarũ, Petr. act. 3. Tum Prophetica Professio penè intermortua à Seniorum morte vigere cœpit, multis in idem Collegium conuenientibus, huic Instituto vacantibus præsidente Samuele, 1. Reg. 19. Est autem sciendum Propheticam hanc vocationem non fuisse extraordinariam; quoniam constabat hominibus sese sponte huic Professioni deuouentibus, vt precibus, contemplationi, scripturarum interpretationi, prædicationi, studio vacarent commodiùs, è quibus Deus aliquos interdum suscitabat, qui rerum prædicendarum munere apud Reges, populos, &c. fungerentur. Aliquando etiam ad propheticum hoc donum euehebat alios ex alijs vitæ institutis, sed tum eorum vocatio, & missio erat extraordinaria. Talis Amos, quem è pecudum pastu ad prophetiæ decus sustulit. Ab orbe Prophetæ quidem extiterunt, sed rariùs, & extra ordinem, à Samuele crebriores, ordinarij, & successione perenni: vnde eum Hebræi Prophetarum siue Propheticorum Collegiorum fundatorem, & auctorem faciunt.*** Genebrardus

Quæ maximè nostro fauere intento dilucidè monstratur, si expendantur illa verba: ***Hic incipit tempus Prophetarum.*** ac illud: ***Huic Professioni sese deuouentibus.*** & illud etiam, ***ex alijs vitæ institutis***, ac tandem illud, ***Ordinarij, & successione perenni.*** Quo satis perspicuè denotatur Prophetas omnes post Samuelem ad Institutum, seu Professionem Propheticam ipsius perenni successione spectasse.

18 Accedit etiam & aliud Iacobi Boulduci testimonium, ***de Ecclesia ante Legem lib. 1. cap. 5. §. quinto Propheta***, quod supra, ***num.*** 4. retulimus, vbi inquit, ***Prophetarum Ordinem, & Institutum quam-*** Boulducus.

dam fuisse Sanctorum hominum Congregationem à Deo in bonum, & ædificationem Ecclesiæ ab initio mundi constitutam. cuius posteriora verba, licet cap. sequenti ad trutinam trahenda sint, priora tamen manifestissimè probant intentum. Vnde subdit, Prophetæ nomine dictæ professionis *virum generaliter intelligendum censeo*, eodem verbo, *professionis*, sicut & Genebrardus vtens. Eodem etiam opere, tribus videlicet libris, *de Ecclesia ante Legem*, & libro vnico, *de Ecclesia post Legem*, loquens de Prophetis, Oscenis, Rechabitis, Essenis, & similibus, quos eosdem fuisse contendit, vocibus *Ordinis, Instituti, Societatis, Sodalitatis, Congregationis, Collegij*, vel alijs huiusmodi eos sæpissime compellat, vt legenti constabit. In expositione quoque Epist. B. Iudæ, *vers. 14. & 15. §. Præterea.* eum vocat, *Prophetalem Ordinem*.

19 Fauent intento Caietanus 1. *Reg.* 19. qui de illis Prophetis, de quibus ibi est sermo loquens, eos vocat, *Congregationem Prophetarum:* & Torniellus, *sub anno 2545. num.* 14. vbi inter Ordines, qui in Lege veteri diuino cultui dicati erant, Prophetarum etiam *Ordinem*, seu *Institutum* collocat; Congregationes ipsius refert, & Dauidicos Cantores ad illum spectasse scribit. & Gaspar Sanchez, qui *in primo Reg. 10. num. 32.* ex eo quòd Samuel Collegia Prophetarum instituit, eum vocat primum *Patrem Religiosorum Ordinum*, quod nullatenus affirmare posset, nisi Prophetas istos ad vnum Ordinem à Samuele inuentum pertinere crederet. Fauet & Salianus, *sub ann. 3145. n. 6.* qui ex Theodoreto ab ipso relato vocat filios Prophetarum, *Chorum Prophetarum*. Id maximè & expressè docent ex nostris Auctoribus Coria, *in chronic. Carmelitar. lib. 1. c. 7.* & Franciscus à Sancta Maria *in histor. prophetica Hispanè lib. 2. cap.* 10. Munozius *in Propugnac. Eliæ lib. 1. tit. 1. c. 2. ar. 2. n. 2.*

Torniellus.

Lyranus.

20 Maximè etiam fauet Lyranus, qui *Zachariæ 12. v. 13.* circa illa verba: *Familiæ domus Nathan seorsum*, per Nathan denotatur (inquit ipse) *Prophetalis Ordo*. Fuit autem iste Nathan Samuelis discipulus, vt ipse Lyranus habet, 1. *Reg.* 25. imò Præfectus ipsius, vt dicemus *cap. sequenti*. Ex hoc autem habemus rem & nomen *Prophetalis Ordinis* in discipulis Samuelis agnosci à Lyrano.

Alij auctores.

21 Fauent etiam alij auctores de Essenis loquentes (quos ex Prophetarum Instituto fuisse in discursu Operis probabimus) qui eis similes titulos concedunt. Philo enim in libro, quòd omnis probus sit liber, eos vocat, *Sodalitia, Cœtus.* Iosephus, *de bello Iudaic. lib. 2. cap. 7.* appellat *Collegium, Congregationem, Collectionem*. Porphyrius *in 4. lib. de rerum inanimatarum abstinentia* apud Eusebium, *de præparat.*

rat. Euangel. l. 9. c. 3. eos vocat, *Institutum, Sodalitatem*. Georgius Cedrenus, *in histor. compend.* nuncupat, *diuinam Religionem, Institutum*. Georgius alius, *Peccator* appellatus Græcus, *in M. S. Bibliotheca Vaticana in Chronic. ab Orbe condito vsque ad Michaelem Imperatorem*, loquens de temporibus Claudij, de Essenis scribens dicit: *Diuina huic Religioni, & Instituto, &c.* Iosephus Gorionides, *lib. 5. de rebus Iudaic. c. 23. & 24.* eos vocat, *Collegium*, & *Collegas*. Ex recentioribus Sixtus Senensis, *in Biblioth. verb. traditiones*, appellat *Sodalitium*. Item Dominicus Sotus, *in 4. d. 30. q. 2. ar. 1.* approbat ex Iosepho, & Solino fuisse ante Christi aduentum, *Essenorum Collegium &c.* Quod & facit Medina, *1. 2. q. 108. ar. 4. §. vt tamen*. Demum Scaliger, *de emendat. tempor. l. 6.* inquit: *Esseni, & Asidæi ab instituto vitæ, & Religionis, &c.* Alia adducemus, *sub anno 3545*.

22 Idem quoque argumentum desumitur ex Assidæis, quos eosdem fuisse cum Essenis, ac per consequens ex Prophetarum asseclis etiam in discursu Operis ostendemus. Appellabantur enim isti, *Confratres* & *Congregatio sancta*, vt videre est apud Serarium, *in Mineruali lib. 5. c. 11.* Nomen quoque *Collegij, Instituti, seu Societatis* illis tribuit idem Serarius, *in Trihæresio lib. 3. cap. 7.* & *in Mineruali loco relato*, ex Luthero, Iunio, & Scaligero. Iosephus etiam Gorionides, *lib. 5. cap. 23.* nomine, *Collegij*, eos expressè vocat. Nec mirum, quia in sacra Scriptura, *1. Machabæorum 2. v. 42.* appellantur, *Synagoga Asidæorum*. & *c. 7. v. 12. Congregatio Scribarum*. Ex hoc enim infertur eisdem titulis cognominari posse Prophetarum Congregationem, ac per consequens etiam, *Ordinem*, cùm *Ordo, Collegium, Institutum, Societas*, idem ferme significent. Assidæi.

23 Quod tandem conuincitur ex eo, quòd idem Ordinis Prophetici titulus eorumdem Prophetarum successoribus in nouo Testamento degentibus à grauissimis auctoribus concedatur. Etenim Eusebius Cæsariensis, *lib. 2. histor cap. 3.* loquens de illis, qui in Antiochensi Ecclesia primitùs fuerunt, de quibus, *Actor. 11. v. 27.* dicit: *Apud Antiochiam florentissima congregatur Ecclesia, in qua erant etiam Prophetici Ordinis viri quamplurimi*. Similiter Ruffinus Aquileiensis vndecimo libro addito historiæ Ecclesiasticæ eiusdem Eusebij c. 5. sic de S. Spiridione eorumdem Prophetarum Instituti sectatore loquitur: *Ex eorum numero (etsi quid adhuc eminentius) fuisse dicitur etiam Spiridion Cyprius, vir vnus ex Ordine Prophetarum*. Pariter Luitprandus, seu Eutrandus Ticinensis Diaconus, & Episcopus Cremonensis, ac Berengario 2. Italiæ Regi à secretis in lib. cui titulus, *Fragmenta Luitprandi*, quem nouissimè D. Thomas Ta- Ordo Propheticus.

maio

maio de Vargas Catholici Regis Historiographus typis mandari curauit, non solùm, *fragmento* 265. de S. Syncletice dixit: *Dicitur fuisse mulierum virginum professionis Propheticæ*; sed etiam, *fragmento* 256. sic habet: *Mihi valde probabile est, & legitur in Orientis historijs Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hispanias, & ab ipso Sancto Iacobo baptizatos, fuisse de numero Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias regiones monachatum introduxerant. Istos vocat Eusebius lib. 2. c. 3.* Prophetici Ordinis. Hoc etiam sensu Isidorus, & Leander monachi in Epitaphio, quod Munozius *in Propugnac. Eliæ l. 2. tit. 2. c. 4. ar. 3.* refert, vocantur, *ex Ordine Vatum*, de quo in 2. *to.* dicetur. Similiter Lyranus, *Zachar.* 12. *v* 13. dicit, quòd per Nathan denotatur, *Prophetalis Ordo*, vt vidimus. Propterea etiam alij Auctores eumdem titulum nostris, vtpote Prophetarum Eliæ, & Elisæi asseclis postea concesserunt, specialiter Rodericus Carus, *in notis ad Dextram loquens de S. Spiridione, & sub ann.* 419. Freire, *in Homil. de Carmel.* Franciscus Ruspuerta Biaciensis, *in Histor. Ecclesiast. Gienn. secul. 7. cap. 5. fol.* 212. *pag.* 2. Didacus de Coria, *in Chron. Carmelitar.* sæpius; Franciscus à S. Maria, *in Histor. Prophetic. Hispan.* etiam sæpius; Munozius, *in Propugnaculo Eliæ* crebriùs, & alij plures.

Vita Prophetica.

24 Hæc autem de titulo nomineque, *Prophetici Ordinis*, propterea à nobis relata, ne quis, vt diximus, nouitatis arguat, quod in tot etiam priscorum monumentis exaratum conspexerit, & magis firmatum ex dicendis comperiet. Constat enim idem Prophetarum seu Eliæ, & discipulorum eius Institutum, *vitam Propheticam*, seu *Prophetalem* (quæ solo nomine differunt ab *Ordine Prophetico*) frequenter à Patribus, & priscis Doctoribus appellari. Hoc enim sensu D. Ambros. *lib. 1. offic. cap.* 30. de Elisæo dicit, quòd boues occidit, vt *in disciplinam se Propheticam daret*. Ioannes etiam Ierosolymitan. *in lib. de instit. monach.* sæpius idem Elianum Institutum, *vitam Propheticam*, seu *disciplinam Propheticam*, aut *vitam Prophetalem* vocat. Similiter de Essenis (quos Eliani Ordinis soboles esse in discursu Operis dicemus) loquens Cedrenus, *in Compend. Histor. sub Claud. Imperat.* ait: *Vatum priscorum æmulantur, atque imitantur vitam.* Clariùs Nicephorus, *lib. 2. hist. cap.* 16. dicens: *Vitam Propheticam flagranti, atque ferventi fide meditari*, intellige, student. Luitprandus verò, *num. præced.* relatus S. Syncleticem vocat, *Professionis Propheticæ* virginem.

Quid illis importetur.

25 Quoad rem verò ipsam (præterquam quòd ex ijs, quæ in sequentibus dicemus, constare poterit, & ex auctoribus adductis suffi-

sufficienter colligitur. Neque enim cùm *Ordinem Propheticum, Prophetarum Collegium, Propheticam Professionem, Vitam, Institutum, Congregationē, &c.* dicunt, nomina hæc vacua aut inania existimāt, sed rei alicuius per ipsa verè importatę significatiua) vlteriùs etiā probatur ex *Oseæ 5. v. 1.* vbi Reges, & Sacerdotes Israël reprehendens, à Deo puniendos prænunciat, dicens: *Quoniam laquei facti estis speculationi.* Quo loco *speculationis* nomine Prophetæ intelliguntur, vt docent Theodorus, Theophylactus, Palacius, & Ribera, quibus fauet Chaldæus, & quòd *Ezech. 3.* de illo dicatur: *Speculatorem dedi te.* Ex eo autem quòd Prophetæ omnes in singulari, *speculatio*, appellentur, infertur ad intentum nostrum, eos omnes quasi vnum corpus, *Ordinem, Congregationem*, seu, vt expressiùs & aptiùs Theodoretus dixit, *Collegium* constituere. Sic enim habet super hunc locum: *Speculationem Prophetarum Collegium vocat.* Ad idem intentum induci potest S. Hieronym. in illud, *Malach. 4. v. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam*; quod sic explicat ipse: *Mittet Dominus in Elia omnem Prophetarum chorum.* Quo omnes Prophetas Chorum aliquem, seu Ordinem constituere, ipsorumque caput esse Eliam, denotatur.

26 Id quoque suadent plura, quæ ferme in omnibus Prophetis veteris Testamenti post Samuelem & Eliam reperiebantur, quibus denotabatur, ipsos ad eumdem Ordinem, & genus hominum pertinere. Primò enim, præterquam in Collegijs viuebant, & sub maiorum Prophetarum regimine manebant, vt ex dicendis constabit, homines erant vitæ probitate præclari, Dei cultui, & venerationi insigniter dicati, diuini honoris zelantissimi, & inter Deum & populum precibus, & intercessionibus iugibus sequestres, vt ex singulorum gestis elici potest. Eodem etiam indumentorum genere, sacco videlicet cilicino, rudi, & aspero vtebantur omnes, prout colligitur non solùm ex illo ad Hebr. 11. *In melotis, & pellibus caprinis*, sed ex *Isai. 20.* vt ibi notant Expositores, vbi Deus illi præcepit: *Solue saccum de lumbis tuis.* & ex Zachariæ 13. vbi de falsis Prophetis dicitur: *Nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.* Quo manifestè denotatur, illum esse proprium Prophetarum habitum, eoque vti solitos etiam pseudo-prophetas, vt veridici crederentur. Vide Sanchez, *Prologom 4. in Danielem.* Maximè verò, *Prologom. 2. in Amos n. 6.* vbi sic: *Erat enim certus, & quasi legitimus Prophetarum habitus, saccus videlicet cilicinus, qualem Ioannes habuit, qui tegumentum habuit ex pilis camelorum contextum, quæ optima cilicij descriptio est. Talem habuit Elias lib. 4. Reg. c. 1. & Isaias cap. 20. cui dixit*

Communis pluribus Prophetis.

xit Dominus: Solue saccum de lumbis tuis, quod esse Prophetarum insigne docuit apertè Zacharias cap. 13. *qui saccum cilicinum dicit non amplius sumendum ab illis, qui eo indumenti genere se Prophetas esse simulabant. Non, inquit, operientur pallio saccino, vt mentiantur*. De quo etiam Laurentius Beyerlinck, *in Theatro vit. hum. to. 6. litera P. verbo, Propheta, Prophetia*. Tertiò adiungitur ab alijs, Prophetas omnes ad Elisæi imitationem vnctos fuisse, vt colligitur ex Clemente Rom. *in lib. 1. recognitionum*. Chrysostomo, *to. 4. homil. in illud Apost. Cum autem subiecta fuerint illa omnia*. August. 1. *retract. c. 26*. Cyrillo Alexandrin. *in Schol.* Innoc. 3. *c. vnico, de Sacra vnction.* S. Th. *in ps.* 44. in illis verbis: *Propterea vnxit te Deus, &c. in Matth. 1. ad Rom. 1. lect. 1. ad Hebr. 1. lect. 4*. Imò ex illo Ierem. 1. *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum*: eo namque denotari vnctionem externam Prophetæ dicemus sub anno 3406. *n. 4*. Accedit quartò credibile valde esse, omnes illos saltem regulariter in aliquo ex Collegijs Prophetalibus à Samuele, Elia, & alijs Prophetis institutis, de quibus alibi dicetur, in diuinæ Legis meditatione, sanctisque exercitijs enutritos, edoctos, & instructos fuisse. Ita enim colligitur ex Abulen. 1. *Reg. 19. q. 31*. illis verbis: *Pro quo considerandum, quòd in veteri Testamento, cum esset vnicus locus Sanctuarij, omnes homines, qui volebant vacare contemplationi, & diuinis laudibus, non poterant conuenire in Templum illud, sed fiebant diuersa Collegia per terram Israël, & in quolibet eorum erant multi viri, qui specialiter vacabant contemplationi in comparatione ad alios homines, sicuti nunc sunt Religiosi in comparatione ad seculares, & isti in illis Collegijs vacabant studijs sapientiæ, & doctrinæ, & disciplinæ legis, & addiscebant facere cantica diuinæ laudis, & illa faciebant. De his erant aliqua Collegia tempore Samuelis, & omnes qui erant in illis, vocabantur Prophetæ*. Hæc ille. Cùm ergo regulariter ij, quos *Prophetas* Sacra Scriptura appellat, homines essent contemplationi dediti, procul dubio in aliquo ex istis Collegijs instructi, & edocti fuerunt. Colligitur etiam à posteriori ex doctrina S. Thomæ, 2.2. *q. 172. art. 4. in corpore*, vbi ait: *Ad prophetiam requiritur maxima mentis eleuatio ad spiritualium contemplationem, quæ quidem impeditur per vehementiam passionum, & per inordinatam occupationem rerum exteriorum. Vnde, & de filijs Prophetarum legitur 4. Reg. 4. quod simul habitabant, cum Elisæo quasi solitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impedirentur à dono prophetiæ*. Cùm ergo isti Prophetæ nuncupati sæpius dono prophetiæ à Deo illustrarentur, procul dubio exercitijs contemplationis vacasse credendi sunt, in Propheticis Seminarijs,

narijs, vt aptiores ad eam gratiam recipiendam redderentur.

27 Quæ porro sint ista, in quibus magna pars Prophetarum veteris Testamenti veluti conueniebat, operosiùs inquirendum est, vt ex eo amplius conijci valeat, vnum ex illis Ordinem prophetalem conflatum. Et primò prophetiæ, seu futurorum prædictionis donum inter ea censendum, quo quamplures ex illis à Deo decorati sunt, vt Elias, Elisæus, Isaias, Ieremias, Ezechiel, & Daniel, ac illi qui Prophetæ minores appellantur. Imò hæc videtur quasi primaria ipsorum qualitas, propter quam Prophetæ omnes vulgò appellabantur, etsi, vt dictum est, non semper in hac significatione vsurpata sit hæc vox in sacra Scriptura. *Alia ipsis communia.*

28 Deinde plures ipsorum secreta cordium aperiebant, & reuelabant, vt patet in Samuele cum Saule, 1. *Reg.* 9. *v.* 19. *&* 20. & Elisæo cum Giezi, 4. *Reg.* 5. *v.* 26. Item vota, seu negotia hominum Deo commendabant, prout Nathan pro Dauid, 2. *Reg.* 7. *v.* 2. *&* 5. Isaias pro Ezechia, 4. *Reg.* 19. *à v.* 1. & Holda prophetissa pro Iosia, 4. *Reg.* 22. *v.* 13. *&* 14. Præterea populi, Principum maximè, peccata arguebant, vt constat in Samuele Saulis inobedientiam coarguente, 1. *Reg.* 15. *v.* 19. Nathane Dauidem propter adulterium increpante, 2. *Reg.* 12. *v.* 9. Ahia Silonite in Ieroboami scelera exardescente, 3. *Reg.* 14. *v.* 7. & vno pro mille Elia nostro in Achabum propter ipsius iniquitates dirissimè inuehente, 3. *Reg.* 17. *v.* 1. *&* *c.* 18. *v.* 18. Adhæc feruentissimas ad Deum preces pro populi necessitatibus fundebant, sicut fecisse constat Ieremiam, *cap.* 42. *v.* 4. & Eliam pro pluuia, 3. *Reg.* 18. *v.* 42. miracula quoque patrabant, prout liquet manifestè in miraculis Samuelis, Eliæ, Elisæi, Isaiæ, & Danielis. Denique legem Dei populo explanabant, illumque ad perfectam legis obseruantiam inducebant, vt videre est in Isaia, *c.* 61. *v.* 1. Ierem. *cap.* 17. *à v.* 20. & pluribus alijs. *Alia.*

29 Ex dictis porro elicitur, quòd quemadmodum his nostris temporibus nomina hæc, *Prædicatores*, *Minores*, *Minimi*, *&c.* præter alias significationes proprias quas habent, significant etiam homines cuiusdam Ordinis, Instituti, & Professionis; sic & nomen, *Prophetæ* in sacris Litteris, præter alias significationes, quas habet, viros etiam Ordinem, & Institutum Propheticum profitentes demonstrat, ac proinde quoties in eis hoc nomen reperiatur, per illud (nisi aliud ex particularibus circumstantijs loci, temporis & personæ habeatur) denotari homines diuino cultui addictos, in Collegijs Prophetalibus instructos, & Ordinis Prophetici à Samuele instituti, & ab Elia in Religiosorum veluti statum erecti, iuxta dicenda cap. *Quid Prophetæ nomine importetur.*

da cap. 4. & dicta, maximè ex testimonijs Sigonij, & Genebrardi, & præcipuè ex Boulduco verbis illis superiùs relatis: ***Prophetæ nomine dictæ Professionis virum generaliter intelligendum censeo.*** Quin & propterea credimus Eliæ, & Elisæi discipulos, quos certò constat ad Propheticum ipsorum Ordinem spectasse solùm filios Prophetarum in sacra Pagina nuncupari. Ea namque phrasi non aliud significatur, nisi eos fuisse Prophetas: sic ***filij hominum,*** pro hominibus; ***filij Olei***, pro Sacerdotibus; ***filia Babylonis,*** pro Babylone; ***filia Sion***, pro Sione, ***in ps.*** 4. 136. Zacharia Propheta, & Threnis reperimus. vt omittamus similia, videlicet, ***filius arcus*** apud Iob pro sagitta, ***filius areæ,*** pro tritico apud Isaiam. Cum hoc tamen stat eos alia quoque acceptione appellatos Prophetas, quia scilicet inter eos aliqui erant futura prædicentes; quod inferunt communiter Doctores ex eo, quòd Eliæ raptum, antequam cõtingeret, Elisæo pronunciarunt, 4. *Reg.* 2. *v.* 3. & 5. dicentes: ***Numquid nosti, quia hodie Dominus tollat Dominum tuum à te?*** non enim hoc nisi diuinitùs afflati nosse poterant.

Qui Prophetæ spectent ad Propheticum Ordinē. 30 Ad hunc autem Propheticum Ordinem regulariter spectasse ferme omnes quotquot, ***Prophetæ*** in veteri Testamento post Samuelem appellantur, ita vt omnes ferme illi aliquo pacto dici possint istius Ordinis asseclæ, præterquam ex dictis testimonijs, præsertim Caroli Sigonij, & Genebrardi, colligi potest, vlteriùs etiam id probamus. Primò ex ***Actor. Apostolic. c. 3. v. 24.*** illis verbis Petri, ***Omnes Prophetæ à Samuele & deinceps, &c.*** adiuncta Glossa interlineali, quæ inquit: ***Quasi à Principe Prophetarum ad Ioannem Baptistam.*** quo etiam titulo, ***Principis Prophetarum,*** eum nominat Hugo Cardinalis ibidem, Abulensis, 1. *Reg.* 19. *q.* 31. Salianus etiam ***sub anno*** 2977. n. 11. ***primum Prophetarum*** dicit. Ex hoc ergo titulo tale desumimus argumentum, vel Samuel dicitur Princeps Prophetarum, quia primus inter illos, & nullus ante ipsum fuerat, vel quia inter eos sanctior, aut celebrior, vel quia caput & Dux ipsorum in aliquo Ordine, munere vel officio. Sed non potest affirmari primum; cùm constet ante Samuelem fuisse alios Prophetas, videlicet Iacob, Moysen, & Iob: neque secundum; quis enim dicet Samuelem Sanctiorem, aut celebriorem Moyse, Elia, aut Elisæo, qui tot signis, & miraculis in Orbe claruerunt? & sane, ***Prophetæ*** nomen antonomasticè sumptum pro Dauid, vel Isaia supponit, non pro Samuele.

Quomodo Samuel Princeps Prophetarum. Restat ergo quòd tertio modo tantùm, ***Princeps Prophetarum*** dici possit. Et cum constet ex dicendis, ***cap. sequenti,*** ipsum primitùs Collegia Prophetarum, qui orationibus & laudibus diuinis canen-

canendis continuò adstabant, instituisse, & ex ijs plures à Deo dono prophetiæ illuminatos fuisse, eorumque successionem per plurimos annos continuatam esse, procul dubio credi datur ex eo Principem Prophetarum appellatum, quòd ad Ordinem Propheticum, cuius ipse caput extitit, & quem Elias postea veluti reformauit (vt c.4. dicemus) aliquo modo omnes, & singuli Prophetæ legis veteris post ipsum spectauerint. Id etiam secundò, nec inefficaciter, ex Paulo, *ad Hebr.* 11. suadetur. Numerauerat Apostolus eo capite illos Patres veteris Testamenti, qui per fidem viuam Deo placuerant, referens Abel, Henoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Saram, Ioseph, Moysen, Rahab, Gedeon, Barach, Samson, Iephte, David, & postea Samuelem, & Prophetas simul & coniunctim: *Deficiet*, inquit, *enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis*. Circa quem locum primò dubium esse potest, cur Paulus cùm expressè, & nominatim illos antiquos Patres retulerit, non etiam eodem modo Eliam, Elisæum, Isaiam, Ieremiam, Danielem aut Ezechielem nominauerit, cùm constet istos celebriores, & sanctiores fuisse, pluribus saltem ex ijs, quos proprio nomine appellauit. Secundò, esto quòd eos solo communi nomine Prophetarum appellare voluerit, cur sub Samuele quasi sub vexillifero, & antesignano omnium, & non sub Isaia, aut Ieremia, aut alio ex Prophetis ipsos recensuit? Certè nec aptior, nec commodior huiusmodi solutio est, quàm si dicatur, ideo hoc fecisse Apostolum, quia Samuel princeps & caput Prophetarum sequentium fuit, ita vt omnes illi veluti alumni, & filij fuerint Ordinis Prophetici ab ipso primùm instituti, ab alijs Prophetis continuati, & per Eliam, vt dictum est, quasi reformati. Quæ congruentia ex eo clarior efficitur, quòd omnes ferme, quorum egregia facta inferiùs refert Apostolus, ad Ordinem Propheticum spectasse suis locis ostendetur. Illud enim, *obturauerunt ora leonis*, ad Danielem spectat. Illud, *extinxerunt impetum ignis*, ad tres pueros missos in fornacem. *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, ad Iudam, & Machabæos. Illis autem verbis: *Acceperunt mulieres de resurrectione viros suos*: seu, vt Syriaca habet: *Reddiderunt mulieribus filios ipsarum*, Elias & Elisæus denotantur, qui filios Sareptanæ & Sunamitidis mortuos ad vitam reuocarunt. Ipsi quoque, & filij Prophetarum illis verbis: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, &c.* Per illud, *experti verbera*, Michæas Eliæ discipulus, qui in maxilla percussus est à Sedechia, vt *sub anno* 3138. dicemus. Per illud verò, *vincula & carceres*, Ieremias, & idem Michæas Eliæ disci-

Ex Pauli testimonio.

discipulus, vt ibi dicetur. Illud, *fessi sunt*, Isaiam denotat, vt constat ex huius loci expositoribus, specialiter S. Thoma, Lyrano, Hugone, & alijs. Ergo Apostolus eo loco de Ordinis Prophetici asseclis sermonem habet.

Qualiter id accipiendum. 31 Cùm autem dicimus Prophetas omnes ordinarios post Samuelem ad Ordinem ipsorum quadantenus pertinuisse, non est eodem modo, & æquè de omnibus accipiendum. Illi enim qui cælibem vitam cum obedientia, & paupertate ex aliquo voto duxisse reperientur, ad eum Ordinem veluti veri Religiosi, qualiter in veteris legis Synagoga esse potuerunt, directè spectasse censendi: horum enim obseruantia pro quocunque Religioso statu omninò exigitur. Qui autem in aliquo istorum, castitate videlicet defecisse comprobantur, etsi ad illum quasi indirectè solum (ad modum & veluti similitudinem, quo Tertiarij mendicantium Religionum ad eas spectare dicuntur) pertinuisse affirmari possit; eos tamen nec verè Religiosos, nec directè membra Instituti ab Elia excitati vocare licebit. Qui autem illi fuerint, qui priori modo, & qui solùm posteriori Propheticæ disciplinæ sectatores appellandi, dum de singulis egerimus, sigillatim dicemus. Fuisse autem hoc duplex genus hominum piorum eo tempore, quorum alij an tria vota Religioni essentialia emitterent, constat ex Vualdensi nostro, *in doctrinali fidei lib.3. art.1. c.1.* & ex Abulensi, 4. *Reg. 6. q.*1. de quo alibi.

32 An verò, & à quo tempore hic Propheticus Ordo Religionis nomen vtcunque promeritus fuerit, *cap.*4. dicetur.

Huius Prophetici Ordinis Samuelem Prophetam extitisse fundatorem, & quo pacto. Cap. III.

Samuel Collegia Prophetarum instituit. 1 CERTA res est, & fermè in confesso apud omnes, Samuelem Prophetam eum fuisse, qui primus omnium Collegia Prophetarum, seu virorum Deum laudantium, orationi, & contemplationi, ac sacrarum Literarum studijs vacantium instituerit. Colligitur ex multis doctoribus, quos *Cap. præcedenti* retulimus. Inter Auctores autem, qui illam docent expresse, primus videtur Petrus Comestor historiæ Scholasticæ compilator, qui 1. *Reg.* 10. ait: *Nota quòd Samuel primò instituit Conuentus Religiosorum iugiter psallentium Domino, & dicebatur Conuentus eorum Cuneus, quasi couneus. Et dicebantur prophetare, id est, iugiter Deum laudare, & fortè aliqui quandoque prophetabant ex eis.* Hæc Comestor. Idem sequuntur

Lyranus,

Lyranus, & Cardinalis Hugo, *in* 1. *Reg.* 10. Imò ipse Lyranus, 4. *Reg.* 2. Rabbi Salomonem pro hac parte referre videtur. Quem etiam sequitur Vvaldensis noster, *in doctrinali fidei lib.* 3. *art.* 1. *c.* 4. qui propterea Samuelem vocat primum Religiosum claustralem. Sequitur Trithemius, *in lib. de laudib. Carmelitar. c.* 3. adstipulatur Sigonius, *de Republica Hebræorum lib.* 5. *cap.* 9. & tenet Genebrardus *lib.* 1. *Chronologiæ in Samuele sub anno mundi* 3066. fauent Abulensis *in* 1. *Reg.* 19. *q.* 31. & Caietan. *ibid.* ac expresse id tenent Salianus, *sub anno mundi* 2962. *num.* 101. Sanchez, *in* 1. *Reg.* 10. *num.* 32. imò communis Hebræorum hæc videtur sententia. Teste enim Genebrardo relato (quod & approbat Salianus, *sub anno* 2977. *n.* 11.) *eum* (scilicet Samuelem) *Hebræi Prophetarum, siue Propheticorum Collegiorum fundatorem, & auctorem faciunt*. Sequuntur ex nostris Historicis Didacus de Coria, *in Chronic. Carmelit. lib.* 4. *cap.* 2. Michaël Munozzius, *in Propugnaculo Eliæ lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 1. *ar.* 1. & alij. Colligiturque ex sacra Scriptura, 1. *Reg.* 7. *v.* 16. vbi dicitur, quòd Samuel *ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala & Masphà, & iudicabat Israëlem in supradictis locis*. Ideo enim videtur has tres vrbes elegisse ad iudicandum populum, & comitia totius regni celebranda, quia in eis Collegia erant Prophetarum, vt dicemus suo loco, quæ simul visitabat, vt habent Coria, *lib.* 1. *cap.* 8., & Munozzius, *vt supra*.

2 Nec solùm Samuel Collegia Prophetarum instituit, sed illis etiam veluti magister, Doctor, & Prælatus viuendi normam, doctrinam, & directionem primus tradidit. Elicitur primò ex *Actor.* 3. cap. præcedenti relato, vbi Petrus in illa concione dixit, *Omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps*, quasi diceret, vt interlinealis exponit, *quasi à Principe Prophetarum*. Quo denotatur fuisse ipsorum primum caput. Secundò, ex *primo Reg.* 19. *v.* 20. vbi dicitur in Naioth Ramatha fuisse, *Cuneum Prophetarum, & Samuelem stantem super eos*; id est, vt Lyranus exponit, *præsidentem eis*; vel, vt Carthusianus, *præsidentem eis, ac dirigentem*; vel cum Hugone Cardinali, *quia præerat alijs*; vel cum Abulensi, *q.* 31. *quia docebat eos prophetare, erudiendo eos; quia ipse erat doctor diuinæ laudis, vel quòd erat Princeps eorum*; vel cum Torniello, *sub anno* 3139. §. 2. in editione Antuerpiensi, quia ipse *tanquam illius* (intellige Congregationis) *Præfectus collationes quasdam spirituales celebrare solitus erat*. Quibus clarè innuitur fuisse eorum Prælatum: erat enim eo loco Collegium Prophetarum, iuxta dicenda, *sub anno* 3154. Vnde fuisse discipulos ipsius prædictos Prophetas, ac per consequens Sa- Erat ipsorum Prælatus.

 muelem

muelem eorum magistrum tenent Glossa interlinealis, *in* 1. *Reg.* 28. Hugo, & Lyranus *ibidem*, Abulensis etiam, *ibid. q.* 17. & alij innumeri, specialiter Sanchez, 1. *Reg.* 19. *num.* 12. vocat eum, *Præpositum vaticinantium Choro*. & Salianus, *sub anno* 2973. *num.* 4. dicens quòd Prophetæ illi, *magistrum cognoscebant Samuelem*. & *sub anno* 2962. *num.* 101. de eodem Samuele loquens dixit: *Cùm plurimum sanctitatis opinione, & prophetiæ laude clareret, Leuita genere, voto Nazaræus, priuilegio Sacerdos, dignitate Iudex, Deo consecratus ante quam natus, minimè dubium est eum multos habuisse eiusdem vitæ approbatores, ac sectatores, qui in eius se disciplinam darent, quosque ipse postea in varia loca distribueret, qui populis Dei venerationem, & amorem cum religiosa cantus delectatione instillarent*. Hæc ille, quibus ea quæ diximus clariùs dilucidata manebunt.

Erant ex Nazaræis. 3 Si quis autem quærat, quinam ij primi Samuelis discipuli Prophetæ fuerint, qui in dictis Collegijs morabantur, & quibus ipse, vt Princeps, Magister, & Doctor præerat, procul dubio dicendum est, magna saltem ex parte, si non omnes, Nazaræos fuisse. Ita expreßè Glossa, & Hugo Cardinalis, *in* 1. *Reg.* 19. *v.* 20. loquentes enim de illo cuneo Prophetarum dicunt: *Isti Prophetæ viri Religiosi erant dicti Nazarei, qui non bibebant vinum, & vacabant semper canentes hymnos, & psalmos*. Eos sequitur noster Didacus de Coria, *in chronic. Carmelitar. lib.* 1. *c.* 6. Indicat id Sigon. dicto *lib.* 5. *cap.* 9. dum istos, *quibus* (vt ipse inquit) *Samuel præfuit, vocat Scripturæ exponendæ studiose dicantes*, proprium autem Nazaræorum erat ijs pijs operibus se dicare. Indicat & Genebrardus loco relato ex *lib.* 1. *chronolog.* illis verbis: *Hominibus se sponte huic Professioni deuouentibus*. hoc enim voti seu deuotionis genus peculiare Nazaræorum creditur. Propterea etiam coniungi videntur Amos, 2. *versu.* 11. Prophetæ & Nazaræi illis verbis: *Et suscitaui de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos*. Colligitur præterea ex eo quòd ipse Samuel Nazaræus erat. Id enim satis indicant verba illa Annæ matris ipsius, 1. *Reg.* 1. *v.* 11. de filio quem à Deo obnixè postulabat: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius & nouacula non ascendet super caput eius*. Quod votum adimplesse Samuelem, simulque à vino abstinuisse, aliasque Nazaræatus conditiones obseruasse, communis est Doctorum sententia, ex Philone, *in lib. de temulentia*, Iosepho, *lib.* 5. *de antiquit. c.* 11. D. Hieronymo, *lib.* 2. *contra Iouinian.* Chrysost. *in homil. de fide Annæ cap.* 1. de quo etiam Abulensis in *locum relatum*: Salianus, *sub anno* 2900. *n.* 26. & Ægidius Camartus, *in lib. de rebus Eliæ c.* 3. *sect.* 18. vbi etiam inter Nazaræos

zaræos

zaræos perpetuos eum refert. Quod & amplectitur Cornelius, *in Numeror. c. 6. v. 2.* Si autem Samuel Nazaræus professione fuit, & ex illis qui perpetuò deuoti Deo erant, vt colligitur ex loco relato, procul dubio & illi, qui ei in discipulos, alumnos, & asseclas tradebantur, eiusdem Nazaræi Ordinis fuissent.

4 Propterea etiam huiusmodi Prophetis, qui sub Samuelis disciplina, & Collegiorum clausura imbuendi traditi sunt, Religiosorum nomenclaturam plures tribuunt; quales sunt Petrus Comestor relatus supra, *num.* 1. Hugo Cardinalis, *in* 1. *Reg.* 10. *&* 1. *Reg.* 19. Lyranus etiam, 1. *Reg.* 10. *&* 19. *&* 4. *Reg.* 2. ac alij. Et sanè si ex Nazaræis erant, vt vidimus, qui Nazaræatum, veram veteris Testamenti Religionem autumant, Religiosorum titulo Prophetas istos decorare possent. Sed veritas est, non nisi largo & lato modo tales dici posse, cùm nullatenus affirmari possit sine trium votorum obseruantia, *quæ quodam modo Eliæ tempore cœpit*, Religiosum statum consistere. An Religiosi?

5 Pariter etiam hos primos Samuelis disciplinæ traditos ex Cinæis fuisse, magna saltem ex parte, sine dubio asserendum videtur. Hoc enim suadet primò horum Cinæorum pia, laudabilis, & veluti Religiosa conuersatio, de qua *c.* 1. dictum manet. Quemadmodum enim (prout à natura inditum est) inter symbola facilior est transmutatio, sic facilius credendum, Cinæorum plures hanc vitæ Institutionem à Samuele inuentam amplexatos fuisse. Accedit quòd Cinæos eosdem cum Rechabitis fuisse valde probabile sit, ac proinde huius Prophetici Ordinis sectatores, sicut & ipsos Rechabitas. Maximè id suadet locus ille ex, 1. *Paralipom.* 2. *v.* 55. relatus, *c.* 1. ibi enim sicut Cinæi appellantur *Rechabitæ* illis verbis: *Hi sunt qui venerunt de calore patris domus Rechab*. sic etiam dicuntur, *canentes & resonantes*, quod erat proprium Prophetarum sub Samuele congregatorum Institutum, ad laudandum scilicet Deum. Ex eo autem quòd vocentur, *in tabernaculis commorantes*, cùm tabernacula essent mansiones in agris extra vrbes, & oppida, colligimus aliquos ex istis Prophetis extra populorum commercium, in locis desertis commoratos fuisse. Hanc enim consuetudinem, tum à Prophetis, tum ab Essenis eorum successoribus, sequentibus temporibus obseruatam in discursu Operis videbimus. Ex Cinæis.

6 Ex ijs autem iam directè ad Capitis quæsitum respondentes, dicimus Samuelem huius Prophetici Ordinis, de quo in præsenti, primum auctorem, ac fundatorem appellari debere. Si enim ipse primus fuit, qui Prophetas in vnum collegit, Collegiorum claustris Samuel primus Auctor.

excepit, ac imbuendos in Dei laudibus concinendis, & Scripturis interpretandis suscepit, vt ex dictis in superioribus habetur, manifestè elicitur ipsum primum eorum Patrem, fundatorem, & auctorem appellari posse. Intelligendum porro id est de hoc Ordine, vt merè claustralis, seu collegialis fuit, prout Vvaldensis noster supra, *num. primo* relatus loquitur, non quatenus Religiosi status rationem vtcunque habuit: hæc enim gloria soli Eliæ parenti reseruabatur, iuxta dicenda, *cap. sequenti*.

Qui teneant oppositum?

7 Id tamen quod diximus de Prophetico Ordine quodammodo inchoato sub Samuele Propheta, aduersarium habere videtur doctum virum Iacobum Boulducum, qui in suo illo opere, *de Ecclesia ante Legem lib. 1. cap. 5. §. Quinto Propheta.* expressè ait: *Prophetarum Ordinem & Institutum, quandam fuisse Sanctorum hominum congregationem à Deo in bonum, & ædificationem Ecclesiæ ab initio mundi constitutam*. Credere namque videtur auctor iste, Prophetas istos, de quibus in præsenti, eosdem esse cum illis, qui olim in lege naturæ, *filij Dei* nuncupabantur, & à Setho Adæ filio originem traxerunt, & cum *Enoscanis*, qui ab Enos similiter inchoati sunt, de quibus, *cap. 1.* dictum est. Maximè etiam videtur aduersari id Genebrardo cap. præcedenti relato, qui *lib. 1. chronolog. in seculo Samuelis*, loquens de ipso, & qualiter eius tempore *Prophetica Professio* cœperit, inquit: *Tum Prophetica Professio penè intermortua à Seniorum morte vigere cœpit, multis in idem Collegium conuenientibus, huicque Instituto vacantibus*. Verumtamen ipsemet Genebrardus inferiùs se explicat, & qualiter sit hoc loco intelligendus, ostendit. dicit enim: *Ab orbe Prophetæ quidem extiterunt, sed rariùs, & extra ordinem. A Samuele crebriores, & ordinarij, & successione perenni*. Quod etiam denotat Sigonius ibi relatus, dum dicit à Samuele, *Ordinarium quoddam quasi Prophetarum Collegium* extitisse. & inferius: *post Samuelem perpetua successione Prophetæ fuerunt*. Istorum enim auctorum mens (ad quam etiam Boulducus reducendus) ea est, quòd à principio etiam mundi non defuerint viri Deo deuoti, ipsius cultui specialiori modo addicti, & nuncupati, qui etiam Spiritu prophetico à Deo decorati fuerint, iuxta dicta, *cap. 1*. Eos tamen non nisi latissimè *Ordinis* titulo appellari posse, quemadmodum post Samuelis tempus nuncupandos diximus, compertum videtur ex eo, quòd illi rari, & extraordinarij, ac secularium more separati, & disiuncti, nec alicuius obedientiæ astricti fuisse videntur. Isti verò, qui post Samuelem extiterunt veluti continui, & ordinarij, collegiatim coniuncti, & sub obedientia Samuelis, & aliorum insignium Prophetarum (vt dicemus)

cemus) Religiosorum instar floruere. Meritò ergo istorum, & non illorum Congregationem, Ordinem Prophetalem appellauimus.

8 Post Samuelis autem obitum, qui iuxta Torniellum, & Salianum, *sub anno mundi* 2977. contigit, vsque ad Eliæ nostri tempus, qui sub anno 3123. primò nominatur, non defuisse hunc Propheticum Ordinem manifestè colligitur ex Sigonio, & Genebrardo supra relatis; ille enim post Samuelem, *perpetua successione*; iste verò, *successione perenni*, Prophetas durasse dixit. Clariùs Vualdensis noster, *in doctrinali fidei lib.* 3. *ar.* 1. *cap.* 4. post medium id affirmat. Loquens enim de filijs Prophetarum dicit: *Isti tamen monachi, seu filij Prophetarum à tempore Samuelis non cessabant vsque ad aduentum Eliæ Thesbitæ.* Ex his namque erant illi Prophetæ, quos Saul post Samuelis mortem, 1. *Reg.* 28. *v.* 6. à Philistæis oppressus consuluit, vt scribit Sigonius, *cap. præcedenti* relatus, & ante ipsum Glossa interlinealis, & Lyranus ibidem. Item illi ex quibus tam copiosum numerum Iezabelis sæuitia interfecerat, vt propterea conquereretur Elias, 3. *Reg.* 19. *v.* 10. se solum fuisse derelictum, quemadmodum ex Vualdensi relato deducitur. Similiter centum illi Prophetæ, quos Abdias quinquagenos, & quinquagenos in speluncis abscondit, & pane & aqua pauit, 3. *Reg.* 18. *v* 4. & 13. vt habent Lyranus, & Torniellus, *sub anno* 2545. *n.* 14. Inter eos etiam numerare videtur Abulensis, 1. *Reg.* 10. *v.* 5. nec dissentiunt Sigonius & Torniellus, Asaph, Heman & Idithum Principes Cantorum templi à Dauide, & magistratu institutos, 1. *Paralipom.* 25. *v.* 1.

Manserunt post Samuelem.

9 Manserunt autem isti Prophetæ post Samuelis transitum sub obedientia excellentium Prophetarum, vt testatur Lyranus, 4. *Reg.* 2. verbis relatis, *cap. præcedenti*, & Didacus de Coria, *in chronic. Carmelit. lib.* 4. *cap.* 4. seu maiorum Prophetarum, vt indicat Carthusianus, 3. *Reg.* 18. vel, *Sanctorum virorum*, & aliorum Prophetarum, qui in Scriptura celebrantur, vt dicit Salianus inferiùs referendus. Qui verò fuerint huiusmodi Prophetæ, quamuis nihil certi habeatur, cùm sine dubio ex clarioribus, & insignioribus esse debuerint, ideo Coria relatus asserit *dicto capit.* 4. *& sequentibus*, vnum fuisse Eleazarum Præfectum Collegij Gabaa, seu Cariathiarim, de quo, 1. *Reg.* 7. *v.* 1. dicitur sanctificatus, *vt custodiret arcam Domini*, quod significat fuisse Præfectum ad custodiendam illam, postquam à Philistæis derelicta fuit, vt ex Chaldæo Paraphraste, Vatablo, & Abulensi, *q.* 19. constat. Item Nathan, de quo, 2. *Reg.* 7. & 12. ac 3. *Reg.* 1. quem idem Coria dicit fuisse etiam Præfectum eiusdem Collegij Gabaa. Et meritò sanè, tum quia egregius inter Prophetas, tum

Sub quorum obedientia?

tum quia Samuelis discipulus, vt habet Lyranus, 1. *Reg.* 25. vt propterea ipsi tribuatur magnæ partis librorum Regum descriptio; tum quia in ipso denotatur, *Prophetalis Ordo*, Zachariæ, 12. *v.* 13. in illis verbis, *familiæ domus Nathan seorsum*, vt asserit idem Lyranus ibi. Similiter Gad Propheta, de quo, 1. *Reg.* 22. *v.* 5. & 2. *Reg.* 24. quem etiam putat fuisse Prælatum domus Maſphat, & Ahiam Silonitem, de quo, 3. *Reg.* 11. *v.* 29. & 3. *Reg.* 14. quem similiter Oratorij Silonis Prælatum appellat. Iadam etiam, Iaddo, seu Iadon, Prophetam, qui, 3. *Reg.* 13. *v.* 1. vocatur, *vir Dei*, quem & Nathanis discipulum, ac proinde Collegij Gabaa alumnum credit. Semeiam, de quo, 3. *Reg.* 12. *v.* 22. quem etiam eiusdem Collegij fuisse autumat. Azariam filium Obed Prophetæ, cuius mentio & Prophetia, 2. *Paralipom.* 15. *v.* 1. habetur. Anani Prophetam, qui 2. *Paralipom.* 16. *v.* 7. contra Asa Regem prophetauit, & propterea ab ipso in carcerem missus, licet inde postea dimissus, vt Abulensis, *ibidem q.* 35. putat. Iehu quoque Prophetam, de cuius Prophetia, 3. *Reg.* 16. *v.* 1. agitur, & quem Glossa ibidem cum centum illis, quos Abdias pauit, & cum filijs Prophetarum, qui Elisæo occurrerunt, conferre videtur. Hos ergo omnes Coria relatus inter excellentes & præcipuos Prophetas Ordinis Prophetici post Samuelem, & ante Eliam Præfectos recenset.

Saliani placitum.

10 Libeat etiam audire Saliani placitum, *sub anno* 3127. *num.* 23. vbi doctè satis de statu Ordinis Prophetici post Samuelis obitum vsque ad Eliam, & Elisæum, protectione ipsius sub Regibus Dauide & Salomone, Prælatis, & magistris, Collegijs, & mansionibus, Elisæo, & alijs Eliæ discipulis, ipsorumque in Carmelo collectione hæc scripsit: *Hinc autem non leuem accipit probabilitatem, quod scribit Hierosolymitanus Patriarcha Ioannes post reditum Eliæ de monte Oreb, & assumptum Elisæum in discipulum ac successorem, cùm Deo visum esset ipsum hinc abducere, etiam alios discipulos in monte Carmeli collegisse, eosque ad vitam religiosè traducendam, nominatimque ad laudes Deo iugiter decantandas, vnde & prophetare dicebantur, instituisse, habitu à prophanis hominibus, cultu, conuersationeque distincta. Idque minus nouum videri necesse est, si cuneos Prophetarum, qui à Samuele in Naioth domo doctrina erudiebantur, recordemur, quò Dauid adijt fugiens Saulem, & ipsemet Saul ibi cum suis in reliquorum cœtu prophetare coactus est. Samuele mortuo, quis eorum curam gesserit, proditum non est. Credibile est rem ad Dei cultum, & populi ædificationem pertinentem à Dauide & Salomone minimè fuisse neglectam, magnamque horum partem fuisse Leuitas, qui Cantorum officio in templo fungeban-*

gebantur, sub cura Asaph, Heman, & Idithum. Ceteros magno numero diuersis familijs distinctos, quos Prophetarum cuneos Hieronymus vocat, vixisse, varijsque in locis collectos, vt Naioth, Gabaa Saulis, Carmelo, Bethele, Iericho, diuinis laudibus vacasse sub magisterio Sanctorum virorum, Nathani, Gadi, Abia, Addo, Semeia, & aliorum Prophetarum, qui in Scriptura celebrantur, quibus postmodum Elias, Elisaus, alijque deinceps successerunt.

11 Ex dictis autem, tum hoc capite, tum etiam præcedenti, manifestè deducitur habuisse eo tempore Ordinem Propheticum, de quo loquimur, varia, multipliciaque Collegia, domos, seu mansiones, vbi ipsi Prophetæ dicti diuinis laudibus, & sacrarum Literarum exercitijs, sub præcipuorum Prophetarum magisterio iugiter manebant. Et quamuis de huiusmodi Collegijs, *sub anno* 3154. tempore Elisæi, quo ea & totus Ordo multiplicata sunt, acturi simus, animaduersione tamen dignum hîc censemus, quod Coria relatus, *dicto libro* 4. *cap.* 6. affert, quoties scilicet in sacra Scriptura mentio fit de domo alicuius ex dictis Prophetis, per domum intelligi debere Collegium vel mansionem Prophetarum, vbi talis Propheta alijs præerat. Quæ doctrina esto forsan vniuersaliter vera non sit, sæpius tamen eam verificari non dubitamus. Colligitur hoc primò ex, 1. *Reg.* 24. *v.* 1. vbi dum de morte Samuelis est sermo, dicitur: *Mortuus est autem Samuel, &c. & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha.* Cùm enim constet ex 1. *Reg.* 19. *v.* 20. & ex dictis, *cap. præcedenti* in Ramatha fuisse domum Samuelis, vbi erat Cuneus, & Collegium Prophetarum, quibus ipse præerat, vt Prælatus & Magister, sequitur eam fuisse domum, & Collegium, ac per consequens per domum intelligi debere Collegium, vbi ipse præfectus erat. Et quia hîc sermo est de sepultura Samuelis, valde notanda sunt verba Lyrani in 1. *Reg.* 28. vbi inquit, quòd Saul vidit Samuelem, *sepeliri in habitu suo sicut Religiosum, quia primò congregauit homines religiosè viuentes sub ipso.* Ex quibus plura tum ex dictis, tum ex dicendis robur accipiunt. Deinde idem intentum, quod scilicet quæ *domus* Prophetæ in Scriptura appellatur, Collegium sit, vbi ipse alijs præsidet. Colligitur etiam ex 4. *Reg.* 6. *v.* 32. cùm enim Elisæus esset in Samaria, & Rex Israël eum occidere voluisset, ipse (vt inquit textus) *sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo.* Hæc etenim Elisæi domus non videtur fuisse suæ cognationis, aut familiæ, cùm patria ipsius Abelmeula esset. 3. *Reg.* 19. *v.* 16. non Samaria, nec etiam propria ipsius, quia pauperem vitam gerebat. Sicut Elias, nec aliquid proprij habebat, vtpote, qui vitam veluti Religiosam

Erant Collegia Prophetarum.

Samuele instituto vnum fuisse, vel ex nomine, *Prophetæ*, quo etsi non in vulgato, 3. *Reg.* 17. *v.* 1. saltem in aliquibus Græcis exemplaribus, vt habes in editione Francofordiensi,vocatur, & quod magis est, *Malach.* 4. *v.* 5. illis verbis: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam*, communi Patrum accedente consensu id perspicuè deducitur, iuxta dicta, *supra c.* 2. Colligitur etiam ex illo, 3. *Reg.* 19. *v.* 4. vbi ipse Elias dicebat, *neque enim melior sum, quàm Patres mei*, vbi Patres vocat, *Prophetas*, *qui paulo ante se diem obierant* (inquit Reuerendissimus, pariterque doctissimus Minimorum Generalis Ægidius Camartus, *de rebus Eliæ cap.* 3. *sect.* 8. *ob institutionem*, *& imitationem*, conformiter ad dicta, *cap. præcedenti*. Similiter ex Hebræorum, & Thalmuditarum traditione, qui Eliam discipulum dicunt Achiæ Prophetæ. Vt enim ex ipsis refert Galatinus, *lib.* 1. *c.* 1. legis expositionē, quam Moyses accepit in monte,vnà cum lege tradidit Iosue, Iosue Phineæ, Phinees Heli Sacerdoti, Heli Samueli, Samuel Dauid Regi, Dauid Achiæ, Achias Eliæ. Quod & firmatur ex alia Hebræorum traditione, quam refert Genebrardus, *l.* 1. *chronolog.* qua dicunt Achiam Silonitem adeo longæuum fuisse, vt ad Eliæ tempus peruenerit: fuit enim iste Achias procul dubio ex Samuelis Ordine, iuxta dicta, *c. præcedenti*. si autem Eliæ tempus attigit, potuit sanè ipsius magister esse, ac per consequens Elias discipulus discipulorum Samuelis. Nec incongruè idem elicitur ex eo quòd, 3. *Reg.* 17. *v.* 1. dicatur Elias, *de habitatoribus Galaad*, per hoc enim denotatur eo loco vitam Propheticam egisse: nam ibi Collegium fuit Prophetarum, iuxta dicenda, *sub anno* 3154. *n.* 6. fauet Gregorius Nyssenus, *orat.* 7. *in Cantic. c.* 4. circa illa verba: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*, sic dicens: *Fortassis & Elias aliquid nobis ad hanc caprarum considerationem conferet, qui longo tempore versatus in monte Galaad insignia vitæ continentis exempla præbuit, forma squallidus, capillis hirsutus, pro veste molli pelle capræ tectus*. Fauet etiam Sigonius, *de Republ. Hebræor. lib.* 5. *c.* 9. Fauent & auctores aliqui asserentes ipsum, antequam Achabi obtutibus sese obtulisset, vitam monasticam Religiosè sectari incepisse.

Quam vitam egerit.

4 Hi sunt Suarez 4. *to. de Relig. tract.* 9. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 5. Salianus *sub anno* 3123. *n.* 10. & ex nostris Franciscus à Sancta Maria in historia prophetica Hispan. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 9. quod qualiter accipiendum, *sub anno* 3123. *n.* 10. dicemus. Adde & Camartum in suo *libro de gestis Eliæ c.* 3. *sect.* 19. affirmantem Eliam Ioannis Baptistæ instar, qui, *in spiritu & virtute* ipsius venit, *Luc.* 1. *v.* 17. ab ipsa infantia sequuturæ vitæ specimen præbuisse, eremi desiderio captum à communi

muni hominum cœtu recessisse, membra cilicio, vilique palliolo domuisse. Quæ etsi incerta sint, digna tamen quæ credantur in tam mirabili Propheta.

5 Deinde aliquos saltem ex ijs, quos Elias in discipulos sibi elegit, ex illis nimirùm fuisse, qui primitùs in Samuelis schola Ordini Prophetico nomen dederant, habetur ex Petro Comestore, 1. *Reg.* 10. vbi discipulos Samuelis inter filios Prophetarum annumerare videtur. Et ex Lyrano *quarto Reg.* 2. vbi loquens de filijs Prophetarum, quos compertum apud omnes est Eliæ discipulos fuisse: *Tales*, inquit, *fuerunt primò congregati sub Samuele Propheta, & postea sub alijs Prophetis excellentibus*. Idem ferme Vvaldensis noster *in doctrinali fidei lib.* 3. *artic.* 1. *cap. quarto*. Abulensis 4. *Reg.* 2. *q.* 9. Trithemius *de laudibus Carmelitarum capit.* 3. Torniellus *sub anno* 2545. *n* 14. & in impressione Antuerpiensi etiam *sub anno* 3139. §. 2. Salianus *sub anno* 3127. *n.* 23. clarissimè *sub anno* 3124. *num.* 10. inquiens: *Hac ferè fuit occupatio eorum, qui filij Prophetarum dicti, pridem sub Samuelis disciplina vixerant*. Sanchez *in tertio Regum* 17. *n.* 7. & 8. Cum ijs ergo priscis Ordinis Prophetici alumnis, alijsque de nouo adiunctis, Elisæo videlicet, Iona, & Michæa, de quibus *sub anno* 3127. dicemus, vitæ monasticæ & eremiticæ ac qualitercumque religiosæ *per obseruantiam trium votorum; obedientiæ, castitatis, & paupertatis*, qualia (vt dixi) in eo statu esse fas fuit, fundamenta iecit; vt discurrenti per singula liquidò innotescet.

Qui ipsius discipuli.

6 Eliam enim, Elisæum, & alios Eliæ discipulos obedientiam, paupertatem, & castitatem obseruasse, ex quo simul Capitis intentum (videlicet quòd Elias eorum Princeps Ordinem Propheticum in aliqualem Religionem instituerit) clarè elicietur; pluribus demonstrare possumus. Primò testimonio Ioannis Ierosolymitani, qui id expressè docet *lib. de Institut. Monachorum, præsertim capit.* 23. & 4. & 5. (de cuius libri auctoritate *infra cap.* 9. erit sermo) vbi ex illis verbis à Deo Eliæ dictis 3. *Reg.* 17. *v.* 3. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in Torrente Carith, &c.* hunc viuendi modum à Deo ipsi reuelatum fuisse ostendit. Et c. 10. 11. 16. *ac* 21. vbi ipsius discipulos secundùm hanc formam à Deo ei traditam ab eo instructos, & eruditos fuisse affirmat. Cui auctori maximè quoad hoc fidendum, cùm ex traditionibus tum Hebræorum, tum coëremitarum Carmeli, cum quibus iugiter conuersatus fuit, illud accepisse procul dubio credatur. Secundò ex testimonijs S. Hieronymi, & aliorum Patrum, quos cap. sequenti afferemus, qui-

An vota obseruauerint?

discipulus, vt ibi dicetur. Illud, *facti sunt*, Isaiam denotat, vt constat ex huius loci expositoribus, specialiter S. Thoma, Lyrano, Hugone, & alijs. Ergo Apostolus eo loco de Ordinis Prophetici asseclis sermonem habet.

Qualiter id accipiendum.

31 Cùm autem dicimus Prophetas omnes ordinarios post Samuelem ad Ordinem ipsorum quadantenus pertinuisse, non est eodem modo, & æquè de omnibus accipiendum. Illi enim qui cælibem vitam cum obedientia, & paupertate ex aliquo voto duxisse reperientur, ad eum Ordinem veluti veri Religiosi, qualiter in veteris legis Synagoga esse potuerunt, directè spectasse censendi: horum enim obseruantia pro quocunque Religioso statu omninò exigitur. Qui autem in aliquo istorum, castitate videlicet defecisse comprobantur, etsi ad illum quasi indirectè solum (ad modum & veluti similitudinem, quo Tertiarij mendicantium Religionum ad eas spectare dicuntur) pertinuisse affirmari possit; eos tamen nec verè Religiosos, nec directè membra Instituti ab Elia excitati vocare licebit. Qui autem illi fuerint, qui priori modo, & qui solùm posteriori Propheticæ disciplinæ sectatores appellandi, dum de singulis egerimus, sigillatim dicemus. Fuisse autem hoc duplex genus hominum piorum eo tempore, quorum alij an tria vota Religioni essentialia emitterent, constat ex Vvaldensi nostro, *in doctrinali fidei lib. 3. art. 1. c. 1.* & ex Abulensi, 4. *Reg. 6. q.* 1. de quo alibi.

32 An verò, & à quo tempore hic Propheticus Ordo Religionis nomen vtcunque promeritus fuerit, *cap.* 4. dicetur.

Huius Prophetici Ordinis Samuelem Prophetam extitisse fundatorem, & quo pacto. Cap. III.

Samuel Collegia Prophetarum instituit.

1 ERTA res est, & fermè in confesso apud omnes, Samuelem Prophetam eum fuisse, qui primus omnium Collegia Prophetarum, seu virorum Deum laudantium, orationi, & contemplationi, ac sacrarum Literarum studijs vacantium instituerit. Colligitur ex multis doctoribus, quos *Cap. præcedenti* retulimus. Inter Auctores autem, qui illam docent expresè, primus videtur Petrus Comestor historiæ Scholasticæ compilator, qui 1. *Reg.* 10. ait: *Nota quòd Samuel primò instituit Conuentus Religiosorum iugiter psallentium Domino, & dicebatur Conuentus eorum Cuneus, quasi couneus. Et dicebantur prophetare, id est, iugiter Deum laudare, & forte aliqui quandoque prophetabant ex eis.* Hæc Comestor. Idem sequuntur

Lyranus,

Lyranus, & Cardinalis Hugo, *in* 1. *Reg.* 10. Imò ipse Lyranus, 4. *Reg.* 2. Rabbi Salomonem pro hac parte referre videtur. Quem etiam sequitur Vualdensis noster, *in doctrinali fidei lib.* 3. *art.* 1. *c.* 4. qui propterea Samuelem vocat primum Religiosum claustralem. Sequitur Trithemius, *in lib. de laudib. Carmelitar. c.* 3. adstipulatur Sigonius, *de Republica Hebræorum lib.* 5. *cap.* 9. & tenet Genebrardus *lib.* 1. *Chronologiæ in Samuele sub anno mundi* 3066. fauent Abulensis *in* 1. *Reg.* 19. *q.* 31. & Caietan. *ibid.* ac expressè id tenent Salianus, *sub anno mundi* 2962. *num.* 101. Sanchez, *in* 1. *Reg.* 10. *num.* 32. imò communis Hebræorum hæc videtur sententia. Teste enim Genebrardo relato (quod & approbat Salianus, *sub anno* 2977. *n.* 11.) *eum* (scilicet Samuelem) *Hebræi Prophetarum, siue Propheticorum Collegiorum fundatorem, & auctorem faciunt*. Sequuntur ex nostris Historicis Didacus de Coria, *in Chronic. Carmelit. lib.* 4. *cap.* 2. Michaël Munozzius, *in Propugnaculo Eliæ lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 1. *ar.* 1. & alij. Colligiturque ex sacra Scriptura, 1. *Reg.* 7. *v.* 16. vbi dicitur, quòd Samuel *ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala & Masphà, & iudicabat Israëlem in supradictis locis*. Ideo enim videtur has tres vrbes elegisse ad iudicandum populum, & comitia totius regni celebranda, quia in eis Collegia erant Prophetarum, vt dicemus suo loco, quæ simul visitabat, vt habent Coria, *lib.* 1. *cap.* 8., & Munozzius, *vt supra*.

2 Nec solùm Samuel Collegia Prophetarum instituit, sed illis etiam veluti magister, Doctor, & Prælatus viuendi normam, doctrinam, & directionem primus tradidit. Elicitur primò ex *Actor.* 3. cap. præcedenti relato, vbi Petrus in illa concione dixit, *Omnes Prophetæ à Samuele, & deinceps*, quasi diceret, vt interlinealis exponit, *quasi à Principe Prophetarum*. Quo denotatur fuisse ipsorum primum caput. Secundò, ex *primo Reg.* 19. *v.* 20. vbi dicitur in Naioth Ramatha fuisse, *Cuneum Prophetarum, & Samuelem stantem super eos*; id est, vt Lyranus exponit, *præsidentem eis*; vel, vt Carthusianus, *præsidentem eis, ac dirigentem*; vel cum Hugone Cardinali, *quia præerat alijs*; vel cum Abulensi, *q.* 31. *quia docebat eos prophetare, erudiendo eos; quia ipse erat doctor diuinæ laudis, vel quòd erat Princeps eorum*; vel cum Torniello, *sub anno* 3139. §. 2. in editione Antuerpiensi, quia ipse *tanquam illius* (intellige Congregationis) *Præfectus collationes quasdam spirituales celebrare solitus erat*. Quibus clarè innuitur fuisse eorum Prælatum: erat enim eo loco Collegium Prophetarum, iuxta dicenda, *sub anno* 3154. Vnde fuisse discipulos ipsius prædictos Prophetas, ac per consequens Sa- Erat ipsorum Prælatus.

 muelem

muelem eorum magistrum tenent Glossa interlinealis, *in 1. Reg. 28.* Hugo, & Lyranus *ibidem*, Abulensis etiam, *ibid. q.* 17. & alij innumeri, specialiter Sanchez, *1. Reg. 19. num. 12.* vocat eum, *Præpositum vaticinantium Choro*. & Salianus, *sub anno 2973. num. 4.* dicens quòd Prophetæ illi, *magistrum cognoscebant Samuelem*. & *sub anno 2962. num. 101.* de eodem Samuele loquens dixit: *Cùm plurimum sanctitatis opinione, & prophetiæ laude clareret, Leuita genere, voto Nazaræus, priuilegio Sacerdos, dignitate Iudex, Deo consecratus ante quam natus, minimè dubium est eum multos habuisse eiusdem vitæ approbatores, ac sectatores, qui in eius se disciplinam darent, quosque ipse postea in varia loca distribueret, qui populis Dei venerationem, & amorem cum religiosa cantus delectatione instillarent.* Hæc ille, quibus ea quæ diximus clariùs dilucidata manebunt.

Erant ex Nazaræis. 3 Si quis autem quærat, quinam ij primi Samuelis discipuli Prophetæ fuerint, qui in dictis Collegijs morabantur, & quibus ipse, vt Princeps, Magister, & Doctor præerat, procul dubio dicendum est, magna saltem ex parte, si non omnes, Nazaræos fuisse. Ita expresè Glossa, & Hugo Cardinalis, *in 1. Reg. 19. v. 20.* loquentes enim de illo cuneo Prophetarum dicunt: *Isti Prophetæ viri Religiosi erant dicti Nazarei, qui non bibebant vinum, & vacabant semper canentes hymnos, & psalmos.* Eos sequitur noster Didacus de Coria, *in chronic. Carmelitar. lib. 1. c. 6.* Indicat id Sigon. dicto *lib. 5. cap. 9.* dum istos, *quibus* (vt ipse inquit) *Samuel præfuit, vocat Scripturæ exponendæ studio se dicantes*. proprium autem Nazaræorum erat ijs pijs operibus se dicare. Indicat & Genebrardus loco relato ex *lib. 1. chronolog.* illis verbis: *Hominibus se sponte huic Professioni deuouentibus*. hoc enim voti seu deuotionis genus peculiare Nazaræorum creditur. Propterea etiam coniungi videntur Amos, *2. versu. 11.* Prophetæ & Nazaræi illis verbis: *Et suscitaui de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos.* Colligitur præterea ex eo quòd ipse Samuel Nazaræus erat. Id enim satis indicant verba illa Annæ matris ipsius, *1. Reg. 1. v. 11.* de filio quem à Deo obnixè postulabat: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius & nouacula non ascendet super caput eius.* Quod votum adimplesse Samuelem, simulque à vino abstinuisse, aliasque Nazaræatus conditiones obseruasse, communis est Doctorum sententia, ex Philone, *in lib. de temulentia*, Iosepho, *lib. 5. de antiquit. c. 11.* D. Hieronymo, *lib. 2. contra Iouinian.* Chrysost. *in homil. de fide Annæ cap. 1.* de quo etiam Abulensis in *locum relatum*: Salianus, *sub anno 2900. n. 26.* & Ægidius Camartus, *in lib. de rebus Eliæ c. 3. sect. 18.* vbi etiam inter Nazaræos

zaræos perpetuos eum refert. Quod & amplectitur Cornelius, *in Numeror. c. 6. v. 2.* Si autem Samuel Nazaræus professione fuit, & ex illis qui perpetuò deuoti Deo erant, vt colligitur ex loco relato, procul dubio & illi, qui ei in discipulos, alumnos, & asseclas tradebantur, eiusdem Nazaræi Ordinis fuissent.

4 Propterea etiam huiusmodi Prophetis, qui sub Samuelis disciplina, & Collegiorum clausura imbuendi traditi sunt, Religiosorum nomenclaturam plures tribuunt; quales sunt Petrus Comestor relatus supra, *num.* 1. Hugo Cardinalis, *in* 1. *Reg.* 10. *&* 1. *Reg.* 19. Lyranus etiam, 1. *Reg.* 10. *&* 19. *&* 4. *Reg.* 2. ac alij. Et sanè si ex Nazaræis erant, vt vidimus, qui Nazaræatum, veram veteris Testamenti Religionem autumant, Religiosorum titulo Prophetas istos decorare possent. Sed veritas est, non nisi largo & lato modo tales dici posse, cùm nullatenus affirmari possit sine trium votorum obseruantia, *quæ quodam modo Eliæ tempore cœpit*, Religiosum statum consistere. An Religiosi?

5 Pariter etiam hos primos Samuelis disciplinæ traditos ex Cinæis fuisse, magna saltem ex parte, sine dubio asserendum videtur. Hoc enim suadet primò horum Cinæorum pia, laudabilis, & veluti Religiosa conuersatio, de qua *c.* 1. dictum manet. Quemadmodum enim (prout à natura inditum est) inter symbola facilior est transmutatio, sic facilius credendum, Cinæorum plures hanc vitæ Institutionem à Samuele inuentam amplexatos fuisse. Accedit quòd Cinæos eosdem cum Rechabitis fuisse valde probabile sit, ac proinde huius Prophetici Ordinis sectatores, sicut & ipsos Rechabitas. Maximè id suadet locus ille ex, 1. *Paralipom.* 2. *v.* 55. relatus, *c.* 1. ibi enim sicut Cinæi appellantur *Rechabitæ* illis verbis: *Hi sunt qui venerunt de calore patris domus Rechab.* sic etiam dicuntur, *canentes & resonantes*, quod erat proprium Prophetarum sub Samuele congregatorum Institutum, ad laudandum scilicet Deum. Ex eo autem quòd vocentur, *in tabernaculis commorantes*, cùm tabernacula essent mansiones in agris extra vrbes, & oppida, colligimus aliquos ex istis Prophetis extra populorum commercium, in locis desertis commoratos fuisse. Hanc enim consuetudinem, tum à Prophetis, tum ab Essenis eorum successoribus, sequentibus temporibus obseruatam in discursu Operis videbimus. Ex Cinæis.

6 Ex ijs autem iam directè ad Capitis quæsitum respondentes, dicimus Samuelem huius Prophetici Ordinis, de quo in præsenti, primum auctorem, ac fundatorem appellari debere. Si enim ipse primus fuit, qui Prophetas in vnum collegit, Collegiorum claustris Samuel primus Auctor.

excepit, ac imbuendos in Dei laudibus concinendis, & Scripturis interpretandis suscepit, vt ex dictis in superioribus habetur, manifestè elicitur ipsum primum eorum Patrem, fundatorem, & auctorem appellari posse. Intelligendum porro id est de hoc Ordine, vt merè claustralis, seu collegialis fuit, prout VValdensis noster supra, *num. primo* relatus loquitur, non quatenus Religiosi status rationem vtcunque habuit: hæc enim gloria soli Eliæ parenti reseruabatur, iuxta dicenda, *cap. sequenti*.

Qui teneant oppositum?

7 Id tamen quod diximus de Prophetico Ordine quodammodo inchoato sub Samuele Propheta, aduersarium habere videtur doctum virum Iacobum Boulducum, qui in suo illo opere, *de Ecclesia ante Legem lib. 1. cap. 5. §. Quinto Propheta.* expresè ait: ***Prophetarum Ordinem & Institutum, quandam fuisse Sanctorum hominum congregationem à Deo in bonum, & ædificationem Ecclesiæ ab initio mundi constitutam.*** Credere namque videtur auctor iste, Prophetas istos, de quibus in præsenti, eosdem esse cum illis, qui olim in lege naturæ, *filij Dei* nuncupabantur, & à Setho Adæ filio originem traxerunt, & cum *Enoscænis*, qui ab Enos similiter inchoati sunt, de quibus, *cap. 1.* dictum est. Maximè etiam videtur aduersari id Genebrardo cap. præcedenti relato, qui *lib. 1. chronolog. in seculo Samuelis*, loquens de ipso, & qualiter eius tempore *Prophetica Professio* cœperit, inquit: *Tum Prophetica Professio penè intermortua à Seniorum morte vigere cœpit, multis in idem Collegium conuenientibus, huicque Instituto vacantibus.* Verumtamen ipsemet Genebrardus inferiùs se explicat, & qualiter sit hoc loco intelligendus, ostendit: dicit enim: *Ab orbe Prophetæ quidem extiterunt, sed rariùs, & extra ordinem. A Samuele crebriores, & ordinarij, & successione perenni.* Quod etiam denotat Sigonius ibi relatus, dum dicit à Samuele, *Ordinarium quoddam quasi Prophetarum Collegium* extitisse. & inferius: *post Samuelem perpetua successione Prophetæ fuerunt.* Istorum enim auctorum mens (ad quam etiam Boulducus reducendus) ea est, quòd à principio etiam mundi non defuerint viri Deo deuoti, ipsius cultui specialiori modo addicti, & nuncupati, qui etiam Spiritu prophetico à Deo decorati fuerint, iuxta dicta, *cap. 1.* Eos tamen non nisi latissimè *Ordinis* titulo appellari posse, quemadmodum post Samuelis tempus nuncupandos diximus, compertum videtur ex eo, quòd illi rari, & extraordinarij, ac secularium more separati, & disiuncti, nec alicuius obedientiæ astricti fuisse videntur. Isti verò, qui post Samuelem extiterunt veluti continui, & ordinarij, collegiatim coniuncti, & sub obedientia Samuelis, & aliorum insignium Prophetarum (vt dicemus)

cemus) Religiosorum instar floruere. Meritò ergo istorum, & non illorum Congregationem, Ordinem Prophetalem appellauimus.

8 Post Samuelis autem obitum, qui iuxta Torniellum, & Salianum, *sub anno mundi* 2977. contigit, vsque ad Eliæ nostri tempus, qui sub anno 3123. primò nominatur, non defuisse hunc Propheticum Ordinem manifestè colligitur ex Sigonio, & Genebrardo supra relatis; ille enim post Samuelem, *perpetua successione*; iste verò, *successione perenni*, Prophetas durasse dixit. Clariùs Vvaldensis noster, *in doctrinali fidei lib.* 3. *ar.* 1. *cap.* 4. post medium id affirmat. Loquens enim de filijs Prophetarum dicit: *Isti tamen monachi, seu filij Prophetarum à tempore Samuelis non cessabant vsque ad aduentum Eliæ Thesbitæ.* Ex his namque erant illi Prophetæ, quos Saul post Samuelis mortem, 1. *Reg.* 28. *v.* 6. à Philistæis oppressus consuluit, vt scribit Sigonius, *cap. præcedenti* relatus, & ante ipsum Glossa interlinealis, & Lyranus ibidem. Item illi ex quibus tam copiosum numerum Iezabelis sæuitia interfecerat, vt propterea conquereretur Elias, 3. *Reg.* 19. *v.* 10. se solum fuisse derelictum, quemadmodum ex Vvaldensi relato deducitur. Similiter centum illi Prophetæ, quos Abdias quinquagenos, & quinquagenos in speluncis abscondit, & pane & aqua pauit, 3. *Reg.* 18. *v* 4. *&* 13. vt habent Lyranus, & Torniellus, *sub anno* 2545. *n.* 14. Inter eos etiam numerare videtur Abulensis, 1. *Reg.* 10. *v.* 5. nec dissentiunt Sigonius & Torniellus, Asaph, Heman & Idithum Principes Cantorum templi à Dauide, & magistratu institutos, 1. *Paralipom.* 25. *v.* 1.

Manserunt post Samuelem.

9 Manserunt autem isti Prophetæ post Samuelis transitum sub obedientia excellentium Prophetarum, vt testatur Lyranus, 4. *Reg.* 2. verbis relatis, *cap. præcedenti*, & Didacus de Coria, *in chronic. Carmelit. lib.* 4. *cap.* 4. seu maiorum Prophetarum, vt indicat Carthusianus, 3. *Reg.* 18. vel, *Sanctorum virorum*, & aliorum Prophetarum, qui in Scriptura celebrantur, vt dicit Salianus inferiùs referendus. Qui verò fuerint huiusmodi Prophetæ, quamuis nihil certi habeatur, cùm sine dubio ex clarioribus, & insignioribus esse debuerint, ideo Coria relatus asserit *dicto capit.* 4. *& sequentibus*, vnum fuisse Eleazarum Præfectum Collegij Gabaa, seu Cariathiarim, de quo, 1. *Reg.* 7. *v.* 1. dicitur sanctificatus, *vt custodiret arcam Domini*, quod significat fuisse Præfectum ad custodiendam illam, postquam à Philistæis derelicta fuit, vt ex Chaldæo Paraphraste, Vatablo, & Abulensi, *q.* 19. constat. Item Nathan, de quo, 2. *Reg.* 7. *&* 12. *ac* 3. *Reg.* 1. quem idem Coria dicit fuisse etiam Præfectum eiusdem Collegij Gabaa. Et meritò sanè, tum quia egregius inter Prophetas,

Sub quorum obedientia?

tum

tum quia Samuelis discipulus, vt habet Lyranus, 1. *Reg.* 25. vt propterea ipsi tribuatur magnæ partis librorum Regum descriptio; tum quia in ipso denotatur, *Prophetalis Ordo*, Zachariæ, 12. *v.* 13. in illis verbis, *familia domus Nathan seorsum*, vt asserit idem Lyranus ibi. Similiter Gad Propheta, de quo, 1. *Reg.* 22. *v.* 5. & 2. *Reg.* 24. quem etiam putat fuisse Prælatum domus Masphat, & Ahiam Silonitem, de quo, 3. *Reg.* 11. *v.* 29. & 3. *Reg.* 14. quem similiter Oratorij Silonis Prælatum appellat. Iadam etiam, Iaddo, seu Iadon, Prophetam, qui, 3. *Reg.* 13. *v.* 1. vocatur, *vir Dei*, quem & Nathanis discipulum, ac proinde Collegij Gabaa alumnum credit. Semeiam, de quo, 3. *Reg.* 12. *v.* 22. quem etiam eiusdem Collegij fuisse autumat. Azariam filium Obed Prophetæ, cuius mentio & Prophetia, 2. *Paralipom.* 15. *v.* 1. habetur. Anani Prophetam, qui 2. *Paralipom.* 16. *v.* 7. contra Asa Regem prophetauit, & propterea ab ipso in carcerem missus, licet inde postea dimissus, vt Abulensis, *ibidem q.* 35. putat. Iehu quoque Prophetam, de cuius Prophetia, 3. *Reg.* 16. *v.* 1. agitur, & quem Glossa ibidem cum centum illis, quos Abdias pauit, & cum filijs Prophetarum, qui Elisæo occurrerunt, conferre videtur. Hos ergo omnes Coria relatus inter excellentes & præcipuos Prophetas Ordinis Prophetici post Samuelem, & ante Eliam Præfectos recenset.

Saliani placitum.

10 Libeat etiam audire Saliani placitum, *sub anno* 3127. *num.* 23. vbi doctè satis de statu Ordinis Prophetici post Samuelis obitum vsque ad Eliam, & Elisæum, protectione ipsius sub Regibus Dauide & Salomone, Prælatis, & magistris, Collegijs, & mansionibus, Elisæo, & alijs Eliæ discipulis, ipsorumque in Carmelo collectione hæc scripsit: *Hinc autem non leuem accipit probabilitatem, quod scribit Hierosolymitanus Patriarcha Ioannes post reditum Eliæ de monte Oreb, & assumptum Elisæum in discipulum ac successorem, cùm Deo visum esset ipsum hinc abducere, etiam alios discipulos in monte Carmeli collegisse, eosque ad vitam religiosè traducendam, nominatimque ad laudes Deo iugiter decantandas, vnde & prophetare dicebantur, instituisse, habitu à prophanis hominibus, cultu, conuersatione que distincta. Idque minus nouum videri necesse est, si cuneos Prophetarum, qui à Samuele in Naioth domo doctrina erudiebantur, recordemur, quò Dauid adijt fugiens Saulem, & ipsemet Saul ibi cum suis in reliquorum cœtu prophetare coactus est. Samuele mortuo, quis eorum curam gesserit, proditum non est. Credibile est rem ad Dei cultum, & populi ædificationem pertinentem à Dauide & Salomone minimè fuisse neglectam, magnamque horum partem fuisse Leuitas, qui Cantorum officio in templo funge-*

geban-

gebantur, sub cura Asaph, Heman, & Idithum. Cæteros magno numero diuersis familijs distinctos, quos Prophetarum cuneos Hieronymus vocat, vixisse, varijsque in locis collectos, vt Naioth, Gabaa Saulis, Carmelo, Bethele, Iericho, diuinis laudibus vacasse sub magisterio Sanctorum virorum, Nathani, Gadi, Abiæ, Addo, Semeiæ, & aliorum Prophetarum, qui in Scriptura celebrantur, quibus postmodum Elias, Elisæus, aliique deinceps successerunt.

11 Ex dictis autem, tum hoc capite, tum etiam præcedenti, manifestè deducitur habuisse eo tempore Ordinem Propheticum, de quo loquimur, varia, multipliciaque Collegia, domos, seu mansiones, vbi ipsi Prophetæ dicti diuinis laudibus, & sacrarum Literarum exercitijs, sub præcipuorum Prophetarum magisterio iugiter manebant. Et quamuis de huiusmodi Collegijs, *sub anno 3154.* tempore Elisæi, quo ea & totus Ordo multiplicata sunt, acturi simus, animaduersione tamen dignum hîc censemus, quod Coria relatus, *dicto libro 4. cap. 6.* affert, quoties scilicet in sacra Scriptura mentio fit de domo alicuius ex dictis Prophetis, per domum intelligi debere Collegium vel mansionem Prophetarum, vbi talis Propheta alijs præerat. Quæ doctrina esto forsan vniuersaliter vera non sit, sæpius tamen eam verificari non dubitamus. Colligitur hoc primò ex, 1. *Reg.* 24. *v.* 1. vbi dum de morte Samuelis est sermo, dicitur: *Mortuus est autem Samuel, &c. & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha.* Cùm enim constet ex 1. *Reg.* 19. *v.* 20. & ex dictis, *cap. præcedenti* in Ramatha fuisse domum Samuelis, vbi erat Cuneus, & Collegium Prophetarum, quibus ipse præerat, vt Prælatus & Magister, sequitur eam fuisse domum, & Collegium, ac per consequens per domum intelligi debere Collegium, vbi ipse præfectus erat. Et quia hîc sermo est de sepultura Samuelis, valde notanda sunt verba Lyrani in 1. *Reg.* 28. vbi inquit, quòd Saul vidit Samuelem, *sepeliri in habitu suo sicut Religiosum, quia primò congregauit homines religiosè viuentes sub ipso.* Ex quibus plura tum ex dictis, tum ex dicendis robur accipiunt. Deinde idem intentum, quod scilicet quæ *domus* Prophetæ in Scriptura appellatur, Collegium sit, vbi ipse alijs præsidet. Colligitur etiam ex 4. *Reg.* 6. *v.* 32. cùm enim Elisæus esset in Samaria, & Rex Israël eum occidere voluisset, ipse (vt inquit textus) *sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo.* Hæc etenim Elisæi domus non videtur fuisse suæ cognationis, aut familiæ, cùm patria ipsius Abelmeula esset. 3. *Reg.* 19. *v.* 16. non Samaria, nec etiam propria ipsius, quia pauperem vitam gerebat. Sicut Elias, nec aliquid proprij habebat, vtpote, qui vitam veluti Reli-

Erant Collegia Prophetarum.

giosam

gioſam cum filijs Prophetarum profitebatur, iuxta dicenda, *cap. ſequenti*. Vnde Abulenſis ibi: *Vocatur domus ſua, id eſt, in qua ipſe hoſpitabatur, quia fortè non erat ſua, imò veriſimile eſt, quòd non erat ſua, quia ipſe erat pauper, & non habebat niſi ea quæ ſibi dabantur ad ſuſtentationem, & conſuetus erat diſcurrere de loco in locum per Collegia Prophetarum ad viſitandum illa, vt declaratum eſt ſupra 2. & 4. Et dato quòd Eliſæus haberet aliquas poſſeſſiones, quæ prouenirent ei ex iure paterno, tamen illa non eſſent in Samaria, ſed in Abelmeula, quia Eliſæus erat de loco illo*. Reſtat ergo quòd domus ipſius appelletur Collegium Ordinis Prophetici, quod erat in Samaria, (teſte noſtro Ioanne Ieroſolymitano, *in lib. de inſtit. Monachor. cap. 22.* & ſenes ſint filij Prophetarum, ſeu Prophetæ, vel ſaltem ſeniores ipſorum, diſcipuli ipſius, vt habet Ioſephus, *lib. 9. antiquit. cap.* 4. & ſatis veriſimile appellat Abulenſis relatus. Colligitur id tertiò ex Zacharia, 12. *v.* 13. vbi per verbum illud, *domus Nathan*, qui fuit ex Prophetis, de quibus loquimur, denotatur (vt inquit Lyranus ibidem) *Prophetalis Ordo*. Ex hoc enim deduci videtur per domum alicuius Prophetæ denunciari poſſe Collegium Prophetarum, cui ipſe præſidet.

Appellabantur Patres.

12 Animaduertit etiam idem Coria, *dicto lib. 4. cap. 6.* Prophetas iſtos Præſides, Magiſtros, vel Prælatos Collegiorum Prophetalium, ſeu Prophetarum in ipſis degentium appellari ſolitos in Sacra Scriptura, *Patres*; quod eſt veriſſimum, & conſtabit ex dicendis, *ſub anno* 3132. vbi dicemus diſcipulos Prophetarum vocatos, *filios*, ita vt qui *filij Prophetarum* appellantur, eorum fuerint diſcipuli. Ex hoc enim elicitur eos, qui Prophetarum Patres nuncupabantur, eorum fuiſſe magiſtros; correlatiuorum namque natura id expoſtulat. Conſtat id etiam ex 1. *Reg.* 10. *v.* 10. vbi habetur, quòd cùm Saul à Samuele miſſus veniret ad Cuneum Prophetarum, qui erant in colle Dei, & prophetaret cum ipſis, ij qui hoc mirabantur dicentes: *Quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter Prophetas? Reſponditque alius ad alterum dicens: Et quis Pater eorum?* Quo loco nomen, *Pater*, ſignificat idem quod magiſter, ſeu doctor, eo etiam ſenſu, quo Eliſæus Eliam per aëra volantem inclamabat: *Pater mi, Pater mi*. Sic Salianus, *ſub anno* 2962. *n.* 111. ex Chaldæo, & D. Hieronymo. Illud etiam Eliæ noſtri, 3. *Reg.* 19. *v.* 4. ſcilicet, *Tolle animam meam neque enim melior ſum, quàm Patres mei*. rectè explicat Ægidius Camartus, *de rebus Eliæ cap. 3. ſect.* 8. de Prophetis, qui paulo ante ipſum obierant, quos vocat, *Patres*, ob inſtitutionem, & imitationem. Alia etiam aptè ad intentum in ſequentibus.

Hunc

Hunc Ordinem Propheticum in Religionem veteris legis, qualis in eo statu esse poterat, ab Elia excitatum fuisse. Cap. IV.

1 PERVENIMVS iam, auspice IESV, ab ipsis mundi incunabulis decurrentes, & per meras vmbras ac figuras monastici ac Religiosi status, filios Dei, Enoscenos, Cinæos, & Prophetas nuncupatos peruolantes, ad tempus illud, quo Ecclesia, quæ veluti aurora consurgens, nunc vmbrosiores, nunc lucidiores lucis gradus, donec Sol expectatus, qui est Christus, adueniret, semper delineauit, luciferum præambulum, magnum illud Prophetarum lumen, Eliam parturijt, per quem inter medias iniquitatis tenebras lecti Prophetarum, & religiosè sapientium in Carmelo, & Syria manipuli instituti sunt, qui principes, & antesignani Monachorum omnium, ab ipso Christo postea lucis, & perfectionis Religiosæ, ac monasticæ vltimam lineam habituri extiterunt. De quorum felicissimo exordio nunc dicere operæ pretium existimamus. Elias Patriarcha.

2 Tempore ergo, quo Hebræorum Principatus in duo Regna ob imprudentiam Roboami filij Salomonis, & nequitiam Ieroboami ipsius serui diuisus manebat, ita vt domus Iuda, & Beniamim Roboamum sequeretur; & decem Tribus Ieroboamum, 3. *Reg.* 12. Succedentibus in Roboami Regnum Abia filio eius, & post ipsum Asa, & post hunc Iosaphat, & in Regnum Ieroboami Nadab filio ipsius, & post eũ Baasa, Ela, Zambri, & Amri, qui ædificauit Samariam, & Achab consorte Iezabelis filiæ Regis Sydoniorum, 3. *Reg.* 14. 15. & 16. cùm totus ferme Israël ob impijssimum Achabi, & Iezabelis exẽplum, in idololatriæ barathrum demersus iaceret, excitatur à Deo vir omni eloquio superior, incomparabilis, & admirabilis inter Prophetas Elias, qui ad Dei cultum firmiùs stabiliendum, salutem animarum curandam, perfidiamque scelestissimam idololatrarum confundendam, ex antiquis Samuelis discipulis, ex quibus ipse vnus erat, ac ex alijs sibi ascitis socijs Numinis instinctu vitæ Eremiticæ, ac normæ Religiosæ per trium votorum, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis obseruantiam, talia qualia in eo statu vmbratili, & imperfecto veteris legis esse poterant, primus auctor fuit. Singula iam more nostro examini exponantur sapientium. Status Reipubl. Iudæorum.

3 Et primò Eliam ex antiquis Samuelis discipulis, seu discipulorum ipsius discipulum, id est, ex Ordine Prophetico ab ipso Quis Elias fuerit.

Samuele

Samuele instituto vnum fuisse, vel ex nomine, *Prophetæ*, quo etsi non in vulgato, 3. *Reg.* 17. *v.* 1. saltem in aliquibus Græcis exemplaribus, vt habes in editione Francofordiensi, vocatur, & quod magis est, *Malach.* 4. *v.* 5. illis verbis: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam*, communi Patrum accedente consensu id perspicuè deducitur, iuxta dicta, *supra c.* 2. Colligitur etiam ex illo, 3. *Reg.* 19. *v.* 4. vbi ipse Elias dicebat, *neque enim melior sum, quàm Patres mei*, vbi Patres vocat, *Prophetas*, *qui paulo ante se diem obierant* (inquit Reuerendissimus, pariterque doctissimus Minimorum Generalis Ægidius Camartus, *de rebus Eliæ cap.* 3. *sect.* 8. *ob institutionem, & imitationem*, conformiter ad dicta, *cap. præcedenti*. Similiter ex Hebræorum, & Thalmuditarum traditione, qui Eliam discipulum dicunt Achiæ Prophetæ. Vt enim ex ipsis refert Galatinus, *lib.* 1. *c.* 1. legis expositionē, quam Moyses accepit in monte, vnà cum lege tradidit Iosue, Iosue Phineæ, Phinees Heli Sacerdoti, Heli Samueli, Samuel Dauid Regi, Dauid Achiæ, Achias Eliæ. Quod & firmatur ex alia Hebræorum traditione, quam refert Genebrardus, *l.* 1. *chronolog.* qua dicunt Achiam Silonitem adeo longæuum fuisse, vt ad Eliæ tempus peruenerit: fuit enim iste Achias procul dubio ex Samuelis Ordine, iuxta dicta, *c. præcedenti*. si antem Eliæ tempus attigit, potuit sanè ipsius magister esse, ac per consequens Elias discipulus discipulorum Samuelis. Nec incongruè idem elicitur ex eo quòd, 3. *Reg.* 17. *v.* 1. dicatur Elias, *de habitatoribus Galaad*, per hoc enim denotatur eo loco vitam Propheticam egisse: nam ibi Collegium fuit Prophetarum, iuxta dicenda, *sub anno* 3154. *n.* 6. fauet Gregorius Nyssenus, *orat.* 7. *in Cantic. c.* 4. circa illa verba: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*, sic dicens: *Fortassis & Elias aliquid nobis ad hanc caprarum considerationem conferet, qui longo tempore versatus in monte Galaad insignia vitæ continentis exempla præbuit, forma squallidus, capillis hirsutus, pro veste molli pelle capræ tectus*. Fauet etiam Sigonius, *de Republ. Hebræor. lib.* 5. *c.* 9. Fauent & auctores aliqui asserentes ipsum, antequam Achabi obtutibus sese obtulisset, vitam monasticam Religiosè sectari incepisse.

Quam vitam egerit.

4 Hi sunt Suarez 4. *to. de Relig. tract.* 9. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 5. Salianus *sub anno* 3123. *n.* 10. & ex nostris Franciscus à Sancta Maria in historia prophetica Hispan. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 9. quod qualiter accipiendum, *sub anno* 3123. *n.* 10. dicemus. Adde & Camartum in suo *libro de gestis Eliæ c.* 3. *sect.* 19. affirmantem Eliam Ioannis Baptistæ instar, qui, *in Spiritu & virtute* ipsius venit, *Luc.* 1. *v.* 17. ab ipsa infantia sequuturæ vitæ specimen præbuisse, eremi desiderio captum à communi

muni

muni hominum cœtu recessisse, membra cilicio, vilique palliolo domuisse. Quæ etsi incerta sint, digna tamen quæ credantur in tam mirabili Propheta.

5 Deinde aliquos saltem ex ijs, quos Elias in discipulos sibi elegit, ex illis nimirum fuisse, qui primitùs in Samuelis schola Ordini Prophetico nomen dederant, habetur ex Petro Comestore, 1. *Reg.* 10. vbi discipulos Samuelis inter filios Prophetarum annumerare videtur. Et ex Lyrano *quarto Reg.* 2. vbi loquens de filijs Prophetarum, quos compertum apud omnes est Eliæ discipulos fuisse: *Tales*, inquit, *fuerunt primò congregati sub Samuele Propheta, & postea sub alijs Prophetis excellentibus*. Idem ferme Vvaldensis noster *in doctrinali fidei lib.* 3. *artic.* 1. *cap. quarto*. Abulensis 4. *Reg.* 2. *q.* 9. Trithemius *de laudibus Carmelitarum capit.* 3. Torniellus *sub anno* 2545. *n* 14. & in impressione Antuerpiensi etiam *sub anno* 3139. §. 2. Salianus *sub anno* 3127. *n.* 23. clarissimè *sub anno* 3124. *num.* 10. inquiens: *Hac ferè fuit occupatio eorum, qui filij Prophetarum dicti, pridem sub Samuelis disciplina vixerant*. Sanchez *in tertio Regum* 17. *n.* 7. & 8. Cum ijs ergò priscis Ordinis Prophetici alumnis, alijsque de nouo adiunctis, Elisæo videlicet, Iona, & Michæa, de quibus *sub anno* 3127. dicemus, vitæ monasticæ & eremiticæ ac qualitercumque religiosæ *per obseruantiam trium votorum, obedientiæ, castitatis, & paupertatis*, qualia (vt dixi) in eo statu esse fas fuit, fundamenta iecit; vt discurrenti per singula liquidò innotescet.

Qui ipsius discipuli.

6 Eliam enim, Elisæum, & alios Eliæ discipulos obedientiam, paupertatem, & castitatem obseruasse, ex quo simul Capitis intentum (videlicet quòd Elias eorum Princeps Ordinem Propheticum in aliqualem Religionem instituerit) clarè elicietur; pluribus demonstrare possumus. Primò testimonio Ioannis Ierosolymitani, qui id expressè docet *lib. de Institut. Monachorum, præsertim capit.* 23. & 4. & 5. (de cuius libri auctoritate *infra cap.* 9. erit sermo) vbi ex illis verbis à Deo Eliæ dictis 3. *Reg.* 17. *v.* 3. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in Torrente Carith, &c.* hunc viuendi modum à Deo ipsi reuelatum fuisse ostendit. Et c. 10. 11. 16. *ac* 21. vbi ipsius discipulos secundùm hanc formam à Deo ei traditam ab eo instructos, & eruditos fuisse affirmat. Cui auctori maximè quoad hoc fidendum, cùm ex traditionibus tum Hebræorum, tum coëremitarum Carmeli, cum quibus iugiter conuersatus fuit, illud accepisse procul dubio credatur. Secundò ex testimonijs S. Hieronymi, & aliorum Patrum, quos cap. sequenti afferemus, qui-

An vota obseruauerint?

Samuele instituto vnum fuisse, vel ex nomine, *Propheta*, quo etsi non in vulgato, 3. *Reg.* 17. *v.* 1. saltem in aliquibus Græcis exemplaribus, vt habes in editione Francofordiensi, vocatur, & quod magis est, *Malach.* 4. *v.* 5. illis verbis: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam*, communi Patrum accedente consensu id perspicuè deducitur, iuxta dicta, *supra c.* 2. Colligitur etiam ex illo, 3. *Reg.* 19. *v.* 4. vbi ipse Elias dicebat, *neque enim melior sum, quàm Patres mei*, vbi Patres vocat, *Prophetas, qui paulo ante se diem obierant* (inquit Reuerendissimus, pariterque doctissimus Minimorum Generalis Ægidius Camartus, *de rebus Eliæ cap.* 3. *sect.* 8. *ob institutionem, & imitationem*, conformiter ad dicta, *cap. præcedenti*. Similiter ex Hebræorum, & Thalmuditarum traditione, qui Eliam discipulum dicunt Achiæ Prophetæ. Vt enim ex ipsis refert Galatinus, *lib.* 1. *c.* 1. legis expositionē, quam Moyses accepit in monte, vnà cum lege tradidit Iosue, Iosue Phineæ, Phinees Heli Sacerdoti, Heli Samueli, Samuel Dauid Regi, Dauid Achiæ, Achias Eliæ. Quod & firmatur ex alia Hebræorum traditione, quam refert Genebrardus, *l.* 1. *chronolog.* qua dicunt Achiam Silonitem adeo longæuum fuisse, vt ad Eliæ tempus peruenerit: fuit enim iste Achias procul dubio ex Samuelis Ordine, iuxta dicta, *c. præcedenti*. si autem Eliæ tempus attigit, potuit sanè ipsius magister esse, ac per consequens Elias discipulus discipulorum Samuelis. Nec incongruè idem elicitur ex eo quòd, 3. *Reg.* 17. *v.* 1. dicatur Elias, *de habitatoribus Galaad*, per hoc enim denotatur eo loco vitam Propheticam egisse: nam ibi Collegium fuit Prophetarum, iuxta dicenda, *sub anno* 3154. *n.* 6. fauet Gregorius Nyssenus, *orat.* 7. *in Cantic. c.* 4. circa illa verba: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*, sic dicens: *Fortassis & Elias aliquid nobis ad hanc caprarum considerationem conferet, qui longo tempore versatus in monte Galaad insignia vitæ continentis exempla præbuit, forma squallidus, capillis hirsutus, pro veste molli pelle capræ tectus*. Fauet etiam Sigonius, *de Republ. Hebræor. lib.* 5. *c.* 9. Fauent & auctores aliqui asserentes ipsum, antequam Achabi obtutibus sese obtulisset, vitam monasticam Religiosè sectari incepisse.

Quam vitam egerit.

4 Hi sunt Suarez 4. *to. de Relig. tract.* 9. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 5. Salianus *sub anno* 3123. *n.* 10. & ex nostris Franciscus à Sancta Maria in historia prophetica Hispan. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 9. quod qualiter accipiendum, *sub anno* 3123. *n.* 10. dicemus. Adde & Camartum in suo *libro de gestis Eliæ c.* 3. *sect.* 19. affirmantem Eliam Ioannis Baptistæ instar, qui, *in spiritu & virtute* ipsius venit, *Luc.* 1. *v.* 17. ab ipsa infantia sequuturæ vitæ specimen præbuisse, eremi desiderio captum à communi

muni

muni hominum cœtu recessisse, membra cilicio, vilique palliolo domuisse. Quæ etsi incerta sint, digna tamen quæ credantur in tam mirabili Propheta.

5 Deinde aliquos saltem ex ijs, quos Elias in discipulos sibi elegit, ex illis nimirum fuisse, qui primitùs in Samuelis scho la Ordini Prophetico nomen dederant, habetur ex Petro Comestore 1. *Reg.* 10. vbi discipulos Samuelis inter filios Prophetarum annumerare videtur. Et ex Lyrano *quarto Reg.* 2. vbi loquens de filijs Prophetarum, quos compertum apud omnes est Eliæ discipulos fuisse: *Tales*, inquit, *fuerunt primò congregati sub Samuele Propheta, & postea sub alijs Prophetis excellentibus.* Idem ferme Vvaldensis noster *in doctrinali fidei lib. 3. artic. 1. cap. quarto.* Abulensis 4. *Reg.* 2. *q.* 9. Trithemius *de laudibus Carmelitarum capit.* 3. Torniellus *sub anno* 2545. *n* 14. & in impressione Antuerpiensi etiam *sub anno* 3139. §. 2. Salianus *sub anno* 3127. *n.* 23. clarissimè *sub anno* 3124. *num.* 10. inquiens: *Hæc ferè fuit occupatio eorum, qui filij Prophetarum dicti, pridem sub Samuelis disciplina vixerant.* Sanchez *in tertio Regum* 17. *n.* 7. & 8. Cum ijs ergò priscis Ordinis Prophetici alumnis, alijsque de nouo adiunctis, Elisæo videlicet, Iona, & Michæa, de quibus *sub anno* 3127. dicemus, vitæ monasticæ & eremiticæ ac qualitercumque religiosæ *per obseruantiam trium votorum, obedientiæ, castitatis, & paupertatis,* qualia (vt dixi) in eo statu esse fas fuit, fundamenta iecit; vt discurrenti per singula liquidò innotescet.

Qui ipsius discipuli.

6 Eliam enim, Elisæum, & alios Eliæ discipulos obedientiam, paupertatem, & castitatem obseruasse, ex quo simul Capitis intentum (videlicet quòd Elias eorum Princeps Ordinem Propheticum in aliqualem Religionem instituerit) clarè elicietur; pluribus demonstrare possumus. Primò testimonio Ioannis Ierosolymitani, qui id expressè docet *lib. de Institut. Monachorum, præsertim capit.* 23. & 4. & 5. (de cuius libri auctoritate *infra cap.* 9. erit sermo) vbi ex illis verbis à Deo Eliæ dictis 3. *Reg.* 17. *v.* 3. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in Torrente Carith, &c.* hunc viuendi modum à Deo ipsi reuelatum fuisse ostendit. Et c. 10. 11. 16. ac 21. vbi ipsius discipulos secundùm hanc formam à Deo ei traditam ab eo instructos, & eruditos fuisse affirmat. Cui auctori maximè quoad hoc fidendum, cùm ex traditionibus tum Hebræorum, tum coëremitarum Carmeli, cum quibus iugiter conuersatus fuit, illud accepisse procul dubio credatur. Secundò ex testimonijs S. Hieronymi, & aliorum Patrum, quos cap. sequenti afferemus, qui-

An vota obseruauerint?

bus asserunt Eliam, Elisæum, & filios Prophetarum monachos veteris Testamenti, vel Principes aut Duces monachorum fuisse. Non enim ratio monachi, aut monachatus stare potest sine Obedientia, Paupertate, & Castitate. Quo argumento Suarez *to. 2. in 3. p. disp. 24. sect. 6. §. Quaret verò* probat S. Ioannem Baptistam virginitatem vouisse, quia (vt inquit) id *indicant Patres, cùm dicunt Ioannem monasticam vitam egisse, ac monachorum Principem fuisse*. Tertiò similiter ex testimonijs etiam inferiùs referendis eorum Patrum, & Doctorum, qui eos appellant Religiosos; cùm enim sine aliquali obseruantia istorum ratio Religiosi subsistere non valeat, consequenter ij, qui eos Religiosos credunt, in ea obseruantia vixisse credere existimandi sunt. Quartò ex his, quæ suis locis afferemus de Rechabitis, & Essenis, probantes eos in obseruantia Obedientiæ Paupertatis, & Castitatis vixisse: ij enim omnes, vt eo loci ostendemus ab Elia, Elisæo, & filijs Prophetarum traxerunt originem quoad formam saltem vitæ quadamtenus Religiosæ. Propterea enim Doctor Bartholomæus Medina 1. 2. q. 108. ar. 4. §. *Vt tamen.* inter eos, qui Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem in lege veteri obseruabant, filios Prophetarum recenset. Quod & testatur alter eiusdem Instituti egregius professor, & doctrina celebris Dominicus Grauina, qui in libro, cui titulus, *Vox turturis, part. 2. c. 5.* hæc de Carmelo, eiusque incolis Elia, & alumnis scribit: *Mons verò celeberrimus, in quo fructuosus ille palmes Elias commoratus, solitariam ab hominum consortio semotam professus est vitam, quem primum colendæ virginitatis authorem Patres, & Doctores appellant, obedientiæ, & paupertatis prototypum, quem Principem monachorum Hieronymus vocat cum Elisæo, cum filijs Prophetarum, qui habitabant in agris, in solitudine, & ædificabant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis.* Hæc ille.

De Obedientia. 7 Specialiter de Obedientia quoad ipsum Eliam id suadet idem Ioannes *præfato lib. c. 9.* de eo dicens: *Qui semetipsum prorsus abnegans, & voluntati propriæ abrenuncians semper, Superioris, id est, Dei voluntatem prorsus secutus fuit, quemadmodum de eo scriptum est:* Abijt quocunque eum ferebat voluntas, *scilicet Dei*. Quod etiam probat perfecta Dei sequela, quæ sine dubio in tam perfecto viro fuit; hæc enim (vt habet Bellarminus *lib. de monachis c. 21.*) in perfecta obedientia consistit. Vnde Grauina relatus eum *Obedientiæ prototypum* appellat. Quo facilè conuincitur, eo modo, quo in supremo Ordinis capite obedientia potuit esse, in Elia fuisse. De Elisæo autem id probat illud 3. *Reg. 19. v. 21. Secutus est Eliam, & mini-*

& ministrabat ei, tanquam Patri scilicet & Superiori. Quod & indicat illud: *Osculer ore patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te*. Vt enim Abulensis *in* 3. *Reg.* 19. *q.* 24. habet: *Petiuit licentiam, quia putauit quòd non poterat iam aliquid agere contra præceptum Eliæ*. Consonat & Salianus *sub anno* 3127. *num.* 25. dicens: *Postulatio hæc significat iniectam à Deo nouo Prophetæ necessitatem sequendi Eliam: nam si id sibi liberum putaret, non peteret ab Elia quasi à Magistro, ac Domino suo veniam salutandi parentes*. De alijs quoque Prophetarum filijs, seu discipulis id acutè ostendit, vel ex ipso nomine filiorum Prophetarum Ioannes præfatus *dicto lib. c.* 11. dicens, ex eo hoc nomen habere cœpisse, cùm antea non filij Prophetarum, sed Prophetæ appellati essent; quia *Prophetarum huius Religionis erant discipuli, & in prophetica disciplina sub regimine ipsorum tanquam Patrum suorum*. Obedientiam autem præstasse Eliæ, & Elisæo hos filios Prophetarum maximè probat Sacra Scriptura, vt intuenti patebit 4. *Reg.* 2. 4. & 6. & in his locis notant Nicolaus de Lyra 4. *Reg.* 2. Abulensis *ibid. q.* 11. 30. & 31. Gaspar Sanchez 4. *Reg.* 6. Pro quo maximè expendenda sunt verba Lyrani dicto loco. Explicans enim illud 4. *Reg.* 2. *v.* 15. vbi dicitur: *Adorauerunt*, scilicet filij prophetarum, *eum*, videlicet Elisæum, *proni in terram*. Subiungit ipse: *Adoratione Duliæ tanquam superiorem suum, eo quòd esset substitutus loco Eliæ, sub cuius regimine vixerant*. Et Caietanus ibidem: *Honoris signum tanquam nouo Patri loco Eliæ exhibuerunt*. Plura ad intentum habet Abulensis 4. *Reg.* 2. *q.* 31. quæ nos alibi expendemus. Sed Francisci Somnij verba *in lib. demonstrat. Euangelic. c.* 2. ad intentum aptissima non prætermittemus: *In hac* (inquit) *perfecta obedientia filij itidem Prophetarum illustres facti sunt in Scripturis, quòd abnegata propria voluntate subderent se per omnia vnius obedientiæ, qui in Spiritu Prophetico cæteris clarior erat, idque in admiranda rerum indigentia, & vitæ abstinentia, vt legere est* 4. *Reg.* Pulchra etiam ad idem propositum Arboricensis *de tuendo sacr. cælibat. to.* 2. & alij, de quibus infra.

8 De paupertatis obseruantia quoad Eliam ipsum, id satis probat Ioannes Ierosolymitanus dicto lib. præsertim *cap.* 9. dicens: *Recessit nutu Dei de terra & de cognatione sua, & de domo patris in solitudinem, relinquens de cætero mundanas diuitias, non solùm mente, sed etiam opere*. Chrysostomus *lib.* 3. *de prouidentia*, dum ait: *Nihil illi terrenum præter melotem erat*. & *hom.* 2. *ad popul. Antiochen.* sic: *Quid enim, dic mihi, Elia pauperius?* & infra: *Ipsam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit*. Grauina etiam relatus eum *paupertatis pro-* De paupertate.

E 2 *totypum*

totypum vocat. Alia quoque inferiùs. De Elisæo etiam id comprobat illud *3. Reg. 19.* iam relatum: *Statim relictis bobus cucurrit post Eliam*, quod est idem ac omnia reliquisse, seu repudiasse, sicut Christi Apostoli fecerunt, & veri Religiosi faciunt, prout indicant Abulensis *ibid. quaest. 23.* & Gaspar Sanchez *num. 67. & 68.* Clariùs idem Abulensis *4. Reg. 6. v. 32.* in illud Elisæi, *sedebat in domo sua*, ait: *Verisimile est quòd non erat sua, quia ipse erat pauper, & non habebat, nisi ea quæ sibi dabantur ad sustentationem*. Vnde Salianus *sub ann. 3144. n. 9.* non solùm ipsius paupertatem commendat, sed & eam fuisse voluntariam probat, *quòd cùm valeret gratia apud Regem, & militiæ Principem, adeo vt etiam alteri impetrare posset quod liberet, Sunamitis tamen charitate vti, & eleemosynis viuere voluit. Quòd constanter repudiata Naamani munera, quæ gratitudinis nomine accipere potuisset, nonne voluntariam paupertatem clamant*. Et *sub anno 3145. n. 6.* subiungit ex Theodoreto: *Chorus Prophetarum extremam amplectebatur paupertatem*. Et tam de ipsis, quàm de filijs Prophetarum, de quibus Somnius relatus supra *in admiranda rerum indigentia* illustres fuisse. Id probat illud Pauli *ad Hebræos 11.* vbi illos, *qui circuierunt in melotis*, quæ erat propria ipsorum vestis, vocat etiam *egentes*. Quod exponit S. Tho. ibi *lect. 8. quia carebant diuitijs*. Vnde Ioannes Hieronymus Sopranis *Digress. 1. de re v. st. [illegible] ria Hebræor. §. 2.* melotarum vestem propriam esse pauperum d[illegible], qualis fuit Elias egenus, & angustiatus, qui (vt inquit) *[illegible] rum inopia laborabat*. Bellarminus etiam *lib. 2. de Monach.* [illegible]: *Habemus deinde in eodem Testamento veteri Eliam, Elisæum, & filios Prophetarum sine vxoribus & diuitijs in [illegible]*. Abulensis etiam *4. Reg. 6. q. 4.* de filijs Prophetarum signatim loquens d[illegible]: *Quasi nihil habebant, nisi ea quæ sibi à populo dabantur*. Consonat & Salianus dicto *n. 9.* dicens: *Eandem verò fuisse cæterorum Prophetarum vitæ rationem idem Theodoretus affirmat, & Giezi pœna significat*. Vide & alia quæ dicimus *sub ann. 3144. & 3145.*

De Castitate. 9 De castitate, seu virginitate id etiam quoad Eliam comprobat præfatus Ioannes Ierosolymitanus *dicto libro*, præsertim *cap. 9.* vbi non solùm castitatem obseruasse, sed primum inter homines fuisse, qui virginitatem perpetuam propter Deum coluerit, sic affirmat: *Crucifixit carnem suam cum concupiscentijs, mortificans membra peccati, quæ sunt super terram, fornicationem, libidinem, immunditiam, & concupiscentiam malam, altiori quodam modo antecessoribus suis; quoniam vt per puritatem castitatis, & incorruptionem suæ carnis æquaretur Angelis ad conuersationis imitationem, seipsum (propter Deum)*

virgini-

virginitate perpetua primus hominum sponte decorauit. Fauet & veneranda Patrum cohors. Etenim Eliam virginitatem, vel castitatem coluisse tenet Ignatius Martyr *in Epistola ad Philadelph.* sequitur S. Ephrem Syrus *exhortat. 1. ad Monachos to. 2. & sermo. de transfiguratione*. Habet & id Hieronymus *ad Eustochium*, dicens: *Virgo Elias, Elisæus virgo, virgines multi filij Prophetarum*. Item Chrysost. lib. *de Virginitate*, Ambrosius *de Virgin. l. 1.* Adelmus, seu Altelmus pergrauis & vetustus Pater *lib. 1. de laud. Virg. in 8. to. Bibliotheca noua*. Habet & Isidorus, *lib. 2. de offic. Ecclesiast. cap. 17.* Cassian. *lib. 2. de Institut renunc. c. 1. & lib. 6. de spiritu fornicat. c. 4.* S. Tho. *in 4. dist. 49. q. 5. ar. 3. quæstiunc. 1. ad 3.* Gloss. ordinaria in *Ierem. 35.* & plures alij in tam copioso numero, vt Gaspar Sanchez *3. Reg. 17. n. 6.* dixerit, *Virginitatem coluisse perpetuam communis est veterum Patrum, constansque sententia*. Et Grauina relatus: *Quem primum colendæ virginitatis auctorem Patres, & Doctores appellant*. De Elisæo autem, & alijs filijs Prophetarum id asserunt Ignatius Martyr, & Hieronym. relati qui rectè dixit: *Multi filij Prophetarum*. Quia non omnes castitatem seruabant, sed vxores plerique ducebant, vt videbimus suis locis. De ipsis autem Elia, & Elisæo, & filijs Prophetarum idem affirmant Bellarminus *lib. 2. de Monach. c. 5.* Suarez *to. 3. de Relig. lib. 3. c. 1. n. 6.* Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap. 6. sect. 8.* Cornelius *in 3. Reg. 17.* Quòd autem Elias primus, & Antesignanus cum cœtu ipsius fuerit in hac virginitatis perpetuæ obseruantia, prout Ierosolymitanus dixit, constat ex eo quòd alij quotquot eximiæ etiam sanctitatis viri ipsum præcessere, vxores duxerunt, & filios generarunt. Hi sunt Enos, Henoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Iob, Moyses, Aaron, Eleazar, Phinees, Samuel, Dauid, &c. omittimus alia, de quibus in sequentibus, pro huius intenti confirmatione.

10 Hæc autem Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis obseruantia in Elia, Elisæo, & ipsorum discipulis non temporalis, sed perpetua, id est, non ad aliquod tempus modicum, sed vsque ad vitæ limitem fuit. Quod de Elia quoad virginitatem ex communi, constantique sententiâ veterum Patrum retulit Gaspar Sanchez citatus, quem sequitur Cornelius relatus; & de Elia, Daniele, Ieremia, & tribus pueris habet Claudius Espincæus *lib. 1. de continent. c. 1.* & de Elia, & Elisæo approbat Serarius *in Tribæresio lib. 3. c. 9.* De Elisæo id satis suadet Abulen. *3. Reg. 19. q. 23. & 26.* asserens sequendo Eliam non curasse *vacare negotijs secularibus*, recessisse ab amicis, & cognatis, ita vt non esset *amplius rediturus ad statum illorum*, De perpetua obseruantia istorum.

 quo

quo denotat transisse ad diuersum statum, hoc autem non fit nisi per iugem conuersationem. Idem etiam elicitur ex modo loquendi quorundam Patrum, qui Eliam, & aliquot alios ex Prophetis nedum virgines, sed Deo sacros, seu sacratos virgines, vel virginitatis sacræ aut sacratæ auctores credunt. Hic enim loquendi modus, iuxta Ecclesiæ vsum, solùm adaptatur perennem virginitatem colentibus. Hos porrò Patres, *num. sequenti* referemus. Præterea, tam de ipso Elia & Elisæo, quàm de eorum discipulis, filijs videlicet Prophetarum (vltra dicenda suis locis de Rechabitis, & Essenis, qui ex illi erant) confirmari potest ex S. Thoma, *2. 2. quæst. 152. ar. 3. ad 4.* vbi inquit, quòd *virginitas secundùm quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis perpetuò seruandæ.* Cùm ergo horum Prophetarum virginitas procul dubio virtus fuerit, quis hoc neget? erit etiam *integritatis perpetuò seruandæ.* De ea autem, & alijs obseruantijs clarè id habet Ioannes Ierosolymitanus, *in lib. relato cap. 9.* de illis inquiens: *Ipsi namque primi virorum seipsos Deo per virginitatem spontè dicantes, &c.* & *cap. 10. in principio,* dicens: *Elias in monastica vita eremitica, quam primus hominum à proposito inchoauerat, successores post se in perpetuum relinquere disposuit.* & *cap. 19. Ad sui, & discipulorum iugem mansionem elegit Carmeli montem tanquam commodiorem ad propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo edocendam, & exercendam.* Et *cap. 20. Ad continuam autem residentiam in Carmelo semper faciendam Elias montem hunc deuotiorem suis discipulis reddidit.* Clariùs *c. 21.* vbi de Eliæ discipulis inquit: *Religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis & cauernis atque cellis continuò, & incessanter duxerunt.*

An ex voto aliquali?

11. Quòd autem Elias, Elisæus, & alij Prophetarum, & discipuli, seu filij nuncupati Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem ex aliquali voto obseruauerint, prout ad Religionis status normam necessariò exigitur, attenta tamen veteris legis imperfectione, roborandum restat. Primò de Elia, & castitate ipsius (quia in hoc est præcipua difficultas) quia illum referunt Tertullianus, *libro de monogamia c. 8.* Epiphanius, *Heresi 58. & 63.* Ioannes Ierosolymitanus, *de Instit. monach. c. 34.* Anastasius Sinaita, *in quæstionibus sacræ Scripturæ q. 66. in 6. to. Biblioth.* Robertus Arboricensis, *to. 1. de cælibatu.* Franciscus Somnius, *in demonstrationibus tractatu duodecimo cap. 5.* & alij plures inter spadones, eunuchos, seu illos, qui semetipsos spontaneè castrauerunt, *propter regnum cælorum.* Eos autem esse illos, qui virginitatem, seu castitatem ex aliquali voto obseruant, dicemus *sub annis* 3341. & 4086. ex communi ferme Patrum,

De Elia.

trum, & Expositorum sententia. Secundò, ex eo quòd Patres ipsum Eliam virginem consecratum, aut dedicatum, vel virginitatis sacræ, aut sacratæ auctorem agnoscunt. Quo denotatur virginem ex præfato voto fuisse; votum enim est, quod Deo sacrat, seu dedicat rem? sic enim Sanctimoniales nostræ ob votum Deo sacræ, aut dicatæ stylo Ecclesiæ dicuntur. Hi porro sunt Ierosolymitanus, *c.* 9. sui libri, *num. præcedenti* relatus: Isidorus 2. *lib. Offic. cap.* 17. vbi sic: *Quæ sit sacra virginitatis integritas, vel à quo tam sancti propositi studium sit exortum, breuiter intimabo. Quantum enim attinet ad vetus Testamentum, Elias, Ieremias, & Daniel castitatis, & continentiæ bono primi studuisse noscuntur.* Adelmus, seu Altelmus, *in lib.* 1. *de laude virgin.* vbi sic carmine loquitur:

Elias vates, quem terna volumina Regum
Insignem memorant virtutum, &c.
Virgo sacer fuerat, fama per secula notus.

Vnde ex recentioribus Thomas Ferrarius Iesuatus Bononiensis, *in histor. Imagin. Beatiss. Virgin. Mariæ nuncupatæ* Del monte de la Guardia, *c.* 1 expressè ait, Eliam ad honorem Dei Genitricis emisisse votum in Carmelo virginitatis perpetuæ, quo totum quod intendimus, corroboratum videmus. Deinde Eliæ paupertatem quadantenus ex voto firmatam sufficienter probat D. Isidorus, *lib.* 2. *de offic. cap.* 15. vbi loquens de paupertate monastica, quæ (vt apud omnes in confesso est) voti vinculum includit, dicit quòd auctores illius fuerunt, *Elias, & discipuli eius Elisæus, siue filij Prophetarum.* De obedientia verò Eliæ, eo modo quo in primo Patriarcha Instituti monastici esse potuit, sufficienter suadetur ex præiacto vtcumque voto etiam fuisse, tùm ex dictis, *supra num.* 7. tum ex dicendis, præsertim quòd ipse sit omnium Monachorum Pater, iuxta dicenda, *cap. sequenti*. tum denique ex maxima viri sanctitate, ex qua nihil, quod ad perfectionem augendam conduceret, ignorasse, vel neglexisse suspicari debemus. Pro quo valde iuuat pulchra doctrina Bellarmini Cardinalis, *lib.* 2. *de Monachis cap.* 21. vbi sic: *Perfecta sequela Domini, quæ in abnegatione sui ipsius, id est, in perfecta obedientia consistit, necessariò includit votum, quo quis ita seipsum abneget, vt non possit retrocedere. Non enim est perfecta abnegatio sui obedire alteri ad tempus.* Ex qua, vt supra *num.* 7. cœpimus dicere, tale deducitur argumentum: Certum est, & apud omnes indubitatum, Eliam virum perfectissimum fuisse: egregia enim ipsius gesta, & miracula, & quæ in fine mundi facturus est; id sufficienter ostendunt. Atqui perfectio humana consistit in sequela Domini, iuxta

illud

illud Christi *Matthei.* 19. *vers.* 21. ad adolescentem: *Si vis perfectus esse &c. sequere me*. Et perfecta sequela Domini, vt Bellarminus dixit, *necessariò includit votum* obedientiæ; hoc ergo fuit in Elia. Nec incongruè idem aliqui ex nostris eliciunt ex Eliæ Nazaræatu, de quo infra *cap.* 7. *num.* 10. *& sub anno* 3124. Nazaræos namque hoc votum habuisse ex *Numer.* 30. iuxta septuaginta Interpretum versionem; accedentibus Origine *Homil* 24. *in Numeros*. D. Augustino *quæst.* 56. Abulensi *quæst.* 2. & Vvaldensi nostro, *tom.* 1. *lib.* 3. *art.* 2. *cap.* 23. satis colligitur. Secundò de Elisæo, & quoad castitatem, quia prædictus Epiphanius *hæresi* 63. & S. Ephrem *in responsione quadam circa illud: Melius est nubere, quàm vri*. Arboricensis, & Somnius relati, eum quoque referunt inter spirituales eunuchos, qui *propter regnum cælorum se castrauerunt*. Vnde Thomas Ferrarius relatus Elisæum quoque virginitatem vouisse scribit. Quoad obedientiam id probatur ex loco iam adducto ex 3. *Reg.* 19. *vers.* 20. Postquam enim ad Eliæ contubernium admissus est, postulauit ab eo licentiam salutandi parentes. Hæc enim licentiæ postulatio, vt colligitur ex Abulensi *ibid. q.* 24. *&* 26. ac ex Saliano, *sub anno* 3127. *num.* 25. arguit se agnouisse legibus obedientiæ astrictum ad non faciendum aliquid contra voluntatem Eliæ. Vnde Abulensis: *Putauit Elisæus, quòd non poterat iam aliquid agere contra præceptum Eliæ*. Illud etiam præceptum ab Elia ipsi intimatum, *Reuertere*, idem valet (eodem Abulensi teste) ac *si non veneris aut moratus fueris, peccabis*. Quæ manifestè obedientiæ ligamen indicant. Consonant Lyran. & Dionys. in 3. *Reg.* 19. dum aiunt Elisæum voluisse *omnino, & inseparabiliter adhærere Eliæ*. Hæc enim etiam obedientiæ votum, aliquale saltem, subindicant. Idem insinuat Nazaræatus Elisæi iuxta superiùs dicta. Quoad paupertatem verò id asserit expressè Sanctus Isidorus *lib.* 2. *Offic. c.* 15. iam relatus. & colligitur ex D. Ambr. *lib.* 1. *de offic. c.* 30. vbi dicit ideo boues occidisse, quando ab Elia vocatus est, vt *nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticam daret*. Hæc enim votum aliquod indicant, sicut illa de Apostolis Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, iuxta communem expositionem. De omnibus autem votis, nexibus, aut ligaminibus (modo dicto) Religionis id satis exprimit Sanctus Hieronymus Ecclesiæ iubar *epist.* 28. quæ est ad Lucinium asserens: *Elisæus boues & iuga prioris operis vertit in vota*. Quæ vota? sanè non alia nisi Religiosis similia; & instar ipsorum. Et Hugo Cardinalis in *cap.* 9. *Luc.* explicans enim illud: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, &c.* inquit: *Elisæus in aratro coxit*

De Elisæo.

carnes, mactauit boues, id est, Religionis votum fecit. Accedit quoque & Abulensis 3. *Reg.* 19. *q.* 23. & 26. asserens ipsum in sequela Eliæ recessisse ab amicis & cognatis, non reuersurum ad statum illorum; quemadmodum Apostoli Petrus & Andreas, Iacobus, & Ioannes, ac Matthæus sequuti sunt Christum. Constat autem apud Theologos, Apostolos sequentes Christum veros Religiosos fuisse, ac tria vota Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis emisisse. Elisæus ergo ipsorum præuius, quoad decuit, æmulator fuit. Vnde Gaspar Sanchez 3. *Reg.* 19. *n.* 66. de vocatione Elisæi mediante Eliæ pallio loquens apposite inquit: *Iniecto itaque pallio in suam sibi societatem adscribit, quasi eiusdem secum Instituti participem. Vnctia igitur fecit Prophetam Elisæum, pallium autem contubernalem, & Monachum*. Aptè quoque Salianus *sub anno* 3144. *n.* 8. ad intentum. Ex eo enim quòd Elisæus 4. *Reg.* 4. viginti panes hordeaceos sibi oblatos in commune contulerit contubernium, non modò paupertatem spontaneam ipsius, sed & vitæ communis sectatorem fuisse, adinstar Religiosorum legis nouæ, sic infert: *Acceptum munus Elisæus in communem impendit vtilitatem; erat enim eis mensa communis, vt Religiosis viris, nec Elisæus sibi proprium habere voluit, paupertatis studio repugnante*. Tertiò de filijs Prophetarum idem conuincitur, tum exemplo parentum suorum Eliæ, & Elisæi, quibus dissimiles in hoc fuisse sine fundamento dicetur; tum ex eo quòd ipsos *Monachos* appellant S. Hieron. in epist. *ad Rusticum*. Isidor. *loco relato*. Rupert. *lib.* 3. *in Cant.* 4. & plures alij. Quibus fauent Somnius *in demonstration. Euang. c.* 20. Arboricensis *to.* 2. *de Sacro cælibatu*. & Carthagena *to.* 4. *homil. lib.* 17. *hom.* 2. *obiect.* 7. asserens etiam *tria vota substantialia Religionis emisisse*. Tum etiam ex eo quòd illorum vnus Giezi ab Elisæo lepra percussus veluti proprietarius fuit ob accepta munera à Naamano Syro, iuxta dicenda *sub anno* 3150. Vnde ipsius peccatum comparat peccato Ananiæ, & Saphiræ (qui etiam proprietarij fuerunt) Cassian. *lib.* 7. *de Spirit. Philargyæ c.* 14. & 30. & inter proprietarios ipsum recenset. Coria *in Chronic. Carmelit. lib.* 1. *c.* 7. Colligiturque ex doctrina Bellarm. *lib.* 2. *de Monach. c.* 20. & Suar. *to.* 3. *de Relig. l.* 8. *c.* 2. *n.* 17. dum de eisdem Anania & Saphira loquuntur, & indicant Carthagena *to.* 4. *l.* 17. *hom.* 1. & Salian. *sub ann.* 3144. *n.* 9. & præcipuè *in Epitome anni* 3145. vbi non solùm præfatos filios Prophetarum *Religiosos* appellat, sed eos Deo paupertatem promisisse confitetur. Tum etiam ex ijs quæ in discursu Operis de ipsis afferemus. Tum denique ex ijs, quæ de Rechabitis, & Essenis, qui omnes filiorum Prophetarum soboles erant, in discursu

De filijs Prophetarum.

discursu etiam huius Tomi, maximè *sub annis* 3159. & 3545. afferentur, vbi ipsos trium votorum ligamine (eo scilicet modo quo illa in tali statu esse poterant) astrictos vixisse ostendetur. Sed specialiter ex Concilio Senonensi *in decreto* 9. *de votis monasticis*, id corroboratur. Ibi enim Concilium hoc inter eos, qui vota in lege veteri emiserunt, Rechabitas recenset. Rechabitæ autem ex filijs Prophetarum erant, & discipuli Elisæi, vt dicimus suo loco. Verba porrò Concilij Senonensis cum Religiosis loquentis sunt hæc: *Si quis votum aliquod huiuscemodi voverit Domino, etiamsi perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum suum, sed Deipara Virginis, Anna Samuelis matris, & Rechabitarum exemplo, omne quod promiserit, implebit*. Quartò tam de Elia, quàm de Elisæo, & filijs Prophetarum id suadet, quod diximus de perpetua obseruantia harum virtutum. vt enim pulchrè S. Thomas 2.2. *q.* 186. *art.* 6. *ad* 2. *Non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem*. Quia vt bene Suarez 3. *to. de relig. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 2. inquit: *Cùm hoc sit de re valde difficili, & de se non necessaria, sed voluntaria, nisi aliquo morali vinculo firmata sit, facilè fluctuabit*. Vnde, vt ait idem Suarez *dicto to.* 3. *lib.* 8. *c.* 2. *n.* 14. *ex ijsdem locis, & verbis, quibus Christus Dominus paupertatem consuluit, votum hoc etiam consuluisse colligendum est. Quia si paupertatem consuluit, ergo & perpetuitatem eius, ergo & immobilitatem seu firmitatem, propter quam votum adhibetur*. Si ergo hi Sancti Prophetæ totam vitam suam Deo exhibuerunt in obseruantias Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, vt diximus, id fuit ex aliquali voto. Hoc enim argumento Suarez *to.* 2. *in* 3. *p. disp.* 24. *sect.* 6. §. *Quarto verò.* probat Ioannem Baptistam voto emisso virginitatem obseruasse, quia scilicet *vitam cælibem, ac solitariam perpetuò agere decreuit*. Quæ ratio eandem vim habet in Prophetis nostris. Denique quintò vrgentissima, ac moraliter euidenti ratione superiùs tacta id roboratur. Cùm enim certum, & indubitatum sit Eliam, & Elisæum, & Prophetarum plures filios Sanctissimos viros, à Deo illuminatissimos, & perfectionis studiosissimos fuisse, vt vel eorum egregia facta, signa, miracula, & prophetiæ in S. Pagina expressa manifestant; constat etiam lumine naturali fide instructo (quod non nisi temerè, & sine fundamento asseri potest eos ignorasse) opus bonum quodcunque fieri melius, Deo gratius, & magis meritorium, si ex voto fiat, quàm si sine illo, procul dubio euidenter credibile sit, Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem, quam obseruabant, aliquali voto facto firmasse; cùm in hoc nulla implicatio, nulla indecentia, nullumue inconueniens reperiri possit. Quin imò maximè

Pulchra S. Thomæ doctrina.

Rectè etiam Suarez.

maximè id decens videatur, vt isto modo propositum ipsorum immobilius esset, & Deo gratius. Qua etiam ratione vtitur Suarez loco relato ad probandum cœlibatum Ioannis Baptistæ voto firmatum fuisse, *vt & immobilius* (inquit) *esset, & Deo gratius*. Eodem etiam argumento Ouandus *in 4. dist. 3. propos. 8. de Matrim. Mariæ & Ioseph*. & Costerus *in Euangel. totius anni in Domin. c. post Natiuit.* probant in lege veteri fuisse votum Castitatis. Hoc tamen non de omnibus, aut singulis, sed de aliquibus illorum affirmandum credimus, non solùm quia vt *sub anno 3140.* dicemus, quidam illorum vxorati erant, sed etiam quia vt perdoctè Vvaldensis noster *in doctrinali fidei lib. 3. art. 1. c. 1.* dixit: etsi tria vota essentialia in omni Religioso perfectè reperiantur, *non sic tamen* (inquit) *antiquitus dum Religio infans erat, sed alij quædam, alij vnum, alij vniuersa seruabant*. Solùm ergo de aliquibus ipsorum sermo nobis est. De virisque autem loquitur Abulensis 4. *Reg. 6. q. 1.* dicens: *Erant filij Prophetarum coniuncti viuentes conuentualiter per diuersa collegia, & ibi vacabant laudibus Dei, & vita religiosiori, quàm cæteri homines* (quia scilicet vota necessaria modo exposito emittebant) *& cùm in istis erant aliqui non filij Prophetarum* (quia scilicet non emittebant talia vota) *qui erudiebantur ab eis in doctrina legis, & in rectitudine morum. Horum habebat curam Elisæus, & ipse Elisæus, vt communiter manebat in locis, vbi erant talia Collegia*. En vtrorumque discrimen.

12 Meritò propterea plures, ipsique graues auctores præfatos Prophetas aut illos sub Samuele institutos, ex quibus ij erant, Religiosos appellant. Quod (vt diximus) sano modo, & sine præiudicio legis Euangelicæ accipiendum. Hi sunt Ioannes Ierosolymitanus *in lib. relato*, præsertim *cap. 21. 22. 23. 24. & 25.* Satis indicat S. Thomas *2. 2. quæst. 187. art. 6.* loquens de Elia, & alijs. Et eadem *quæst. art. 2. ad 3.* loquens de Elisæo, cuius verba inferiùs expendemus. Lyranus *1. Reg. 10. & 4. Reg. 2.* ex Rabbi Salomon, quem ibi refert: Hugo Cardinalis *1. Reg. 10.* Dionysius Carthusianus *ibidem* ex Petro Comestore *in Histor.* quem etiam ibi refert. Vvaldensis *tom. 1. l. 3. art. 1. c. 4.* Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi 4. par. consid. 53.* Abulensis *1. Reg. 19. quæst. 31. & 4. Reg. 2. quæst. 13.* Guillelmus Einsengrineus *in Histor. Ecclesiast. Centur. 1.* Nicolaus Boherius *tom. 3. tract. Doctor. par. 2. fol. 433.* Paulus Morigia *in Histor. de origin. Religion. c. 30.* Valderama *in Theatro Religion. in serm. S. Eliæ*. Gaspar Sanchez *4. Reg. 17. num. 7. & c. 19. num. 66. & 68.* Salianus *in Annalibus anno 3133. n. 2.* & *anno 3139.*

Vocantur Religiosi, & qualiter.

sæpiùs

sæpiùs. Antonius Fernandez *in lib. de vision. veteris Testam. vis. 9.* Alcazar *in Apocalyps. c. 11. vers. 3.* Honuphrius Saltus *in vita S. Honuphrij c. 18.* vbi prædictos Prophetas nedum *Religiosos*, sed & *fratres* appellat. Qui verò specialiter ex Patribus, Doctoribus, & alijs auctoribus ipsos *Monachos* vocant, sequenti capite adducentur. Illud in præsenti non prætermittendum, non obscurè indicari Prophetas, & ipsorum successores in lege veteri *Religiosos* quadamtenus appellari posse, ex eo quòd *Daniel. 3. vers. 90.* tres illi pueri Ananias, Missaël, & Azarias in fornacem missi Deo iubilantes dicebant: *Benedicite omnes Religiosi Domino Deo Deorum, laudate, & confitemini.* Si enim vox, *Religiosi*, proprijssimè sumatur, vt expedit, nostrum intentum confirmare videtur. Vbi obiter Vvaldensis noster *tom. 1. lib. 3. art. 1. cap. 4.* notat ideo in fine hymni positos Religiosos fuisse, *vt daretur intelligi tales quosdam Sanctos fuisse, alios à Sacerdotibus templi, & à vita, & à conuersatione populi segregatos, qui quamuis ab antiquo fuerint instituti, nunquam tamen fuerunt vsque ad Eliam publicè & regulariter congregati.*

Quid S. Thomas. 13 Specialiter S. Thomæ Doctoris Angelici auctoritas, vtpote quæ tanti ponderis in Ecclesia Dei est, vt ad ipsam tanquam ad Lydium lapidem Theologica cuncta probari debeant, accuratiùs hac in re consulenda. Ipse ergo 2. 2. *quæst. 187. art. 2.* dum quæreret, vtrum *Religiosis liceat sæcularia negotia tractare*; sub distinctione respondens concludit *in solut. ad 3.* dicendo: *Adire palatia propter pias causas competit Religiosis; vnde dicitur 4. Reg. 4. quòd Elisæus dixit ad mulierem: Numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, vel Principi militiæ?* Quo loco ex eo probat licere Religiosis adire palatia, quia Elisæus id facere promittebat. Si autem Elisæus ex S. Thomæ mente Religiosus vel quodam modo non esset, prorsus futile erat ipsius argumentum; poterat enim illi quilibet obijcere: Quorsum S. Doctor exemplum adhibes Elisæi, qui Religiosus non fuit? Vt ergo S. Thomæ auctoritatem, prout decet, sartam tectam teneamus, oportet dicere eum sentire Elisæum verè Religiosum, vel quadamtenus fuisse. Idem argumentum desumitur ex eadem *quæst. 187. art. 6.* vbi dum quæreret, *Vtrum liceat Religiosis vilioribus vestibus vti, quàm cæteri*, respondet affirmatiuè; idque probat in argumento *sed contra* sic: *Sed contra est quod ad Hebr. 11. Apostolus dicit: Circuierunt in melotis & pellibus caprinis, Glossa vt Elias, & alij, &c.* Probat ergo licere Religiosis vti vilioribus vestibus, quia Elias, & alij sic fecerunt; quod argumentum etiam insulsum esset, nisi dicamus existimasse Eliam fuisse verum veteris legis, &

prout

prout tunc poterat, Religiosum. Fauet eadem 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 8. vbi afferens verba Chrysostomi, quibus etiam Eliam *Monachum* appellat, admittit ipsum monachum fuisse. Fauet & eadem 2. 2. *q.* 152. *ar.* 3. *ad* 4. vbi ait: *Virginitas secundùm quod est virtus, importat propositum voto firmatum integritatis perpetuò seruandæ.* Cùm enim Elias & discipuli ipsius virginitatem perpetuò seruauerint, iuxta dicta supra *n.* 9. *&* 10. adeo vt de Elia (eademque ratio est de discipulis) dixerit Sanchez 3. *Reg.* 17. *n.* 6. *perpetuam coluisse virginitatem communis est veterum Patrum constansque sententia.* Rectè sequitur voto aliquali fuisse firmatam, ac proinde aliquo sensu Religiosum nuncupari posse; accedente etiam obseruantia paupertatis, & obedientiæ ex pari voto, vt *num.* 11. dictum manet. Nec obstant testimonia aliqua ipsius ex 1. 2. *q.* 107. *art.* 2. *&* *q.* 108. *art. vlt. &* *opusc.* 17. *cap.* 4. *ac quodlibet.* 4. *q.* 27. *&* 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. deprompta, in quibus denotare videtur Christum Dominum fuisse primum auctorem Religiosi status, seu consiliorum Euangelij. Hæc enim & similia solùm suadent iuxta dicta in superioribus, Christum fuisse primum exemplar & finem Monastici status in quocunque tempore, imò & primum efficientem cum suis discipulis perfectionis, excellentiæ, & prærogatiuarum ipsius, prout in Euangelica Lege splendescit; iuxta dicta, & dicenda infra n. 22.

14 Meritò quoque propterea Religionis, Monachismique rationem (quod tamen iuxta dicta, & dicenda intelligi debet de Religione & Monachismo, nedum imperfectis, sed carentibus illis prærogatiuis, ac excellentijs ex Christi priuilegio spectantibus ad Legis Euangelicæ Religionem, seu Monachismum) in Lege veteri à tempore Eliæ, Elisæi, & filiorum Prophetarum fuisse, pluribus, nec parum vrgentibus argumentis confirmare possumus. Primò quidem ex dictis; cùm enim iuxta doctrinam Magistri *in quarto dist.* 38. & S. Tho. 2. 2. *q.* 188. *ar.* 2. *ad* 3. quos alij scholastici, Theologi, ac Canonistæ varijs in locis sequuntur, ratio seu essentia status Religiosi aut Monachismi in trium votorum Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis obseruantia consistat; si hæc aliquo pacto fuit in prædictis Prophetis, prout ostensum est in præcedentibus, rectè etiam sequitur in illis fuisse, & ab illis incepisse rationem qualis talis Religionis, & Monachismi. Secundò ex dicendis *cap. sequenti*, ibi enim ex plurimorum tum PP. tum DD. tum aliorum auctorum testimonijs comprobabimus Eliam, Elisæum, & filios Prophetarum veluti Monachos seu Religiosos, quin potiùs Monachorum & Religiosorum omnium Patres, Duces, & Antesignanos appellandos fore:

De monachismo veteris legis.

ex hoc enim clarè deducitur ſtatum Religionis & Monaſticen ab ipſis quadamtenus inchoari debere. Tertiò etiam ex dicendis *capite 6.* vbi etiam ex vetuſtiſſima, & receptiſſima plurimorum auctorum ſcriptis conſignata veluti traditione oſtendemus ipſos ſpecialiter Carmelitani Ordinis, qui modò in Eccleſia viget, Patriarchas, & Principes nuncupari poſſe. Ex eo enim liquidò innoteſcit ipſos vtcunque Monachos, & Religioſos fuiſſe; aliter namque Ordinis Religioſi Principes, vel Patriarchæ appellari nullatenus poſſent. Quartò quoque id conſtabit ex dicendis *ſub anno* 3159. vbi de Rechabitis oſtendemus eoſdem fuiſſe ac filios Prophetarum, & aliquos illorum dicta tria vota modo proportionato Moſaicæ legi obſeruaſſe, ac proinde veteris Legis quaſi Religioſos dici poſſe. Quintò præterea ex his, quæ de Eſſenis *ſub anno* 3545. dicemus; vbi probabitur ipſos ex Rechabitis, & filijs Prophetarum fuiſſe, tria præfata vota etiam ſuo modo obſeruaſſe, ac per conſequens Moſaicæ legis veluti Monachos, & Religioſos iure appellari debere. vnde conſequenter plures probati nominis auctores aliqualem trium votorum Religionis obſeruantiam, aliqualemue ſtatus Religioſi, ſeu Monachiſmi rationẽ in Lege veteri poſt Eliæ & diſcipulorum tempora agnoſcunt, quales ſunt Bartholomæus Caſſan. *in Cathalog. glor. mund. par.* 4. *conſider.* 53. Trithemius *de laudibus Carmelit. c.* 2. Paleonydorus *lib.* 1. *c.* 1. Carthagena *to.* 4. *homil. l.* 17. *hom.* 2. *Obiect.* 7. illis verbis: *Nec mihi vlla ratione perſuadere poſſum, antiquos illos monachos ab Elia Inſtitutos tria vota ſubſtantialia Religionis non emiſiſſe.* Quod & in ſequentibus probat Petrus Valderama relatus. Honuphrius Saltus etiam relatus. Iacobus Boulducus *de Eccleſia poſt Legem c.* 14. §. *Iam ſuperuacaneum.* Ioſephus de Siguenza *in vita S. Hieronymi.* Salianus *ſub anno* 3139. *n.* 12. Ægidius Camartus *de geſtis Eliæ cap.* 6. *ſect.* 8. omneſque Hiſtorici noſtri. Quibus accedunt etiam alij, qui caſtitatis, ſeu virginitatis votum in Lege veteri recipiunt, quales ſunt præter alios infra *num.* 20. referendos Abulenſis *Numeror.* 30. *q.* 12. & 29. Iodocus Clictouæus *to.* 2. *hom.* 2. Franciſcus Coſterus, *in Euangel. tot. anni in Dom.* 1. *poſt Natiuitat.* Lorinus *in Numeror.* 30. *v.* 3. & 4. Ioannes Suarez *in Matth. cap.* 2. *Tract.* 1. & *cap.* 9. *Tract.* 2. Ferdinandus Velloſillus *in Aduertent. Theolog. ad S. Ambroſ. quæſit.* 3. Ludouicus Thena *in conc. de Beatificat. S. Thereſiæ.* Et de S. Ioanne Baptiſta id aſſerit Suarez *to.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 24. *ſect.* 6. Hi porro auctores & alij dicto loco citandi eatenus noſtro inſtituto fauere exiſtimandi ſunt, quatenus dum concedunt in Lege veteri ante aduentum Chriſti Seruatoris, id quod eſt in ſtatu

Auctores.

Alij Auctores

Religio-

Religioſo difficilius, ſcilicet caſtitatis votum, duo alia quæ minoris difficultatis æſtimantur, conſequenter fateri neceſſe eſt, proportione ſeruata, vt diximus, ad illius Legis imperfectionem. Vocamus verò caſtitatis votum difficilius inter tria Religionis ligamina, non vniuerſalius, aut nobilius, quia hoc competit obedientiæ, vt Theologi tenent.

15 Obſtare tamen contra hæc multa videntur. Primum, quòd ex ſacra Scriptura elici videatur diuinum præceptum in Lege veteri extitiſſe de non ſeruanda caſtitate, & per conſequens multo magis de non vouenda. Ideo enim *Exod. 23. v. 26* dicitur: *Non erit infœcunda neque ſterilis in terra tua*. & rurſus *Deuter. 7. v. 14. Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus*. Propterea etiam filia Iephte dum ſe virginem morituram audiuit *Iudic. 11. v. 37.* dixit ad patrem: *Dimitte me, vt duobus menſibus plangam virginitatem meam*. Secundum, quòd communis Patrum videatur conſenſus, quòd primus inter viros Chriſtus, & inter fœminas Deipara Maria Virginitatem ſeruauerint. Origenes enim *in cap. 13. Matth.* ſic: *Virilis quidem* (inquit) *puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Ieſum*. Ambroſius *l. 1. de Inſtit. Virginis cap. 5.* loquens de Maria: *Sacra virginitatis ſignum extulit, & intemerata Virginitatis primum Chriſto vexillum leuauit*. Et *cap. 6.* inquit eam eſſe Virginitatis magiſtram. Epiphanius *hæreſi 87.* Mariam appellat *initium, & Principem Virginitatis*. Auguſt. *tract. 10. in Ioann. à Maria cœpit dignitas Virginum*. Chryſologus *ſerm. 146. Reginam Virginum* eam vocat. Damaſcenus *Reginam Matrem, & gloriam Virginum*. Iſidorus *Virginum caput*. Bernardus *Signum magnum Virginitatis primiceriam*. Idiota *Virginitatis primipilam*. Sophronius *Perfectionis Virginalis exemplum*.

Argumenta in cõtrarium.

16 Tertium, quia ſaltem ex voto virginitatem primò ſeruaſſe, ſeu illam primò vouiſſe, ſpecialis videtur Beatiſſimæ Virginis prærogatiua, ita vt ante ipſam nullus alius, ſiue vir, ſiue fœmina id effecerit. Id enim indicant Patres, quorum aliquos afferunt Suarez *2. to. in 3. p. diſp. 6. ſect. 3.* & Ioannes Baptiſta Nouatus *in l. de Eminentia B. Virginis c. 7. q. 30.* Quartum, quia id videtur pertinere ad ſpecialem dignitatem Eccleſiæ Euangelicæ, vt ante ipſam non fuerit votum virginitatis, nec ſtatus Religionis, imò quòd Apoſtoli fuerint primi Religioſi. Vnde ex illo *Matth. 16. v. 24. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum,* inferunt plures eo loco Religioſum ſtatum Chriſtum conſuluiſſe. Quintum, quia cùm tota Lex vetus figura fuerit Legis Euangelicæ iuxta illud *primo Corinth. 10. v. 11. omnia in figura contingebant illis.* nihilq; fuerit perfectum in illa Lege,

Alia argumenta.

iuxta illud *ad Hebr. 7. v. 19. Nihil ad perfectum adduxit Lex*, contra rationem videtur ponere in illa aliquam rationem Religionis, & non solam figuram ipsius. Eliæ ergo Institutum non Religio, sed figura Religionis fuit. Tandem sextum, quia pari, vel potiori ratione videtur dicendum statum Monasticum, & Religiosum incepisse à tempore Enos in lege naturæ, vel Samuelis in lege scripta, & non à tempore Eliæ. Etenim de Enos dicitur *Genes. 4. Iste cœpit inuocare nomen Domini, quod fuit* (vt plures volunt) *quia vniuersitatem instituit ad veram Dei scientiã docendam*. Vt propterea filij Seth, inter quos vnus erat Enos, appellētur *filij Dei*, id est, Religiosi supra alios cōmuniter viuentes, prout dictum est *c. 1.* De Samuelis etiam tempore iuxta dicta *c. præcedenti* habetur *1. Reg. 10. & 19.* fuisse Cuneos, Conuentus, seu Collegia Prophetarum, id est, virorum Dei cultui consecratorum, quorum primus auctor fuit ipse Samuel, vt Comestor, & Lyranus scribunt, & approbat cum alijs ibidem relatis Salianus *sub anno Mundi 2962. num. 101.* qui etiam *Religiosi* à pluribus appellantur.

Primi solutio. 17 Hæc tamen etsi specie tenus doctrinæ traditæ obstare videantur, reipsa tamen, & enucleatiùs pensata parum vrgent. Primum enim falsò nititur fundamento: nullum enim præceptum in Lege veteri fuit de non seruanda castitate. Ita enim habent non solùm Ignatius, Hieronymus, Epiphanius, Damascenus, Isidorus, & alij Patres in superioribus relati, dum plures cœlibes in ea Lege commendant; sed ex posterioribus Abulensis *in Leuit. c. 30. q. 32.* Sotus *in 4. d. 30. q. 2. ar. 1.* Bartholom. de Medina *3. par. q. 28. ar. 4.* & ibi Siluius, & Suarez *disp. 6. sect. 1.* Vasquez *disp. 124. c. 3.* Angles *in floribus de impedimento erroris ar. 3.* Basilius de Leone *lib. 1. de matrimon. c. 19. n. 2.* Michaël Medina *de sacror. homin. continentia l. 3. c. 46.* Mendoza *quæst. 2. positiua & q. 4. in quodlib.* & quod magis est S. Tho. in *4. d. 33. q. 3. ar. 2. ad 2.* neque oppositum docuit *3. p. q. 28. ar. 4. ad 1.* quia ibi solùm dicit, quod *videbatur*, intellige iuxta mores illius temporis, *lege prohibitum*. Vnde verba illa *Exodi 23. Non erit infœcunda, neque sterilis in terra tua*, solùm continent benedictionem Dei illi populo promissam, si custodiret legem illi datam, & ita immediatè subiungitur: *Numerum dierum tuorum implebo.* quod etiam significat benedictionem longæuitatis. Clariùs hoc cernitur in illo *Deuteronom. 7. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*. subiungitur enim *tam in hominibus, quàm in gregibus tuis*, Quo euidenter denotatur non præceptum (cùm illius capaces non sint pecudum greges) sed benedictionem, aut promissionem Dei illis verbis contineri. Ad illud de filia Iepte facilè respondetur cum Abulensi ibi plan-

planctum ipsius non fuisse, nisi de eo, quòd in tam teneris annis mortem subitura erat, vt vix posset virginitatem suam amisisse. Dato autem quòd ipsa plorasset virginem mori, non ideo erat, quia esset præceptum de non seruanda virginitate, sed quia desiderabat, sicut & totus ille populus, filios procreare, vt Messias desideratus ex semine suo nasceretur. Addendum est secundùm plurium opinionem (quæ si vera esset, suo se gladio aduersarij iugularent, dum hoc argumento filiæ Iepthe virginitatem in lege veteri odiosam fuisse probare nituntur) mortem quam Iephte filiæ propriæ intulit, corporalem non fuisse, sed spiritualem, & ciuilem, eam videlicet cogendo, vt in fœminarum Collegium, seu contubernium virginitatem seruaret, ieiunijs, orationibus, & vigilijs Deo vacans, instar aliarum virginum Tabernaculi, vel Templi; de quibus alibi dicetur. Ita fermè Hebræi quidam apud Abulensem *in Iudic.* 11. *q.* 56. Lyranus, Vatablus, & Arias Montanus, ac Claudius Espinceus *lib.* 4. *de continentia c.* 5. quod nec omnino reprobant Suarez *to.* 2. *in* 3. *par. disp.* 6. *sect.* 3. Vasquez *disp.* 124. *c.* 5. Thena *in cap.* 11. *ad Hebræos difficult.* 1. *n.* 14. Ouandus *in* 4. *dist.* 30. Esto autem hæc sententia vera non sit, quia sacræ Scripturæ verba propriè accipi debent, *non tamen facilè falsitatis conuinci potest*, præsertim cum nomen mortis etiam Religiosis Deo per castitatis votum oblatis concedatur, vt notauit Espinceus relatus, nec discordat Mendoza *in quodlibet. q.* 4. *positiua num.* 9. Ad minus tamen ex prædictorum sententia elicitur ipsos existimasse Virginum Deo consecratarum vsum familiarem fuisse veteri Testamento. *De voto Iephte.*

18 Secundum etiam nec multum vrget. Primò quidem, quia si Patrum encomia, quibus Christi, & Deiparæ Virginis virtutes celebrant, sedulò attendatur, procul dubio constabit similia epitheta alijs eiusdem Christi, & Virginis donis, & charismatibus, obedientiæ videlicet, humilitati, & præsertim charitati tribuere. Cùm ergo pro comperto cunctis sit, has virtutes in alijs iustis præcessisse, manifestum erit ea solùm de causa ita Patres locutos, quòd in Christo Domino præcipuè, deinde in ipsa eminentissimo & perfectissimo modo supra alios quoscunque cernerentur. Pari ergo modo in præsenti de epithetis Virginitatis ipsis concessis existimandum. Addendum secundò, quòd Patrum testimonia, vel solùm loquuntur de nouo Testamento, non de veteri. Propterea enim Isidor. *lib.* 2. *de offic. Ecclesiast. c.* 17. dixit: *Quantum pertinet ad vetus Testamentum, Elias, Ieremias, & Daniel castitatis, & continentiæ bono primi studuisse dignoscuntur: quantum verò ad nouum, virorum* *Solutio secundi.*

Virginum caput est Christus, fœminarum Virginum caput est Maria. De quo Canisius *lib. 2. de Deipara c. 12.* à nobis referendus *num. sequenti*, vel eatenus intelligenda erunt, quatenus licet ordine temporis alij ante Christum, & Deiparam virginitatem seruauerint, ordine tamen dignitatis, & excellentiæ Christi, & Deiparæ virginitas aliorum omnium virginitati præfertur. Christi namque virginitas causa finalis, efficiens moralis, seu meritoria, & exemplaris fuit virginitatis aliorum. Mariæ quoq; virginitas causa etiam exemplaris fuit, & speculum virginitatis Sanctorum cunctorum, & aliquo modo finalis, & moralis. De qua solutione Suarez *to. 2. in 3. par. disp. 6. sect. 3. §. Ad has obiectiones.* inquit: *Hunc existimo esse sensum Sanctorum Patrum.* Adde tertiò hunc primatum Beatissimæ Virginis in virginitate seruanda sufficienter saluari in eminentia, & speciali prærogatiua, qua in ipsa eluxit hæc virtus. De quo Nicolaus Ricchardus *serm. 11. super Litanias.* Vide & quæ dicimus *sub anno 4042. à num. 4.* ac dicenda *num. sequenti.* & sub anno 4086. *n. 43.* vbi dicemus intuitu Virginitatis Marianæ ab Elia prophetice sub typo nubeculæ paruulæ præcognitæ suam etiam virginitatem Deo sacrasse, prout non obscurè indicat S. Methodius *in homil. festi Purificat. in 3. to. magnæ Bibliothec.*

Tertij solutio.

19 Ex quo ad tertium dicito primò cum Suarez, vt supra, *quòd Beata Virgo perfectum votum virginitatis emiserit, ad perfectionem eius pertinet; quòd verò ante ipsam nullus hoc fecerit, ad eius commendationem non admodum refert.* Adde secundò cum eodem Suarez ibidem: *Deinde dici etiam potest prima, quæ proposita est tanquam dux, & exemplar huiusmodi voti, & hunc existimo esse sensum Sanctorum Patrum.* Ecce ergo ex sententia Suarez mentem Patrum asserentium B. Virginem primam fuisse in vouenda virginitate, non esse de ordine temporis, sed solùm de ordine dignitatis, eminentiæ, & perfectionis, quia scilicet (vt inquit ipse) *proposita est tanquam dux, & exemplar huiusmodi voti*, In quo autem consistat huiusmodi maior dignitas, eminentia & perfectio virginitatis, & voti Mariæ, sic explicat ipse inferiùs: *Virginitas Mariæ quoad propositum, & animum fuit tanto efficacior, & vehementior, quanto ex maiori charitate, & gratia procedebat; quoad immobilitatem habuit hoc propositum perfecto voto confirmatum; quoad intentionem ex perfectissimo Dei, & puritatis amore hoc fecit; quoad executionem verò tam perfectè illud seruauit, vt omni prorsus motu contrario, aut repugnante caruerit, imò alios ad castitatem prouocauerit, &c. Deinde caruit omni contrario, quod Virginitatis perfectionem posset minuere; nam & ipsum coniugium,*

quod

quod in alijs ad virginitatem tollendam ordinari solet, in illa fuit ad eius custodiam, testimonium, & honorem institutum. Habuit deinde comitantes omnes virtutes, temperantiam, & humilitatem, & alias, quæ illius perfectionem possent augere. En prærogatiuas speciales voti Mariæ, quas nec Eliæ ipsi, nec Elisæo, aut alijs tribuere possumus, eò prætertim, cùm de ipsis non constet vllo modo, venialiter saltem, contra illud peccasse, prout de Virgine purissima sentit Ecclesia, nec ipsi carerent motibus contra castitatem insurgentibus, quibus ipsa ob specialissimam Dei gratiam sine dubio caruit. Addendum tertiò esse alios titulos in voto Virginitatis Marianæ, qui prædictis Prophetis, aut quibuscunque virginibus veteris legis nullatenus adaptari possunt, vt propter illos iure meritoque à Patribus prima in emissione talis voti celebretur. Primus, quòd huiusmodi votum ab exordio suæ conceptionis emiserit, prout piè credunt Barradas *to. 2. concord. lib. 6. c. 3.* Morales *in c. 1. Matth. lib. 2. tract. 6. n. 12.* Nouatus *de Eminentia Virginis c. 7. q. 28.* Secundus, quòd adeo firmiter, & immobiliter ipsi adhæserit, vt etiam Angelo offerenti maternitatis dignitatem, quæ est quodammodo infinita, eam acceptare quasi noluerit, nisi veluti ex pacto seruandæ virginitatis votum, dum ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco,* vt affert prædictus Nouatus *ibid. q. 29.* Tertius, quòd propter ipsum, purissimamque ipsius virginitatem meruerit quodammodo Deum hominem factum generare, prout Patres sæpiùs expendunt. Quartò præterea, & probabiliter satis Patrum testimonijs, quæ Virginem Deiparam primam in voti castitatis emissione celebrare videntur, respondemus, ea solùm intẽdere, quòd Virgo purissima prima inter fœminas fuerit, quę huic voto se astrinxerit, non inter viros, ac proinde ex eo nihil derogari Eliæ, & discipulis. Ita enim expresè tenet Ierosolymitanus noster *c. 34. lib. de instit. Monach.* indicat valde S. Isidorus *n. præcedẽti* relatus. clarè fauet S. Bonauentura *in 4. dist. 30. q. 2.* dicens: *Decuit Virginem Deo virginitatem vouere, vt esset mulieribus totius virginitatis exemplum. Sicut enim Deus Christum viris proposuit in exẽplum; sic eius Matrem proposuit in exemplũ mulieribus.* & Canisius *lib. 2. de Deipara c. 12.* inquiens: *Semper id credidit, semper docuit, atque confirmauit antiquitas, quod apud Damascenum legimus Christum virorum, Virginem Mariam verò fœminarum caput.* Demum pro maiori cautela, & iam dictorum coronide illud iungendum, paucissimos inter Patres esse, vnum videlicet, vel alterum, qui tempore primam in voti castitatis emissione Virginem agnoscant. Quod facilè constare poterit, si per singulos ab aliquibus relatos discurramus. Primò enim

Solutio alia. (margin, beside "Addendum tertiò")

Alia. (margin, beside "Quartò præterea")

Alia. (margin, beside "Demum pro maiori cautela")

enim Abdiæ Babylonici liber, vbi habetur S. Bartholomæum Apostolum affirmare solitum Beatissimam Virginem primam inter fœminas Virginitatem vouisse, inter apochryphos, & fabulosos refertur à librorum censoribus, de quo Sixtus Senensis, Bellarminus, Possevinus, & alij. Esto etiam quòd testimonium illud Apostoli esset, nihil contra nos facit, cùm solùm Virginem in voti emissione primiceriam inter fœminas astruat, quod non negamus, vt diximus. Imò ex eo quòd solùm inter fœminas hunc principatum Deiparæ tribuat, elici potest aliter de viris, iuxta superiùs dicta, sentiendum. Deinde Ambrosius *de institutione Virgin. c.5.* Hieronymus *in ep. 2. ad Eustochium.* & Bernard. *serm. 3. in Missus est.* qui ab aliquibus citantur, nihil habent de Mariæ voto. De illo verò mentionem faciunt Rupertus *in Cantic. 3.* Diuus Bonauentura *lib. 1. Pharetra c.5.* & indicant Beda *Luc. 1.* & Hugo de S. Victore *to. 3. in Opusc. de Virginitate Mariæ.* Sed ibi solùm dicunt Beatissimam Virginem fuisse primam in emittendo hoc voto inter fœminas, quòd nihil facit contra nos, quin potiùs iuuat, vt diximus. Quo etiam sensu intelligi debent D. Antoninus, Ricchardus à S. Laurentio, & quidam alij à recentioribus citati.

Auctores concedentes votum castitatis in lege veteri.

20 Quia tamen aliqui ex illis plures auctores referunt, qui nobis aduersari videntur, operæpretium erit nos alios etiam plures, nec minoris notæ, aut pretij, qui nostræ sententiæ fautores sunt, adducere (etsi aliquos ex illo *n. 14.* retulerimus) concedentes in lege veteri ante Deiparam sanctissimam Virginitatis, seu Castitatis votum. Hi sunt Hugo Cardinalis loquens de Nazaræorum voto, verbis *num. sequenti* referendis; Thomas Vvaldensis doctor grauissimus *de sacramentalibus to. 3. tit. 9. c. 89. n. 9.* expressè asserens eamdem sanctissimam Virginem Eliæ in Virginitatis perpetuæ voto successisse: *Quæ* (inquit) *prima virgo fœmina Propheta in Virginitatis perpetuæ voto successit.* Claudius Espinceus *lib. 1. de contin. c. 1.* verbis etiam *num. sequenti* referendis; Ioannes Trithemius Benedictinus *de laudibus Carmelit. c. 2.* vbi de Carmelitis inquit: *Fratres autem Carmelitæ Sancti Principis* (scilicet Eliæ) *exemplo instructi ad perpetuam se castitatem voto Religionis obligant.* Abulensis *in cap. 30. Numer. q. 12. & præsertim 29.* Ferdinandus Vellosillus *in aduertent. ad S. Ambros. quæst. 13. §. Duplex dubium.* Alphonsus Mendoza *in quodlib. q. 2. exposit. n. 5.* (quod & repetit *q. 4. exposit. num. 9.*) vbi ait Virgines illas, quæ Templo Salomonico vacabant, *ex voto* id fecisse; Iodocus Clictouæus *to. 2. homil. homil. 2.* dicens: *Virginitatis perpetuæ seruandæ votum ab Elia ortum habet.* Ouandus *in 4. dist. 3. propos. 8.*

pos.8. de Matrimon. Mariæ & Ioseph. Franciscus Costerus *super Euangel. in Dom.1. post Natiuitatem* sermonem instituens de viduis veteris Testamenti. Ioannes Carthagena *to.4. homil lib.17. hom.2. obiect. 7.* loquens de Eliæ discipulis; cuius verba *supra num. 14.* retulimus, Salianus *sub anno mundi 3139. n.12.* de eisdem loquens. Lorinus *in Numer. 30. vers.3. & 4.* Ioannes Suarez *in comment in Matth.c.2. tract. 1.* vbi inquit de voto virginitatis S. Deiparæ, quod *habebat exemplum in Elia, & Elisæo.* Petrus Valderama *in Theatr. Religion. in serm. S. Eliæ* de eodem Propheta loquens. Ludouicus Thena *in concion. S. Theresiæ Matriti 1615.* de eodem Elia disserens. Ægidius Camartus *in lib. de rebus Eliæ c.6. sect.8.* etiam de eodem Elia agens. Iacobus Boilducus *de Ecclesia post Legem c.14. §. Iam superuacaneum.* Honufrius Saltus *in vita S. Honuphrij* de Elia & Elisæo, & filijs Prophetarum scribens. Indicant hoc esse probabile Arboricensis *de tuendo sacro cælibatu c. 2.* loquens de Essenis. Baronius *in Apparatu §. Sed antequam cætera, & num.58.* de eisdem Essenis agens. Sotus *in 4. dist.30. q.2. ar.1.* vbi loquens de Deiparæ Virginitate, quam ibi docet ex voto fuisse, exemplum dicit in sua gente, scilicet Prophetis, & Essenis, habuisse. Iosephus de Siguenza *in vit. S. Hieronymi discurs. 2. fol.111.* Petrus de Ribadeneira *in serm. S. Theresiæ Matriti 1627. §. 2.* Nazarius *3.p. q.28. ar.2.* Kelisonius *ibidem* & alij. De nostris etiam cuncti ferme historici hanc doctrinam susceperunt, specialiter Ioannes Ierosolymitanus, & Vvaldensis relati, Ioannes Paleonydorus *lib.1. cap.1.* Thomas de Iesu vir doctissimus *in lib. de antiquit. Ord. & super Regul. Carmel. c. 1. §. 1.* Coria *in Chron. Carmel.* sæpius. Valerius Ximenez Embum *in stimulo deuot. ad Ord. Carmel. 1. p.c.2. §.4.* Th. Aquinas *de Patriarch. Eliæ 3.p. sect. 3.* Petrus Sarracenus *in Menolog. Carmel. in vit. S. Eliæ.* Petrus Cornexo vir doctrina celebris *in Thesib. Theolog.* Romæ habitis anno 1613. Franciscus à S. Maria *in hist. Prophetica* sæpius. Michaël Munozius *in propugn. Eliæ l.2. tit.1. c.2. ar.5. à num.4.* Ioannes Silneira *lib. 2. in Matth. c.9. q.10.* & alij quos breuitati consulentes prætermittimus.

21 Addendum est, satis probabiliter colligi, fuisse votum castitatis, vel virginitatis in Lege veteri ex benedictione concessa eunuchis in Sacra Scriptura. *Isai.56. v. 3. & Sap. 3. v.13.* hi enim sunt illi spirituales eunuchi, qui vt dicitur *Matth.19. v.12. seipsos castrauerunt*, seu *constrauerunt propter Regnum Cælorum*; id est, votum castitatis emiserunt, prout plures exponunt. De quo *sub anno 3341.* dicemus. Vnde notat Suarez *3. to. de Relig. lib.3. cap.1. n.2.* ex hoc loco Isaiæ sumi magnum fundamentum ad asserendum votum castitatis *De Eunuchis S. Scripturæ.*

tatis

tatis in Lege veteri. De Rechabitarum etiam aliquibus an probabiliter id dici possit, *sub anno* 3159. dicetur. De Essenis quoque quòd castitatem ex voto seruarent ante Christi tempora, dicemus *sub anno* 3545. Idem affirmãdum de virginibus Deo in veteri Testamento dicatis. De quibus *Numeror.* 30. illis verbis: *Mulier si quidpiam vouerit &c.* iuxta dicenda *sub anno* 4040. (quod intellige de voto castitatis ad tempus solùm, vt perpetuæ virginitatis primicerium votum inter fœminas soli virginum Virgini reseruemus.) Vnde Abulensis *ibid. quæst.* 14. ait, *ad contrahendum, vel non contrahendum.* De quo Canisius *lib.* 2. *de Virgine c.* 14. Michaël Medina *de sacrorum hominum continentia l.* 4. *c.* 16. Idem dicito de Nazaræis, inter quos aliquos fuisse, qui castitatem ex voto seruarent, colligitur ex Chrysost. *to.* 2. *homil.* 4. *de vigilia Epiphaniæ* dicente: *Nazaræi secundùm legem nuncupabantur, qui castitatem Deo insigni voto mancipabant.* Ex Damasceno *lib.* 4. *fidei orthodoxæ c.* 25. vbi alludens ad Nazaræorum votum inquit: *An non denique lex ingens votum castitatem nuncupauit.* Id etiam Cornelius in *cap.* 4. *Thren. v.* 7. colligit ex Epiphanio *hæres.* 29. & Augustino *sermone* 107. Præsertim id colligitur ex Hugone Cardinali, qui *Numeror.* 6. loquens de Nazaræorum voto inquit: *In voto eorum erant multi articuli Religionis,* inter quos numerat, quòd *amplexibus mulierum non vacabant.* Colligi etiam potest hoc castitatis votum in Nazaræis ex *Numeror.* 6. *v.* 2. vbi enim vulgatus dicit: *Vir siue mulier cùm fecerint votum, vt sanctificentur &c.* legunt septuaginta: *Qui magnè vouerit Domino, vt sanctificetur sanctificationem coram Domino.* seu, vt alij: *Magnè vouerit votum purificandi puritatem Domino.* Hoc enim magnum votum, quod Chrysostomus *insigne*, & Damascenus *ingens* appellant, procul dubio castitatis est, quod propter sui magnam arduitatem ijs nominibus nuncupatur. Vnde Claudius Espinceus *lib.* 1. *de Continent c.* 1. expressè ait: *Nazaræi quoque castitatis Deo magno insignique voto consecrati, ac mancipati:* & Augustinus Eugubinus *in recognit. vet. testam. sup.* 6. *Num.* idem amplectitur. Nec dissentit Lorinus *ibid.* Fuisse autem quorumdam ex illis votum perpetuum, & non tantùm ad tempus, docent expressè Lyranus, Hugo adductus, Abulensis *ibid. q.* 2. *&* 3. *& in Iudic.* 13. *q.* 12. 17. *&* 18. quos plures alij sequuntur, specialiter Thena *ad Hebr.* 11. *diff.* 27. vt mirum sit Suarez oppositum dixisse. Imò ex eo quòd perpetuò se aliqui Deo in Nazaræorum Ordinem obtulissent, colligi potest id ex voto fecisse; vt enim habet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 6. *ad* 2. *Non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem.* Erat ergo votum

De Nazaræis.

tum Castitatis in Lege veteri ante Deiparæ Sanctissimæ æuum.

22 Ad quartum dicimus, quemadmodum ad specialem dignitatem Legis Euangelicæ non spectat, quòd ante ipsam non fuerint in Lege veteri vera Sacramenta, vera sacrificia, cerimoniæ, verusque cultus Dei quoad essentiam & substantiam ipsorum, sed solùm quòd ante illam non fuerint perfecta, & consummata; multo minus ad eamdem Euangelicæ Legis dignitatem spectabit, quòd ante ipsam non fuerit aliquale exercitium votorum, etiam castitatis, aliqualisque Religionis instar status, proportionatè quidem ad veteris Legis imperfectionem, ac imbecillitatem, vt dictum est, sed solùm quòd ea omnia non fuerint nedum perfecta, & consummata, sed neque ijs priuilegijs ornata, quibus decorantur in Lege Euangelica. Imò potiùs videtur colligi contrarium ab æqualitate, vt dicitur, proportionis. Cùm enim illa Lex imperfecta fuerit, & veluti inchoatio Euangelicæ, videtur etiam necessariò postulasse modum aliquem imperfectum, & inchoatum Religionis, perficiendum & decorandum in Lege Euangelica. Et sanè nulla assignabilis est ratio, quare in hominibus perfectis illius status fuerint excellentissima & perfectissima dona, & charismata prophetiæ, miraculorum, martyrij & similium, non autem aliqualis Religionis etiam imperfectæ; aut quare hoc solum reseruatum est Legi Euangelicæ, & non alia (præsertim cum Martyrem esse perfectius quid videatur, quàm Religiosum esse, iuxta illud: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat, &c.*) Pro quo audiendus celebris Doctor Bartholomæus Medina 1.2. *q.* 108. *ar.* 4. §. *vt tamen*, vbi post aliqua de imperfectione veteris Legis dicta subiungit: *Sed ex hoc non inferat Theologus, quod viri iusti & Sancti in antiqua legis statu non haberent ex instinctu Spiritus Sancti consilia à Deo tum virginitatis, tum obedientiæ, atque etiam paupertatis, quæ & animo lubenti, & forti amplectebantur.* Et post pauca: *Sed pro temporis ratione non omnino consummata, atque absoluta*, Quo nostra sententia satis expressa videtur. Vota ergo virginitatis, castitatis, seu Religionis, & status Religiosus, seu Monasticus, quæ Eliæ Instituto concedimus, proportionata sanè fuerunt infantiæ Legis veteris, ac proinde, vt sæpiùs inculcauimus maioris claritatis gratia, imperfecta, & inchoata, perfectibilia, & consummanda per Christum, & ipsius discipulos tempore Legis gratiæ. (quæ vocatur propterea *ad Galat.* 4. *v.* 4. *plenitudo temporis*) Tum doctrina, & exemplo ipsius Christi, & discipulorum; tum quia tunc, & non priùs potuerunt esse cum ea solemnitate, quæ modò viget in Ecclesia, & quæ ab Apostolis cœpit, vt habet S. Tho. 2.2. *q.* 88. *ar.* 7. & cum

Solutio quarti

tradi-

traditione sub potestate Superioris habentis iurisdictionem spiritualem clauium in subditos, quæ non fuit in Lege veteri, tum quia tunc non haberent eas prærogatiuas, & excellentias, quas modò habent, quales sunt quòd per professionem Religiosam Baptismi instar remittatur tota pœna temporalis, item quòd dissoluatur matrimonium ratum præcedens, & irritetur matrimonium futurum, cum alijs ipsius priuilegijs; de quibus *to.1. summæ quæst. Regular. cap. 3.* diximus. Denique, propter copiosiorem numerum sectatorum Instituti Religiosi, cùm in Lege noua illud plurimi amplexati fuerint; in Lege autem veteri non nisi pauci. De hoc igitur statu Religioso perfecto, & consummato intelligendi sunt Patres, & Doctores, qui dicunt Christum ad illud primò homines inuitasse, & Apostolos fuisse primos Religiosos, sicut etiam dicuntur communiter Christus, & Apostoli fundamenta fuisse Ecclesiæ, cùm tamen certum sit Ecclesiam fuisse ante illos, etsi non cum ea perfectione ac excellentia, quam ab ipsis accepit. Quod ita esse dicendum confirmatur vlteriùs ex alijs Patribus, seu Doctoribus, qui affirmant tempore Christi pullulasse, seu reuixisse, vel renouatum, aut innouatum fuisse Monasticum Ordinem: hi enim clarè supponunt ante ipsum Christum, tempore videlicet Prophetarum Eliæ, & Elisæi extitisse ipsius aliqualia primordia; & à Christo & Apostolis postea perfectionem, decorem, & complementum habuisse. Etenim renouare, aut innouare est *pristinum statum restaurare*, iuxta *l. Prætor. ait. ff. de reuis.* & Peteiram *de renouat emphyteut. q.1. in princip.* Hi sunt D. Bernardus, vel auctor nomine ipsius insignis *in Epist. ad fratres de Monte Dei*, vbi loquens de Monachorum Religione inquit, quòd fuerit tẽpore *Prophetarum demonstrata*, & in Lege gratiæ *instaurata & innouata*. S. Antoninus *in summa 3. p. tit. 16. §. 4.* De monachis enim Cœnobiticis loquens, de quibus dicit: *Videntur exorti sub Elisæo*. subiungit, *fuerunt renouati à Christo*. S. Odilo in vita S. Maioli, quæ extat *in Bibliotheca Cluniacensi*, & apud Lipomanum hæc dicens: *Cœpit Monasticus Ordo pullulare, seu (vt melius dicamus) reuiuiscere, quem à B. Elia, & Ioanne Baptista nouimus processisse*. Accedit egregius Doctor Thomas Vvaldensis, qui *in doctrinali fidei to. 1. l. 3. ar. 1. c. 6.* inquit: *Quia Legi Christi perfectæ nihil deesse potuit, quoniam perfectionem contulit in quocunque statu, statum etiam Monachorum, & Religionem perfectorum approbare decreuit in principio nascentis Ecclesiæ*. vbi expendendum verbum *approbare*, quod denotat rem antiquam confirmare, vel corroborare. Vnde inferiùs propterea dicit acutè satis, quòd *veterana Patrum Religio, tam*

An monasticus Ordo tempore Christi.

Recha-

Rechabitarum, quàm Prophetarum solis tabernaculis colebant solitudinem in signum peregrinationis suæ, & Institutionis nondum formatæ. Quibus clarè denotat Religionem Prophetarum ante Christum fuisse aliqualiter institutam, sed non formatam, seu perfectam nisi à Christo. Sic etiam Raimundus Faigier *in to. 14. Tract. Doctor. de Religiosis fol.* 104. loquens de Cœnobitis: *Renouati* (inquit) *fuerunt à Christo in discipulis, Matth. 5.* & Nicolaus Boherius *to. 3. tract. Doctor. par. 2.* de eisdem etiam Monachis Cœnobitis inquiens: *Fuerunt renouati à Christo, qui habuit discipulos pariter habitantes, &c.* Item Salianus *sub ann. 3139. n. 13.* concionem referens Eliæ, qua ante sui translationem discipulis valedicebat sic dicit: *Flagitetis Messiam mundi reparatorem, exterminatorem, atque expiatorem peccati, perfectioris, sanctiorisque vitæ, quam quoquo modo inceptamus, auctorem.* Clariùs *n. 14.* sic: *Ille est filius Dauid, filius Abraham, à quo noua fient omnia; à quo studium voluntariæ paupertatis, illibatæ continentiæ, & obedientiæ sponte susceptæ mirabilia accipiet incrementa.* Hoc etiam sensu Vvaldensis idem relatus dicto *lib. 3. ar. 1. c. 10.* ait Religionem professam à Prophetis, continuatam fuisse ab Apostolis. eius porrò verba inferiùs *n. 24.* referemus.

23 Ex quo fermè ad quintum. Quemadmodum enim obedientia Isaac, castitas Ioseph, patientia Iob, & aliæ virtutes in antiquis Patribus repertæ, quamuis veram rationem, & essentialem virtutum participauerint, figura tamen fuerunt similium virtutum, quæ in Christo Domino erant, ob eminentiam & maiorem perfectionem, quæ in ipso effulserunt. Sic pariter quamuis ratio Religiosi veluti status in veteri Lege vtcunque reperta illius primordialem, quasi quidditatem induerit, figura tamen potest dici Religionis, seu Monachismi Legis Euangelicæ ob prærogatiuas, & excellentias assignatas, quasque ex Christi, & Apostolorum institutione, & exemplo participat, vt dictum est. Propter quam etiam causam, tota ipsa Lex vetus, Sacramenta & Sacrificia ipsius dici possunt figura Legis nouæ Sacramentorum, & Sacrificij illius, quantumuis illa rationem, & essentiam talium participauerint, etsi imperfectè, quia gratiam non continebant, vt docet S. Tho. 1. 2. *quæst.* 98. *ar.* 1. & *quæst.* 99. *art.* 2. Quinti solutio.

24 Vltimum præterea solùm probat tempore Legis naturæ fuisse statum Religiosum, quasi à longè adumbratum, quia tunc cœperunt homines ad Dei cultum exercendum congregari (esto quòd Basilius Legionensis *lib. 7. de Matrimon. c. 5. n. 22.* fateatur cum multis in Lege naturæ potuisse esse Religionis statum) & tempore Sa- Vltimi solutio.

muelis clariùs delineatum, quia tunc fuerunt ab eo instituta Collegia, vel Cœnobia ipsorum, quia tamen tempore Eliæ vltra hoc, quod est in Carmelo, & alijs locis congregari, obedientiam præterea, paupertatem, & castitatem perpetuam ex aliquali voto obseruare cœperunt. Ideo asserimus statum veluti Religiosum, seu Monachismum tunc *quoquo modo*, vt Salianus *num. 22.* relatus dixit incepisse, licet postea tempore Christi *mirabilia incrementa*, consummationem, & perfectionem acceperit, vt ex eodem Saliano dictum est. Quare, vt paucis verbis rem totam spectantem ad Religiosi status Institutionem explicemus, dicere possumus, quòd Enos illum *adumbrauit*, Samuel *delineauit*, Elias qualitercunque *inchoauit*, Christus *consummauit*. Quod & Cardinalis Bellarminus *to. 2. lib. 2. c. 5. §. nos ergo.* eisdem fermè verbis sic expressit: *Dicimus itaque primùm vitam Religiosam adeo esse antiquam, vt quædam eius adumbratio fuerit in Lege naturæ ante diluuium, maior quædam expressio in Lege Moysis, perfectio autem Apostolorum tempore*. Ergo expressio maior Religionis, etsi non perfectio, Eliæ tempore potuit esse, etiam ex mente Bellarmini eminentissimi Cardinalis, & eximij Doctoris.

Elias Propagator, & reformator.

25 Meritò proinde Eliam nostrum Ordinis Prophetici propagatorem, & veluti reformatorem appellare possumus, quippe illum, quem Samuel primus in Cœnobialem erexerat, in Religionem vtcunque per trium votorum aliqualem modo exposito obseruantiam ipse postea instituit, exemplo, & doctrina decorauit, ac nouis alumnis, & discipulis multiplicare, & amplificare studuit. Quod luculenter sapientissimus auctor Thomas Vvaldensis *in doctrinali fidei to. 1. l. 3. c. 4.* sic expressit: *Isti tamen monachi, seu filij Prophetarum à tempore Samuelis non cessabant vsque ad aduentum Eliæ Thesbitæ. In cuius temporibus inuadente Achab omnem populum ad cultum Idolorum, penè perijt tota Religio Prophetarum*. Et paucis interiectis, qualiter eos multiplicare studuerit, sic prosequitur: *Zelans multiplicare Religionem Prophetarum Sanctorum, solicitè huic rei operam dedit, Elisæum primum instituens, & pallio suo induens, & demum alios post eum magno numero prouidens ab intento, vt sanctæ Religionis successio semper staret, secundum quod sapiens Eliam alloquens dicit &c.* Item inferiùs loquens de eisdem veteris Testamenti Religionis Professoribus inquit: *Qui quamuis ab antiquo* (intellige Samuelis) *tempore fuerint instituti, numquam tamen fuerunt vsque ad Eliam publicè & regulariter congregati*. Quod & prosequitur Ægidius Camartus *de rebus Eliæ c. 6. sect. 8.* postquam enim dixit plures in veteri Lege virginitatem coluisse, *at Elias* (inquit) *id habet præeminentiæ supra illos,*

los, quòd non solùm virginitatem excoluit, sed & praeterea auctor fuit, cur plurimi discipulorum ei penitùs se addixerint. Et infra, etsi affirmet tempore Samuelis plura Collegia Prophetarum extitisse, tamen inquit *Eliam omnium Monachorum parentem fuisse, qui tria essentialia Religionis vota primus ipse opere adimplerit.* Meritò proinde id sequuntur historici nostri, & inter eos Ioannes Palaeonydorus *l.* 1. *c.* 1. ac Didacus Coria *in Chronic. Carmelitar. lib.* 1. *c.* 7. affirmans Eliam reformasse Samuelis Ordinem, trium votorum essentialium Religionis in eum introducens obseruantiam, modo videlicet à nobis crebriùs inculcato.

26 Meritò etiam eundem Eliam ipsius Ordinis Prophetici, prout reformati, & in statum Religionis instar instituti, Caput, Principem & Antesignanum appellare possumus. Quod praeterquam ex dictis in superioribus, dum ostendimus ipsum primum omnium hominum tria puncta Religionis obseruasse, & discipulis obseruanda ostendisse, iuxta infirmae Legis capacitatem; & ex dicendis capitibus sequentibus deducetur; vlterius confirmatur ex illo Ecclesiastic. 48. v. 8. de Elia: *Prophetas facis successores post te.* Huius namque loci expositio, alijs non contemptis, ea esse videtur, vt Prophetae dicantur Eliae successores, quia Prophetalis, seu Prophetarum Ordo ab ipso ad similitudinem Religionis inchoatus, & inceptus est. Ita enim illum exponere videntur Ioannes Ierosolymitanus *in lib. de Instit. Monachor. c.* 10. Tho. VValdensis *in doctrinal. fidei l.* 3. *ar.* 1. *c.* 4. Carthagena *to.* 4. *homil. homil. pro Carmel.* Salianus *sub ann.* 3124. *n.* 10. Ægidius Camartus *in lib. de gestis Eliae cap.* 6. *sect.* 6. & alij tum de nostris, tum de exteris auctoribus. Addit idem Camartus, quòd *nullus Prophetarum Societates instituit, qui non tantùm ipsius discipuli fierent, sed & qui doctrina, vita sanctimonia, miraculis, spiritu prophetico longa successionis serie Israëlitas erudirent.* Quo non solum id, quod in praesenti intendimus, sed & quod in Operis discursu dicemus de Rechabitis, Essenis, Assidaeis, & alijs, quòd Eliae soboles fuerint, mirificè roboratur. Alij etiam nec incongruè idem probant ex illo 3. *Reg.* 19. *vers.* 16. scilicet: *Elisaeum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, vnges Prophetam pro te.* Illud enim *Pro te* denotat successionem quandam inter Eliam & Elisaeum, & cum illa non possit in alio intelligi, nisi in principatu Ordinis Prophetici, clarè elicitur eundem Eliam Principem & Caput Prophetici Ordinis modo dicto nuncupari debere. Hinc Chrysostomus *homil.* 18. *ad Rom.* ipsum vocat *Prophetarum caput.* Ambr. *lib. de Viduis* eum comparat Gabrieli Archangelo, quia sunt (inquit) *ex Angelorum & Prophetarum*

Elias caput Ordinis Prophetici.

numero præstantissimi. Abulensis etiam in *cap.17. Matth. q.51.* eum similiter appellat *Prophetarum Principem*. In vita etiam antiquissimi Patris S. Patritij Hiberniæ Apostoli *c.19.* inuocasse dicitur in quadam necessitate *Eliam Principem Prophetarum*. Theodoretus *q.49. in 3. Reg.17.* eum compellat *summum Prophetarum*. De quo alia in discursu Operis, & apud Franciscum de S. Maria *in historia Prophetica Hispan. l.2. c.16.*

Thomas Vualdensis. 27 Libet tamen pro eorum, quæ scripsimus, corona, & maiori dicendorum luce, quæ egregius auctor Thomas Vualdensis *to.1. doctrinalis fidei lib.3. ar.1. c.10.* dixit hîc apponere. Ex eis namque habetur, iuxta dicta in superioribus vnam, & eandem Religionem fuisse in Lege naturæ adumbratam, in Lege scripta sub Prophetis quoquo modo inceptam, & professam; & in Lege gratiæ sub Christo ab Apostolis omnino perfectam, & continuatam, ac postea iuxta dicenda, tum *cap. sequenti*, tum in secundo & tertio Tomo latiùs propagatam, & multiplicatam, esto in ritibus, & cerimonijs prorsus videatur dissimilis, ac diuersa. *Et quamuis*, inquit, *isti Religiosi peculiares, quos induxi à primæuo tempore Legis gratiæ vsque ad tempora nostra nobis in omni substantiali professione sunt conformes: prædictis tamē Sanctis Patribus de tempore Legis naturæ & Mosaicæ in multis videntur esse dissimiles: eo quòd quidam paupertatem istam tenentes vxoribus vtebantur; quidam vxoribus vtentes, & paupertatem tenentes, & degentes sub obedientia vino abrenunciabant, & domibus, quod nos omittimus: & cæteri omiserunt, & cætera talia, quæ nec tunc sine causa fiebant, nec iam sine causa dimittimus, nihil ad nos, quantum ad præsens spectat. Quia pessimè valet ratio: Peculiariter Religiosi primis temporibus vinum non bibebant, nec domos habitabant, moderni tamen vinum bibunt, & domos inhabitant, ergo moderni non sunt Religiosi, vel illi non erant. Item nec hæc valet ratio: Christus vi Religionis suæ sustinuit mortem Crucis; moderni vulgares hoc non faciunt vi Religionis suæ, ergo vel ipsi non sunt de Religione Christi, vel Christus de Religione non erat. Ideo dicendum est, quòd ritus variant Religionem particularem, sed non communem. Nam Augustinus 15. de Ciuit. & Eusebius primo Ecclesiasticæ historiæ cap.2. probant Religionem Ecclesiæ Christi incepisse ab Abel, & sic descendisse per Patres, & tunc alijs ritibus vtebantur Patres veteres, & alijs vtimur nos. Sicut ergo variatis ritibus Religionis Christi communis per varias mundi ætates, eadem non minus mansit in substantia: sic variatis ritibus Religionis peculiaris, Religio eadem manet in substantia. Sed hoc ergo satis est, probasse scilicet à primæuo tempore fuisse Religionem quandam peculiarem segregatam à vulgo, si-*

Religiosi legis nouæ similiores.

go, sicut arctioris Professionis, ita longè meriti altioris, laudatam à Deo, probatam à sancto vulgo, exercitatam à Sanctissimis Patribus, professam à Prophetis, continuatam ab Apostolis, institutam sub Euangelistis: ex cuius fonte demum riui Religionis eiusdem inundabant alluuione sincerissima per tres Orbis partes Asiam, Europam & Africam, sanctissimis attestantibus sine omni chronographo doctoribus supradictis. Hæc ille. Inter quæ præter alia notatu digna, illud non prætermittendum, quòd eam Religionem, quam *professam à Prophetis* dicit, vocat etiam *continuatam ab Apostolis; & institutam sub Euangelistis*: ex quo magis id, quod diximus *n. 22.* elucidatur.

28 Pro illustriori tandem coronide, seu eorum quæ diximus, maiori robore Decretum S. Inquisitionis Hispan. editum Matriti 9. Decembris 1639. coram Illustrissimo Archiepiscopo Inquisitore Generali, alijsque Iudicibus in supremo illo Senatu Fidei censoribus, subscribente Sebastiano de Huerta eiusdem Tribunalis à secretis hîc adiungimus. In eo enim post magnam grauissimorum Theologorum consultationem, & re maturissimè in iudicio contradictorio examinata sequentes propositiones approbantur. Prima, *que en la Ley escrita huuò voto de castidad y virginidad perpetua.* Secunda, *que en la Ley escrita huuò voto de obediencia perpetua.* Tertia, *que en la Ley escrita huuò voto de pobreza voluntaria.* Quarta, *que en la Ley escrita huuò verdadero Monachato y Religion.* Additur tamen in eodem Decreto, prædictas propositiones ita declarari debere, vt scilicet denotetur non fuisse Monachatum in Lege scripta cum ea solemnitate, perfectione, & potestate clauium, prout in Lege gratiæ, quod nos intendimus. Quin etiam ad maiorem cautelam, & vt scrupulis quorumdam vtcumque morem geramus, addidimus hunc veteris Legis Monachatum, illiusque vota talia solùm fuisse, qualia illius Legis imperfectio postulabat, & veluti ad formam Monachismi seu votorum Euangelicæ Legis. S. Inquisitionis Hispan. decretum.

Eliam, Elisæum, ac filios Prophetarum Monachos, & Monachorum Principes appellandos. Cap. V.



1 QVAMVIS ex dictis perspicuè ostensum videatur id, quod pro titulo Capiti præsenti præfiximus, clarius tamen ex Patrum, & Doctorum id asserentium constanti assensu, & veluti traditione innotescet; alij enim ipsum, vel ipsos Monachos, seu Monachorum Principes appellant; alij verò eos, qui tales fuerunt, Eliam æmu- Patrum testimonia.

 latos

latos fuiſſe deſcribunt: quorum propterea teſtimonia à vetuſtioribus incipiendo in medium producere operæ pretium erit. Et ante ipſos, vel ob Orientalis Eccleſiæ reuerentiam, quæ ex Martyrologio Ægyptio Arabicè conſcripto Abraham Ecchelenſis Maronita è Libano Philoſophiæ, & S. Theologiæ Profeſſor, ac in Almo Vrbis Gymnaſio linguarum Orientalium publicus Lector mihi amicè tradidit, hæc ſunt ad intentum congrua: *Sexta die menſis Tubæ tranſlatus eſt Elias Propheta &c. Hic Elias Propheta fuit primus in veteri Lege, qui deſerta incoluit, & Monaſticam in montibus egit vitam.*

Dorotheus. 2 Audiantur iam Patres; ex quibus primus eſt Dorotheus auctor Synopſis Prophetarum, quæ extat *tom. 7. Biblioth. Sanctorum Patrum*, editionis Pariſienſis, qui Eliæ elogium ita auſpicatur: *Hic primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad Cælum ſubmonſtrauit; primus ex hominibus vnam Angelorum, & hominum vitam oſtendit.* Quæ verba Eliæ Monaſticæ ſeu Religioſæ vitæ principatum attribuere, eumque primum illius auctorem facere clarum eſt. Hoc enim vnico modo Eliam primum eſſe, qui curſum ad Cælum hominibus ſubmonſtrauerit, poteſt intelligi; cùm conſtet ante ipſum plures ſanctè, ſed non ad vitæ Monaſticæ normam vixiſſe. Vnde, & aptè ſubditur, primum eum *vnam*, & eandem *Angelorum & hominum vitam* oſtendiſſe: nam reuera Monaſtica vita Angelica vita eſt, vt communiter tradunt Sancti Patres, apud quos inuenias quoque Monaſteria Cælorum, Monachos verò Angelorum terreſtrium nominibus nuncupatos. Controuertitur inter Doctores, quis iſte Dorotheus fuerit, alijs Græcum, alijs Latinum, alijs Epiſcopum, alijs Presbyterum, alijs verò Martyrem, alijs denique ſuppoſititium Auctorem eum exiſtimantibus, de quo doctè noſter Thomas Aquinas *in diſceptat. hiſtor. Theologic. de Patriarchatu Eliæ par. 3. ſect. 4.* Nos autem ab his omnibus abſtinentes auctorem illius libri Dorotheum appellamus, quiſquis ille & qualis auctoritatis fuerit, & primo loco referimus, quia creditur ab aliquibus Diocletiani Imperatoris temporibus vixiſſe.

Macarius Abbas. 3 Pari dubio Macarium Abbatem cum alijs recenſemus, Macarium illum Ægyptium ſeniorem dictum autumantes. De quo, vel ſi placet, de alio iuniore hæc verba *ex ſerm. ad Monachos*, qui incipit: *Fratres chariſſimi*, refert Palæonydorus *lib. 1. c. vlt in fine*. & quem etiam refert Suarez *to. 3. de Relig. lib. 3. c. 1. nu. 1.*: *Eliam & Eliſeum, ac filios Prophetarum, quos conſtat veraciter veteris Teſtamenti Monachos, imitari curate. Meliùs eſt enim cum Elia Carmelum, & cum Eliſæo, ac filijs Prophetarum Iordanis ripas frequentare, quàm cum quibuſ-*

quibusdam Israëliticis Bethel, Samariam, & Bersabea ciuitates inhabitare. Meliùs est cum Elia in deserto subcinericium panem accipere, & vas aquæ, quàm post Monachi professionem delitias desiderare carnales. Veniamus ergo ad Monachum noui Testamenti, Ioannem scilicet Baptistam, qui propter sanctitatem, & munditiam à Domino vocatus est Angelus. Hic ab Angelo in spiritu, & virtute Eliæ Dominum præcursurus prædicatur, & ab ipso Domino de eo dicitur: Si vultis scire, Ioannes ipse est Elias. Quorum exempla fratres charissimi in Ordine Monastico, quem sectari cæpistis, debetis solicitè curare, vt ab eorum recto tramite, id est, Monastica vita nullatenus recedatis. Hos sequuti sunt Paulus, & Antonius, & multi huius propositi sectatores, qui idcirco laudibus extolluntur, quia à cæpto Ordine nullatenus leguntur deuiasse. Hæc ille.

4 Præterea ex S. Athanasio Ecclesiæ lucidissimo iubare *in vita S. Antonij Abbatis* habetur, eundem Antonium Monachorum eximium Eliæ Instituti imitatorem fuisse. *Igitur* (inquit Athanasius) *Sanctus Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex Instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud speculum vitam suam debere componere, ad sepulchra non longè à villa constituta secessit, vni de cognitis mandans, vt statutis diebus sibi alimenta deferret.* Idem habetur ex auctore vitæ S. Pachomij, vbi sic: *Erat per id tempus B. Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè proposita, qui magni Eliæ, atque Elisæi nec non & Sancti Ioannis Baptistæ æmulator existens, secreta interioris eremi studio sectatus est singulari, vitamque cælestium in terris gessit amore virtutis, cui sanctus Athanasius Alexandrinæ ciuitatis Antistes proprio stylo testimonium præbuit.* S. Athanasius.

5 De Sancto Honuphrio, de quo in Martyrologio Romano & Menologio Græcorum 11. die Iunij agitur, extat luculentissimum testimonium in vita ipsius per Paphnutium descripta, in libro cui titulus: *Vitas Patrum*, reposita: eo namq; testimonio non ipsum solùm, sed & omnes Monachos illius æui, Eliam vt ipsorum Principem agnouisse deducitur. Sic enim loquitur ipse Honuphrius: *Profectò vitam Beati Patris nostri Eliæ venerabiles fratres meos audiui frequenter laudare, qui se in eremo in tanta abstinentia, & oratione studuit affligere, vt maximam virtutem à Domino meruisset accipere, & igneo curru transuectus Spiritus sancti dona, quæ habuerat, discipulo impertiri, ac adhuc longæuus senio mortis pœnam non videre.* Subiungit: *Insuper ad exemplum Beatum Ioannem Baptistam protulerunt.* Consonat & Menologium Græcorum sic dicens: *Sancti Patris nostri Honuphrij, qui cùm esset in Cœnobio in vrbe Hermopoli Thebarum, & audiret de Elia Propheta, & Ioannis præcursoris vita, egressus è* S. Honuphrius.

latos fuisse describunt: quorum propterea testimonia à vetustioribus incipiendo in medium producere operæ pretium erit. Et ante ipsos, vel ob Orientalis Ecclesiæ reuerentiam, quæ ex Martyrologio Ægyptio Arabicè conscripto Abraham Ecchelensis Maronita è Libano Philosophiæ, & S. Theologiæ Professor, ac in Almo Vrbis Gymnasio linguarum Orientalium publicus Lector mihi amicè tradidit, hæc sunt ad intentum congrua: *Sexta die mensis Tuba translatus est Elias Propheta &c. Hic Elias Propheta fuit primus in veteri Lege, qui deserta incoluit, & Monasticam in montibus egit vitam.*

Dorotheus. 2 Audiantur iam Patres; ex quibus primus est Dorotheus auctor Synopsis Prophetarum, quæ extat *tom. 7. Bibliotb. Sanctorum Patrum*, editionis Parisiensis, qui Eliæ elogium ita auspicatur: *Hic primus ex hominibus est, qui hominibus cursum ad Cælum submonstrauit; primus ex hominibus vnam Angelorum, & hominum vitam ostendit.* Quæ verba Eliæ Monasticæ seu Religiosæ vitæ principatum attribuere, eumque primum illius auctorem facere clarum est. Hoc enim vnico modo Eliam primum esse, qui cursum ad Cælum hominibus submonstrauerit, potest intelligi; cùm constet ante ipsum plures sanctè, sed non ad vitæ Monasticæ normam vixisse. Vnde, & aptè subditur, primum eum *vnam*, & eandem *Angelorum & hominum vitam* ostendisse: nam reuera Monastica vita Angelica vita est, vt communiter tradunt Sancti Patres, apud quos inuenias quoque Monasteria Cælorum, Monachos verò Angelorum terrestrium nominibus nuncupatos. Controuertitur inter Doctores, quis iste Dorotheus fuerit, alijs Græcum, alijs Latinum, alijs Episcopum, alijs Presbyterum, alijs verò Martyrem, alijs denique supposititium Auctorem eum existimantibus, de quo doctè noster Thomas Aquinas *in disceptat. histor. Theologic. de Patriarchatu Eliæ par. 3. sect. 4.* Nos autem ab his omnibus abstinentes auctorem illius libri Dorotheum appellamus, quisquis ille & qualis auctoritatis fuerit, & primo loco referimus, quia creditur ab aliquibus Diocletiani Imperatoris temporibus vixisse.

Macarius Abbas. 3 Pari dubio Macarium Abbatem cum alijs recensemus, Macarium illum Ægyptium seniorem dictum autumantes. De quo, vel si placet, de alio iuniore hæc verba *ex serm. ad Monachos*, qui incipit: *Fratres charissimi*, refert Palæonydorus *lib. 1. c. vlt in fine.* & quem etiam refert Suarez *to. 3. de Relig. lib. 3. c. 1. nu. 1.* *Eliam & Elisæum, ac filios Prophetarum, quos constat veraciter veteris Testamenti Monachos, imitari curate. Meliùs est enim cum Elia Carmelum, & cum Elisæo, ac filijs Prophetarum Iordanis ripas frequentare, quàm cum* quibus-

quibusdam Israëliticis Bethel, Samariam, & Bersabea ciuitates inhabitare. Meliùs est cum Elia in deserto subcinericium panem accipere, & vas aquæ, quàm post Monachi professionem delitias desiderare carnales. Veniamus ergo ad Monachum noui Testamenti, Ioannem scilicet Baptistam, qui propter sanctitatem, & munditiam à Domino vocatus est Angelus. Hic ab Angelo in spiritu, & virtute Eliæ Dominum præcursurus prædicatur, & ab ipso Domino de eo dicitur: Si vultis scire, Ioannes ipse est Elias. Quorum exempla fratres charissimi in Ordine Monastico, quem sectari cœpistis, debetis solicitè curare, vt ab eorum recto tramite, id est, Monastica vita nullatenus recedatis. Hos sequuti sunt Paulus, & Antonius, & multi huius propositi sectatores, qui idcirco laudibus extolluntur, quia à cœpto Ordine nullatenus leguntur deuiasse. Hæc ille.

4 Præterea ex S. Athanasio Ecclesiæ lucidissimo iubare *in vita S. Antonij Abbatis* habetur, eundem Antonium Monachorum eximium Eliæ Instituti imitatorem fuisse. *Igitur* (inquit Athanasius) *Sanctus Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex Instituto magni Eliæ exemplum capere, & ad illud speculum vitam suam debere componere, ad sepulchra non longè à villa constituta secessit, vni de cognitis mandans, vt statutis diebus sibi alimenta deferret.* Idem habetur ex auctore vitæ S. Pachomij, vbi sic: *Erat per id tempus B. Antonij vita cunctis ad imitandum præclarè proposita, qui magni Eliæ, atque Elisæi nec non & Sancti Ioannis Baptistæ æmulator existens, secreta interioris eremi studio sectatus est singulari, vitamque cælestium in terris gessit amore virtutis, cui sanctus Athanasius Alexandrinæ ciuitatis Antistes proprio stylo testimonium præbuit.* S. Athanasius.

5 De Sancto Honuphrio, de quo in Martyrologio Romano & Menologio Græcorum 11. die Iunij agitur, extat luculentissimum testimonium in vita ipsius per Paphnutium descripta, in libro cui titulus: *Vitas Patrum*, reposita: eo namq; testimonio non ipsum solùm, sed & omnes Monachos illius æui, Eliam vt ipsorum Principem agnouisse deducitur. Sic enim loquitur ipse Honuphrius; *Profectò vitam Beati Patris nostri Eliæ venerabiles fratres meos audiui frequenter laudare, qui se in eremo in tanta abstinentia, & oratione studuit affligere, vt maximam virtutem à Domino meruisset accipere, & igneo curru transuectus Spiritus sancti dona, quæ habuerat, discipulo impertiri, ac adhuc longæuus senio mortis pœnam non videre.* Subiungit: *Insuper ad exemplum Beatum Ioannem Baptistam protulerunt.* Consonat & Menologium Græcorum sic dicens: *Sancti Patris nostri Honuphrij, qui cùm esset in Cœnobio in vrbe Hermopoli Thebarum, & audiret de Elia Propheta, & Ioannis præcursoris vita, egressus è* S. Honuphrius.

sus è Cœnobio, habitauit eremum annos sexaginta heminem omnino non videns.

S. Basilius. 6 Ex Sancto Basilio *hom.* 48. quæ est *de Gordio milite* idem etiam deducitur. Dicit enim hunc Gordium abiecto militiæ baltheo, relictisque honoribus, & cunctis, quæ habebat, *Elia Propheta exemplum secutum fuisse, eremiticam vitam sectando.*

S. Ephrem. 7 Item ex S. Ephremo Syro *Paranes.* 1. vbi sic: *Donum optimum Monachi est virginitas curru ipsum ad Cælum cum Elia vehens.* E paulo infra: *Ioannes Baptista tibi exemplo sit, Monache, capillis cameli amictus, vt Elias de sua pelle cooperiens caprina in Cælum introducat.* Item *in consilio de vita spirituali cap.* 90. Monachum sic monet: *Noli splendido vestium ornatu gloriari, memor quomodo ouinis pellibus indutus fuerit Elias, quali item Ioannes Baptista vestimento vsus sit, ne obliuiscaris.*

Gregor. Nyssenus. 8 Ad hæc S. Gregor. Nyssenus Basilij frater veritatem hanc de principatu Eliæ in Monachos, & eremitas sæpius scriptis consignauit. Primò enim *in orat. 7. cap. 4. Cantic. Canticor.* circa illa verba: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad,* sic scribit: *Fortasse & Elias aliquid nobis ad hanc caprarum considerationem conferet, qui longo tempore versatus in Monte Galaad insignia vitæ continentis exempla præbuit, forma squallidus, capillis hirsutus, pro veste molli pelle capræ tectus. Itaque omnes quotquot ad exempla Vatis illius vitam suam instituunt, ornamentum Ecclesiæ fiunt gregatim (qui philosophandi mos hoc tempore in vsu cœpit) virtutem in conuersatione mutua colentes.* Item *orat.* 15. *& vltima in Cantic. Canticor.* sic dicens: *Talis erat Elias ille, qui de Galaad sideris instar exoriens est in horrido, squallidoque corpore, caprinis pellibus tectus, ad omnes Tyranni minas numquam non interritus. Quicunque igitur ad imitationem generosi in hoc Vate animi seipsos supra mundum hunc vniuersum attollunt egentes, pressi, afflicti in montibus, antris, cauernis terræ, quibus denique mundus non est dignus; hi verò gregatim circa vniuersi huius caput conspecti, Ecclesiæ gloria fiunt ad calestem gratiam vnà cum illo Galaadita conscendentes.* Præterea in *Oratione*, qua fratris sui Basilij laudes commendat, sic habet ad intentum: *An etiam audebimus ad sublimem Eliam sermone ascendere, & ostendere nostrum Doctorem sua vita instituto illius gratia assimilari?*

Gregorius Nazianzenus. 9 Accedit & Sanctus Gregorius Nazianzenus Basilio, & Nysseno coæuus. Hic *in orat.* 11. *aduersus Arrianos*, qui ei exprobrabant paupertatem, & peregrinitatem, sic ait: *Etiam Carmelus Eliæ me fallebat, qui currum igneum accepit, & Elisæi melote, qua plus potuit,*

quàm

quàm serum fila, & vi coactum in vestem aurum. Fallebat Ioannis solitudo, quæ virum illum in fœminarum natis maximum habebat vnà cum cibo illo, cingulo, & veste. Notat ibi Elias Cretensis Nazianzeni scholiastes hæc ab eo dicta esse *singulari cum ironia*, hoc est, quia ipsi paupertatem, & solitudinem Arriani exprobrabant, obiecit ipse paupertatem Eliæ, & Elisæi, quam æmulabatur, & Ioannis solitudinem, quam diligebat. Vnde consequenter *Orat.* 19. sic dixit: *Carmelum Eliæ considerabam, & Ioannis solitudinem, hominumque talem commentandi rationem sequentium vitam vltra mundanam, ac res præsentes pro tempestate ducens, rupem quandam, præruptumue locum, aut murum quendam, vbi me tegerem.* Quo eremiticæ vitæ auctores Eliam & Ioannem existimare videtur. Maximè notetur, quòd *in Orat. de laudib. S. Basilij* Eliam, & Ioannem *Summos Philosophos* vocat. Philosophi namque nomen Monachum designat iuxta Patrum phrasim, de qua inferiùs.

10 Clariùs loquuntur alij Patres, & inter eos Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha dicto libro de *Instit. Monachor. cap.* 2. sic scribens: *Hic Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo sancta eorum primæua Institutio sumpsit exordium. Ipse enim obtentu contemplationis diuinæ, & desiderio sublimioris profectus, longè & ab vrbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis, ac mundanis exuens, Religiosam, & Prophetalem vitam eremiticã primus hominum à proposito ducere cœpit, quam, sancto dictante, & mandante Spiritu, inchoauit, & instituit.* Insuper *cap.* 10. sic: *Denique Elias in Monastica vita eremitica, quam primus hominum à proposito inchoauerat, successores post se in perpetuum relinquere disposuit.* Vbi illud *Ecclesiast.* 48. de Elia dictum, *& Prophetas facis successores post te*, iuxta prædictum sensum intelligit. Ioannes Ierosolymitanus.

11 Nec minus clarè S. Hieronymus; ad Paulinum namque scribens cùm vnumquodque propositum suos Principes habere dixisset, idque varijs exemplis ostendisset, ad Monachos pòst deueniens hæc subiunxit in *Epistola* ad ipsum: *Nos autem* (scilicet Monachi) *habeamus propositi nostri Principes, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios; & vt ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster Princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.* Item *in epistola ad Rustic.* hæc: *Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus.* Hoc etiam sensu idem Hieronymus *in vita Pauli primi eremitæ vocati* introducit Antonium de Paulo loquentem sic: *Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto.* S. Hieronymus.

deserto. Ad modum sanè, quo videns Minoritam humilem, & pauperem dicere posset: *Video Franciscum*, quia scilicet ex alumnis ipsius sit, opere, & veritate.

S. Ambrosius. 12 Accedit Ambrosius eius seculi, & totius Ecclesiæ lumen *in epist. ad Vercellenses*, qui postquam multa præclara de Elia dixit, postea de ipso veluti Monachorum magistro, ipsisque Monachis discipulis sic loquitur: *Sed satis de magistro dictum puto, nunc discipulorum vitam persequamur, quia in illam se laudem induerunt, hymnis dies, ac noctes personant; hæc nempe Angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris atque exorare Dominum student, lectione, vel operibus continuis mentem occupant, separari à cœtu mulierum sibi inuicem præbent custodiam; qualis hæc vita, in qua nihil sit quod timeas, & quod imiteris plurimum adest; ieiunij labor compensatur mentis placiditate, leuatur vsu, sustentatur otio, aut fallitur negotio, non oneratur mundi solicitudine, non occupatur alienis molestijs, non vrgetur vrbanis discursibus.*

D. Augustinus. 13 Clarè etiam auctor sermonum *ad fratres in eremo*, siue sit D. Augustinus, vt plures existimant, siue alius pius, doctus, & vetustus, vt alij autumant, eremitas *serm. 39.* sic alloquens: *Pax vobis fratres, quoniam electi estis ante mundi constitutionem in hac vasta solitudine, vt sitis cum Elia, Paulo, Hilarione, Antonio, & Ioanne sancti, & immaculati in conspectu Dei, &c.*

Cassianus. 14 Clariùs loquitur Cassianus etiam eiusdem seculi Pater *lib. 1. de Instit. c. 2.* sic dicens: *Itaque Monachum vt militem Christi in procinctu belli semper positum accinctis lumbis iugiter oportet incedere; hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento huius Professionis fundauere primordia, Eliam scilicet & Elisæum, diuinarum Scripturarum auctoritate demonstratur.* Item *collat. 18. c. 6* de Anachoretis loquens, Anachoretas, id est, Secessores meritò nuncupari ait, eo quòd nequaquam contenti hac victoria, quæ inter homines occultas insidias diaboli calcauerunt, aperto certamine, ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi recessus penetrare non timeant ad imitationem Ioannis Baptistæ, qui in eremo tota permansit ætate, Eliæ quoque & Elisæi, atque illorum, de quibus Apostolus ita memorat: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis*, &c.

Paulinus. 15 Nec omittendus Paulinus Nolanus Antistes *in Epistola ad Sebastianum eremitam in quarto tomo Operum D. Hieronymi* sic scribens: *Ipse Dominus noster donauit nobis, licet longo interuallo distantibus, appropinquare tibi in dilectione per odorem bonæ notitiæ, quam per fratrem in Do-*

in Domino charissimum Victorem accepimus, qui nobis, & opus propositi tui & secretum tabernaculi nuntiauit, quia veterum Sanctorum strenuus æmulator super torrentem tibi gratissimum, sicut illi quondam filij Prophetarum Eliseo duce super Iordanem pacificam mansionem, & spiritualia castra posuisses, & Diaconus tibi frater Benedictus Sarephtanæ illius Sunamitidis obsequio ministraret. Beatus ille, cui mandauit Dominus sicut vni volatilium Cæli, vt te sicut Eliam ad torrentem secreto sedentem panibus pietatis pasceret.

16 Historia tripartita quæ Sozomeni, Socratis, & Theodoreti Auctorum est *lib. 1. c. 11.* clarè habet Monachismi, quem elegantissimam Philosophiam appellat, auctores fuisse Eliam, & Ioannem Baptistam: *Huius itaque* (inquit) *elegantissimæ Philosophiæ Princeps quidam fuit, vt quidam dicunt, Elias Propheta, & Baptista Ioannes.* Vide similiter in Cassiodoro in vita D. Antonij, & discipulorũ apud Lipomanum. Et animaduerte *Philosophi*, & *Philosophiæ* nomina apud Patres,& priscos Doctores designare *Monachos*, & *Monasticum statum*, vt videre est in Philone *lib. de viri probi libert. & de vit. contemplat.* Iosepho *in 2. de bello c. 7. & 18. Antiquit. c. 2.* Eusebio *in l. 2. hist. c. 17.* Nysseno *Orat. 7. in c. 4. Cantic.* Nazianzeno *in Orat. de laudib. Basilij, & Orat. 13.* Chrysostomo passim *in lib. contra vituperator. vit. monast.* Nilo *in lib. de monastic.* Photio *in Bibliothec.* dum loquitur de Essenis. Nicephoro *lib. 2. hist. c. 17.* & alijs passim. Tripartita

17 Adstipulatur Sollius Sidonius Apollinaris antiquitate & doctrina celebris, qui Faustum Regensem *carmine 16.* sic compellat: Sidonius.

Seu te flammatæ syrtes, & inhospita Tesqua,
Seu cœno viridante Palus, seu nigra recessit
Incultum mage saxa tenent, vbi sole remoto
Concaua longæuas asseruant antra tenebras;
Seu te præruptis porrecta in rupibus alpis
Succinctos gelido libantem cespite somnos
Anachoreta tremit, quæ quamquam frigora portet,
Conceptum Christi numquam domat illa calorem,
Qua nunc Elias, nunc te iubet ire Ioannes,
Nunc duo Macarij, nunc & Paphnutius heros,
Nunc Hor, nunc Ammon, nunc Sarmata, nunc Hilarion,
Nunc vocat in tunica nudus te Antonius illa,
Quam fecit palmæ folijs manus alma magistri.

18 Fauet etiam Antiochus Monachus Cœnobij lauræ alumnus, inter Bibliothecæ Patres relatus, qui *hom. 89. de inopia* sic inquit: Antiochus.

Facul-

Facultatum omnium possessio ablegata semel à quopiam, & excussa nihil obscurè declarat sinceram esse Monachi conuersationem, qui nullum possidet peculium. Monachus aquila altiuola est, qui se exuit possessione facultatum, Eliæ comperitur esse imitator, & Ioannis. Item ex eorum qui dicunt: Ecce nos reliquimus omnia &c. Item *homil.* 112. *de renunciatione*, id est, Monachismo loquens: *Fac repræsentes Ioannem illum Christi præcursorem verè Angelum Domini puritate vitæ.* Et post alia: *Quin Eliæ etiamnum, & Elisæi atque aliorum, nec paucorum vitam nihil dissimilem comperies, nimirum intemeratam, nec vlli peruiam reprehensioni. Hos igitur si cupieris efficaciter æmulari, imitare seniores.*

S. Isidorus. 19 Maximè adstipulator extat S. Isidorus Hispalensis *lib. 2. de Offic. c. 15.* sic loquens: *Vnde autem ad Monachos studium defluxerit paupertatis? vel quis huius conuersationis extiterit auctor, cuius isti habitum imitantur? Quantum enim, inquam, pertinet ad auctoritatem veterum scripturarum, huius propositi Principes Elias, & discipulus eius Elisæus fuerunt, siue alij Prophetæ, qui habitabant in solitudine, vrbibusque relictis, faciebant sibi casulas prope fluenta Iordanis. Huius deinde propositi in Euangelio Ioannes auctor extitit, qui eremum solus incoluit, locusta tantùm, & agresti melle nutritus. Iam deinde progeniti sunt conuersationis huius nobilissimi Principes Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius, cæterique fratres.* Idem de eremitis agens: *Secundum genus est eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes deserta loca, & solitudines vastas sequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Eliæ, & Ioannis Baptistæ, qui eremi secessus penetrauerunt.*

Petrus Damianus. 20 Patrocinatur etiam Petrus Damianus Cardinalis *to. 3. Opusculorum opusc. 15. cap. 2.* de origine vitæ eremiticæ sic loquens: *Huius vitæ normam, vt anteriora prætereeam, Elias cœpit, Elisæus verò aucto discipulorum Collegio dilatauit.* Et *lib. 5. Epistol. Epist. 19. ad Clericos, & Canonicos,* vbi sic: *Certè nostri, non vestri Ordinis Moyses, & Elias fuere, eremum qui incoluere, nostri auctores greges Prophetarum, cum quibus reprobus Saul sæpè cantauit.* Hæc ibi satis ad intentum.

Rupertus Abbas. 21 Præcipuus huius causæ patronus Abbas Rupertus est, qui *lib. 3. in Cantic. 4.* circa illa verba: *Capilli tui sicut greges caprarum, qui ascenderunt de monte Galaad.* sic loquitur: *Qui greges caprarum vel quando greges caprarum apparuerunt de monte Galaad? Vtique greges rationales, greges caprarum rationalium tunc apparuerunt, quando cœperunt homines eiusmodi esse, de qualibus Apostolus dicit: Circuierunt in melotis pellibus caprinis, &c. vsque & in cauernis terræ. Quando cœperunt esse homines eiusmodi, vel vnde apparuerunt homines huiusce modi conuersationis? Nimirum quando Iezabel interficiebat Prophetas Domini, tunc*

ni, tunc apparuerunt de monte Galaad, id est, de ciuitate eiusdem nominis Galaad. Sic enim scriptum est: Et dixit Elias Thesbytes de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Et factum est verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere, &c. Hæc dixit, & hæc fecit ille primus auctor, & Institutor eorum, qui dicti sunt filij Prophetarum, quos fuisse Monachos in veteri Testamento consentit auctoritas Patrum venerabilium. Et rectè dicuntur apparuisse, quia iam dictus Institutor illorum Elias sic repentè illic introducitur, vt antea nusquam Scriptura meminerit, quis, vel vnde fuerit progenitus. Nihil clariùs ad intentum vel desiderari potest.

22 Nec prætermittendus D. Bernardus Clareuallensis, siue alius eius spiritum reddens, pius, & doctus, qui fratres de Monte Dei *in epistola de vita solitaria* alloquens, vitamque Monasticam & solitariam, quam per id temporis ab illis assumptam nouitatis insimulabant, & arguebant aliqui, ab hac calumnia, & conuicio vindicans, ita scribit: *Hæc nouitas non est nouella vanitas, res enim est antiqua, hereditas Ecclesiæ Dei à tempore Prophetarum præmonstrata, iamque nouæ gratiæ Sole exorto in Ioanne Baptista instaurata, & innouata, & ab ipso Domino familiarissimè celebrata, & ab eius discipulis ipso præsente concupita: post passionem verò calente adhuc in fidelium cordibus effusi sanguinis recenti memoria, solitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem hanc sectantibus, & in spiritualibus exercitijs, & in contemplatione Dei pingue otiū altero in alterum zelantibus deserta repleta sunt, ex quibus legimus Paulum, Macarium, Antonium, Arsenium, & alios quamplures in sanctæ huius conuersationis republica consulares viros.* Hæc autem si rectè expendantur, clarissimè nostrum indigitant intentum. Cùm nullus alius ex Prophetis clariùs aut expressiùs Monasticem præmonstrauerit, quàm Elias, nec Ioannes Baptista aliam Monasticam, aut eremiticam vitam instaurauerit, quàm Elianam, iuxta dicenda *sub anno* 4052. S. Bernardus.

23 Nec Hugo Victorinus, qui *serm.* 72. explicans illud *ps.* 64. *Pinguescent speciosa deserti*. Per *speciosa deserti* viros solitarios, & eremi cultores intelligens, sic habet: *Ex his speciosis deserti Elias extitit, dum ad torrentem Careth solus pluribus diebus sedit, & dum in deserto Bersabeæ sub iunipero quieuit, dumque in mõte Sinai in spelunca mansit. Ex speciosis deserti, imò speciosissimum deserti Beatus Ioannes Baptista fuit, qui pilis camelorum indutus, locustas, & mel siluestre in deserto comedit, & aquam bibit. Speciosa quoque deserti* Hugo Victorinus.

fuerunt innumerabiles Ægyptiorum monachorum solitudines, &c.

Ioachim. 24 Ex Ioachimo Abbate *in lib. de concordia noui, & veteris Testamenti* refert Palæonydorus *lib. 1. c. 2.* ista: *Præcesserat prophetica vita in Elia, ex cuius vita gloriosa Elisæus Propheta in sua charitate inchoauit Conuentum Ordinis.* Referre tamen nos possumus luculentiora. Primò enim in *cap. 2. Apocalypsis* hæc scripsit: *Eodem tempore apertionis quartæ inuentæ sunt reliquiæ in populo Græcorum, & viri probatissimi habitatores eremi, quorum alij, qui in imitatione Eliæ ante præcesserant, omnino iam arescere incipiebant; alij verò qui successerant in imitatione Elisæi, cœperunt fieri Patres monachorum, & virginum, quorum imitatio vsque ad Latinos peruenit.* Item circa illud Apocalypsis *c. 6. v. 13. Stellæ ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos*, sic habet: *Elias, cuius prosapia incerta est, Ordinem prænotat contemplantium.* & inferiùs: *Designatur autem per Eliam, sicut per Solem Ordo monasticus.*

Thomas Vualdensis. 25 Patrum tandem, & priscorum Doctorum agmen claudat inter ipsos iure veluti censendus noster Thomas Vualdensis, qui *in doctrinali fidei lib. 3. ar. 1. c. 4.* hæc habet satis ad intentum: *Isti tamen Monachi, seu filij Prophetarum à tempore Samuelis non cessabant vsque ad aduentum Eliæ Thesbytæ, in cuius temporibus inuadente Achab omnem populum ad cultum Idolorum, penè perijt tota Religio Prophetarum, & inclinauit omnis populus ceruices suas ritibus Idolorum, in tantum quòd exclamaret Elias coram omni multitudine: Ego, inquit, remansi Propheta Domini solus, Prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta, & Prophetæ lucorum quadringenti sunt viri. 3. Reg. 18. Ideo zelans multiplicare Religionem Prophetarum Sanctorum, solicitè huic rei operam dedit. Elisæum primò instituens, & pallio suo induens, & demum alios post eum magno numero, prouidens ab intento, vt Sanctæ Religionis successio semper staret, secundùm quod Sapiens Eliam alloquens, dixit:* Prophetas facis successores post te, qui raptus es in turbine ignis, Ecclesiastici 48. *Primùm quidem statuit eos multos, & post eum Elisæus in Monte Carmelo, qui ad tantum numerum deuenerunt, vt spatiosum illud desertum non posset eis sufficere. Vnde venientes ad Elisæum præceptorem suum, dixerunt: Ecce locus, in quo habitamus coram te angustus est nobis, eamus vsque ad Iordanem, & tollamus singuli de silua materias singulas, vt ædificemus ibi locum nobis ad habitandum; qui dixit: Ite. 4. Reg. 6. Et sic tandem multi manserunt ibidem iuxta littus Iordanis. Quidam autem manserunt in Carmelo; quidam in Monte Ephraim; multi etiam in suburbijs ciuitatum Regulares tractabant obseruantias, maximè autem in Galgala, quem locum frequentabat Samuel.*

In Be-

In Bethel quoque multi manserunt, in Ierusalem, in Sarepta, in Samaria & Iericho, seu Ierichunte Ciuitatibus, vt processiuè patet 3. Reg. & 4. & mansit hac Religio Prophetarum continuò vsque in aduentum Christi, & deinceps facti sunt Principes Religiosæ militiæ Christianæ. Post quæ affert illa, quæ ex D. Hieronymo *ad Paulinum*, & D. Isidoro *de Officijs* superiùs retulimus.

26 Afferunt etiam pro eadem causa tuenda aliqui alios ex Patribus, videlicet, Chrysostom. *Hom. 68. in Matthæum.* Nilum eius discipulum *in Ascetico longè post medium.* Theodoretum Cyrensem *in Philoteo*, Pascasium Rathbertum Corbeiensem Abbatem, Odilonem Auernum *in vita S. Maioli in Biblioth. Cluniac.* Aldelmum, seu Adelmum *in lib. de laud. Virg. in tom. 8. Bibliotheca noua.* Bernardum Cassinensem *in exposit. Regulæ S. Benedicti.* S. Antoninum *in summa 3. par. tit. 16. §. 4.* & alios, quos omittimus, cùm ij qui relati sunt, manifestè intentum concludant, nec testes alij desiderentur, cùm res apud tam eximios pro inconcussa veluti veritate habeatur. Alij Patres.

27 Ex recentioribus porrò, seu neotericis Doctoribus, quamuis in infinitum progredi esset eorum, qui rem hanc testati sunt, testimonia referre, grauiores tamen aliquos adducere non tædebit. Hi sunt Bartholomæus Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi 4. par. considerat. 53.* Ioannes Trithemius *in lib. de laudib. Carmelitar. cap. 3.* vbi de Elia, Elisæo, & filijs Prophetarum loquens inquit: *Isti sunt viri fortes, atque prudentes, qui Monasticæ conuersationis fundamenta iecerunt.* Dixerat autem *cap. 2. Nec mireris, si etiam Monachos ante Christi natiuitatem in Israël fuisse dixerim, qui montem Carmeli & deserta solitudinis inhabitarent, quandoquidem & apud Gentiles in Gallia nostra Belgica Monachatus celebris fuit, cuius professores antiquitas Druides appellauit.* Cardinalis Baronius *tom. 3. Annalium ad annum* 340. vbi de Monastico statu loquens inquit: *Erat quidem in Oriente summum viuendi genus instar Eliæ, ac Ioannis cunctis hominibus etiam Ethnicis, & Imperatoribus venerandum, sed & impijs quoque hæreticis reuerendum.* Bellarminus *tom. 2. lib. 2. de Monachis cap. 5.* vbi Monachorum vetustatem contra Magdeburgenses ostendens dicit, Eliam, Elisæum, & filios Prophetarum sine vxoribus, & diuitijs vixisse. Nicolaus Cœffeteaus *in Monarch. Ecclesiast. cap. 12. lib. 2.* Raymundus Fagier *in Tractat. Doctor.* Nicolaus Boherius *tom. 3. Tract. Doctor. par. 2.* Iodocus Ascensius Badius Baptistæ Mantuani Commentator *super Eclogam* 10. Marianus Victorius *in epist. S. Hieronymi.* Galienus *de Origine Monast.* Canisius *lib. 1. de corrupt. cap. 1.* Paulus Morigia *de Orig. Relig. c. 1. &* 30. Iacobus Syrmondus *in notis ad car-* Doctores varij.

mina Sidonij. Proſper Stellartius *lib. 2. de coronis & tonſuris Iudæorum cap. 13.* Michaël Mauclerus Doctor Sorbonicus *in 2. par. Monarch. Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 13.* Ioannes Carthagena *4. tom. homil. lib. 17. homil. 1.* Cornelius à Lapide *in Geneſ. cap. 5. & 3. Reg. 18.* Antonius Fernandez *in viſiones veteris Teſtamenti viſione 9.* Michaël Giſlerius *in Cantic. c. 4. verſ. 1.* Heribertus Rovverdus *in notat. ad vitam Pauli primi Eremitæ*, Ægidius Camartus *in lib. de geſtis Eliæ cap. 9. ſect. 2.* vbi ex eo ortum ducere ait quidquid Monaſticæ diſciplinæ poſteriora ſecula frequentata ſunt. Dominicus Grauina *in voce turturis par. 2. cap. 15.* Petrus Caluus Dominicanus *in defenſ. Relig. lib. 2. cap. 13.* Aubertus Miræus *in libello de origine & incrementis Ordin. Carmelit.* Alardus Gazæus *in Comment. ad Caſsian. lib. 1. de Inſtit. renunciantium cap. 2.* Stephanus Paſquaſius Iuriſconſultus *epiſt. ad Ayraudum.* Alcazar *in cap. 11. Apocalypſ. verſ. 3.* Petrus Bertius *in epiſt. ad filium Carmelitam*, Laurentius Landtmeter *in lib. 1. de vet. cler. mon. par. 2. cap. 1.*

Auctores noſtri.

28 Conſultò omittimus noſtrorum ſcriptorum teſtimonia, quibus huius intenti vnanimes, & concordes propugnatores ſeſe demonſtrant, ea namque quæ adduximus, adeo efficaciter illud conuincunt, vt ſuperuacaneum ſit vltra procedere. Vnus tamen non prætermittendus B. Cyrillus Conſtantinopolitanus, de quo capite 10. ſermo erit, qui *in Epiſtola ad Euſebium*, quæ per errorem dicitur ad Ioachimum, in Speculo Ordinis *lib. 8. c. 1.* expreſsè tradit vitam Monaſticam, ſeu eremiticam ab Elia ortum habuiſſe, & in libro Ioannis Ieroſolymitani deſcriptam contineri.

Baptiſta Mantuanus.

29 Pro capitis tandem coronide, quam egregius Poëta Baptiſta Mantuanus noſter *in lib. 3. Parthenices* ſcripſit de Carmelo monte, in quo Elias Monaſtices fundamenta iecit, vnde alij Religionum Patriarchæ normam capere potuere, annectere placuit:

Mons patrum pietate ſacer, lateque priorum
Inclytus hoſpitio Vatum, nam dicitur illinc
Diſcipulo ambuſtam iaciens ex aëre veſtem
Elias ardenti cœlum petijſſe volatu:
Illinc perpetuis ceu miſsi è fontibus amnes
Religio, & ſacri fluxit reuerentia cultus,
Quicquid habent alij montes pietatis, ab iſto
Ducitur hac vna plures è vite racemi
Diffuſi latè terras, atque æquora complent,
Hinc Chartuſiacis æterna ſilentia clauſtris:
Hinc varias Benedictus oues collegit, ab iſto

Canabe

Canabe nodosa tunicas arcere fluentes
Lignipedes didicere viri, quique arua colebant
Inuia, & assiduo terras ardore calentes,
Et quos Cyriacus de littore venit Ibero, &c.

30 Hos porro Patres, & peruetustos auctores dum Monachatus principatum Eliæ, & alumnis concedunt, non impropriè, metaphoricè, aut abusiuè accipi debere, sed strictè, & propriè, respectiuè tamen ad imperfectionem veteris Legis, & iuxta modulum, quo Monachismus eo statu esse potuit, & decuit, iuxta dicta capite præcedenti, vel ex constanti ipsorum consensu, vel quia sic occasio daretur omnia Patrum dogmata eludendi, sufficienter conuincitur, ampliusque demonstrabitur Tomo secundo, vbi de singulis, qui vetustorum Monachorum Patriarchæ ab alijs censentur, Eliani Instituti cultores, seu æmulatores extitisse ostendetur. Quomodo intelligendi.

Specialiter, & signatim Carmelitani Ord. eundem Eliam primum Patriarcham & fundatorem extitisse. Cap. VI.



1 PATER Franciscus Suarez huius seculi celeberrimus Doctor 4. *to. de Relig. lib.* 2. *c.* 10. dum de Carmelitana Religione sermonem instituit, non leuibus ductus fundamentis hæc protulit, quæ pro præsentis capitis argumento libuit apponere: *Est autem valde recepta, & satis antiqua traditio Religionem hanc à temporibus Prophetarum & signatim ab Elia Institutione suam ducere originem, & quasi hereditariam successionem in monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit, quam traditionem vt veram suscipimus, præsertim, &c.* Quibus verbis Eliæ Patriarchatum super Carmelitanum Institutum *valde receptam, & satis antiquam traditionem* vocat, & suscipit. Traditionem etiam hoc nostrum intentum vocant Gaspar Sanchez *in* 3. *Reg.* 17. *n.* 12. Carthagena 4. *to. Homil. Homil. pro Carmelit. Ordin.* & alij. Eam ergo ex plurium tum summorum Pontificum, & Patrum, tum Doctorum, & pergrauium scriptorum testimonijs deducere conabimur; primùm exteros, deinde proprios eiusdem Ordinis alumnos referendo, temporis potiùs ordinem, quàm auctorum, seu testimoniorum dignitatem sectando. Suarez.

2 Et primò ex Iosephi Antiocheni vetustissimi auctoris (vt potè, qui teste Posseuino in Apparatu anno Christi 130. vixit) libro, *Speculum perfectæ Ecclesiæ primitiuæ* appellato *c.* 12. & 72. cuius hæc sunt verba: *Perfectorum militum Christi Apostolorum coadiutores sur-* Iosephus Antiochenus.

rexerunt strenuissimi Viri, solitarij, contemplationi dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi imitatores, qui de monte Carmelo descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam Fidem Christi constantissimè sparserunt, quique in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli decliuio fabricantes oratorium Saluatoris Matri specialissimè seruierunt. Huius Iosephi opus tempus edax rerum, sicut alia plura vetusta munumenta absumpsit, vel sub Bibliothecarum latebris abscondit; illud verò quandoque extitisse constat non solùm ex eo quòd Emmanuel Romanus *in Elucidationib. Carmelitar. Elucidat.* 27. referat illud in Vniuersitatis Salmanticensis Bibliotheca vidisse, & legisse, sed etiam ex Philippo Ribboti, qui ante 250. annos in viuis erat, qui & illud commemorat, ac refert in *Speculo Ordinis lib. 5. c. 8.* doctissimo Vvaldensi in *to. 1. doctrinal. fidei l. 4. ar. 2. c. 27.* Ioanne Palæonydoro *lib. 2. de Orig. & processu Ordin. Carmelit. c. 1.* Nicolao Lehuen *in Itinerario Sacro*, & alijs Ordinis historicis, qui ipsum etiam referunt. Quibus de exteris consonant Ascensius Badius *in l. 3. Parthenic. Marian. Baptistæ Mantuani*, Laurentius de Zamora *in Concion. pro Carmelit.* Petrus Oxeda *de Concept. Virgin. fundam. 1. cap. 1.* Ioannes Bonifacius *de histor. Virgin. l. 2. c. 1. in margine.* Rodericus Carus *in Notis ad Flauium Dextrum* loquens de S. Leocadia; Ioannes Carthagena *to. 4 homil. homil. de Ord. Carmelit.* Syluester Marulus Cistertiensis *in Mar. Ocean. Relig. l. 4.* Laurentius Beyerlinck *in Theatro vit. hum. to. 6. litter. R. verbo, Religiosus Religio.*, dum de Carmelitis loquitur, & alij. Deinde Luitprandus, seu Eutrandus nobilis & peruetustus auctor, qui circa ann. Dom. 960. claruit, de quo alias *cap. 2. n. 25.* diximus in opere *Fragmentorum nuncupato*, fragmento 263. pro nostro intento hæc scripsit: *Magna pars eorum, qui ex Iudæa traiecerant in Hispaniam tempore Nabuchodonosoris, erat ex discipulis SS. Eliæ, Elisæi, & Enoch, & successores illorum.* Quæ nostris fauere nullus refragabitur, cùm eadem fermè in Bullis Summorum Pontific. Sixti IV. Iulij II. Gregorij XIII. inueniantur pro Carmelitis, vt inferiùs videbitur. Traiecisse autem Nabuchodonosor in Hispaniam & cum eo Iudæos aliquos Hispani Historici fatentur, de quo Mariana *lib. 1. c. 17.* & alij. De quo, & isto Luitprando, & opere illo ipsi attributo aliàs dicetur.

Luitprandus.

Chronicō Romanum.

3 Accedit antiquissimum quoddam Romanorum chronicon, quod Romanum dicebatur apud Paleonydorum *l. 1. c. 6.* sic scribens: *A tempore Eliæ, & Elisæi Prophetarum, Religiosi de numero eorum, qui morabantur in monte Carmeli iuxta Ciuitatem Dominæ nostræ, Nazareth secretiùs solebant inhabitare vsque ad tempora Saluatoris, qui tandem*

H dem

dem prædicantibus Apostolis in Fide cõfirmati in vno latere ipsius montis primò Ecclesiam in honorem Virginis Mariæ construxerunt. Hanc historiam, etsi forsan temporum iniuria in tenebris latentem, inter fide dignas recensendam sufficienter confirmant, quæ inferiùs afferemus ex Armacano Hiberniæ Primate, qui eadem, & eisdem fermè verbis dixit, quò denotatur ex ea illud hausisse, eamque fide dignam reputasse.

4 Hic igitur Armacanus in *sermone de Conceptione Virginis*, qui incipit, *Aue*, quem habuit Auenione anno Domini 1342. prout refert Vvaldensis *to.3. de Sacramentalib. tit.9. c.89.* sic dixit: *An non meritò dicimus illi Aue, quæ sic erat illustrata virtutibus in origine? vtique hanc illustrationem in suo ortu hic sanctus, ac peculiaris & antiquus Ordo suus Carmelitarum prætendit in habitu; qui hoc festum singulariter in eo solemnizat, candorem habitus sui, vt existimo, prudenter & deuotè referens ad hoc factum. Miramini forsan, quia dixi, Ordo suus peculiaris, & antiquus, cùm veritate attenta nullatenus sit mirandum, quoniam vt dicunt fide digne historiæ, à tempore Eliæ, & Elisei, qui sæpius morabantur in monte Carmelo, iuxta Nazareth Ciuitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria solebant homines deuoti secretiùs habitare vsque ad tempora Saluatoris: & tunc illi eremitæ prædicantibus Apostolis inter cæteros sunt conuersi, & in vno latere montis ipsius primò Ecclesiam siue Oratorium in honorem B. Virginis construxerunt, in loco illo scilicet, in quo didicerant ipsam in vita sua cum sodalibus virginibus cohabitasse. Et ob hoc nimirum inter omnes Religiosos Dominæ nostræ primitiùs sunt adscripti, vt vocarentur fratres B. Mariæ de monte Carmelo.* Huius Armacani auctoritatem non leuis ponderis esse ex eo facilè conuincitur, quòd illa vtatur grauissimus auctor Vvaldensis contra impium & obstinatum Vviclephum, qui *lib. de Ecclesia, & membris eius c.6.* figmentum appellauerat, Eliam in Carmelo Carmelitarum Religionem stabilisse. Armacanus.

5 Adstipulatur Philippus Abbas Ieropolitanus *in Ioann. 1.* apud Palæonydor. *lib.2. c.1.* sic dicens: *O Carmelitarum Religio, quàm magna facta es in domo Domini! Numquid olim à modico fonte Eliæ Dei Prophetæ principium habuisti? & ecce nunc in magnum flumium creuisti. Tu olim plantata in eremo, nunc facta es Ciuitas plena populo. Tu fundatorem habes adhuc in Paradiso viuentem, & gloriosam Virginem Mariam Reginam Cæli, Dominam mundi, in patronam singularem. Sicut enim olim de te processerunt Patriarchæ, & Prophetæ; sic nunc de te procedunt Sacerdotes, & Leuitæ, Doctores, & Euangelistæ, qui patres, & patroni omnium Religiosorum facti sunt.* Philippus Ieropolitanus.

Maxi-

Ioannes 22. 6 Maximè fauet Summus Pontifex Ioannes XXII. qui anno 1322. in Bulla, *Sacratissimo*, quam confirmauit Alexander V. postea sui pontificatus anno primo, refert quandam reuelationem B. Virginis, in qua dicitur hunc Ordinem per Eliam & Elisæum fuisse in monte Carmelo inchoatum. De hac porro Bulla, data ipsius, eaque reuelatione, & alijs concernentibus circa id tempus dicemus.

B. Petrus Thomæ. 7 Fauet & alia eiusdem B. Virginis reuelatio B. Petro Thomæ Patriarchæ Constantinopolitano post aliquot annos ab hoc tempore facta, prout suo loco referemus, qua constat eandem Beatissimam Virginem illi dixisse, Religionem Carmelitarum in finem vsque mundi duraturam, quia Elias eius Institutor id à Domino impetrauerat. Habetur hoc ex Ioanne de Hildenshein Saxone *lib. contra detractor. Ordin: c.5.* & ex alijs historicis domesticis, ac exteris, & quod magis est, ex approbatione Sacræ Congregationis Rituum in officio eiusdem Beati sub Vrbano Octauo sub anno 1628. de quo aliàs.

Cantabrigiensis Academia. 8 Temporis etiam ordo postulat, vt Cantabrigiensis Academiæ in Anglia celeberrimæ, & Doctorum ipsius egregium testimonium, decisio, ac sententia pro parte, quam tuemur, in medium producatur. Accidit enim circa ann. Dom. 1374. vt nonnulli Vniuersitatis prædictæ scholastici, iuuenili forsan leuitate ducti, & ab aliquibus ex maioribus excitati Institutionem, intitulationem, & confirmationem Ordinis adeo præsumptuosè cauillarent, vt cùm quidam alij veritatis propugnatores in medium prosilirent, rixæ, & discordiæ inter ipsos suscitarentur. Erat eo tempore quidam Ordinis nostri Professor, ac Regens in ea Vniuersitate, Ioannes Hornebius vir doctus, ac pius, qui pro Religionis honore sugillantium ora obtrudere cùpiens, rem ad Vniuersitatis Cancellarium iuridicè discutiendam detulit. Hic conuocatis Assistentibus, & alijs Academiæ Collegis sub die 23. Februarij anni prædicti sequens promulgauit decretum, prout in Speculo Ordinis *fol.* 81. & alijs Ordinis monumentis apparet: *Vniuersis Sanctæ Matris Ecclesiæ filijs præsentes litteras inspecturis, Ioannes de Donelbico Cancellarius Vniuersitatis Cantabrigiæ salutem in Domino sempiternam. Cùm nuper à nonnullis Vniuersitatis prædictæ studentibus Institutio, intitulatio, & confirmatio Ordinis fratrum B. Mariæ de monte Carmeli nimis præsumptuosè reuocabantur in dubium, vnde discordia ac rixa quamplurima inter scholares eiusdem Vniuersitatis fuerant suscitatæ, nec non magna perturbatio inualescebat in eadem; eapropter religiosus vir frater Ioannes de horneby*

neby Sacræ Paginæ professor dicti Ordinis Beatæ Mariæ de mõte Carmeli confrater in ipsa Vniuersitate Regens, nobis in plena congregatione Regentium, & non Regentium humiliter, & deuotè pro remedio opportuno per nos ordinando in præmissis instanter supplicauit. Nos verò Ioannes Cancellarius antedictus cupientes materias dissensionum, ac iurgiorum amputare, & veritatem præmissorum indagare, ac prout ad nos attinet, quietem ipsius Vniuersitatis scholaribus reparare, præfiximus certũ diem dicto Religioso viro fratri Ioanni de Horneby ad comparendum coram Nobis, ac alijs venerabilibus per Vniuersitatem Regentium, & non Regentium vnanimi assensu eorundem nominatis electis, & ad assistendum Nobis deputatis, & omnibus, quorum interest, in hac parte legitimè præmunitis, exhibituro, ac propositiuro euidentias, & monimenta quæcunque dictas Institutionem, intitulationem, & confirmationem ipsorum fratrum B. Mariæ de monte Carmeli concernentia. Quo quidem die idem frater Ioannes comparuit, & quædam priuilegia Sedis Apostolicæ, ac Regulam eorum per eandem Sedem approbatam, ac etiam alia monimenta, & antiquas scripturas coram nobis Cancellario, & deputatis antedictis exhibuit, consensu, & assensu dicti Ordinis confratrum præhabitis, & cum instantia nos requisiuit, ac rogauit nomine suo ac Ordinis sui, & confratrum suorum prædictorum, vt auditis rationibus, & allegationibus, visisque priuilegijs eorum Regula & alijs huiusmodi monimentis, & antiquis scripturis, ac diligenter rimatis, & discussis super præmissis veritatem decideremus, & declararemus. Nos verò Cancellarius memoratus attendentes præmissa consona esse iuri, & rationi, auditis rationibus, & allegationibus, visisque priuilegijs, lectis, & examinatis vnà cum nonnullis alijs monimentis, & scripturis antiquis, de consilio, & consensu Discretorum, & Iurisperitorum dictæ Vniuersitatis Nobis assistentium in ea parte, & per eandem deputatorum dictum Ordinem fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli in iure communi, ac speciali confirmatum, & titulo B. Mariæ Dei Genitricis fore specialiter insignitum, ac etiam fratres dicti Ordinis, prout sufficienter apparuit per præmissa exhibita, producta, & allegata, Eliæ, & Elisæi Sanctorum Prophetarum fore imitatores & successores, causæ cognitione, & iuris ordine in ea parte de iure requisitis ad plenum obseruatis, reputamus, decidimus, & decidendo declaramus in his scriptis. Inhibentes quibuscunque nostris, & dictæ Vniuersitatis subditis, ne contra has, decisionem, & declarationem nostras in ipsorum fratrum præiudicium, & dictæ Vniuersitatis vituperium, & studentium in eadem inquietationem venire temerè præsumant sub pœnis, & censuris, nostro & successorum nostrorum arbitrio debitè in contrauenientes ferendis. In quorum omnium, & singulorum testimo-

Ioannes 22. 6 Maximè fauet Summus Pontifex Ioannes XXII. qui anno 1322. in Bulla, *Sacratissimo*, quam confirmauit Alexander V. postea sui pontificatus anno primo, refert quandam reuelationem B. Virginis, in qua dicitur hunc Ordinem per Eliam & Elisæum fuisse in monte Carmelo inchoatum. De hac porro Bulla, data ipsius, eaque reuelatione, & alijs concernentibus circa id tempus dicemus.

B. Petrus Thomæ. 7 Fauet & alia eiusdem B. Virginis reuelatio B. Petro Thomæ Patriarchæ Constantinopolitano post aliquot annos ab hoc tempore facta, prout suo loco referemus, qua constat eandem Beatissimam Virginem illi dixisse, Religionem Carmelitarum in finem vsque mundi duraturam, quia Elias eius Institutor id à Domino impetrauerat. Habetur hoc ex Ioanne de Hildenshein Saxone *lib. contra detractor. Ordin. c. 5.* & ex alijs historicis domesticis, ac exteris, & quod magis est, ex approbatione Sacræ Congregationis Rituum in officio eiusdem Beati sub Vrbano Octauo sub anno 1628. de quo aliàs.

Cantabrigiensis Academia. 8 Temporis etiam ordo postulat, vt Cantabrigiensis Academiæ in Anglia celeberrimæ, & Doctorum ipsius egregium testimonium, decisio, ac sententia pro parte, quam tuemur, in medium producatur. Accidit enim circa ann. Dom. 1374. vt nonnulli Vniuersitatis prædictæ scholastici, iuuenili forsan leuitate ducti, & ab aliquibus ex maioribus excitati Institutionem, intitulationem, & confirmationem Ordinis adeo præsumptuosè cauillarent, vt cùm quidam alij veritatis propugnatores in medium prosilirent, rixæ, & discordiæ inter ipsos suscitarentur. Erat eo tempore quidam Ordinis nostri Professor, ac Regens in ea Vniuersitate, Ioannes Hornebius vir doctus, ac pius, qui pro Religionis honore sugillantium ora obtrudere cupiens, rem ad Vniuersitatis Cancellarium iuridicè discutiendam detulit. Hic conuocatis Assistentibus, & alijs Academiæ Collegis sub die 23. Februarij anni prædicti sequens promulgauit decretum, prout in Speculo Ordinis *fol.* 81. & alijs Ordinis monumentis apparet: *Vniuersis Sanctæ Matris Ecclesiæ filijs præsentes litteras inspecturis, Ioannes de Donelbico Cancellarius Vniuersitatis Cantabrigiæ salutem in Domino sempiternam. Cùm nuper à nonnullis Vniuersitatis prædictæ Studentibus Institutio, intitulatio, & confirmatio Ordinis fratrum B. Mariæ de monte Carmeli nimis præsumptuosè reuocabantur in dubium, vnde discordia ac rixæ quamplurimæ inter scholares eiusdem Vniuersitatis fuerant suscitatæ, nec non magna perturbatio inualescebat in eadem; eapropter religiosus vir frater Ioannes de horneby*

neby Sacræ Paginæ professor dicti Ordinis Beatæ Mariæ de mõte Carmeli confrater in ipsa Vniuersitate Regens, nobis in plena congregatione Regentium, & non Regentium humiliter, & deuotè pro remedio opportuno per nos ordinando in præmissis instanter supplicauit. Nos verò Ioannes Cancellarius antedictus cupientes materias dissensionum, ac iurgiorum amputare, & veritatem præmissorum indagare, ac prout ad nos attinet, quietem ipsius Vniuersitatis scholaribus reparare, præfiximus certũ diem dicto Religioso viro fratri Ioanni de Horneby ad comparendum coram Nobis, ac alijs venerabilibus per Vniuersitatem Regentium, & non Regentium vnanimi assensu eorundem nominatis electis, & ad assistendum Nobis deputatis, & omnibus, quorum interest, in hac parte legitimè præmunitis, exhibituro, ac propositure euidentias, & monimenta quæcunque dictas Institutionem, intitulationem, & confirmationem ipsorum fratrum B. Mariæ de monte Carmeli concernentia. Quo quidem die idem frater Ioannes comparuit, & quædam priuilegia Sedis Apostolicæ, ac Regulam eorum per eandem Sedem approbatam, ac etiam alia monimenta, & antiquas scripturas coram nobis Cancellario, & deputatis antedictis exhibuit, consensu, & assensu dicti Ordinis confratrum præhabitis, & cum instantia nos requisiuit, ac rogauit nomine suo ac Ordinis sui, & confratrum suorum prædictorum, vt auditis rationibus, & allegationibus, visisque priuilegijs eorum Regula & alijs huiusmodi monimentis, & antiquis scripturis, ac diligenter rimatis, & discussis super præmissis veritatem decideremus, & declararemus. Hos verò Cancellarius memoratus attendentes præmissa consona esse iuri, & rationi, auditis rationibus, & allegationibus, visisque priuilegijs, lectis, & examinatis vnà cum nonnullis alijs monimentis, & scripturis antiquis, de consilio, & consensu Discretorum, & Iurisperitorum dictæ Vniuersitatis Nobis assistentium in ea parte, & per eandem deputatorum dictum Ordinem fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli in iure communi, ac speciali confirmatum, & titulo B. Mariæ Dei Genitricis fore specialiter insignitum, ac etiam fratres dicti Ordinis, prout sufficienter apparuit per præmissa exhibita, producta, & allegata, Eliæ, & Elisæi Sanctorum Prophetarum fore imitatores & successores, causæ cognitione, & iuris ordine in ea parte de iure requisitis ad plenum obseruatis, reputamus, decidimus, & decidendo declaramus in his scriptis. Inhibentes quibuscunque nostris, & dictæ Vniuersitatis subditis, ne contra has, decisionem, & declarationem nostras in ipsorum fratrum præiudicium, & dictæ Vniuersitatis vituperium, & studentium in eadem inquietationem venire temerè præsumant sub pœnis, & censuris, nostro & successorum nostrorum arbitrio debitè in contrauenientes ferendis. In quorum omnium, & singulorum testimo-

stimonium præmissorum præsentes litteras decretum nostrum continentes sigilli officij nostri appensione fecimus communiri. Data Cantabrigiæ vigesimo tertio die mensis Februarij anno Domini 1374. Hæc verò aliquantulum prolixiora exscribenda curauimus, vt, & harum litterarum memoria non decidat, & maius robur id, quod intendimus, acquirat. Vt enim ex *cap. Ad abolendum extra de hæreticis* infert Valentia *to.* 1. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 3. §. *Minor autem*. suspecta haberi potest de hæresi ea propositio, quæ in aliqua Academia Catholica condemnata fuerit. Quod dixerimus, non vt vel leuem aliquam notam aduersarijs nostris inuramus, sed vt maiorem firmitatem assertioni nostræ præstemus. Hæc porro *monumenta, & antiqua scripta*, ex quibus visis & cognitis talem Cantabrigiensis Academia protulit sententiam, proculdubio sunt aliqua ex ijs, quæ retulimus, & forsan antiquissima Ordinis statuta, quæ Palæonydorus *l.* 1. *c.* 6. refert, in quibus *l.* 1. *c.* 1. sic legebatur: *A tempore Eliæ, & Elisæi Prophetarum montem Carmeli inhabitare solitorum, Sancti Patres tam veteris, quàm noui Testamenti in eiusdem montis solitudine pro contemplatione cælestium iuxta fontem Eliæ in sancta pœnitentia sunt laudabiliter conuersati, &c.* Addit Palæonydorus: *Et hoc testimonium est de iure validum* 14. *q.* 2. *super prudentia, nam in testes sunt assumendi, qui eadem negotia tractauerunt.* Sed de hoc nos plura inferiùs *cap.* 10.

Sixtus IV.

9 Post id tempus Petri Cathedram moderante Sixto quarto Pontifice maximo duplici diplomate, altero quod est Mare magnum priuilegiorum, altero quod etiam est Mare magnum Indulgentiarum Ordinis. priori dato sub anno 1476. quarto Calen. Decembr. posteriori vero sub anno 1477. Calendis Aprilis, & vtrumque incipit: *Dum attenta*, egregium nostræ antiquitatis, & hereditariæ successionis ab Elia, & Elisæo testimonium Pontifex dedit, ijs verbis in vtraque Bulla repetitis: *Dumque sublimium dicti Ordinis vtriusque sexus personarum virtutum merita Deo quidem grata, & in conspectu Apostolicæ Sedis accepta digna memoria recensemus, ac Ordinem ipsum, & illius personas sub Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, & inter cæteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam Religionis speculum & exemplar speciali charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hereditariam tenentes.* Additur in posteriori Bulla post Eliam, & Elisæum, *Henoc*, qui, vt obiter id dicamus, fuit quidam ex Christi Discipulis, de quo secundo Tomo latiùs dicetur. Nunc autem ad intentum id solum adijci-

adijcimus, vel hoc dumtaxat Pontificis testimonium sufficienter probare nostrum assertum. Etsi enim vt fide diuina rem credendam non tradat, intra limites tamen humani testimonij maximum robur habere nullus refragabitur.

10 Post aliquot annos, scilicet sub 1504. duodecimo Cal. Maij Summus Pontifex Iulius II. in Bulla *Ad Sacrum Ordinem* illam Sixti IV. Bullam, *ac omnia & singula in eis* (scilicet litteris) contenta, vt ait Pontifex, & pro potiori cautela ipsa de nouo concessit, quò hereditariam successionem Ordinis nostri ab Elia, Elisæo, & relato Henoch etiam ab hoc Pontifice approbatam habemus. Hìc verò interpellandus pius lector, vt animaduertat verba illa Sixti IV. pro Carmelitis dicta, & à Iulio confirmata, *Eliæ, & Elisæi successionem hereditariam tenentes* (idem dicito de alijs similibus in Gregorio XIII. & alijs Pontificibus reperta) prolata à Pontifice fuisse, vt ex ipsismet numero præcedenti relatis constat, non ad nostrorum instantiam, precesue ipsi porrectas, non vt ab illis prætensa, nec prout ab ipsis, alijsue Pontifici proposita, sed veluti ex proprio motu, certa scientia, & notitia, imò pro causa, fine, ac motiuo concessionis priuilegiorum, quæ in illis Bullis Ordini concessit. Quo quantum roboris Instituto nostro accrescat, doctis omnibus compertum erit. Iulius II.

11 Clarus erat circa id tempus, & inter historicos celebris VvernerusRovvelinck Carthusianus, qui in Chronico, cui titulus, *Fasciculus temporũ*, nō semel, sed sæpius in nostræ causæ fauorem egregia protulit testimonia. Nam primò *circa ann.* 1294. ita loquitur: *Nobilissima ciuitas Aconis à Sarracenis destruitur, ac demum Deiferæ Mariæ in Carmelo Monasterium ad quatuor milliaria ciuitati vicinum ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus perfidorum gladijs trucidatis, & tunc (proh dolor) Ordo Carmelitarum mellifluum locum ex toto perdidit, in quo ab Eliæ, & Elisæi Prophetarum tempore duobus millibus, ducentis, & viginti vno annis perstiterant.* Similiter idem auctor dum ageret de anno 4300. à creatione mundi ante Christi ortum ann. 923. sic ait: *Elias Propheta auriga Israël, & origo Carmelitanæ Religionis Elisæo viuente rapitur.* Item *circa annum Domini* 450. ita loquutus est: *Elisæi Prophetæ Carmelitanæ Religionis primi post Eliam Patris & Patroni, Sigibertho Gemblacense teste, ossa transferuntur de Samaria in Palæstinam.* Hæc celebris auctor. Vvernerus Rovvelinck.

12 Accedit reuerendissimus, pariterque doctissimus Abbas Ioannes Trithemius, qui prope idem tempus in inuestigandis historiarum antiquitatibus diligentissimus extitit indagator, vt propterea eius Opera magnam eruditis hominibus veritatis agnoscẽdæ ianuam Ioannes Trithemius.

nuam

nuam aperiant. Is etenim ægrè ferens nostri Ordinis antiquissimam originem vulgi opinionibus quasi tenebris obductam, atque oppressam iacere, præter librum *de Illustribus viris Ordinis Carmelitarum*, quem edidit, integrum etiam alium de Carmelitarum laudibus composuit, quem inter opera ipsius referunt Ioannes Duraclusius, Arnaldus Vio, & excusus est primùm Moguntiæ, deinde Florentiæ apud Georgium Marescottum ann. 1593. ac nouissimè Coloniæ apud Ioannem Vvulffrath anno 1624. editus à Ioanne Busæo Societ. Iesu in opere, cui titulus: *Paralipomena Opusculorum, &c.* Adhuc nuperiùs etiam Coloniæ ann. 1643. sumptibus Iodoci Kalckouen. In hoc ergo libro *c. 2.* sic habet: *Elias Propheta Domini eximius rectè & Catholicè Fundator Carmelitanæ Religionis dicitur, si eius facta ex voluminibus Regum absque inuidia discutiantur: enimuerò ipse montem Carmeli primus habitasse legitur, à quo fratres Carmelitæ nominantur. Triplici autem ratione ostenditur, quòd istius obseruantiæ Princeps Elias habeatur, à loco videlicet, ab habitu, & conuersatione. Cùm ergo nomen Ordinis à loco sumitur, meritò Carmelitarum Princeps Elias memoratur, quia mons Carmelus, cuius ille habitator extitit, huic Ordini vocabulum dedit. Non loquor vana, sed testimonijs Scripturarum comprobata profero, cùm Eliam Prophetam eundem locum longè ante Christi natiuitatem habitasse dico, qui fratribus Carmelitis Religionis suæ nomen dedit, & exordium.* Et infra ait: *Consentit ergo nomen loci, vt Elias sit Fundator Ordinis Carmelitici. Vnde non sunt vituperandi fratres huius Sacratæ Religionis, quòd Eliam, & filios Prophetarum sui Ordinis Fundatores, & Principes asseuerant. Quantum verò ad rationem habitus pertinet, in Eliam Ordo Carmelitarum pulchra transfiguratione consentit. Legimus ipsum amictum fuisse pallio, quo tangente Iordanis obstupuit, & se pedibus transeuntis calcabilem dedit, sic Elisæus, sic filij Prophetarum imitatores Eliæ facti sunt, qui non solùm ei loco, sed & habitu similes permanserunt. Quod si nobis de colore putas inferre calumniam, quamquam sit vile argumentum, quod de inuisis coloribus disputat, ad veterum historias te vocamus, quibus in primitiua Ecclesia fratres Carmelitæ instar Eliæ virgulatis pallijs leguntur fuisse induti.* Et paucis interiectis ait: *Ratione autem conuersationis Elias Fundator Ordinis Carmelitarum extitit, qui eos in monte Carmeli sanctis moribus præcessit: Quid fecit Elias, quod fratres Carmelitæ pro posse non imitentur? incoluit ille eremum, vasta solitudinis dilexit, soli Deo, & sibi vacauit. At fratres Carmelitæ ab exordio suæ Institutionis vitam solitariam in monte Carmelo duxerunt, soli Deo vacare per contemplationis secretum eligentes, donec tandem nouissimis penè temporibus Sarracenorum persecutione*

de ere-

de eremo expulsi, iubente Sede Apostolica in vrbibus sunt locati. Vnde & antiquitùs Eremita montis Carmeli vocabantur. Hæc ille. Alia ad intentum scribit *c.1.3.* & sequentibus, quæ in eo curiosus lector, si placet, aspiciet.

13 Nec omittendus Iodocus Clictouæus vir insigniter doctus, qui in *Sermone quodā* babito in Comitijs Prouincialibus Carmelitarum, qui habetur inter conciones Sanctorum ipsius, & nouissimè Coloniæ editus à Iodoco Kalckouen ann. 1643. hæc habet paulò post initium: *Animaduertere non est indignum Carmelitani Ordinis exordium ob duo præcipuè excellentiam quandam habere, primò quia ante Institutionem præcognitum est diuino nutu, & reuelatum: memoriæ enim proditum est, vt Scholastica refert historia, quod Sabátha pater Eliæ nondum nati vidit in somnis viros candidatos se salutantes, &c.* quæ omittimus, quia aliàs de hoc. Et infra: *Secundò quia hi qui primam Carmelitano Ordini præstiterunt originem, vt Elias, & Elisæus, ex Iudæis nati sunt; qui verò cæteris Religionibus iecerunt fundamenta, ex gentibus progeniti sunt. Constat itaque antiquiorem Carmelitanæ Religionis, quàm aliorum Ordinum esse originem, & ratione exordij cæteris præstare.* Alia nec indigna Auctore in ista concione cernet lector. Iodocus Clictouæus.

14 Accinit Guillelmus Eisengreneus nobilis etiam auctor, & contra Centuriatores Antagonista, qui in *sua historia centuria prima titulo de Religionibus, & Monastica vita cultoribus*, vbi specialiter agit de Monachis Carmelitanis tempore Prophetarum, inter alia hæc dicit: *Elias Propheta primus Carmelita.* Et infra: *En hæretice, Eliæ posteritatem dici Monachos Carmelitas.* Itidem sic ait: *Sanctus Elisæus Carmelita, Princepsque Eliadum*, idest, Carmelitarum; & postquam aliqua attulit testimonia, vt probet Ordinem Carmelitarum tempore Prophetarum floruisse, infert contra Centuriatores: *En quàm antiquus sit Ordo Beatæ Virginis.* Guillelmus Eisengreneus.

15 Maximus præterea nostri asserti propugnator fuit vir sui seculi decor Gilbertus Genebrardus omnium ore laudatissimus auctor, qui in *sua Chronologia lib.4.* cùm ex Polydoro *lib.7. de Inventor. rerum c.3.* Ordinem nostrum Aymerici Antiocheni Antistitis opera cœpisse retulisset, Polydorum tamen corrigens, sic subdit: *Sed eorum* (scilicet Carmelitarum) *origo altiùs repetitur, nempe à Prophetis Elia, & Elisæo, qui Carmelum montem Terræ Sanctæ primitùs consecrarunt, & discipulos illic reliquerunt, quos Scriptura filios Prophetarum appellat.* Genebrardus.

16 Subsequitur Ioannes Molanus Martyrologiographus clarissimus, qui in suo Martyrologio ad 17. Iunij raptum S. Prophetæ Eliæ sic refert: *In Arabia raptus B. Elias Ordinis Carmelitarum Pa-* Molanus.

triarcha, qui tantam gratiam inuenit coram Domino, vt verbis clauderet, & aperiret Cœlum. Quæ quanti ponderis sint, expendet satis, qui animaduertat virum hunc doctissimum fuisse de Ecclesia optimè meritum, & qui in Martyrologium res incertas, & dubias nullatenus inserendas curaret.

Bartholomæus Saligniacus.

17 Fauet & Bartholomæus Saligniacus Protonotarius Apostolicus, qui in *suo Itinerario Ierosolym. to. 10. c. 6.* sic habet ad intentum: *Prodigium visitur in monte Carmeli, qui est in inferiori Galilæa situs ad Occidentem. Montem enim hunc olim Prophetæ Sancti Elias, & Elisæus incolere soliti erant cum filijs Prophetarum, quorum successores sunt fratres, qui Carmelitæ vocantur*. Refert postea, quod *prodigium* vocauit, sic: *Horum Cœnobium est in monte Carmelo, vbi fons scaturit non quidem perpetuis temporibus, sed temporaneis, nulla enim ibi est aquarum copia, nisi transeuntibus fratribus peregrinis Christianis, ita vt nunquam infideles bibant ex eo, vt verificetur illud Prophetæ:* Deriuentur foris in plateis aquæ eius, sed non bibat alienus ex eis.

Gregor. 13.

18 Præcipuè fauet Summus Pontifex Gregor. XIII. qui in Bulla, *Vt laudes* anno 1577. edita Sixtum IV. & Iulium II. sequens eadem de Ordine nostro dixit his verbis: *Nos igitur Ordinem ipsum, illiusque personas inter cæteros Regularium Ordinum Professores in Catholica Ecclesia militantes, tanquam Religionis exemplar speciali charitate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Elisæi, & Henoch, nec non & aliorum Sanctorum Patrum, qui montem Sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hereditariam tenentes, &c.* Anno etiam 1584. in Bulla, *Vt Breuiarij*, approbauit Ordinis Breuiarium, in quo habentur officia Sanctorum Eliæ, & Elisæi veluti ducum, & fundatorum Religionis. In officio porrò S. Eliæ in hymno pro primis vesperis dicitur: *Hic sacri est ductor, columen, decusque Ordinis nostri*. Deinde: *O Pater salue, placidus tuosque excipe alumnos*. Et in hymno ad laudes: *Hilares nam decet hoc die nostri nos memores Ducis*. Et infra; *Nos nunquam auxilium destituat Pater*. Et in hymno ad secundas vesperas: *Ordinis nostri columen*. In officio autem Sancti Elisæi, quem veluti primarium Eliæ discipulum semper in Patrem venerata est Religio, dicitur: *Namque Carmeli resonat cacumen, ò Elisæe*.

Sixtus V.

19 Approbauit eadem officia SS. Prophetarum Eliæ, & Elisæi veluti Ordinis nostri Patronorum Sixtus V. in Bulla, *Eximium quod in vobis*, sub Datis Romæ 27. Iunij 1589. *in 2. to. Bullar. n. 96.* reuisa per dominos Cardinales Antonium Garrafam, & Vincentium S. Mariæ in Via, vt constat ex eadem Bulla. Ex quo etiam firmita-

mitatem Apostolici testimonij Patronatus Eliæ in Ordinem nostrum accepit.

20 Approbauit etiam hanc Ordinis successionem ab Elia parente Summus Pontifex Clemens VIII. non solùm in diplomate, quod incipit, *In Apostolicæ dignitatis*, pro RR. PP. Discalceatis edito, & in alio, *Dominici gregis*, pro eisdem, sed & in litteris ad Sciahabam potentissimum Persarum Regem datis anno 1604. quas refert Franciscus à Sancta Maria *in Historia Prophetica Hispan. lib. 1. c. 10.* vbi hæc: *Habuerunt olim Religionis huius professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui Instituti auctores Sanctos Prophetas Eliam, & Elisæum omnibus nationibus, & gentibus notos, &c.* Quibus tam suam, quàm prædecessorum sententiam, nostrumque intentum confirmat. Clemens 8.

21. Hinc plures graues Doctores, scriptoresue huius temporis suis scriptis nostri thematis assumptum dilucidè comprobarunt, quorum testimonia, ne prolixiores simus, prætermittenda duximus, etsi loca, in quibus aliqui ipsorum ea de re agunt, saltem notare operæ pretium sit. Hi sunt Suarez *4. to. de Relig. lib. 2. c. 10.* verbis relatis in principio huius Capitis. Paulus Morigia Iesuatus *in histor. Religionum lib. 1. c. 30.* Baptista Confettius *in Summar. materiar. tit. 1. c. 7.* Prosper Stellartius *in Opere de tonsuris, & coronis lib. 2. c. 13.* Renatus Chopinus *in tract. Religionum*. Carolus de Tapia *in authent. Ingressi verb. Monaster. c. 17.* Petrus Caluus Dominicanus *in defens. Religion.* & alij. Alij auctores.

22. Tempore sequenti sub Paulo V. Pont. Max. non solùm officia Sanctorum Prophetarum Ordinis Patronorum Eliæ, & Elisæi approbata sunt à Sacra Congregatione Rituum sub anno 1609. subscribente eminentissimo Cardinali Bellarmino, sed etiam in officio Commemorationis solemnis Beatissimæ Virginis, quam 16. Iulij totus Ordo concelebrat, lect. 4. de nostris dicitur: *Viri plurimi, qui vestigijs Sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisæi institerant.* Et in officio Sancti Angeli Martyris pro 5. Maij, lect. 5. vocatur ipse Angelus *Patribus suis Eliæ ac Elisæo persimilis.* Quibus satis clarè denotatur, S. Congregatione approbante, Eliam, & Elisæum primos Ordinis Patriarchas iure, meritoque appellari posse. S. Congregatio.

23. Fuerunt etiam plures circa hoc tempus nostri thematis propugnatores clari, videlicet Ioannes de Carthagena Minorita *4. to. homil. lib. 17. homil. 1.* Siluester Marulus Cisterciensis *in Mar. Ocean. Religion. lib. 4.* Honuphrius Marescal *to. 1. concion. in conc. B. Mariæ de monte Carmel.* Laurentius Beyerlinck *in Theatr. vit. hum. to. 6. littera* Alij auctores.

R. verbo Religiosus Religio, dum de Ordine nostro agit. Petrus Valderama Augustinianus *in Theatro Religiosum, in concione Sancti Eliæ*, Petrus Oxeda Iesuita *in informatione pro immaculata Virginis Mariæ conceptione*, Leander de Granata Benedictinus *in lib. S. Getrudis* cum alijs, quos omittimus.

S. Congregatio

24 Currenti tempore sub Vrbani Octaui Summi Pontificis auspicijs non solùm à Sacra Congregatione Rituum approbata fuerunt supradicta officia Eliæ, Elisæi, Commemorationis solemnis, & Sancti Angeli Martyris, vbi id quod intendimus de Eliæ Patronatu crebriùs, vt diximus, habetur, sed etiam officium Beati Petri Thomæ Patriarchæ, vbi lect. 5. & officium S. Spiridionis Episcopi, vbi in oratione clarè exprimitur Eliam Ordinis Institutorem extitisse. Et vt semel pro semper id dicamus, quantæ auctoritatis sint argumenta ex Breuiarijs ab Ecclesia approbatis desumpta, vt propterea magni quoque ponderis sint ea, quæ in præsenti afferimus, omnibus pro comperto est. Eò præsertim, quòd vt S. Rota in vna Cæsaraugustana *Cathedralitatis* corā Coccino anno 1630. decidit, historiæ in præfatis Breuiarijs contentæ, veluti canonizatæ ab Ecclesia censeantur, *cap. licet causam de probat. cap. in nostra de testib.* Mariana *in Tract. aduent. S. Iacob. in Hispan.* Ambrosius de Morales *in Chronic. l. 9. c. 14. & l. 8. fol. 213.*

Gaspar Sanchez.

25 Nec defuerunt plures, ipsique magni nominis auctores, qui circa id tempus idem intentum litteris consignarunt; ex quibus vnus est Iesuiticæ Religionis decus, ac inter sacræ Paginæ expositores clarissimus Gaspar Sanchez Centumputeolanus, cuius in *3. Reg. 17. num. 12.* hæc sunt verba, quæ omittenda non sunt, vtpotè à viro pietate, & doctrina conspicuo prolata: *Cùm tot essent discipulorum Eliæ excitatæ Cænobia, non est difficile in Carmeli montem deductam esse quandam quasi coloniam, quæ quia in loco tot nobilitato miraculis, & ipso Eliæ nomine, & sacrificijs illustri Principem tandem locum inter reliquas Prophetarum domus obtinuit. Quod curasse Elisæum verisimile est, cùm tot à magistro esset ornatus modis, neque beneficijs notari vellet ingratus & immemor: à quo loco iste Sanctorum Ordo recepisse videtur nomen, & qui Institutum illud sunt complexi, Carmelitæ vocati. Hinc opinor ortum habuerunt antiquum, & nobilem, qui nostro æuo Carmelitæ dicuntur, viri Religionis gloria, & vitæ sanctitate conspicui. Quod vt credam, facit non solùm illius Ordinis, sed & omnium penè gentium constans, & perpetua traditio. Et quidem si ab hac mea cogitatione nihil staret præter traditionem omni memoria superiorem, satis putaretur habere præsidij: quia communis, conspiransque consensio, nullo interrupta tempo-*

tempore, eam habet auctoritatem, quam nulla, nisi magna fides conuellere, aut infirmare posset. Qua de re nos pluribus in nostro libello de aduentu Sancti Iacobi in Hispaniam tract. 2. sed præter traditionem, quæ (vt diximus) constans existimatur, atque perpetua, sunt alia multa, quæ ad hanc cogitationem plurimum afferunt momenti. Doctorum nimirum, non tantùm ex illa Religiosa familia, quorum ingens numerus, sed externorum, quos longum esset numerare, grauis auctoritas, & tam veteres quàm recentes historiæ, & sacri Ordinis antiqua monumenta. Accedit adhæc Pontificum iudicio grauissimum pondus, qui sacrum hunc Ordinem ab Eliæ disciplina, atque Instituto exordium habuisse testantur. Ita sanè apertè in suis Bullis Sixtus quartus, Iulius secundus, Gregorius decimus tertius, Clemens VIII. qui dicunt Carmelitanæ familiæ viros ab Elia atque Elisæo hereditariam successionem tenere. Hæc mihi grauissima sunt, neque pauca neque leuia, quæ, si Carmelitanæ causæ vindicem agerem, libens adducerem, à quibus in præsentia abstineo, ne ab Interpretis munere (quod longas digressiones non admittit) defecisse videar. Plura nobis dicenda sunt de Elia, quæ in commodiorem locum reseruamus. Hæc ille magni iudicij vir, & clarissimus Doctor.

26 Idem intentum amplexatus est Iacobus Salianus Annalistarum veteris Testamenti, iudicij acrimonia, rerum copia, & sermonis elegantia celeberrimus, qui *in 4. to. suorum Annalium* Eliam Carmelitarum Antesignanum fuisse sæpius inculcat. Præsertim *sub anno 3124. n. 10. 3127. n. 22. & 23. 3133. n. 2. 3139. n. 8. 12. 39. & 44.* clariùs *n. 45.* vbi hæc: *Ac ne quis nostrum hoc beneuolentiæ potiùs erga Religiosissimum Carmelitarum Ordinem, quàm veritatis testimonium putet, quòd eos Sanctissimi Eliæ discipulos, atque imitatores agnoscamus, audiat is Sixti quarti Romani Pontificis constitutionem; &c.* Refert postea eiusdem Sixti IV. verba, quæ nos, & Clementem VIII. Salianus.

27 Adest & eiusdem Instituti nobilis alius nostræ sententiæ propugnator Iacobus Tirinus *in 3. Reg. 17.* ferè similia ex Summis Pontificibus, Sixto quarto, Iulio secundo, Gregorio XIII. & Clemente VIII. ductoribus profitens. His iungitur reuerendissimus Ægidius Camartus Minimorum Patrum quondam Generalis, qui in eruditissimo Opere, cui titulus est: *Elias Thesbytes, seu de rebus Eliæ Prophetæ c. 9. sect. 10.* loquens de Elia dicit: *Si tot, & tam celebres discipulorum scholas reliquit Propheta in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis, cur non in Galaad? credibile certè est Eliæ discipulos diu in illa viguisse, nec defuisse, donec ad Christi discipulos, Euangelicamq; doctrinam confluerent, vt vbi abundauit delictum, superabundet & gratia: quamquam* Tirinus. Camartus.

enim Galaatidæ, & quidem primi, vt auctor est Hieronymus, in captiuitatem abierint sub Rege Salmanasar, sicut & Bethelitæ, Ieriehuntini, Galgalitæ, Eliæ tamen discipulos ijs in locis numquam defecisse, sed vsque ad Christi tempora perseuerasse auctor est Ioannes Ierosolymitanus. Ex eorum verò reliquijs tanquam ex equo Troiano prodijt celeberrimus in Ecclesia Ordo Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo. Accedit Petrus Bertius Geographus, & Professor Regius in Gallijs, teste Thoma Aquinate à Sancto Iosepho *in sua dissert. Histor. Theolog. de Patriarchatu Eliæ part. 2. sect. 1.* vir doctissimus, & qui abiurato Caluinismo Catholicam fidem amplexatus, maximam pietatem cum eximia doctrina coniunxit. Is porro *secunda Epistola*, quam ad filium suum Abrahamum Bertium religiosissimam Carmelitarum Discalceatorum familiam ingressum, iamque in ea (in qua Petri à Matre Dei gestat nomen) vota sua emissurum scripsit, quæ vnà cum altera ad eundem scripta sub ingressum illius in eandem familiam Parisijs impressa est ann. 1628. postquam multa de Eliæ monachismo, de Carmelo monte, de ortu, progressu, restaurationibus, Regularum traditionibus non minùs eruditè, quàm eleganter prosecutus est, ista resumit aliquantò ante finem: *Atque hæc quidem sunt Carmelitarum origines, omnium aliorum Monachorum, si verum fateri volumus, originibus antiquiores; quid enim vetustius in Ecclesia, aut Sanctius Elia, Elisæo, Ioanne Baptista? quid monte Carmelo amœnius, aut ad diuinas meditationes opportunius?* Nec prætermittendum graue pro hac re testimonium, quod Comes Antonius Montecatinus Consistorialis Aulæ Aduocatus coram Vrbano Octauo in publico Consistorio anno 1629. pro Sancti Andreæ Corsini canonizatione postulanda protulit his verbis: *Carmelitana familia dat nomen Andreas aut potius flos hic iam delibatus è spinis in amœnissimo Carmeli vertice collocatur. Et sapienter ille quidem hanc sibi præ cæteris Religiosam familiam selegit, quæ tum originis antiquitate, quam vel ab ipsis Prophetis Elia, atque Elisæo repetit, tum Instituti integerrimi sanctitate, tum illustrium vita, doctrinaque virorum copia in Christiana Republica floruit semper, ac magis, magisque floret in dies.* Hæc verò magni ponderis esse refragabitur nemo, si coram sublimissimo Summi Christi Vicarij, & eminentissimorum Ecclesiæ Cardinum Cœtu dicta esse animaduertat. Auctor etiam Gallus libri, cui titulus: *Les Estats, Empires, Royaumes, & Principateuz du monde*, in Tractatu *de Origine Religionum*, Carmelitanam ab Elia exordium sumpsisse fatetur, & quod in Carmelo tria puncta Religionis obseruauerit, ac quatuor discipulos Elisæum, Ionam, Michæam, & Abdiam habuerit. Ait etiam quòd

Petrus Bertius.

Elisæus,

Elisæus, & filij Prophetarum vitam communem sectati fuerint. Quæ tum pro dictis, tum pro dicendis valde conducunt.

28 Porro de nostri Ordinis auctoribus illud omittendum non est, quod licet eos pro hac causa in medium producere superuacaneum non sit (cum constet ex 14. *q.2. super prudentia*, & ex dicendis inferiùs *c.10.* vbi latiùs, & ex professo de hoc puncto agetur, posse assumi in testes eos, qui sunt de eadem familia in rebus, & negotijs ad eam spectantibus, vel conducentibus, imò hoc sit iuri naturali conformius; quia ipsi præsumuntur meliùs ea nosse, quàm alij extranei, vt propterea historijs Religionum ab auctoribus earundem compositis fides iure, meritoque habeatur) nihilominus ne ipsos recensendo lectori fastidiosi simus, ideo hoc vnicum animaduertere operæ pretium duximus, hanc scilicet communem nostrorum sententiam de successione hereditaria ab Elia repetenda, antiquam semper Ordinis traditionem fuisse, adeoque firmam, & constantem, vt nunquam alius præter ipsum titulo Fundatoris, aut Institutoris creditus vel nominatus reperiatur. Quod magni argumenti loco apud prudentes haberi oportet. Nec enim vel leuiter suspicari licet tot viros sanctitate, & doctrina conspicuos, qui in Ordine nostro, Dei gratia, omni seculo claruerunt, in hac re vel inscitia seductos, vel ambitione seductores extitisse. Huius porro traditionis primus adsit testimonium veritati perhibens Ioannes ille Ierosolymitanus Antistes sæpius relatus, qui in eo libro à se edito circa ann. Christi 400. cuius scopus is est, probare ab Elia, Elisæo, & filijs Prophetarum Carmelitarum Ordinem hereditariam originem traxisse *c.1.* dicit: *Sicut hæc omnia antiqui huius nostræ conuersationis sectatores ante nos intellexerunt, & nobis tam in veteri, quàm in noua Lege doctrinis, & exemplis philosophati sunt.* Quo sanè per traditionem accepisse ea, quæ scribebat ostendit. Creuit deinde à fonte Eliæ fluentis riui continuata traditio cum eiusdem Ioannis libro Græcè exarato vsque ad tempora Aymerici de Malefaida Antiocheni Patriarchæ, qui cernens aliquos Ordinis Professores (qui ex Europæ partibus recuperata Terra S. Carmelitis Syris, & Græcis adiuncti erant) ob Græci idiomatis ignorantiam librum nõ intelligere, illum Latinum fecit circa ann. Christi 1141. Cœpit proinde inter Latinos Carmelitas eadem conseruari traditio, vt propterea cùm sub B. Brocardo Generali post annum 1200. habitum Ordinis suscepissent SS. Angelus, & Ioannes Germani Eliam, & Elisæum vt parentes agnouissent, vt ex eorum historia per Nicodemum Patriarcham descripta *c.6. & 9.* elicitur. Ab eodem etiam B. Brocardo editas credit Vvastellius *in vindic. lib. Ioannis Ie-*

Ordinis traditio.

Ioannes Ierosolymitanus.

nis Ierosolymit. ar. 14. antiquas Ordinis Constitutiones, quas commemorant Ioannes Metensis, Ioannes Vineta, Bacconus, & Olerius, in quibus hæc eadem traditio exarata conspicitur. Paulò post

B. Cyrillus.

cùm Beatus Cyrillus tertius Ordinis inter Latinos Generalis ad Eusebium eremitam librum, seu epistolam scripsisset, prout patet ex *Speculo Ordinis lib. 8. c. 1.* in ea Eliam huius Ordinis primum Insti-

Guillelmus de Sannico.

tutorem vocat. Claruit post hæc in Ordine Guillelmus de Sannico illustris Pater, *qui in libro, seu chronic. de multiplicat. Ordin.* vt videre est in *Speculo Ordinis lib. 9. c. 1.* hanc successionem à filijs Prophetarum posteritati commendauit. Deinde post annum Christi 1300. plures, & insignes Patres, qui eo seculo claruerunt, eandem ab Elia successionem ad ipsos per manus antiquiorum delatam litteris, & scri-

Ioannes Bacco.

ptis amplexati sunt. Hi sunt celebris Doctor Ioannes Bacco *in compend. historiarum 3. particula*, Ioannes de Cimineto *in paruo tractatu Speculum Ordinis nuncupato c. 1.* Ioannes de Vineta *in tractat. cùm qui-*

Philippus Ribboti.

dam fratres nostri. Philippus Ribboti Cataloniæ Prouincialis in celebri illo opere *Speculum Ordinis vocato lib. 1. & 2.* & Ioannes Grossi Generalis *in tractatulo de SS. Ordinis*. Nec omittendus B. Petrus

B. Petrus Thomas.

Thomas Episcopus, Patriarcha, Sedis Apostolicæ sæpius eo tempore pro causis grauissimis legatus, & demum sanctitate, & miraculorum gloria coruscus, vt propterea officium Canonicum ab Ecclesia meruerit, cui facta est reuelatio Beatissimæ Virginis, de qua supra. Sequenti etiam seculo post Christi annum 1400. plures, & illustrissimi hanc eandem traditionem conseruarunt: Inter eos

Thomas Vualdensis.

primum locum tenet clarissimus Doctor Thomas Vualdensis Angliæ decor, hæreticorum malleus, & inter Theologos venerabilis *to. 3. de Sacramentalibus tit. 9. c. 89.* contra Vuiclephum disputans, cum quo nec nænijs, fabulis aut minus probatis documentis agere oporteret. Et paulo post ipsum egregius alius sanctitatis vitæ, &

Ioannes Soreth.

miraculorum opinione egregius Ioannes Soreth inter Ordinis Beatos à multis relatus, qui veritatem, quam tuemur, grauissimis verbis *in præfatione ad expositionem paraeneticam Regulæ nostræ* pro suis subditis (erat enim Generalis Ordinis Præsul) doctissimè exarauit. Se-

Baptista Mantuanus.

quitur magnus alius Ordinis Pater toti mundo celebris Baptista Mantuanus varijs in locis suorum Operum, præsertim Eclogis, Par-

Palæonydorus.

thenicibus, & Fastis idem intentum prosequens. Item Ioannes Palæonydorus Batauus in toto Opere *de Antiquitate, & S. ncti. monia eremitarum montis Carmeli*. Quo etiam tempore Ioannes Balæus Anglus Virginis Ordini nomen dedit, vtinam postea veluti adulterinus non apostatasset, Religiosumque habitum ad hæreticos transfuga

fuga non reliquisset. Is ergo in Tractatu de suo Ordine hæc posteris circa præsens negotium versibus exarata transmisit:

Tanta est Carmeli fratrum de monte vetustas,
Quam mentem superet cunctorum penè virorum,
Namque per Eliam datur Ordo fuisse Prophetam
Hic primò inceptus, &c.

Post Christi annum 1500. inter plures Ordinis historicos, per quos eadem continuabatur traditio, celebriores sunt Petrus Lucius Belga *in compendio historiali*, Didacus Coria *in Chronic. Carmelitarum*, & ex illustrissima nostrorum Patrum Discalceatorum familia doctissimus Pater Thomas de Iesu varijs libris editis. Quam tandem hoc seculo post ann. 1600. perdocti alij Patres Ordinis suis scriptis illustrarunt, ex quibus clariores sunt ex præfatæ Discalceatorum Patrum familiæ clarissimis in orbe Congregationibus Thomas Aquinas *in libro de Patriarchatu Eliæ*, Franciscus à Sancta Mariæ *in historia prophetica*, & ex nostra obseruantia Michael Munoz *in propugnaculo Eliæ*, libro Romæ nouissimè impresso sub anno 1636. & Marcus Antonius Casanate *in suo Paradiso Carmelitici decoris*.

29 En iam pie Lector, qualiter Carmelitanam familiam Eliæ propaginem esse scripta traditione habetur. *Si autem est traditio, nihil aliud quæras*, inquit Chrysost. *hom. 4. super cap. 2. ad Thessalonic. 2.* Nec mireris traditionem (humanam videlicet) appellasse; hoc enim modo loquendi vtuntur de exteris Sanchez, Suarez, & Carthagena relati. Longi ergo temporis traditio cùm sit Pontificia auctoritate firmata, & virorum grauissimorum testimonijs fulcita, displicere tibi non poterit, quem sine liuore, aut zelo, sed pia benignitate præsens Opus legere autumamus. Conclusio.

30 Id etiam suis locis Tomis sequentibus specialiter contra eos, qui veluti in re sibi aliena hallucinantes, alium Ordinis nostri auctorem, aliudue principium (alij namque solùm ab Apostolorum tempore, alij sub Ioanne Ierosolymorum 44. Antistite; alij sub Aymerico Antiochensi Præsule, alij sub Alberto Legislatore quasi Nili ignotum fontem inuestigarent) commenti sunt, Deo dante elucidabimus.

De ti-

De titulis, quibus Cultores Ordinis Prophetici à Samuele instituti, & ab Elia ad statum veluti Religiosum euecti appellati sunt. Cap. VII.

Cognomina varia.

1  I sermo sit de illis cognominibus, quibus ante Samuelem, & Eliam speciales Dei cultores nuncupati fuerunt ex dictis *cap.* 1. elicietur facilè præsentis dissertationis resolutio. Appellati namque primitùs sunt *filij Dei* in Sacra Scriptura *Genes.* 6. *v.* 2. & 4. vt ibi *n.* 3. ostensum est. Deinde *Enoscai* ab Enos Sethi filio, & Adæ nepote, prout etiam ibidem *n.* 4. dictum manet. Item *Cinai* à Cainam filio Enos, prout aliqui putant, & nos retulimus *n.* 5. licet tamen ipsi, quàm ista Cinæorum nomenclatura illustrari, ac propagari cœperit à tempore Iethronis soceri Moysis, iuxta ibidem dicta *n.* 18. Appellati insuper sunt *Iethrài* à dicto Iethrone, prout etiam ibi notatum manet. Cognominati tandem fuerunt *Rechabitæ*, & *Prophetæ*, de quibus titulis inferiùs fiet sermo.

Alia cognomina.

2 Addit & Boulducus *lib.* 1. *de Ecclesia ante Legem cap.* 9. & 10. præclaris etiam alijs, & honorabilibus nominibus fideles istos, qui omnis virtutis Institutum præ cæteris in Lege naturæ profitebantur, appellari solitos à diuersis nationibus: à Moabitis enim vocabantur *Emim*, ab Ammonitis *Zanzumim*, à Chananæis *Rephaim*, ab Hamæis *Zuozim*, eisque respondere ista Latina, *Reuerendi, Sapientissimi, Restauratores, Illustres*. Commemorat etiam *lib.* 1. *cap.* 15. quandam specialem Prophetarum post diluuium Sodalitatem, quæ à Iapher *Iephtæorum*, & ab Ascenez *Cenezæorum* dicta est. Huius autem auctoris placitum etsi omnino non probemus (nomina enim ista nationis, aut cognationis potiùs, quàm Religionis, aut Instituti videntur, prout de singulis constare potest in locis Sacræ Scripturæ, vbi de illis fit mentio) nec tamen proteruè improbamus; potuerunt enim vtrumque significare, vel ex vno ad aliud significatum vsu hominum transferri. Ad certiora idcirco gressum faciamus, post tempora scilicet Samuelis, à quo illi in collegialem, seu claustralem Ordinem instituti sunt, & Eliæ, à quo ad statum vtcunque Religiosum euecti sunt, iuxta dicta in superioribus.

Prophetæ.

3 Hoc igitur tempore solemnissimus, & celeberrimus Ordinis Prophetici assectarum titulus erat, quo *Prophetæ* cognominabantur. Eo enim epitheto omnia fermè Sacræ Paginæ volumina, Patrum, Doctorum, & Scriptorum monumenta eos concelebrant.

Illo

Illo autem denotari sæpesæpius non tam eos, qui futura, aut occulta hominibus pandebant, quàm illos, qui specialiori Dei cultui, & obsequijs vitam suam nuncupabant, ex dictis *cap.* 2. *&* 3. perspicuè deducitur. Ad hunc porrò titulum reducitur alius, quo *Videntes* appellabantur Prophetæ; sic enim constat plures Prophetas nuncupatos esse, inter quos vnus erat ipse Samuel 1. *Reg.* 9. *v.* 11. 18. *&* 19. Notatur autem ibi *v.* 9. quòd qui eo tempore *Propheta* vocabatur, olim *Videns* diceretur. Item Sadoc 2. *Reg.* 15. *v.* 27. Gad. 2. *Reg.* 24. *v.* 11. Addo 2. *Paralipom.* 9. *v.* 29. *&* 2. *Paralipom.* 12. *v.* 15. Iehu filius Hanani 2. *Paralipom.* 19. *v.* 2.

4 Vocabantur etiam *filij Prophetarum* 4. *Reg.* 2. *v.* 3. 5. 7. *&* 15. *&* *c.* 4. *v.* 38. *&* *c.* 6. *v.* 1. *&* *c* 9. *v.* 1. Item *Act. Apostolor.* 3. *v.* 25. quo nomine non qualescunque Prophetici Ordinis alumnos appellatos, sed illos speciatim, qui ex Samuelis quondam schola facti erant discipuli Eliæ, & Elisæi, constat ex dictis locis 4. *Reg.* ac proinde eos fuisse in sanctioris vitę ratione à suis magistris instructos ea, quæ diximus *c.* 4. sufficienter demonstrant. Filij Prophetarum.

5 Insuper appellabantur quandoque ijs titulis, *Homines Dei*, seu *Viri Dei*. Samuel enim *p. Reg.* 9. *v.* 6. *&* 7. vocatur *Vir Dei*, & *v.* 8. appellatur *Homo Dei*, Deinde Semeias Propheta *Vir Dei* dicitur 3. *Reg.* 12. *v.* 22. Item ille Propheta, qui venit de Iuda in Bethel ad Ieroboam, etiam nuncupatur *Vir Dei* 3. *Reg.* 13. *v.* 1. 5. 6. 7. *&* 11. Præterea Elias ipse 3. *Reg.* 17. *v.* 18. vocatur à Sareptana *Vir Dei*; & 4. *Reg.* 1. *v.* 9. 11. *&* 13. à quinquagenarijs Principibus *Homo Dei*, Elisæus etiam 4. *Reg.* 4. 5. 6. 7. *&* 8. eisdem titulis cognominatur. Ille quoque Propheta, de quo 3. *Reg.* 20. *v.* 28. etiam *Vir Dei* dicitur, Ac tandem ille alius, qui 2. *Paralipom.* 25. *v.* 7. venit ad Amasiam Regem, vocatur ibi sæpius *Homo Dei*. Quem tamen de numero illorum fuisse, quos Elisæus in suis Collegijs instituerat, suspicatur Sanchez in 4. *Reg.* 14. *n.* 4. Homines Dei

6 Vocati præterea sunt *Rechabitæ*, seu filij Rechab *Ierem.* 35. de quo titulo, quia insignis valde est, diligentiùs agendum. Constat autem ex dictis *c.* 1. *n.* 18. *&* *sequentibus* hos Rechabitas ex Cinæis fuisse, vel eosdem cum ipsis solo nomine diuersos. Quod præter ibi adducta confirmat Lyranus in *Ierem.* 35. dicens: *Dicunt Doctores Hebræi, & Latini, quòd isti Rechabitæ descenderunt de Iethro socero Moysis*. Diximus autem eo loco *Cinæos*, & *Iethræos* eosdem fuisse. Possunt etiam pro eadem sententia referri non solùm ex Catholicis Boulducus *lib.* 3. *de Ecclesia ante Legem cap.* 16. §. *Istorum autem institutum*, & Cornelius *in cap.* 10. *Numeror. vers.* 29. §. *denique*, ac Rechabitæ.

Leonar-

Leonardus Marius *in cap.24. Numer. n.33.* sed & plures ex Sectarijs, videlicet Petrus Martyr, Fagius, Munsterus, Pellicanus, Iunius, Tremellius, & Rodolphus Hostinianus, quos citat Serar. *in Triharesio lib.3. cap.9. & Mineruali lib.5. c.21.* asserentes Rechabitas ex Cinæis fuisse, vel eiusdem cum ipsis Instituti, & Ordinis. Cùm autem *Cinæi* isti à tempore Iethronis soceri Moysis vel esse cœperint, vt plures existimant, vel saltem esto à multis seculis, scilicet à Cainam filio Enos inchoati, ab hoc tamen Iethrone illustrati, & celebrati fuerint, iuxta dicta *eo capite primo*, ideo ab hoc etiam tempore Rechabitarum origo petenda est, eorum licet sub hoc titulo memoria vsque ad Ieremiæ tempora in Scriptura non reperiatur; fuisse tamen ex filijs Prophetarum, præterquam quòd in discursu Annalium ostendetur, clarè deducitur ex D. Hieronymo *in epist. ad Paulin.* Ioanne Ierosolymitano *in lib. de instit. Monachor. c.25.* Thoma Vvaldensi *in doctrinali fidei to.1. lib.3. ar.1. c.5.* Quibus accedit Boulducus dicto *c.16.* vbi §. *Elia autem, & Elisæo*, dicit Ionadab patrem Rechabitarum, de quo *Ierem.35. v.6.* fuisse discipulum Eliæ, & Elisæi; & §. *Ab illo ergo*, dicens: *Omnes illius Sodalitatis alumni, qui primò Enosæi, deinde Cinęi, postea Cenezæi, adhęc Hebręi, Nazaræi, & filij Prophetarum nuncupati fuerant, deinceps Rechabitę sunt appellati. Quod idem est* (inquit) *ac si Eliaitę, vel Elisęitæ dicerentur.* Vnde infra §. *His pręmissis*, Iacobi Patriarchæ prophetiam de Nephtalim *Genes. 49. v. 21.* vbi vocatur *Ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis*, explicat de Elia, Elisæo, & eorum discipulis, qui erant ex Cinæis, vel Rechabitis, de quibus dicit: *Eloquia pulchritudinis sunt Dei oracula per eorum ora reddita, sunt conciones, & prędicationes, sunt denique psalmi, hymni, & cantica spiritualia, quibus decantandis iugiter die, ac nocte vacabant.* Sed de his in discursu Annalium plura. Solùm hic adiungendum, quòd si quis contenderit Rechabitarum initium solùm à tempore Ionadab, qui ipsorum pater *Ierem.35. v.6.* appellatur, esse desumendum, eatenus dumtaxat id accipiendum, quatenus illi ab eo, vtpote Elisæi discipulo, & ipse ab eodem Elisæo in vitæ instar religiosæ formа, sicut & alij Prophetarum filij instituti sunt, iuxta ibidem dicenda. Quemadmodum enim dicimus Ordinē propheticum ab Elia inchoatum, non quidem simpliciter, cùm à tempore Samuelis exordiū duxerit, sed quatenus Religiosi veluti status rationem induebat, sic & de Rechabitarum Instituto loquendum, ita vt simpliciter à Moysis, & Iethronis tempore cum Cinęis esse cœperit; à Ionadabi autē ęuo per Eliæ, & Elisæi Institutionem in ratione quasi Religionis, quatenus in eo statu esse potuit, cum alijs filiorum Prophetarum Collegijs.

Vocati

7 Vocati insuper sunt ijdem Prophetici Ordinis Professores, quandoque saltem, *Scribæ*, videlicet 1. *Paralipom. 2. v. 55.* illis verbis: *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Iabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab.* Vbi clarè *Scribæ* dicuntur *Cinæi*, & *Rechabitæ*, quos Ordinis Prophetici alumnos diximus. Similiter 1. *Machabæorum 7. v. 12. & 13.* vbi dicitur: *Conuenerunt ad Alcimum, & Bachidem congregatio Scribarum requirere, quæ iusta sunt, & primi Assidæi.* Quo denotatur eosdem esse istos Scribas cum Assidæis, quos ad Ordinem etiam Propheticum spectasse inferiùs dicemus. Vnde Chaldæus Paraphrastes 1. *Reg. 10. & 19.* & alibi, vbi vulgatus *Prophetas* nominat, ipse *Scribas* vertit. Hinc etiam D. Hieron. *in trad. Hebraic.* & Genebrard. *in chronol. lib. 1. sub anno 3272.* Rechabitas appellant *Scribas*. De quo in discursu Annalium dicetur. Pro nunc enim solùm intendimus aliquando saltem aliquos Prophetici Ordinis alumnos *Scribas* nominari. Sed nota *Scribas* illos Pharisæorum socios in Euangelio sæpiùs nominatos, solo nomine cum istis pijs, & Religiosis Scribis conuenire, moribus, vita, & doctrina dissimiles, & valde corruptos, vt alibi dicetur. Scribæ.

8 Appellantur præterea ijdem Propheticæ familiæ cultores *Esseni* (prout etiam in Operis discursu ostendetur) maximè post reditum Iudæorum è captiuitate Babylonica circa ann. mundi 3545. quo tempore cultus Dei, Templum ipsum, & tota Respublica Iudæorum insigni renouatione in melius reformabatur. Etsi enim hoc Essenorum cognomen in Sacra Scriptura non reperiatur, conspicitur tamē in cunctis fermè Historicis, tum Catholicis, tum Sectarijs, tum Rabbinis, tum etiam Ethnicis. Illud verò attributum fuisse dictis alumnis Ordinis Prophetalis, præterquam id latiùs ostendetur dicto loco, pro nunc deducitur ex testimonijs plurium auctorum asserentium *Essenos, & Rechabitas*, seu *Cinæos* eiusdem Instituti homines fuisse; vel quosdam ex eis ab alijs originem traxisse. Hi sunt Suidas vetustus auctor verbo *Essei*. S. Nilus *in Ascetico in principio*. Georgius Cedrenus *in compend. histor. in Claudio Imperatore*. Georgius Peccator Monachus Græcus *in Chronic. M.S. in S. & Apostolica Bibliotheca Vaticana Græcè descripta sub num. 153. & 154.* loquens de temporibus Claudij Imperatoris. Iosephus Scaliger apud Serarium *in Mineruali lib. 5. cap. 13.* ipse Serarius *in Tribæresio lib. 3. c. 9. & in Mineruali lib. 5. c. 10.* Villalpand. *in Apparat. Vrbis, & Templi lib. 3. cap. 14.* fauet Salian. *sub ann. mund. 3609. n. 31.* Boulduc. *lib. 3. de Ecclesia ante Legem c. 16.* & ex nostris Franciscus à Sancta Ma- Esseni.

ria *in Histor. Prophet. Hispan. lib. 2. cap. 20. n. 7.* ac alij. Sed de hoc, vt diximus, loco relato prolixior sermo erit: modò etenim solùm intendimus hunc Essenorum titulum Instituti Prophetici cultoribus etiam conuenire.

Assidæi. 9 Nuncupati quoque sunt ijdem Prophetalis Instituti Professores *Asidæi* in tribus Sacræ Scripturæ locis, videlicet 1. *Machabæor. 2. v. 42.* illis verbis: *Tunc congregata est ad eos Synagoga Asidæorum fortis viribus ex Israël, omnis voluntarius in Lege.* & eodem primo *Machabæor. c. 7. v. 12.* illis: *Et conuenerunt ad Alcimum, & Bacchidem Congregatio Scribarum requirere, quæ iusta sunt, & primi Asidæi, qui erant in filijs Israël.* Item 2. *Machabæor. 14. v. 6.* vbi Alcimus impius ad Regem Demetrium sic dicebat: *Ipsi qui dicuntur Asidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, &c.* Hos enim *Asidæos* vocatos ex Prophetici Instituti cultoribus fuisse latiùs ostendetur in discursu Operis, circa annum præsertim 3847. quo tempore, vel circiter floruisse iure existimantur. Nunc solum suadetur ex eo, quòd loco relato ex *p. Machabæorum 2.* id indicari videtur, dum vocantur *Synagoga*, & voluntarij *in Lege*. Quo denotatur illos fuisse Ordinem aliquem, seu Institutum hominum speciali modo, ac vltra communem fidelium vsum Dei cultui nuncupatorum. Indicatur hoc etiam adhuc clariùs in 2. loco ex *p. Machabæorum 7.* cùm vocentur *Congregatio*, non quorumlibet, sed *Scribarum*, quos eiusdem Instituti fuisse supra ostendimus. Ac in tertio ex 2. *Machabæor. 14.* Eo namque insinuatur fuisse Congregationem quandam, cui vt Caput, Princeps, vel Prælatus Iudas Machabæus præesset. Maximè id conuincitur ex fermè communi Doctorum consensu, asserentium Assidæos, & Essenos eosdem fuisse, vel eiusdem Instituti, seu Assidæos ex Essenis originem traxisse. Hi sunt Genebrardus *lib. 2. chronolog. sub anno mundi 3911.* Nicolaus Serarius *in Machabæorum Harmonia super c. 7. Machab. 1. & cap. 14. lib. 2.* Scaligerum etiam referens. Iosephus Stephanus *in Prolog. ad lib. Machabæorum.* Lorinus *Actor. 12.* Tornielllus *sub anno 2545. num. 13.* Fauent Ioannes Philipæus *in Oscam Proph. to. 1. c. 3. v. 1.* & Boulduc. *in lib. de Eccl. post Legem c. 7.* & tenent ex nostris Coria *in chronic. Carmelitar. lib. 1. cap. 7.* Franciscus à S. Maria *in Histor. Prophet. Hispan. l. 3. cap. 7.* cum alijs. Quibus iunge ex Sectarijs Sebastianum Munsterum *in cap. 6. lib. 4. Goriomdis.* Ioannem Drussium *in libello de Asidæis*, & Bonauenturam Cornelium Bertramum *de Polit. Iudaic. cap. 19.*

Nazaræi. 10 Possumus etiam inter cognomina Prophetici Ordinis alumnis in

nis in Sacrâ Pagina concessa titulum quoque *Nazaræorum* referre, ità vt per ipsum, etsi non semper, saltem sæpe illi designentur. Nam, præter dicta de Samuele, & eius discipulis superiùs *c.3. n.3.* de Elia etiam, Elisæo, & filijs Prophetarum, quòd essent Nazaræi tam ipsi, quàm alij eiusdem Instituti cultores, tenet Boulducus *de Ecclesia ante Legem lib.3. c.16. §. Ab illo ergo*, eos coniungens cum Enoscæis, Cinæis, filijs Prophetarum, & Rechabitis: *Omnes illius* (inquit) *Sodalitatis alumni, qui primò Enoscæi, deinde Cinæi, postea Cenezæi, adhęc Hebręi, Nazaręi, & filij Prophetarum nuncupati fuerant, deinceps Rechabitę sunt appellati. Quod idem est, ac si Eliaita, vel Eliseita dicerentur.* Specialiter de ipso Elia, quòd Nazaræus fuerit, eruditè probat Ægidius Camartus *de rebus Elię c.3. sect.18.* tum ex abstinentia à vino, quæ propria Nazaræorum erat *Numeror.6. v.3.* cùm constet missum esse à Deo ad torrentem Carith, vt de torrente biberet. *3. Reg.17. v.4.* & à vidua postulasse paululum aquæ in vase ad bibendum. *3. Reg.17. v.10.* & ab Angelo *3. Reg.19. v.6.* accepisse *Vas aquę*, tùm etiam ex capillatura, quam gestabat, vt propterea appellatus fuisset à ministris Ochoziæ *4. Reg.1. v.8. Vir pilosus*, Hebraicè *vir pili*, quia tam in veste, quàm in capite totus pilosus erat. Similiter Adrianus de Adrianis *1. p.4. de diuin. inspirat.* Eliam inter Nazaræos perpetuos refert. Vnde de Elia Prosper Stellartius Augustinianus *in erudito Opere*, quod de *tonsuris & coronis* edidit *c.13. lib.2.* hunc titulum præfixit: *De Elia Thesbite Propheta, Religioso, Nazaręo, piloso, comato, Monachorum patre, & Ordinis à se denominati Fundatore, eiusque discipulo Elisęo.* Porro de ipso Elisæo id expressit Sanctus Hieron. in *cap.7. Ezechielis*, dicens: *Elisęus licet corporis haberet caluitium, tamen quia Nazaræus Domini erat, cincinnis capitis fruebatur.* Quod etiam sequitur relatus Camartus, subiungens causam, scilicet *quia à quo tempore in Elię contubernium admissus fuit, sese diutno cultui ex voto nuncupauit.* De filijs autem Prophetarum, & alijs Eliæ, & Elisæi discipulis, quod etiam Nazaræi essent, colligitur ex eo, quòd erant ex discipulis Samuelis, de quibus id ostendimus superiùs *c.3. n.3.* Consonat & nomen *Nazaræus*, quod interpretatur *Separatus*; cùm enim omnes illi à communi, & ordinario aliorum hominum viuendi modo separati essent, vtpote Dei cultui specialiter addicti, *Nazaræi* dici possunt. Congruit etiam album Nazaræorum vestimentum, propter quod *Threnor.4. v.7.* dicitur: *Candidiores Nazaręi eius niue, nitidiores lacte, &c.* Simili namque alba veste vsos Rechabitas habet Boulducus *in lib. de Ecclesf. post Legem c.4. §. Quia verò*; quod idem dicemus de Eliæ discipulis, & Essenis in discursu Operis,

Item abstinentia à vino, quæ propriè erat Nazaræorum, & principalis ipsorum cerimonia, vt constat *Numeror. 6. v. 3.* Ea etiam vtebantur Rechabitæ, vt patet *Ierem. 35.* imò Eliam docuisse illam suos discipulos colligi potest ex Ioanne Ierosolymitano *in lib. de instit. Monachor. c. 7. & 9.* Sed de hoc nunc satis, quia in sequentibus iterum de eo redibit sermo.

Eunuchi spirituales.

11 Possumus tandem aliud cognomen Propheticæ vitæ Professorum ex Sacris Litteris deducere, *Eunuchorum* videlicet, quo nominati sunt *Isai. 56. v. 3.* illis verbis: *Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Similiter *Sapient. 3. v. 13.* postquam enim de fœminis castis, seu virginibus dictum est: *Felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Subditur de Eunuchis: *Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in Templo Dei acceptissima.* Etenim prædicto loco Isaiæ (& eadem videtur ratio de loco Sapientiæ) per *Eunuchos*, seu *Spadones* non intelligi corpore truncatos aut castratos, sed spiritualiter illos, qui se, vt dicitur *Matth. 19. v. 12. castraverunt* propter Regnum Cælorum, castitatem seruando ex proposito, aut voto, diximus supra *c. 4. n. 21;* & dicemus in Operis discursu, maximè *sub anno 3341.* Cùm autem soli Ordinis Prophetici cultores fuerint illi, de quibus constat virginitatem, seu castitatem prædicto modo obseruasse, propter dicta eo *cap. 4.* procul dubio illi appellati sunt *Eunuchi*, ac proinde Eunuchorum cognomine intelligi possunt. Accedit quòd in summario eiusdem cap. 57. dicitur *consolatio Eunuchorum iustorum*, quo satis exprimitur non esse ibi sermonem de eunuchis corporalibus, sed spiritualibus. Item accedit Glossæ interlinealis expositio, quæ pro *Eunuchis* exponit, *continentibus*. Maximè consonat Dionysius, per illos intelligens eos, qui ducunt *cælibem vitam*. Colligitur id etiam ex eo, quòd dicto loco Isaiæ nomina illa *Eunuchus*, & *Eunuchi* cum littera maiuscula scribuntur, quo sanè denotatur illis non significare vulgares eunuchos, seu corpore castratos, qui non magis nota illa insigniori denotarentur, quàm claudi, cæci, surdi, muti, &c. sed Eunuchos spirituales, qui cùm *Prophetæ*, *Rechabitæ*, & personæ illustres essent, tali nota digni erant. Hinc Boulducus *lib. de Ecclesia post Legem cap. 12. §. Nihil igitur*, per Eunuchos in

hoc

hoc loco Isaiæ intelligi dicit *Essæanos*, & *Rechabitas*. Hinc etiam Claudius Espinceus *in l. 1. de Continentia c. 1.* Eliam, Ieremiam, Danielem, & socios concaptiuos, Esdram, & Raziam, quos Ordinis Prophetici alumnos fuisse suis locis dicemus, *spirituales Eunuchos* appellat.

12 Hæc porro de Ordinis Prophetarum alumnorum nominibus dicta sint, non solùm quia, vt Plinius in Panegyr. Traiani dicebat, *Sunt in honore hominum, deinde in honore famæ magna nomina*, sed vt per eos, qui huiusmodi titulis in Sacris Litteris denotantur, iugem eiusdem Ordinis successionem ab Eliæ vsque ad Christi tempus, prout sequenti capite faciemus, deducere possimus. Conclusio.

Ordinem hunc Propheticum ab Elia vsque ad Christum in Carmelo, seu alio Iudææ, vel Palæstinæ loco perenniter perdurasse. Cap. VIII.

1 ES hæc præcipuè est in hoc Opere intenta, neque enim themati nostro sufficiens erit Eliam primum Ordinis Prophetici fundatorem comprobare, nisi etiam ostendatur illud idem ipsius Institutum iugiter, & perenniter vsque ad Christi æuum permansisse, quod Deo duce in præsenti capite fiet. Intentum.

2 Id primò suadetur ex ipso *Prophetici Ordinis* nomine, quod etiam post Christum viguisse ex historijs compertum est. Vt enim diximus *c. 2. n. 23.* Eusebius Cæsariensis *lib. 2. histor. c. 3.* sermonem instituens de ijs, qui in primitiua Ecclesia *Act. 11. v. 27.* commemorantur, dicit: *Apud Antiochiam florentissima congregatur Ecclesia, in qua erant etiam Prophetici Ordinis viri quamplurimi.* Deinde Ruffinus Aquileiensis *vndecimo libro* addito historiæ Ecclesiasticæ eiusdem Eusebij *c. 5.* sic de Sancto Spiridione eiusdem Prophetalis Ordinis alumno loquitur: *Ex eorum numero (etsi quid adhuc eminentius) fuisse dicitur etiam Spiridion Cyprius vir vnus ex Ordine Prophetarum.* Pariter Luitprandus, seu Eutrandus Ticinensis Diaconus eo loco relatus *in suis fragmentis n. 256.* loquens de Elpidio, & alijs Episcopis, quos S. Iacobus in Hispanias traxerat, dicit eos fuisse *de numero Carmelitarum*, & subiungit: *Istos vocat Eusebius lib. 2. c. 3. Prophetici Ordinis*, quo suam, & Eusebij mentem satis declarat. Si autem hoc *Prophetici Ordinis* nomen in primitiua noscitur viguisse Ecclesia, pariter & de re per illud significata dicendum, ne asserere cogamur hos auctores omnino inani, & vacua vsos fuisse voce. Vide & alia præcitato loco *num. 23. 24. & 25.* dicta. Ex nomine Prophetici Ordinis.

Ex alijs nominibus.

3 Deinde idipsum roboratur ex dictis *cap. præcedenti*, videlicet Prophetalis Ordinis Professores appellatos post Eliæ, & Elisæi præcipuè tempora *Prophetas*, *filios Prophetarum*, *Scribas*, *Rechabitas*, *Essenos*, seu *Asidæos*, *Eunuchos*, & *Nazaræos*; omnes enim istos etiam Christi tempore permansisse haud difficilè ostendi potest. Et primò vt à Prophetis incipiamus, non defuisse Christi, & Apostolorum æuo aliquot, qui hoc nomine vocarentur, constat ex *Actib. Apostol. c. 11. v. 27.* illis verbis: *In his autem diebus superuenerunt à Ierosolymis Prophetæ Antiochiam.* Quo loco *Prophetæ* nomen non solùm significare eos, qui futura, aut occulta prædicunt, sed *Ordinis Prophetici* cultores, constat ex Eusebio, & Luitprando supra relatis, qui eos vocant *Ordinis Prophetici.* Quo sanè denotatur eos etiam vocatos Prophetas eo sensu, quo diximus *supra cap. 2.* in veteri Testamento sæpissimè nomen *Prophetæ* vsurpari, videlicet pro viro Dei cultui, & obsequio speciaiori ritu addicto, quales erant Samuelis, & Eliæ discipuli. Colligitur id etiam ex eo, quòd vnus istorum Prophetarum in prædicto *cap. 11. Act. Apostol. v. 28.* nominetur Agabus, quem tamen Prophetici Ordinis Professorem, imò & Carmeli eremitam fuisse ex Petro Dorlando, Baptista Mantuano, & alijs ostendemus suo loco. Pariter etiam id deducitur ex eo, quòd cùm verbum *Prophetare*, & *Prophetia* in alio sensu sumatur etiam in sacra Scriptura noui Testaméti, quàm in hoc, quod est futura aut occulta prædicere, scilicet pro prædicare, docere, interpretari, seu vitæ sanctitate, & doctrina alios instruere, vt constat ex testimonijs *Act. Apostol. 2. v. 39.* & Pauli. *1. Corinth. 14. v. 1. 3. 4. & 5. & 1. ad Timoth. 1. v. 18. & c. 4. v. 14.* quæ adduximus *supra c. 2. n. 13.* manifestè etiam deducitur, & nomen *Prophetæ*, quod à Prophetando, vel Prophetia dicitur, sumi in eadem acceptione.

Prophetides.

4 Idem argumentum efformari potest ex fœminis, quæ *Prophetissæ* vocabantur, quas fuisse in veteri Testamento pro comperto est, cùm Hebræi *in Seder Olam c. 20. & 21.* vt habet Genebrardus *lib. 1. chronolog. circa annum 3066.* referant ex eis Saram, Mariam Moysis sororem, Deboram, Oldam, Annam Samuelis matrem, Abigailem, & Esther. Boulducus etiam *libro 3. de Ecclesia ante Legem c. 16.* referat in Collegijs filiorum Prophetarum Eliæ discipulorum fuisse multitudinem *vtriusque sexus*. Quod etiam constat de Essenis, inter quos & fuisse fœminas eiusdem Instituti, quas Philo *lib. de vita contemplatiua* vocat *Therapeutides*, cùm de ipsis agemus clarè ostendetur. Has ergo *Prophetides* non defuisse etiam Christi tempore constat in Anna filia Phanuelis de tribu Aser, de qua *Luc. 2. v. 36.*

v.36. vbi *Prophetissa* appellatur. Cùm autem satis probabile sit eas ad Ordinem Propheticum spectasse, vt dicemus in discursu Operis, cùm de Isaiæ vxore, quæ etiam *Prophetissa* ab aliquibus dicitur, & de ipsa Anna fiet sermo; ideo ex hac etiam parte suadetur non defuisse Prophetalem Ordinem. Quid verò dicendum de illis quatuor Virginibus filiabus Philippi Euangelistæ, de quibus *Actor.21.v.9.* agitur, & an cum probabilitate affirmari possit eas ad eundem Prophetalem Ordinem spectare in *2.Tomo* Deo duce dicetur.

5 Quòd etiam *filij Prophetarum*, & sub isto cognomine Christi ætate non defuerint aliqui, constat ex concione à B. Petro facta *Act. 3. v. 25.* vbi cùm inter auditores aliquot Elianæ Scholæ discipulos præsentes agnouisset, dixit: *Vos estis filij Prophetarum*, quo sanè clarissimè indicatur, aliquos tunc illi concioni adfuisse, qui hoc titulo appellabantur. Vnde Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Instit Monachor. cap.31.* dicit: *Vt autem Religiosos* (Eliæ videlicet discipulos, de quibus ibi loquebatur) *vehementiùs attraheret cognominans eos proprio titulo, quem à Prophetis traxerant, dixit eis: Vos estis filij Prophetarum, &c.* Fauet huic expositioni Cornelius, qui *hic* (inquit) *filij, scilicet Spirituales in fide, & Religione.* Filij Prophetarum.

6 De Scribis etiam, quòd non defuerint vsque ad Christi ætatem, plus æquo manifestè constat ex Euangelica historia, in qua passim nominantur. Id tamen animaduertendum, quòd licet iuxta dicta *cap. præcedenti n.7.* Ordinis Prophetici posteri inter alia cognomina *Scribæ* etiam nominarentur, illi tamen prout colligi potest ex D. Hieronymo *in cap.8. Isaiæ* paulò ante Christi ortum à duobus vocatis, Sammei, & Hillel, quorum prior *Dissipator* interpretatur, posterior verò *Prophanus*, corrupti fermè, & prophanati fuerunt, ita vt Christo Domino infensissimi aduersarij, & ab Epiphanio *hæres. 15. & 16.* inter hæreticos recensiti sint. Solo ergo nomine cum Scribis antiquis isti communicabant, non moribus, doctrina, aut Instituto, vt propterea veluti Apostatæ ab Ordine Prophetico censeri debent. Idem dicendum de Pharisæis, quos etiam inter Eliæ sectatores, & tales appellatos à verbo *Pharascim*, id est, *equites* putat Boulducus *lib. 3. ante Legem cap.16. §. Ab illo ergo die, & lib. de Ecclesia post Legem c.7. §. Quantum ad Pharisæos.* Esto enim hoc ita esset, de quo alibi, quia tamen illi etiam omnino fermè à vero spiritu Elianæ scholæ declinauerant, & Christi doctrinæ hostes inuenti sunt, ideo inter Ordinis Prophetici infames Apostatas, potius quàm inter Professores legitimos numeramus. Scribæ.

7 Rechabitas quoque nominatos vsque ad Christi, & Aposto- Rechabitæ.
lorum

lorum tempora perdurasse compertum est ex historia, quam ex Egesippo *in 5. libro suæ historiæ*, & Eusebio *lib. 2. c. 22.* referunt communiter historici, & inter eos Baronius *to. 1. Annal. sub anno 63.* videlicet quòd, cùm morti traderetur S. Iacobus Apostolus Domini minor cognominatus, & primus Ierosolymorum Episcopus, quidam Sacerdos *Rechabita*, de filijs scilicet Rechab, qui testimonio Domini *Ierem. 35.* commendati sunt, voce emissa exclamauerit: *Quid agitis? Iustus pro vobis Deum deprecatur*. Subiungit item Baronius ex Epiphan. *hæres. 78.* hunc Rechabitam appellatum fuisse Simeonem eiusdem Iacobi nepotem. Subiungit etiam Serarius *in Tribæresio lib. 3. c. 9.* valde ad intentum nostrum, hunc appellatum fuisse Rechabitam, *non quòd is genere, ac sanguine à Rechab oriretur*, sed quòd in Rechabitarum sese disciplinam, sectamque contulisset. Quo egregiè confirmatur id, quod diximus: siquidem ex eo habetur non modò Rechabitas ipsos, sed & eorum Ordinem, seu Institutum Christi tempora vidisse. Accedit quòd ipsemet Sanctus Iacobus satis probabiliter creditur ex Rechabitis fuisse. Ita enim eum vocat Boulducus *in lib. de Ecclesia post Legem c. 8. §. & primò de Circumcisione.* & in expositione epist. Iudæ *vers. 1. §. Quantum ad tertium*, dum dicit illum vixisse *iuxta priscorum Essæorum, & Rechabitarum Prophetarum modum*. Similiter §. *Quia tunc*, eum iterum *Rechabitam* appellat, & §. *sequenti* dicit eum *perpetuæ Virginitatis obseruantiam ab Eunuchis Rechabitis didicisse*. Et sanè si eius vitæ sanctimoniam, castitatem, à vino abstinentiam, reliquasque ipsius virtutes inspiciamus, in quibus enarrandis historici plures versantur, sicut eum Essenum, iuxta dicenda, sic & Rechabitam iure compellabimus. Concluditur ergo Rechabitas etiam sub hoc nomine Christi tempore fuisse.

Esseni, seu Assidæi.

8 Essenos præterea, siue Assidæos sub Essenorum cognomine longo temporis interuallo ante, & post, & in ipso tempore Christi; & Apostolorum extitisse certum valde est. Et quidem ante Christi æuum illorum Institutum floruisse constat in Iuda Esseno, qui Ioannis Hircani tempore vixit, de quo Flauius Iosephus *lib. 1. de bello cap. 3. & lib. 13. antiquit. c. 18.* vbi eum *Essenum*, & *Prophetam* vocat, & alter Iosephus Gorionides vocatus *lib. 4. c. 7. & 8.* eum *Assidæum*, cognominans, ac Serarius *in cap. 1. & 2. lib. 2. Machabæor*, & *in Tribæresio lib. 3. c. 9.* & alij. de quo & nos plura in sequentibus. Item in Manahemo, seu Manachemo etiã Esseno, qui circa tempora Herodis senioris viuebat. De quo idem Flauius Iosephus *lib. 15. Antiquit. c. 13.* alter Iosephus *lib. 5. cap. 33. & 24.* Bergomensis *lib. 8.*

circa

circa annum Christi 30. & alij, de quo etiam nos plura suo loco. Similiter in Simone quoque Esseno, qui ipsis annis pueritiæ Christi, sub Archelao Herodis Antipatri filio in Iudęa dominante clarus fuit. De quo Iosephus *lib.* 17. *Antiquit. c.* 19. & 2. *de bello Iudaic. c.* 6. ac Gorionides *lib.* 5. *cap.* 44. & nos alibi dicemus. Post Christi etiam tempora Essenos viguisse tam compertum est, vt probatione non egeat. De illis enim Philo *in lib. Quod omnis probus sit liber*, & *in lib. de vita contemplatiua*, Iosephus Eusebius, & alij historici Ecclesiastici plura, ipsaque mirabilia scripserunt.

9. Cæterùm ipso quoque viuente Christo Essenos vixisse manifestè id constat in Simone relato, in S. Iacobo Apostolo minore vocato, de quo supra, quem Essenum fuisse scribunt Serarius *in Tribæresio lib.* 3. *c.* 9. & 18. & *in Minerual. lib.* 3. *c.* 26. & Boulduc. *in lib. de Ecclesia post Legem c.* 7. §. *alij scientes*, & *c.* 8. §. & *primo de circumcisioné*, nosque id suo loco comprobabimus. Quin etiam Boulducus *in exposit. Epist. Iudæ vers.* 1. §. *Quantum ad tertium quæsitum*, Alphæum eiusdem Sancti Iacobi patrem, & *lib. de Ecclesia post. Legem c.* 7. § & *quia isti*, Simonem Christi etiam Apostolum vocatum Cananæum, & §. *Alij Saducæorum*, Nathanaëlem, & §. *Alia item erat*, Apostolum Thadæum Iudam inter Essenos recensere videtur. Sed quid de hoc sit, magis certum videtur Ioannem Baptistam eximium Essenum fuisse, imò & Essenorum illius æui Principem (si tamen ab eo secludamus imperfecta quædam, quæ Essenis communia fuisse creduntur) de quo cùm de ipso agetur, dicemus. Adde graues Auctores, specialiter Serarium, & Boulducum etiam Christum Dominum Essenum Institutum amplexatum fuisse defendere; de quo, & qualiter id moderandum vti paradoxon, ipsius Christi tempore, sub anno scilicet 13. suæ ætatis erit sermo. Meritò tamen inter huius Christi æui Orthodoxos, & sanæ fidei Essenos certiùs referendus venit Schariotus Abbas, & Propheta Ioanni Baptistæ συγχρονος, de quo Petrus Comestor *in histor. Euangelica c.* 178. Bartholomæus Cassanæus *in catalogo gloriæ mundi* 4. *p. consid.* 53. Brocardus *in Itinerario Terræ Sanctæ p.* 1. *c.* 7. §. 70. & alij. Sacerdotem etiam illum, qui S. Iacobi internecioni scribitur adfuisse, de quo *supra num.* 7. Essenum appellari posse dicit Serarius *in Tribæres l.* 3. *c.* 9. Maneat ergo ex ijs, quæ diximus, & ex alijs, quæ omittimus, certum, & indubitatum esse Christi tempore Essenorum Institutum viguisse.

10. Eunuchos quoque spirituales, quo etiam cognomine, vt dictum est, Prophetici Ordinis posteri vocabantur, ad tempora Saluatoris peruenisse non incongruè deducitur ex *Matth.* 19. *v.* 12. illis verbis:

Christi tempore.

Eunuchi spirituales.

verbis: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter Regnum Cælorum.* Verbum enim *sunt* cùm denotet tempus præsens, satis insinuat eos Christi tempore fuisse, & cùm iuxta communem Patrum, & Expositorum sensum de ijsdem Eunuchis loquatur Christus, ac Isaias *c. 56. v. 3.* verbis relatis *cap. præcedenti*, cùm ibi sermo sit de Eunuchis Prophetici Ordinis, vt ibi diximus, idem dici debet de Matthæi loco.

Nazaræi. 11 Peruenisse etiam vsque ad Christi ætatem *Nazaræos* negari non potest, cùm *Actor. 18. v. 18.* dicatur de Paulo: *Nauigauit in Syriam (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in cenchris caput, habebat enim votum.* Quod Nazaræorum erat, vt notat Baronius *sub anno Christi 53. in fine*, & colligitur ex *Numer. 6. v. 13.* vbi præscribitur modus explendi Nazaræatum. Similiter *Actor. 21. v. 23.* dicitur: *Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se*, id est, Nazaræi ex Essenorum Secta, vt habet Boulducus *de Ecclesia post Legem c. 12.* loquens de tonsura Clericorum, & Monachorum. Item *ibid. v. 24.* dicunt illi, qui aderant Paulo: *Sanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita*; quibus obsequens Paulus, se ritus obseruasse Nazaræorum ostendit. Vnde Isidorus *de diuin. offic.* approbante Baronio *sub anno 58. §. Ex his etiam.* inter Nazaræos Priscillam, & Aquilam, Paulum, & quosdam discipulos Christi refert. Boulducus etiam, *vt supra*, Iacobum, Paulum, Simonem, Iudam Labium, & alios Apostolos, Christique discipulos inter Nazaræos recenset. Videntur autem omnes isti præter Iacobum minorem inter Nazaræos temporarios, & non perpetuos numerandi, ac per consequens non directè ob hanc causam ad Ordinem Propheticum spectasse, qui solùm ex perpetuis Nazaræis conflabatur, licet ex eo quòd isti temporarij tunc fuerint, bene inferri possit etiam fuisse aliquos ex perpetuis.

De eisdem. 12 Potest etiam probari hæc perpetua, & perennis duratio Prophetici Ordinis, eiusdemque alumnorum vsque ad Christi saltem tempora ex illo *Isaia 56. v. 3.* de Eunuchis spiritualibus dicto, quos Ordinis prædicti asseclas denotare *cap. præcedenti n. 11.* diximus: *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Cùm enim illud *in domo mea* ad Ecclesiam militantem referant Lyranus, & Dionysius; & Hugo ad familiam Dei, per illud *nomen sempiternum* perpetuitatem in Ecclesia, seu Dei populo denotari videtur (esto aliorum expositiones probabilitate non careant) vnde sic illud exponit Hugo: *Quia nullo modo separabantur à felicitate populi.* Si ergo

ergo nunquam istorum spiritualium Eunuchorum familia in Ecclesia defuit, iure dici potest eos vsque ad Christi tempus perseuerasse.

13 Maximè id suadet locus *Ierem.* 35. vbi cùm Propheta iussu Domini Rechabitas, quos etiam *cap. præcedenti n.* 6. diximus Ordinis Prophetici extitisse cultores, ad vinum bibendum inuitasset, ipsique facere renuissent, ex eo quòd ipsorum pater Ionadab vini potum illis interdixerat, in præmium tantæ obedientiæ *v.* 18. hæc eis prænunciauit Propheta: *Pro eo quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Etsi enim hæc Dei promissio variè ab Expositoribus intelligatur, commodiùs tamen intelligenda videtur, si per eàm denotari dicamus Instituti Prophetici, & veluti Religiosi Rechabitarum perpetuitatem. Ita enim hunc locum exponere videntur Ioannes Ierosolymitanus *de instit. Monachorum c.* 27. Serarius *in Trihæres. lib.* 3. *c.* 9. maximè Cornelius, dicens hanc promissionem similem esse illi, quam Deus fecisse dicitur Sanctis Benedicto, Francisco, & Ignatio, *quòd Ordo eorum non deficiet*: addimus & nos, & B. Petro Thomæ de iugi perennitate Ordinis Carmelitici. De quo iterum in discursu Operis fiet sermo, modò enim solùm intendimus ex hoc loco deduci posse, Propheticum Institutum in Rechabitis eiusdem alumnis vsque ad Christi saltem tempora non defecisse. De Rechabitis.

14 Nec incongruè huiusmodi Prophetici Ordinis iugis, & perpetua vsque ad Saluatoris tempus successio comprobari potest ex testimonijs Pontific. Sixti quarti, Iulij II. Gregorij XIII. & Clement. VIII. quæ *cap.* 6. retulimus: cùm enim in eis asserant Carmelitarum Ordinem, qui modò in Ecclesia viget, ab Elia, Elisæo, & alijs Prophetis in monte Carmeli commorantibus *successionem hereditariam* tenere, procul dubio etiam denotant illud Institutum Propheticum, scilicet per quod ipsi hanc continuam successionem habuerunt, ante, & post Christum, & ipso Christi æuo extitisse: quomodo enim successio hereditaria appellari potest, quæ continua non fuit, sed interrupta? Ex Pontificibus.

15 Propterea hanc iugem, continuam, nec interceptam Eliani, & Prophetici Ordinis cultorum successionem vsque ad felicissima Christi Seruatoris tempora, plures, & graues Doctores profitentur. Inter quos grauissimus Vvaldensis *to. p. Doctrinal. fidei lib.* 3. *art.* 1. *c.* 4. de filijs Prophetarum Eliæ discipulis, quos dicit mansisse Auctores plures.

in Car-

in Carmelo, iuxta Iordanem, in monte Ephraim, Galgala, Bethel, Iericho, & alijs locis, subiungit: *Mansit hæc Religio Prophetarum continuò vsque in aduentum Christi: & deinceps facti sunt Principes Religiosæ militiæ Christianæ*. Deinde Ioannes Trithemius in libro de laudibus Carmelitarum (quem *c.6.n.12.* commemorauimus) *c.2.* sic: *Si veterum testimonijs credendum est, post Eliæ raptum, & mortem Elisæi, filij Prophetarum per successionem generationis montem Carmeli inhabitantes claris vacuum nunquam sinebant esse cultoribus*. Et infra: *A tempore siquidem Eliæ, & Elisæi Prophetarum Dei vsque ad Christi natiuitatem plures montẽ Carmeli amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historijs apertè demonstratur*. Indicat idem intentum Genebrardus *lib. 1. chronolog.* loquens enim de sæculo Samuelis, & de Ordine Prophetico ab ipso instituto, dicens: *Ab Orbe Prophetæ quidem extiterunt, sed rariùs; & extra ordinem. A Samuele crebriores, ordinarij, & successione perenni*. Quæ enim potest hæc perennis successio esse, nisi ad Christi æuum? Clariùs *l.4. Chronolog. circa ann.* 1180. verba ipsius sub anno 3128. referimus. Accinit Ioannes Bonifacius *de Histor. Virg. lib.2.c.1.* sic: *Mirabiles quidam solitudinis amatores, Eliæ, & Elisæi vestigia persecuti, rerum diuinarum attentissimæ meditationi se totos dediderunt. Ad quorum tamen aures cùm Apostolorum primæ de Christo mundi per crucem Seruatore Euangelicæ voces peruenissent, continuò veteri Legi nuncium remittentes, sese ad nouam transtulerunt, neque solùm se Apostolorum beneuolos, & dociles auditores, sed etiam adiutores præbuerunt. Et cùm ex monte Carmelo descendissent, &c.* Clarè etiam id significat Antonius Fernandez Iesuita *in visiones veteris Testamenti vis. 9.* qui post plura de Elia, Elisæo, filijs Prophetarum, & Ioanne Baptista, quem Eliæ sectatorem vocat, subdit: *Spiritus ergo Eliæ continuata serie in deserto per homines Religiosæ vitæ, denique in Ioannem transmissus, illum quoque exhibuit mundo monachorum parentem*. Clariùs Ægidius Camartus *de rebus gestis Eliæ cap. 5. sect. 10.* dicens: *Si tot, & tam celebres discipulorum scholas reliquit Propheta in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis, cur non in Galaad? Credibile certè est Eliæ discipulos in illa viguisse, nec defecisse, donec ad Christi discipulos, Euangelicamque doctrinam confluerent*. Item illustrissimus D. Acuna *1. p. decreti ca. generalis d. 54.* rem pro comperta supponens. Alia dabimus circa ann. 3128. loquentes de Eliæ Oratorio, vbi specialiter hanc Ordinis Prophetici continuam successionem in Carmelo monte (quam in titulo huius capitis promisimus) probare studebimus. Probabitur etiam, Deo duce, in Operis discursu, cùm de singulis Eliani Instituti alumnis sermo erit. Omnia

etiam,

etiam, quæ supra *c.6.* adduximus ad probandam Ordinis successionem hereditariam ab Elia, & alijs Prophetis, hoc etiam suadent intentum; vix enim, vt dictum est, Ordinis successio ab Elia intelligi potest, si ea iugis, continua, aut interrupta non fuerit.

16 Probabitur quoque ex dicendis *to.2. in Apparatu* illius, vbi varijs auctorum testimonijs ostendemus Christi, & Apostolorum tempore Carmelitas extitisse, & quia ea ibi fusè referentur, ideo hoc loco sufficiet auctorum quorundam nomina, seu libros, vnde extructa sunt, adducere. Et primo loco Ecclesiæ testimonium in officio ab ipsa sæpius approbato, de quo supra *c.6. n. 22. & 24.* Ibi enim de illis, de quibus *lect.4.* dictum fuerat: *Viri plurimi, qui vestigijs SS. Prophetarum Eliæ, & Elisæi institerant*. subiungitur: *Et Ioannis Baptistæ præconio ad Christi aduentum comparati fuerant*. Et infra: *Euangelicam fidem confestim amplexati sunt*. Et inferiùs: *Primi omnium in eo montis Carmeli loco, &c.* & lect. 5. *Fratres B. Mariæ de monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt*. Quibus luce clarius denotatur Carmelitas Eliæ, & Elisæi successores Christi æuo perdurasse. Quod idem sectantur Iosephus Antiochenus *in Speculo perfectæ militiæ primitiuæ Ecclesiæ c.12. & 72.* Chronica antiqua Romana apud Ribbotum *in Speculo Ordin. l.5. c.8.* & alios. Alia Chronica etiam Romana apud Palæonydor. *l.1. c.6.* Luitprand. seu Eutrandus *in fragmentis n.171.* Antiqua Ordinis Statuta apud eundem Palæonydor. *l.1. c.6.* Philippus Abbas, & Sigisbert. etiam apud Palæonyd. *l.2. c.1.* Chronica Ordinis Prædicatorum *Compendiosa* dicta inter Constitutiones huius S. Religionis *in Ioanne Theutonico, & Hugone Cardinali.* Iacobus Suzatus *in Histor. Ordin. Prædicator.* Armacanus apud VValdensem *to.3. de Sacramentalib. tit.9. c.89.* Ioannes Trithem. *de laudib. Carmelit. c.2.* VVernerus Rouelinck *in fasciculo temporum*; Hieronym. Platus *l.2. de bono stat. Relig. c.22.* Ferdinand. de Castello *in Histor. Dominicanor. par. 1. l.2. c.65.* Torniellus *to.2. annal. sub ann. 3139. §.2. in impress. Antuerp. 1620.* Ioann. Carthag *in 4. to. homil. pro Carmelit.* Aubertus Miræus *l.3. de Orig. Carmelit.* Alphon. Cassarub. *in Compend. Priuileg. Mendicant.* Iacobus Salianus *sub anno 3139. n.14. & 15.* Ægidius Camart. *sup.* alijque plures, quos in Operis discursu, locis maximè relatis, afferemus.

Christi tempore Carmelitæ.

Libri de Institutione Monachorum, qui in Bibliotheca Patrum reperitur, auctor Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha vindicatur. Cap. IX.

Dubij occasio 1  NIVS dumtaxat Cæsaris Baronij Card. Emin. & scriptoris grauissimi auctoritas huic liti ansam in re aliàs indubitata excitare potuit. Cùm enim inter Ecclesiastici monita *c.* 8. *v.* 11. & 12. illud sit valde rationi consentaneum: *Non te prætereat narratio Seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Eodem etiam Ecclesiastico *c.* 9, *v.* 24. testante: *In manu Artificum opera laudabuntur, & Princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu vero Seniorum verbum.* quo pacto res indubia per plura comprobata secula, & proborum auctoritate confirmata iudicij aleam subitura in controuersiam denuò reuocari possit, nisi à tantæ opinionis viro? Cum ipso ergo, & sub ipsius venia agendum, & pro veritate pugnandum.

Baronij sententia. 2 Is enim *to.* 6. *Annal. circa ann.* 444. §. *Sanè quidem.* dum de Ioanne Ierosolymitano Patriarcha huius nominis, vt creditur 44. Sanctis Hieronymo, & Epiphanio synchrono, & qui cum ipsis acres disputationes habuit circa ann. Christi 400. sermonem institueret, eum contra immemorialem Ordinis traditionem Carmelitam fuisse negat, ex quo proinde consequenter contra communem eo tempore omnium sententiam refragari tenetur auctorem extitisse libri ad Caprasium *de instit. Monachor.* de quo in præsenti. Talis namque libri auctor se Carmelitani Ordinis Professorem cognominat *c.* 1. & 41. Vnde Card. Bellarmin. titulis multis Eminentiæ agnomine dignus, Baronio innixus *in lib. de Scriptorib. Ecclesiastic. circa ann. Christi* 390. talis libri auctorem præfatum Ioannem fuisse diffitetur eodem Baronij fundamento, quòd scilicet auctor illius se Carmelitam dicat, cùm tamen, vt putat, Carmelitarum Religiosorum nomen eo tempore fuerit inauditum. Quam etiam ipsorum sententiam alij secuti sunt, non maiori forsan discussione, aut indagine præmissa, sed tantorum Scriptorum auctoritati morem gerentes, quod an rectè factum sit, veritatis studiosi non cæco affectu, sed æqua iudicij lance nobiscum, si placet, perpendant. Præfatum ergo *de Institutione Monachorum* ad Caprasium librum, quem in Bibliotheca Patrum iuxta diuersas editiones modò *in* 8. modò *in* 9. *tomo* Lector reperiet, eidem Ioanni Ierosolymitano tanquam legitimo

timo auctori adscribendum esse suadere intendimus: de ipsius Ioannis fide, moribus, gestis, & monachismo in Carmelo discussionem in Tomum sequentem seruantes.

3 Primò igitur Gennadius Massiliensis Presbyter, vetustus auctor, qui librum *de viris illustribus Ecclesiasticis* scripsit, in eo nostrum Ioannem commemorans, sic habet: *Ioannes Ierosolymorum Episcopus scripsit in obtrectatores studij sui librum, in quo ostendit se Origenis ingenium, non fidem secutum.* Siue autem dicatur hunc librum, de quo Gennadius, & alij communiter, qui de Ioanne scripserunt, eundem esse cum illo *de Institut. Monachorum ad Caprasium*, de quo in præsenti, siue diuersum, de quo dicendum sequenti Tomo, probabiliter saltem ex ijs, quæ Gennadius de Ioanne dixit, duas notas accipere possumus pro illius legitimis Operibus agnoscendis, scilicet quod *Origenis ingenium*, non autem *fidem* ostendant. Legat iam, si libet, curiosus Lector totum hunc librum *de Institut. Monachor.* & nihil magis excipiet, quàm *Origenis ingenium*, sed non *fidem* in eo relucere; & quamuis vtrumque facilè legenti innotescere possit, cùm nullus est, qui ignoret Origenem adeo allegorijs deditum fuisse, vt propterea in absurdas sæpe sententias inciderit (de quo doctè Godefridus Tilmannus *præfat. in allegorias Origenis*) auctorem etiam huius libri totum allegoricum, totumque moralem, salua semper fide Catholica, esse, ex toto ipsius Operis contextu, in quo vix alius, nisi allegoricus, seu moralis passim sensus cernitur, manifestè conspicietur. Nihilominus quia Petrus Vvastellius Alostanus Prouinciæ nostræ Belgicæ alumnus intentum doctè prosequitur *in Apologetico pro Ioannis monachismo in Carmelo cap. 23.* ideo mutuatis ex ipso verbis sic rem concludimus: *In primis mira est in hoc auctore orationis, & explicandæ cuiusque rei claritas, quæ fuit in Origene maximè. Dein præclara admodum eius sunt moralia, quibus non longè Origeni videtur inferior. Insuper sanctarum Scripturarum eximia in eo elucet promptitudo, qua Origenes adeò excelluit, vt liberè dixerit Sanctus Hieronymus Scripturas sanctas eum memoriter tenuisse. Denique apparet hunc auctorem plurima desumpsisse ex ipsius Origenis scriptis, addita tamen propria lima, seu temperamento; nempe vbi Origenes à regulis fidei Catholicæ videbatur aberrare. Vt paucis id exhibeam, cap. 6.* Iordanem *interpretatur descensionem, quod omnino conforme est ijs, quæ habet Origenes hom. 21. in Lucam. Deinde admonet hoc in loco, nimirum 3. Reg. 18. per Iordanem non absurdè significari peccatum, fortasis, quià Origenes varijs in locis per Iordanem intelligit vel Baptismum, vel ipsum Christum. Sed ea præcipuè arguunt libri huius Auctorem Origenis*

Gennadius.

 fuisse

B. Mariæ Virginis de monte Carmeli vocatus Ioannes in Patriarcham Ierosolymitanum sublimatus, sicut scribitur in chronicis Romanis circa annum ab incarnatione Domini 400. *quasdam Religiosè viuendi normulas à B. Basilij Regula excerptas dicti Ordinis fratribus in posterum obseruandas dereliquit*. Has vero *religiosè viuendi formulas* fuisse præfatum librum ex iugi, & constanti Ordinis traditione constat, vt tradit Thomas de Iesu *de varijs Regul. Carmelit. c.* 2.

Ciminetus. 7 Eadem fermè scripsit Ioannes de Cimineto (de quo etiam cap. sequenti) in breui Tractatulo *Speculum Ordinis* dicto *cap.* 5. sic dicens: *Verùm de Religione prædicta quidam frater Ioannes nomine Ierosolymitanus Patriarcha, sicut scribitur in chronicis Romanis prædictis fratribus suis certam Regulam non habentibus, Regulam à Beatis Patribus Paulino successiuè, & à Basilio viris Religiosis editam, ac in sacro canone videlicet* 18. *q.* 2. *solemniter approbatam dedit in posterum obseruandam*. Hanc porrò Regulam non esse aliam præter librum *de Instit. Monachor.* de quo est disceptatio ex eadem constanti Ordinis traditione noscitur, apud quem prorsus inauditum est contrarium.

Ioannes de Vineta. 8 Clariùs adhuc id habetur ex Ioanne de Vineta (de quo similiter *c. sequenti* dicemus) *tractatu qui incipit: Cùm quidam fratres*, vbi *c.* 4. sic scripsit; *Fuit autem tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis Ioannes nomine, qui cæteros antecessores suos eiusdem montis Monachos exemplo suo, & magisterio solicitè inducebat ad perfectionem acquirendam, sed præcipuè propheticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam Prophetam institutæ. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diuersis dictis tam veteris, quàm nouæ Legis, & ex nonnullis tractatibus editis à prædecessoribus suis. Qui tandem propter eius sanctitatem in Pontificem Ierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus Apostolo Iacobo in Episcopatu eiusdem Ecclesiæ XLIIII. successit. Hunc Ioannem charissimus eius discipulus Caprasius nomine, eiusdem montis, & Religionis Monachus suppliciter flagitauit, vt quæ de Institutione huius Religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda frequenter differuerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breuiter redigere in vnum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum numerositatem euoluere. Ioannes ergo cernens, quòd propter occupationem suscepti officij non posset vlteriùs ingem in monte Carmeli residentiam trahere, quod Caprasius ab eo flagitauerat, opere compleuit. Scripsit enim eloquio, & literis Græcis in quodam libro primariam nostræ Religionis Institutionem, & fundatorum eius dignitatem, atque priscorum professorum gesta sancta, & gloriosas virtu-*

virtutes, exterioremque habitus ornatum. Propterea prædictus Ioannes breui, & lucido eloquio ordinatè descripsit, vt successores dictorum Patrum in illo libro, tanquam in nitido speculo Institutionem suam intuentes, eam obseruare propensiùs conarentur, & sanctam vitam, ac virtuosos mores dictorum Patrum ex totis præcordijs imitarentur. Quem librum ipse Ioannes sodalibus suis Religiosis Eremitis montis Carmeli legendum, & obseruandum tradidit tempore Honorij Imperatoris anno Domini 412.

9 Pariter Ioannes Grossus Ordinis Generalis, quem etiam *cap. sequenti* commemorabimus in libro, cui titulus: *Viridarium cla. 2.* sic habet: *Processu autem temporis Adrianus Papa primus natione Romanus Pontificatus sui anno 8. assumpsit in Patriarcham Ierosolymitanum fratrem Ioannem eremitam dicti montis Carmeli propter illius sanctitatem maximam, qui dictus frater Ioannes Patriarcha fratri Caprasio suo discipulo dilectissimo, cæterisque eremitis montis Carmeli dictam Regulam Basilij tradidit obseruandam.* Inferiùs autem in titulo de Sanctis Ordinis: *Quintus fuit Sanctus Ioannes Patriarcha, vel Episcopus Ierosolymitanus eremita montis Carmeli, qui Regulam Beati Basilij recepit, quam fratribus tradidit obseruandam.* Vocat autem iste auctor, sicut & cæteri, Regulam librum hunc *de Institut. Monachor.* & ex B. Basilio ait receptam, quia conformis est ipsius Basilij dogmatibus. Generalis Grossus.

10 Eodem etiam sensu Armacanus Hiberniæ Primas *in sermone* habito Auenione, qui incipit: *Aue,* apud Vvaldensem *to. 3. de Sacramentalib. tit. 9. cap. 89.* dixit: *Qui insuper* (nempe Carmelitæ) *in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicando Euangelium solicitè laborarunt, & consequenti tempore à Ioanne Ierosolymitarum Patriarcha Regulam viuendi communiter susceperunt.* Armacanus.

11. Idem intentum, & clariùs Vvaldensis *ibidem* expressit dicens de Ordine nostro: *A' Ioanne Patriarcha Ierosolymitano primo Carmelita Regulam viuendi Græcè scriptam accepit, quam plenіori post sub Alberto eiusdem Patriarcha forma digestam accepit.* Explicans porrò quisnam is Ioannes fuerit, dicit eum fuisse Ioannem 44. qui tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum ad Caprasium Monachum montis Carmeli de peculiaribus gestis Carmelitarum, *quod hactenus translatum in Latinum habetur, volumen descripsit.* Quo clarè denotat hunc librum Regulam esse, quam Ioannes Ordini tradidit. Quod, & inferiùs confirmat, plura ex prædicto libro referens, de virginitate scilicet Eliæ, nubeculæ visione, primicerio Carmelitarum in Castitate, & alijs, quæ apud ipsum videri possunt. Vtinam ad Vvaldensis.

ea at-

lorum tempora perdurasse compertum est ex historia, quam ex Egesippo *in 5. libro suæ historiæ*, & Eusebio *lib. 2. c. 22.* referunt communiter historici, & inter eos Baronius *to. 1. Annal. sub anno 63.* videlicet quòd, cùm morti traderetur S. Iacobus Apostolus Domini minor cognominatus, & primus Ierosolymorum Episcopus, quidam Sacerdos *Rechabita*, de filijs scilicet Rechab, qui testimonio Domini *Ierem. 35.* commendati sunt, voce emissa exclamauerit: *Quid agitis? Iustus pro vobis Deum depreeatur.* Subiungit item Baronius ex Epiphan. *hæres. 78.* hunc Rechabitam appellatum fuisse Simeonem eiusdem Iacobi nepotem. Subiungit etiam Serarius *in Tribæresio lib. 3. c. 9.* valde ad intentum nostrum, hunc appellatum fuisse Rechabitam, *non quòd is genere, ac sanguine à Rechab oriretur*, sed quòd in Rechabitarum sese disciplinam, sectamque contulisset. Quo egregiè confirmatur id, quod diximus: siquidem ex eo habetur non modò Rechabitas ipsos, sed & eorum Ordinem, seu Institutum Christi tempora vidisse. Accedit quòd ipsemet Sanctus Iacobus satis probabiliter creditur ex Rechabitis fuisse. Ita enim eum vocat Boulducus *in lib. de Ecclesia post Legem c. 8. §. & primò de Circumcisione.* & in expositione epist. Iudæ *vers. 1. §. Quantum ad tertium*, dum dicit illum vixisse *iuxta priscorum Enoscæorum, & Rechabitarum Prophetarum modum.* Similiter §. *Quia tunc*, eum iterum *Rechabitam* appellat, & §. *sequenti* dicit eum *perpetuæ Virginitatis obseruantiam ab Eunuchis Rechabitis didicisse.* Et sanè si eius vitæ sanctimoniam, castitatem, à vino abstinentiam, reliquasque ipsius virtutes inspiciamus, in quibus enarrandis historici plures versantur, sicut eum Essenum, iuxta dicenda, sic & Rechabitam iure compellabimus. Concluditur ergo Rechabitas etiam sub hoc nomine Christi tempore fuisse.

Essenos, seu Assidæos.

8 Essenos præterea, siue Assidæos sub Essenorum cognomine longo temporis interuallo ante, & post, & in ipso tempore Christi, & Apostolorum extitisse certum valde est. Et quidem ante Christi æuum illorum Institutum floruisse constat in Iuda Esseno, qui Ioannis Hircani tempore vixit, de quo Flauius Iosephus *lib. 1. de bello cap. 3. & lib. 13. antiquit. c. 18.* vbi eum *Essenum, & Prophetam* vocat, & alter Iosephus Gorionides vocatus *lib. 4. c. 7. & 8.* eum *Assideum*, cognominans, ac Serarius *in cap. 1. & 2. lib. 2. Machabæor*, & *in Tribæresio lib. 3. c. 9.* & alij. de quo & nos plura in sequentibus. Item in Manahemo, seu Manachemo etiā Esseno, qui circa tempora Herodis senioris viuebat. De quo idem Flauius Iosephus *lib. 15. Antiquit. c. 13.* alter Iosephus *lib. 5. cap. 33. & 24.* Bergomensis *lib. 8.*

circa

circa annum Christi 30. & alij. de quo etiam nos plura suo loco. Similiter in Simone quoque Esseno, qui ipsis annis pueritiæ Christi, sub Archelao Herodis Antipatri filio in Iudęa dominante clarus fuit. De quo Iosephus *lib. 17. Antiquit. c. 19. & 2. de bello Iudaic. c. 6.* ac Gorionides *lib. 5. cap. 44.* & nos alibi dicemus. Post Christi etiam tempora Essenos viguisse tam compertum est, vt probatione non egeat. De illis enim Philo *in lib. Quod omnis probus sit liber, & in lib. de vita contemplatiua,* Iosephus Eusebius, & alij historici Ecclesiastici plura, ipsaque mirabilia scripserunt.

9. Cæterùm ipso quoque viuente Christo Essenos vixisse manifestè id constat in Simone relato, in S. Iacobo Apostolo minore vocato, de quo supra, quem Essenum fuisse scribunt Serarius *in Tribaresio lib. 3. c. 9. & 18. & in Mineruali lib. 5. c. 26.* & Boulduc. *in lib. de Ecclesia post Legem c. 7. §. alij scientes, & c. 8. §. & primo de circumcisione,* nosque id suo loco comprobabimus. Quin etiam Boulducus *in exposit. Epist. Iudæ vers. 1. §. Quantum ad tertium quæsitum,* Alphæum eiusdem Sancti Iacobi patrem, *& lib. de Ecclesia post Legem c. 7. § & quia isti,* Simonem Christi etiam Apostolum vocatum Cananæum, & §. *Alij Saducæorum,* Nathanaëlem, & §. *Alia item erat,* Apostolum Thadæum Iudam inter Essenos recensere videtur. Sed quid de hoc sit, magis certum videtur Ioannem Baptistam eximium Essenum fuisse, imò & Essenorum illius æui Principem (si tamen ab eo secludamus imperfecta quædam, quæ Essenis communia fuisse creduntur) de quo cùm de ipso agetur, dicemus. Adde graues Auctores, specialiter Serarium, & Boulducum etiam Christum Dominum Essenum Institutum amplexatum fuisse defendere; de quo, & qualiter id moderandum vti paradoxon, ipsius Christi tempore, sub anno scilicet 13. suæ ætatis erit sermo. Meritò tamen inter huius Christi æui Orthodoxos, & sanæ fidei Essenos certiùs referendus venit Schariotus Abbas, & Propheta Ioanni Baptistæ σύγχρονος, de quo Petrus Comestor *in histor. Euangelica c. 178.* Bartholomæus Cassanæus *in catalogo gloriæ mundi 4. p. consid. 53.* Brocardus *in Itinerario Terræ Sanctæ p. 1. c. 7. §. 70.* & alij. Sacerdotem etiam illum, qui S. Iacobi internecioni scribitur adfuisse, de quo *supra num. 7.* Essenum appellari posse dicit Serarius *in Tribares l. 3. c. 9.* Maneat ergo ex ijs, quæ diximus, & ex alijs, quæ omittimus, certum, & indubitatum esse Christi tempore Essenorum Institutum viguisse.

Christi tempore.

10 Eunuchos quoque spirituales, quo etiam cognomine, vt dictum est, Prophetici Ordinis posteri vocabantur, ad tempora Saluatoris peruenisse non incongruè deducitur ex *Matth. 19. v. 12.* illis verbis:

Eunuchi spirituales.

verbis: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter Regnum Calorum.* Verbum enim *sunt* cùm denotet tempus præsens, satis insinuat eos Christi tempore fuisse, & cùm iuxta communem Patrum, & Expositorum sensum de ijsdem Eunuchis loquatur Christus, ac Isaias *c. 56. v. 3.* verbis relatis *cap. præcedenti*, cùm ibi sermo sit de Eunuchis Prophetici Ordinis, vt ibi diximus, idem dici debet de Matthæi loco.

Nazaræi. 11 Peruenisse etiam vsque ad Christi ætatem *Nazaræos* negari non potest, cùm *Actor. 18. v. 18.* dicatur de Paulo: *Nauigauit in Syriam (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in cenchris caput, habebat enim votum:* Quod Nazaræorum erat, vt notat Baronius *sub anno Christi 53. in fine*, & colligitur ex *Numer. 6. v. 13.* vbi præscribitur modus explendi Nazaræatum. Similiter *Actor. 21. v. 23.* dicitur: *Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se*, id est, Nazaræi ex Essenorum Secta, vt habet Boulducus *de Ecclesia post Legem c. 12.* loquens de tonsura Clericorum, & Monachorum. Item *ibid. v. 24.* dicunt illi, qui aderant Paulo: *Sanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita;* quibus obsequens Paulus, se ritus obseruasse Nazaræorum ostendit. Vnde Isidorus *de diuin. offic.* approbante Baronio *sub anno 58. §. Ex his etiam.* inter Nazaræos Priscillam, & Aquilam, Paulum, & quosdam discipulos Christi refert. Boulducus etiam, *vt supra*, Iacobum, Paulum, Simonem, Iudam Labium, & alios Apostolos, Christique discipulos inter Nazaræos recenset. Videntur autem omnes isti præter Iacobum minorem inter Nazaræos temporarios, & non perpetuos numerandi, ac per consequens non directè ob hanc causam ad Ordinem Propheticum spectasse, qui solùm ex perpetuis Nazaræis conflabatur, licet ex eo quòd isti temporarij tunc fuerint, bene inferri possit etiam fuisse aliquos ex perpetuis.

De eisdem. 12 Potest etiam probari hæc perpetua, & perennis duratio Prophetici Ordinis, eiusdemque alumnorum vsque ad Christi saltem tempora ex illo *Isaia 56. v. 3.* de Eunuchis spiritualibus dicto, quos Ordinis prædicti asseclas denotare *cap. præcedenti n. 11.* diximus: *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Cùm enim illud *in domo mea* ad Ecclesiam militantem referant Lyranus, & Dionysius; & Hugo ad familiam Dei, per illud *nomen sempiternum* perpetuitatem in Ecclesia, seu Dei populo denotari videtur (esto aliorum expositiones probabilitate non careant) vnde sic illud exponit Hugo: *Quia nullo modo separabantur à felicitate populi.* Si

ergo

ergo nunquam istorum spiritualium Eunuchorum familia in Ecclesia defuit, iure dici potest eos vsque ad Christi tempus perseuerasse.

13 Maximè id suadet locus *Ierem.35.* vbi cùm Propheta iussu Domini Rechabitas, quos etiam *cap. praecedenti n.6.* diximus Ordinis Prophetici extitisse cultores, ad vinum bibendum inuitasset, ipsique facere renuissent, ex eo quòd ipsorum pater Ionadab vini potum illis interdixerat, in præmium tantæ obedientiæ *v.18.* hæc eis prænunciauit Propheta: *Pro eo quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Etsi enim hæc Dei promissio variè ab Expositoribus intelligatur, commodiùs tamen intelligenda videtur, si per eam denotari dicamus Instituti Prophetici, & veluti Religiosi Rechabitarum perpetuitatem. Ita enim hunc locum exponere videntur Ioannes Ierosolymitanus *de instit. Monachorum c.27.* Serarius *in Triheres. lib. 3. c.9.* maximè Cornelius, dicens hanc promissionem similem esse illi, quam Deus fecisse dicitur Sanctis Benedicto, Francisco, & Ignatio, *quòd Ordo eorum non deficiet*: addimus & nos, & B. Petro Thomæ de iugi perennitate Ordinis Carmelitici. De quo iterum in discursu Operis fiet sermo, modò enim solùm intendimus ex hoc loco deduci posse, Propheticum Institutum in Rechabitis eiusdem alumnis vsque ad Christi saltem tempora non defecisse. De Rechabitis.

14 Nec incongruè huiusmodi Prophetici Ordinis iugis, & perpetua vsque ad Saluatoris tempus successio comprobari potest ex testimonijs Pontific. Sixti quarti, Iulij II. Gregorij XIII. & Clement. VIII. quæ *cap.6.* retulimus: cùm enim in eis asserant Carmelitarum Ordinem, qui modò in Ecclesia viget, ab Elia, Elisæo, & alijs Prophetis in monte Carmeli commorantibus *successionem hereditariam* tenere, procul dubio etiam denotant illud Institutum Propheticum, scilicet per quod ipsi hanc continuam successionem habuerunt, ante, & post Christum, & ipso Christi æuo extitisse: quomodo enim successio hereditaria appellari potest, quæ continua non fuit, sed interrupta? Ex Pontificibus.

15 Propterea hanc iugem, continuam, nec interceptam Eliæ, & Prophetici Ordinis cultorum successionem vsque ad felicissima Christi Seruatoris tempora, plures, & graues Doctores profitentur. Inter quos grauissimus Vualdensis *to. p. Doctrinal. fidei lib. 3. art. 1. c. 4.* de filijs Prophetarum Eliæ discipulis, quos dicit mansisse Auctores plures.

in Car-

in Carmelo, iuxta Iordanem, in monte Ephraim, Galgala, Bethel, Iericho, & alijs locis, subiungit: *Mansit hac Religio Prophetarum continuò vsque in aduentum Christi: & deinceps facti sunt Principes Religiosæ militia Christianę*. Deinde Ioannes Trithemius in libro de laudibus Carmelitarum (quem *c.6. n.12.* commemorauimus) *c.2.* sic: *Si veterum testimonijs credendum est, post Elię raptum, & mortem Elisęi, filij Prophetarum per successionem generationis montem Carmeli inhabitantes claris vacuum nunquam sinebant esse cultoribus*. Et infra: *A tempore siquidem Elię, & Elisęi Prophetarum Dei vsque ad Christi natiuitatem plures montē Carmeli amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historijs apertè demonstratur*. Indicat idem intentum Genebrardus *lib.1. chronolog.* loquens enim de seculo Samuelis, & de Ordine Prophetico ab ipso instituto, dicens: *Ab Orbe Prophetę quidem extiterunt, sed rariùs; & extra ordinem. A Samuele crebriores, ordinarij, & successione perenni*. Quæ enim potest hæc perennis successio esse, nisi ad Christi æuum? Clariùs *l.4. Chronolog. circa ann. 1180.* verba ipsius sub anno 3128. referimus. Accinit Ioannes Bonifacius *de Histor. Virg. lib.2.c.1.* sic: *Mirabiles quidam solitudinis amatores, Elię, & Elisęi vestigia persecuti, rerum diuinarum attentissimę meditationi se totos dediderunt. Ad quorum tamen aures cùm Apostolorum primę de Christo mundi per crucem Seruatore Euangelicæ voces peruenissent, continuò veteri Legi nuncium remittentes, sese ad nouam transtulerunt, neque solùm se Apostolorum beneuolos, & dociles auditores, sed etiam adiutores prębuerunt. Et cùm ex monte Carmelo descendissent, &c.* Clarè etiam id significat Antonius Fernandez Iesuita *in visiones veteris Testamenti vis.9.* qui post plura de Elia, Elisæo, filijs Prophetarum, & Ioanne Baptista, quem Eliæ sectatorem vocat, subdit: *Spiritus ergo Elię continuata serie in deserto per homines Religiosę v.tę, denique in Ioannem transmissus, illum quoque exhibuit mundo monachorum parentem*. Clariùs Ægidius Camartus *de rebus gestis Elię cap.5. sect.10.* dicens: *Si tot, & tam celebres discipulorum scholas reliquit Propheta in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis, cur non in Galaad? Credibile certè est Elię discipulos in illa viguisse, nec defecisse, donec ad Christi discipulos, Euangelicamque doctrinam confluerent*. Item illustrissimus D. Acuna *1.p. decreti ca. generalis d.54.* rem pro comperta supponens. Alia dabimus circa ann. 3128. loquentes de Eliæ Oratorio, vbi specialiter hanc Ordinis Prophetici continuam successionem in Carmelo monte (quam in titulo huius capitis promisimus) probare studebimus. Probabitur etiam, Deo duce, in Operis discursu, cùm de singulis Eliani Instituti alumnis sermo erit. Omnia

etiam,

etiam, quæ supra *c.6.* adduximus ad probandam Ordinis successionem hereditariam ab Elia, & alijs Prophetis, hoc etiam suadent intentum; vix enim, vt dictum est, Ordinis successio ab Elia intelligi potest, si ea iugis, continua, aut interrupta non fuerit.

16 Probabitur quoque ex dicendis *to.2. in Apparatu* illius, vbi varijs auctorum testimonijs ostendemus Christi, & Apostolorum tempore Carmelitas extitisse, & quia ea ibi fusè referentur, ideo hoc loco sufficiet auctorum quorundam nomina, seu libros, vnde extructa sunt, adducere. Et primo loco Ecclesiæ testimonium in officio ab ipsa sæpius approbato, de quo supra *c.6. n. 22. & 24.* Ibi enim de illis, de quibus *lect.4.* dictum fuerat: *Viri plurimi, qui vestigijs SS. Prophetarum Eliæ, & Elisæi insliterant*. subiungitur: *Et Ioannis Baptistæ præconio ad Christi aduentum comparati fuerant*. Et infra: *Euangelicam fidem confestim amplexati sunt*. Et inferiùs: *Primi omnium in eo montis Carmeli loco, &c.* & lect.5. *Fratres B. Mariæ de monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt*. Quibus luce clarius denotatur Carmelitas Eliæ, & Elisæi successores Christi æuo perdurasse. Quod idem sectantur Iosephus Antiochenus *in Speculo perfectæ militiæ primitiuæ Ecclesiæ c.12. & 72.* Chronica antiqua Romana apud Ribbotum *in Speculo Ordin. l.5. c.8.* & alios. Alia Chronica etiam Romana apud Palæonydor. *l.1. c.6.* Luitprand. seu Eutrandus *in fragmentis n.171.* Antiqua Ordinis Statuta apud eundem Palæonydor. *l.1. c.6.* Philippus Abbas, & Sigisbert. etiam apud Palæonyd. *l.2. c.1.* Chronica Ordinis Prædicatorum *Compendiosa* dicta inter Constitutiones huius S. Religionis *in Ioanne Theutonico, & Hugone Cardinali.* Iacobus Suzatus *in Histor. Ordin. Prædicator.* Armacanus apud VValdensem *to.3. de Sacramentalib. tit.9. c.89.* Ioannes Trithem. *de laudib. Carmelit. c.2.* VVernerus Rouelinck *in fasciculo temporum*; Hieronym. Platus *l.2. de bono stat. Relig. c.22.* Ferdinand. de Castello *in Histor. Dominicanor. par. 1. l.2. c.65.* Torniellus *to.2. annal. sub ann. 3139. §.2. in impress. Antuerp. 1620.* Ioann. Carthag *in 4.to. homil. pro Carmelit.* Aubertus Miræus *l.3. de Orig. Carmelit.* Alphon. Cassarub. *in Compend. Priuileg. Mendicant.* Iacobus Salianus *sub anno 3139. n.14. & 15.* Ægidius Camart. *sup.* alijque plures, quos in Operis discursu, locis maximè relatis, afferemus.

Christi tempore Carmeli eulæ.

Libri de Institutione Monachorum, qui in Bibliotheca Patrum reperitur, auctor Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha vindicatur. Cap. IX.

Dubij occasio 1 NIVS dumtaxat Cæsaris Baronij Card. Emin. & scriptoris grauissimi auctoritas huic liti ansam in re aliàs indubitata excitare potuit. Cùm enim inter Ecclesiastici monita *c.8. v.11. & 12.* illud sit valde rationi consentaneum: *Non te prætereat narratio Seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Eodem etiam Ecclesiastico *c.9. v.24.* testante: *In manu Artificum opera laudabuntur, & Princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu vero Seniorum verbum.* quo pacto res indubia per plura comprobata secula, & proborum auctoritate confirmata iudicij aleam subitura in controuersiam denuò reuocari possit, nisi à tantæ opinionis viro? Cum ipso ergo, & sub ipsius venia agendum, & pro veritate pugnandum.

Baronij sententia. 2 Is enim *to.6. Annal. circa ann.444. §. Sanè quidem.* dum de Ioanne Ierosolymitano Patriarcha huius nominis, vt creditur 44. Sanctis Hieronymo, & Epiphanio synchrono, & qui cum ipsis acres disputationes habuit circa ann. Christi 400. sermonem institueret, eum contra immemorialem Ordinis traditionem Carmelitam fuisse negat, ex quo proinde consequenter contra communem eo tempore omnium sententiam refragari tenetur auctorem extitisse libri ad Caprasium *de instit. Monachor.* de quo in præsenti. Talis namque libri auctor se Carmelitani Ordinis Professorem cognominat *c.1. & 41.* Vnde Card. Bellarmin. titulis multis Eminentiæ agnomine dignus, Baronio innixus *in lib. de Scriptorib. Ecclesiastic. circa ann. Christi 390.* talis libri auctorem præfatum Ioannem fuisse diffitetur eodem Baronij fundamento, quòd scilicet auctor illius se Carmelitam dicat, cùm tamen, vt putat, Carmelitarum Religiosorum nomen eo tempore fuerit inauditum. Quam etiam ipsorum sententiam alij secuti sunt, non maiori forsan discussione, aut indagine præmissa, sed tantorum Scriptorum auctoritati morem gerentes, quod an rectè factum sit, veritatis studiosi non cæco affectu, sed æqua iudicij lance nobiscum, si placet, perpendant. Præfatum ergo *de Institutione Monachorum* ad Caprasium librum, quem in Bibliotheca Patrum iuxta diuersas editiones modò *in 8.* modò *in 9. tomo* Lector reperiet, eidem Ioanni Ierosolymitano tanquam legitimo

timo

timò auctori adscribendum esse suadere intendimus: de ipsius Ioannis fide, moribus, gestis, & monachismo in Carmelo discussionem in Tomum sequentem seruantes.

3 Primò igitur Gennadius Massiliensis Presbyter, vetustus auctor, qui librum *de viris illustribus Ecclesiasticis* scripsit, in eo nostrum Ioannem commemorans, sic habet: *Ioannes Ierosolymorum Episcopus scripsit in obtrectatores studij sui librum, in quo ostendit se Origenis ingenium, non fidem secutum.* Siue autem dicatur hunc librum, de quo Gennadius, & alij communiter, qui de Ioanne scripserunt, eundem esse cum illo *de Institut. Monachorum ad Caprasium*, de quo in præsenti, siue diuersum, de quo dicendum sequenti Tomo, probabiliter saltem ex ijs, quæ Gennadius de Ioanne dixit, duas notas accipere possumus pro illius legitimis Operibus agnoscendis, scilicet quod *Origenis ingenium*, non autem *fidem* ostendant. Legat iam, si libet, curiosus Lector totum hunc librum *de Institut. Monachor.* & nihil magis excipiet, quàm *Origenis ingenium*, sed non *fidem* in eo relucere; & quamuis vtrumque facilè legenti innotescere possit, cùm nullus est, qui ignoret Origenem adeo allegorijs deditum fuisse, vt propterea in absurdas sæpe sententias inciderit (de quo doctè Godefridus Tilmannus *præfat. in allegorias Origenis*) auctorem etiam huius libri totum allegoricum, totumque moralem, salua semper fide Catholica, esse, ex toto ipsius Operis contextu, in quo vix alius, nisi allegoricus, seu moralis passim sensus cernitur, manifestè conspicietur. Nihilominus quia Petrus Vuastellius Alostanus Prouinciæ nostræ Belgicæ alumnus intentum doctè prosequitur *in Apologetico pro Ioannis monachismo in Carmelo cap. 23.* ideo mutuatis ex ipso verbis sic rem concludimus: *In primis mira est in hoc auctore orationis, & explicandæ cuiusque rei claritas, quæ fuit in Origene maximè. Dein præclara admodum eius sunt moralia, quibus non longè Origeni videtur inferior. Insuper sanctarum Scripturarum eximia in eo elucet promptitudo, quæ Origenes adeò excelluit, vt liberè dixerit Sanctus Hieronymus Scripturas sanctas eum memoriter tenuisse. Denique apparet hunc auctorem plurima desumpsisse ex ipsius Origenis scriptis, additâ tamen propria lima, seu temperamento; nempe vbi Origenes à regulis fidei Catholicæ videbatur aberrare. Vt paucis id exhibeam, cap. 6.* Iordanem *interpretatur descensionem, quod omnino conforme est ijs, quæ habet Origenes hom. 21. in Lucam. Deinde admonet hoc in loco, nimirum 3. Reg. 18. per Iordanem non absurdè significari peccatum, fortasis, quia Origenes varijs in locis per Iordanem intelligit vel Baptismum, vel ipsum Christum. Sed ea præcipuè arguunt libri huius Auctorem Origenis*

Gennadius.

fuisse studiosum, quæ eodem illo capite prolixè dicuntur de descensu hominis à dignitate imaginis Dei per peccatum. Quamquam cautiùs Origene inuenıatur locutus, & de descensu animarum, & de hominis imagine, quas non dicit per peccatum in aliam naturam mutari, aut amitti, sed sordidari. Circa ea verò, quæ de modo, & necessitate dilectionis Dei subsequuntur, vide Origenem hom. 23. in Matth. His adiunge cap. 25. vbi sic loquitur: Elias receptus in curru equorum igneorum ascendit per turbinem ignis in Cælũ, id est, in Paradisum voluptatis, qui longo maris, & terræ tractu à nostra habitabili secretus adeò est editus, vt penè vsque ad Cælum attingat. Hanc doctrinam hausit auctor ex Origene: nisi quod etiam hic consideratiùs sententiam suam pronunciauerit, dum non in tertio Cælo Paradisum ponit, quod fecisse Origenes dicitur, sed in tertia duntaxat aëris regione, quæ antiquorum de Paradisi situ est sententia.

Intentum. 4 Habes ergo iam, bone Lector, in hoc libro de Institutione Monachorum ad Caprasium duo illa inuoluere auctorem ipsius, quæ Ioannem Ierosolymitanum fecisse in libro contra obtrectatores sui studij dixerat Gennadius, ex quo probabiliter satis deducere potes eum, & istius Operis auctorem extitisse.

Varij Auctores. 5 Accedant pro huiusmodi thematis confirmatione plurium, & pergrauium Auctorum testimonia, quibus ipsi varijs modis subscribunt, quibusdam asserentibus hunc Ioannem pro Regula Carmelitis eum librum scripsisse, alijs dicentibus illum ab Aymerico Latinitati donatum, & eisdem Carmeli eremitis etiam pro Regula traditum esse, alijs verò Albertum Patriarcham, qui Regulam, quam ijs temporibus Ordo profitetur, tradidit ex eo Ioannis libro eam extraxisse, alijs denique varijs occasionibus, nunc casu, nunc data opera illum sub eiusdem Ioannis nomine, ac titulo retulisse, citasse, & approbasse, vel clarè legitimum ipsius auctorem fuisse aliquando etiam aduersarijs reiectis protulisse. Hi omnes suo ordine referendi erunt, vt vel inde constare possit, non sine nostrorum iniuria rem in dubium reuocari posse, vtpotè quæ plurium seculorum vetustate, & Doctorum grauissimorum auctoritate firmata, & confirmata conspiciatur.

Alij auctores. 6 Qui ergo asserunt Ioannem pro Regula hunc librum Carmelitis sodalibus tradidisse (quod ita contigisse Deo dante *in 2. Tomo* dicemus) sunt isti. Primus B. Cyrillus Constantinopolitanus Carmeli montis eremita ante annum Domini 1200. sanctitate insignis, vt propterea à multis annis, vicibus sæpius repetitis, officium ipsius pro nostro Ordine Ecclesia approbauerit, doctrinaque celebris, vt testantur innumeri Scriptores, qui ipsum commemorant, quos

cap. se-

cap. sequenti referemus. Hic enim B. Pater *in Epistola ad Eusebium Eremitam montis Neroi*, quæ habetur *in Speculo Ordinis lib. 8. c. 1.* inter alia hæc ad intentum: *Fuit autem tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis Ioannes nomine, qui cæteros consortes suos eiusdem montis Monachos exemplo suo, & magisterio solicitè inducebat ad perfectionem acquirendam secundùm Propheticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam Prophetam institutæ: quam Ioannes eis exponebat ex diuersis dictis tam veteris, quam nouæ Legis, & ex nonnullis tractatibus editis à prædecessoribus suis. Qui tandem propter eius sanctitatem in Pontificem Ierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus Apostolo Iacobo in Episcopatu eiusdem Ecclesiæ XLIIII. successit. Hunc Ioannem charissimus eius discipulus nomine Caprasius eiusdem montis, & Religionis Monachus suppliciter flagitauit, vt quæ de Institutione huius Religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda frequenter disseruerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breuiter redigere in vnum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum numerositatem euoluere. Ioannes ergo cernens, quòd propter occupationem suscepti officij non posset vlteriùs iugem in monte Carmeli residentiam trahere; quod Caprasius ab eo flagitauerat, opere compleuit. Scripsit enim eidem Caprasio librum de Institutione nostra Religionis Græco eloquio, & literis Græcis, quibus tunc Terræ Sanctæ Ecclesia maximè vtebatur. In quo libro primariam nostræ Religionis Institutionem, & Fundatorum eiusdem dignitatem, atque priscorum Professorum gesta, sanctas, & gloriosas virtutes, exterioremque habitus ornatum prædictus Ioannes propterea breui, & lucido eloquio ordinatè descripsit, vt successores dictorum Patrum in illo libro tanquam in nitido speculo Institutionem suam intuentes, eam obseruare propensiùs conarentur, & sanctam vitam, ac virtuosos mores dictorum Patrum ex totis præcordijs imitarentur. Quem librum ipse Ioannes sodalibus suis Religiosis Eremitis montis Carmeli legendum, & obseruandum tradidit tempore Honorij Imperatoris anno Domini quadringētesimo duodecimo.* Huius Patris testimonium pro nostro intento roborando sufficere posset, ob ipsius sanctitatem, & doctrinam, ac quod in Orientalibus partibus Syriæ, sicut ipse Ioannes, per multum tempus conuersatus, rei veritatem veluti domesticus testis præ cæteris nosse deberet; præsertim cùm tempora fermè attigerit, quibus in Carmelo hic liber pro Regula habebatur ante Alberti Regulam.

6 Idem profitetur intentum Ioannes de Malinis *in Speculo historiali cap. 6.* (de quo cap. sequenti) sic dicens: *Quidam frater Ordinis* Ioannes de Malinis.

B. Mariæ Virginis de monte Carmeli vocatus Ioannes in Patriarcham Ierosolymitanum sublimatus, sicut scribitur in chronicis Romanis circa annum ab incarnatione Domini 400. quasdam Religiosè viuendi normulas à B. Basilij Regula excerptas dicti Ordinis fratribus in posterum obseruandas dereliquit. Has vero *religiosè viuendi formulas* fuisse præfatum librum ex iugi, & constanti Ordinis traditione constat, vt tradit Thomas de Iesu *de varijs Regul. Carmelit. c. 2.*

Ciminetus. 7 Eadem fermè scripsit Ioannes de Cimineto (de quo etiam cap. sequenti) in breui Tractatulo *Speculum Ordinis* dicto *cap. 5.* sic dicens: *Verùm de Religione prædicta quidam frater Ioannes nomine Ierosolymitanus Patriarcha, sicut scribitur in chronicis Romanis prædictis fratribus suis certam Regulam non habentibus, Regulam à Beatis Patribus Paulino successiuè, & à Basilio viris Religiosis editam, ac in sacro canone videlicet 18. q. 2. solemniter approbatam dedit in posterum obseruandam.* Hanc porrò Regulam non esse aliam præter librum *de Instit. Monachor.* de quo est disceptatio ex eadem constanti Ordinis traditione noscitur, apud quem prorsus inauditum est contrarium.

Ioannes de Vineta. 8 Clariùs adhuc id habetur ex Ioanne de Vineta (de quo similiter *c. sequenti* dicemus) *tractatu qui incipit: Cùm quidam fratres,* vbi *c. 4.* sic scripsit; *Fuit autem tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum in monte Carmeli Pater dictorum Religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis Ioannes nomine, qui cæteros antecessores suos eiusdem montis Monachos exemplo suo, & magisterio solicitè inducebat ad perfectionem acquirendam, sed præcipuè propheticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam Prophetam institutæ. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diuersis dictis tam veteris, quàm nouæ Legis, & ex nonnullis tractatibus editis à prædecessoribus suis. Qui tandem propter eius sanctitatem in Pontificem Ierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus Apostolo Iacobo in Episcopatu eiusdem Ecclesiæ XLIIII. successit. Hunc Ioannem charissimus eius discipulus Caprasius nomine, eiusdem montis, & Religionis Monachus suppliciter flagitauit, vt quæ de Institutione huius Religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda frequenter differuerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breuiter redigere in vnum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum numerositatem euoluere. Ioannes ergo cernens, quòd propter occupationem suscepti officij non posset vlteriùs ingem in monte Carmeli residentiam trahere, quod Caprasius ab eo flagitauerat, opere compleuit. Scripsit enim eloquio, & literis Græcis in quodam libro primariam nostræ Religionis Institutionem, & fundatorum eius dignitatem, atque priscorum professorum gesta sancta, & gloriosas virtu-*

virtutes, exterioremque habitus ornatum. Propterea prædictus Ioannes breui, & lucido eloquio ordinatè descripsit, vt successores dictorum Patrum in illo libro, tanquam in nitido speculo Institutionem suam intuentes, eam obseruare propensiùs conarentur, & sanctam vitam, ac virtuosos mores dictorum Patrum ex totis præcordijs imitarentur. Quem librum ipse Ioannes sodalibus suis Religiosis Eremitis montis Carmeli legendum, & obseruandum tradidit tempore Honorij Imperatoris anno Domini 412.

9 Pariter Ioannes Grossus Ordinis Generalis, quem etiam *cap. sequenti* commemorabimus in libro, cui titulus: *Viridarium cla.* 2. sic habet: *Processu autem temporis Adrianus Papa primus natione Romanus Pontificatus sui anno* 8. *assumpsit in Patriarcham Ierosolymitanum fratrem Ioannem eremitam dicti montis Carmeli propter illius sanctitatem maximam, qui dictus frater Ioannes Patriarcha fratri Caprasio suo discipulo dilectissimo, cæterisque eremitis montis Carmeli dictam Regulam Basilij tradidit obseruandam.* Inferiùs autem in titulo de Sanctis Ordinis: *Quintus fuit Sanctus Ioannes Patriarcha, vel Episcopus Ierosolymitanus eremita montis Carmeli, qui Regulam Beati Basilij recepit, quam fratribus tradidit obseruandam.* Vocat autem iste auctor, sicut & cæteri, Regulam librum hunc *de Institut. Monachor.* & ex B. Basilio ait receptam, quia conformis est ipsius Basilij dogmatibus. Generalis Grossus.

10 Eodem etiam sensu Armacanus Hiberniæ Primas *in sermone* habito Auenione, qui incipit: *Aue,* apud Vvaldensem *to.* 3. *de Sacramentalib, tit.* 9. *cap.* 89. dixit: *Qui insuper* (nempe Carmelitæ) *in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicando Euangelium solicitè laborarunt, & consequenti tempore à Ioanne Ierosolymitarum Patriarcha Regulam viuendi communiter susceperunt.* Armacanus.

11. Idem intentum, & clariùs Vvaldensis *ibidem* expressit dicens de Ordine nostro: *A' Ioanne Patriarcha Ierosolymitano primo Carmelita Regulam viuendi Græcè scriptam accepit, quam plenıori post sub Alberto itidem Patriarcha forma digestam accepit.* Explicans porro quisnam is Ioannes fuerit, dicit eum fuisse Ioannem 44. qui tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum ad Caprasium Monachum montis Carmeli de peculiaribus gestis Carmelitarum, *quod hactenus translatum in Latinum habetur, volumen descripsit.* Quo clarè denotat hunc librum Regulam esse, quam Ioannes Ordini tradidit. Quod, & inferiùs confirmat, plura ex prædicto libro referens, de virginitate scilicet Eliæ, nubeculæ visione, primicerio Carmelitarum in Castitate, & alijs, quæ apud ipsum videri possunt. Vtinam ad Vvaldensis.

ea at-

ea attendissent Eminentissimi Baronius, & Bellarminus, crederem enim sanè, vel propter tanti viri (Vvaldensis) auctoritatem, nequaquam in contrariam deuiassent sententiam.

Alij Auctores 12 Quia tamen prolixior hic noster discursus, quàm par est euaderet, si omnium eorum, qui Ioannem nostris Regulam tradidisse asserunt, & qui proinde consequenter affirmant hunc librum, de quo in præsenti, ab ipso editum, testimonia sigillatim afferemus, ideo sufficiat eos summatim referre, vt lector, si placeat, possit illos consulere. Ex his Thomas de Iesu *dicto cap. 2. de varijs Regulis Carmelit.* refert Paulum Morigiam *lib. 1. de Orig. Relig. c.* 30. Hieronymum Platum *de bono statu Religion. lib 2. cap.* 22. Carolum de Tapia *in Authen. ingressi verb. Monasterium cap.* 17. Gregorium de Valentia 22. *disp.* 10. *q.* 4. *punct.* 1. §. 1. (quamuis ipse nihil de hac Regula dicat, sed solùm librum præfatum Ioanni adscribat) Ioannem Burlet *in Serm. Concept. B. Virginis*. Emmanuelem Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 2. *ar.* 5. His iunge Ioannem Baptistam Confettium *in collect. priuileg. in summar. mater. notab. cap.* 7. Ioannem Bonifacium *in histor. virgin. lib.* 4. *cap.* 14. Siluestrum Marulum Cistertiens. *in Ocean. Relig. lib.* 4. Augustinum Torniellum 2. *to. Annal. sub ann.* 3139. §. 2. in editione Antuerpiensi anni 1620. Honuphrium Manescal *to.* 1. *Concion. Concio. B. Mariæ de Monte Carmel.* Illustrissimum Archiepiscopum Acuña *in* 1. *p. decret. ca. generalis d.* 54. Laurentium Beyerlinck *in Theatr. vit. hum. to.* 6. *litera R. verb. Religiosus Religio*, dum de Carmelitis est sermo. & Salianum *sub anno* 3123. *num* 7. dum inquit Ioannem hunc librum edidisse ad certiorem Institutionem Carmelitarum. Addere etiam possumus quosdam, qui propter hanc causam, quòd Ioannes Regulam hanc Carmelitis dederit, ab eo tempore Ordinis exordia auspicantur, non æqui sanè argumentatores, tum quia Regula scripta non est de essentia Religionis, tum quia non incongruè, prout *cap. sequenti* dicemus, ex Beati Cyrilli, & aliorum ex nostris verbis deduci potest libros aliquos etiam ante id tempus habuisse, in quibus Religionis Instituta continebantur.

Ex nostris. 13 Ex nostris etiam præter superiùs relatos referri debent Philippus Ribboti Prouincialis Cataloniæ, qui in egregio ipsius Opere, cui titulum est *Speculum Ordinis* fermè à 300. annis ab ipso compositolibrum hunc Ioannis Ierosolymitani inseruit, ex quo falsitatis manifestè conuincuntur, qui dicunt illum à recentiore aliquo auctore editum, & satis suadetur ex vetustissima traditione Ordinis haberi Ioannem Præfatum illius auctorem extitisse. Cùm autem idem

idem Ribbotus *lib. 8. dicti Speculi cap. 1.* referat B. Cyrillum asserentem hunc Ioannis librum ab ipso Concarmelitis traditũ pro Regula, proculdubio dicendum idem ipsum existimasse. Referri etiam debet venerabilis Pater Ioannes Soreth Ordinis Generalis, & qui ob vitæ sanctitatem, & insignia opera Beati titulo à multis decoratur, qui in *exposit. parænetica Regulæ Carmelitarum in proœmio* huius libri, & Regulæ Ioannis memoriam facit; Ioannes Palæonydorus Batauus, qui in tribus libris de *Antiquit. Ordinis* passim hunc librum præfato Ioanni adscribit, & *in epist. ad Rumoldum Laupach Priorem Franckfordiensem*, dum historicos Ordinis affert, hunc Ioannem, & hoc ipsius volumen *de Instit. Monachor.* primò enumerat; & quod magis ad intentum est *lib. 2. cap. 5. & 6.* hunc librum fuisse Carmelitarum Regulam vsque ad tempora Alberti testatur. Innumeros penè alios recentiores prætermittimus, sed grauiores aliqui sigillatim recensendi: hi sunt Didacus de Coria, Maldonatus Bæticus Hispanus *in chronic. Carmelit. præsertim lib. 2. cap. 2. & lib. 9. cap. 12.* Thomas de Iesu ex nostris Patribus doctissimus alumnus loco superiùs relato, Petrus Thomas Sarracenus *in Menolog. Carmelitar.* Petrus Vvastellius in suo illo erudito *de Monachismo Ioannis in Carmelo Apologetico*, quem viuente Baronio, vt ad ipsum transmitti posset, scripsit, approbans, & referens *cap. 22.* verba B. Cyrilli id affirmantia. Thomas Aquinas ex nostris PP. Discalceatis, Munozius, Casanate, & innumeri alij.

14 Qui verò asserunt hunc Ioannis librum ab Aymerico Antiocheno Patriarcha Latinum ex Græco idiomate factũ (vt ita Carmelitis, qui ex Europa venerant, & cum Palæstinis, Græcis, & Hebræis colligebantur in Carmelo, prout suo loco dicemus, vtilis esset) sunt qui sequuntur. B. Cyrillus *in epistola ad Eusebium relata in Speculo Ordinis lib. 8. cap. 2.* Ioannes de Vineta *in opusc. illo quod incipit: Cùm quidam fratres. cap. 6.* Palæonydor. *lib. 3. cap. 1.* Petrus Lucius Belga *in compend. histor. Carmelit. c. 12.* & communiter historici nostri. His iunge ex nostris quondam, diaboli postea satellitem, Ioannem Balæum à Fide, & Ordine Apostatam (qui vtinam cum omnigena eruditione, quam multis voluminibus ante, & post Apostasiam testatam scriptis reliquit, veram pietatem, sanamque doctrinam coniunxisset) *in Catalogo Scriptorum Britanniæ Centur. 2. in Appendic. ad Florentium Brauonium.* Et de exteris Conradum Gesnerum *in Bibliotheca*, Carolum de Tapia *in Authent. ingress. verb. Monast. cap. 17. num. 4.* vbi id insinuat; quod, & facit Ioannes Carthagena inferiùs referendus, Siluestrum Marulum Cistertiensem *in* Alij.

Octa-

Oceano Religion. lib. 4. de Carmelitis loquentem Ioannem Molanum Louanienſem *in ſua Bibliotheca Theologica.* Poſſeuinum *in Apparatu Sacro, verbo Ioannes Ieroſolymitanus.* Salianum *vt ſupra num.6.* Ægidium Camartum *in lib. de geſtis Eliæ cap.* 10. *ſect.*2. Honuphrium Maneſcal *ſupra relatum*, & Laurentium Beyerlinck etiam citatum.

Plures alij. 15 Ex eis tandem, qui eundem librum eidem Ioanni adſcribunt, vel eum ipſius nomine referunt varijs in locis, ſeu ſcriptis, nunc caſu, nunc ſeriò, quamuis plures ſint, quàm à nobis numerari queant, aliquos tamen notabimus, & de exteris quidem (domeſticos enim noſtros omnes numerare faſtidium procul dubio generaret.) Hi ſunt Trithemius *de laudib. Carmelit. cap.*2. Angelus de Paz *to.*1. *expoſit. Symboli lib.*5. *cap.*22. Petrus Caniſius *de B. Virgine lib.*2. *cap.*3. *circa medium* §. *non repetam*, Valentia loco ſuperiùs relato, & *lib. controuerſiar. Tract. de votis Religioſorum*, Ioannes Carthagena *to* 4. *homil. lib.* 17. Siluester Marulus Ciſtertienſis *in Ocean. Relig. lib.*4. Ioannes Zvvallartius *in ſuæ peregrinationis Ieroſolymitanæ hiſtoria lib.*2. *cap.*5. Aubertus Miræus *in Chronic. ad ann.*1207. Poſſeuinus *vt ſupra*, Gaſpar Sanchez *in* 3. *Reg.*17. *num.*13. Ioannes Piſeus *de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus* agens de Carmelitis, Leander de Granata *in vita S. Getrudis*, Magallanes *in cantic. Moyſis lib.*3. *ſect.* 2. *annot.*6. Suarez *to.*4. *de Relig. tractatu* 9. *lib.*2. *cap.*10. Laurentius à Ponte *in lib. Sapient. cap.*1. *num.*4. *Digreſſ.*2. Petrus de Valderrama *in theatro Religion. in Serm. de S. Elia*, Petrus Oxeda *de Concept. B. Virgin. cap.*1. Mexia de la Cerda *tract. de Immaculat. concept.* Ægidius à Præſentatione *tract. de Concept. lib.*3. *q.*4. *ar.*1. §.1. *nu.*8. Hieronymus de Huerta *in Panegyrico Concept.* Cornel. *in epiſt. ad Hebr. cap.*11. *ver.*38. & 4. *Reg.*10. *ver.* 15. Bæza in *comment. Moralib. in Euangel. lib.*1. *cap.*8. §.9. & 13. Boulducus *lib.*3. *de Eccleſia ante Legem cap.*16. Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap.*5. *ſect.*10. & *cap.*7. *ſect.*1. Petrus Bertius Regius hiſtoricus *in epiſt. ad filium Carmelit.* Ioannes Serranus Epiſcopus Acernenſis *de Immacul. Mariæ Concept. lib.*2. *cap.*18. *num.* 10. Theophilus Rainaudus *in nomenclator. Marian.* Thomas Ferrarius *in hiſtor. Imaginis Beatiſſ. Virgin. Mariæ c.*1. Hippolytus Marracius *de fundatorib. Marian. cap.*1. Sed pro omnibus vnus audiatur Ferdinandus de Salazar Sanctæ Inquiſitionis Hiſpanicæ Inquiſitor, & Archiepiſcopus electus, qui *in lib. de Immaculata Conceptione Virgin. Seculo*4. *arg.*12. *cap.*42. hæc protulit: *Illud tamen ſcias velim Illuſtriſs. Cardinales Baronium, & Bellarminum ſeriò affirmaſſe librum illum de Inſtitutione Monachorum non eſſe Ioannis Iero-*

Ierosolymitani germanum opus, ea ratione ductos, quia meminit Carmelitarum, eorumque habitum graphicè describit, quos aiunt Ioanne Ierosolymitano longè posteriores fuisse. Sed absit, vt ego gloriam istam Carmelitanis Patribus inuideam, ne dictum Ioannem inter suos protoparentes numerem. Et inferiùs: *Vidi certè, atque euolui non pauca antiquitatis monumenta, vt in hac controuersia aliquid certi definirem, nihil tamen reperi, quod non suaderet præmissum Ioannem Carmelitanum fuisse, & dictum de Institutione Monachorum librum ab ipso conscriptum; atque adeo hanc sententiam libentius amplector, & grauissimo, antiquissimoque Ordini, quæ sua sunt, liberè restituo.* Hæc grauissimus auctor ipsa rei veritate conuictus in nostrorum gratiam protulit.

16 Ex his porrò, quæ diximus, facilè deduci potest, quantum valeant verba illa eminentissimi Cardinalis Bellarmini, quæ *in libro de Scriptorib. Ecclesiasticis* de Ioanne nostro, & hoc ipsius Opere loquens scripsit: *Hic liber videtur scriptus ab aliquo longè posteriori.* & quæ Scholiastes Bibliothecæ Patrum de eodem dixit, habere scilicet *alium auctorem, quàm Ioannem, & quidem recentiorem:* cùm enim ostẽsum primò sit hunc librum fuisse, quem pro Regula sodalibus suis Carmelitis ipse Ioannes tradiderat, procul dubio non ab alio *longè posteriori*, aut recentiori editus erit. Et cùm ipse Ioannes ante annos 1200. vixerit, circa annum videlicet Christi 400. ab eodem tempore antiquitas huius libri peti debet. Deinde cùm similiter ostenderimus Aymericum Patriarcham Antiochenum (qui iuxta Genebrardum, Panuinum, Pinedam, Bardum, Marquardum, & alios chronologiæ Scriptores circa annum Domini 1137. Patriarchatum ascendit) hunc librum è Græco in Latinum idioma conuertisse, procul dubio etiam manifestè sequitur à quingentis circiter annis versionem hanc factam, ac proinde non ab aliquo recentiori, aut neoterico auctore compositum. Pariter cùm Beatus Cyrillus, qui, vt dicemus *cap. sequenti*, fermè synchronus Aymerico fuit, aut aliquanto posterior ante annum Christi 1200. huius libri à Ioanne Græcè editi, & ab Aymerico in Latinum cõuersi memoriam fecerit, & Philippus Ribbotus, qui à trecentis fermè annis in viuis erat, eum in suo Speculo Ordinis retulerit, ac Ciminetus, Grossus, Vineta, Ioannes de Malinis, & alij relati, quorum aliqui ante 200. annos superstites erant, ipsum commemorati fuerint, quo iure dici potest ab aliquo recentiori scriptus? Nunquid recentior, aut modernus auctor appellari potest, qui 400. annos superasse comprobatur? Aut in historicis Sacrarum Religionum tam vetusti Scriptores reperiun-

Bellarminus.

periuntur, aut si inueniantur, moderni, aut recentiores nuncupari poterunt? Accedit, quòd testimonium illud, quod Cantabrigiensis Academia pro nostri Ordinis Patronatu, ac ab Elia successione dedit, de quo *cap.6. num.*8. locuti sumus (prout testatur Vvastellius *in suo Apologet. cap.*19.) ob venerandam huius libri antiquitatem prolatum fuit; quo non ab aliquo recentiore editum facilè demonstratur. Accedit etiam quòd, nisi cæci simus, libri stylus manifestè demonstrat peruetustum, & antiquum valde ipsius auctorem fuisse. Sæpissimè enim Sacræ Scripturæ adducere testimonia, & quasi sua ipsius verba propria ferre, vt nihil præter Scripturam sonare videatur, non allegare vel vnum auctorem, vbi etiam res ipsa id expostulare videbatur, eiusdem Sacræ Scripturæ librorum non recensere capita, quin imò plures libros vno titulo cognominare, vt dicere *librum Regnorum*, *Machabaeorum historiam*, *Prophetam*, *Euangelium*, *&c.* quæ in hoc libro passim cernuntur, manifestè sapiunt antiquitatem Priscorum, Patrum vsum redolent, & morem scribendi veterum scriptorum perspicuè indigitant. Vtinam qui nouitatis illum arguunt, hæc vel leuiter perpendissent. Quantum etiam valeant verba illa eiusdem Cardinalis Bellarmini, vt supra, de hoc libro dicentis, quòd *Stylus est hominis Latini*, seu vt ille Scholiastes scripsit, *Stylus ipse totus Latinus*, operæ pretium est inuestigare. Quia tamen in hoc studiosè satis, & eruditè Petrus Vvastellius *in suo illo Apologetico* laborauit, nec credimus nos meliora dicere posse, ideo verba ipsius fideliter referemus, quibus innumeros penè Græcismos in eo libro repertos agnoscet lector, vnde euidenter colligat eum Græcè, Græcoque stylo, non Latino scriptum esse. Ex *c.ergo* 24. *Apologetici* hæc damus, animaduertendo tamen Vvastellium correctius huius libri exemplar, quàm illud, quod apud Thomam de Iesu *in libro de Carmelitarum Regula* conspicitur, habuisse, vt propterea mirum non sit alio modo, vel alia verba, alioue capitum ordine verba sæpe referre. Sic ergo habet: *Græcismi autem illustriores sunt hi: Cap.*1. verborum doctrina, *pro verbis. Ibidem,* apprehendere laboraueris, *pro studueris, vel conatus fueris apprehendere. Item,* sicut doctrinis, & exemplis philosophati sunt, *pro disciplinam Monasticam docuerunt. Vnde Græcis, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Nysseno, & alijs Monachi dicti sunt Philosophi. Cap.*2. *& alijs multis sine numero reciprocum pronomen pro absoluto, & contra hoc pro illo ponitur: idque more Græcorum, quibus non est ea, quæ apud Latinos magni fit elegantia. Item* in libro Regnorum, *quod ipsum passim repetitur. Quod legis* in libro *antiquitatis argumentum est. Sic autem loquitur Felix Pontifex de conse-*

crat

Liber Græcè conscriptus.

Petrus Vvastellius.

erat dist. 1. cap. consecrationum Ecclesiarum: Regnorum *pro* Regum, *indicium est auctorem scripsisse Græcè. Loquitur autem ita inter cæteros Origenes in libro Regum. Ibidem* formam per Deum B. Eliæ propositam; *præpositio* Per *ad nauseam vsque pro* à, *vel* ab *vsurpatur: quæ loquendi forma Latinis non probatur. Eodem cap.* vt hoc queas perseuerare: *Perseuero enim Græcis construitur cum accusandi casu. Huius generis sunt & alia, vt cap. 7.* Potabo te, & tuos sodales; *Poto Græcorum more pro petum do cum accusatiuo personæ, & actiui generis. Vnde cap. 9.* Torrente voluptatis potabatur. *Cap. 31.* Nihil Religioni eorum attinere; *Latinis ad Religionem. Cap. 33.* Quorum memoratus fuit; *Latinis memoror accusatiuum regit. Cap. 41.* Virtus Altissimi obumbrauit illi, *pro illam. Cap. 7.* Silex est lapis durus, & solitarius; *Solitarius autem apud Latinos non inuenio, sed ipsum vocabulum Græcum est, significans salutiferum siue medicinale*, à sotus *deriuatum Cap. 3.* Cùm habeat ipse rebus domesticis intendere; *Habeo apud Græcos iungitur infinito. Cap. 5.* Hoc est tibi eligibile, quàm inter turbas conuersari in vrbe; *positiuus pro comparatiuo: quod quidam inter Syrismos recenset: Iansenius verè inter Græcismos. Cap. 7.* Habere bonam conscientiam ad Deum. *Cap. 16, additur*, & ad homines: Ad *positum est pro coram. Cap. 9.* Peccata sui, & aliorum solitarius luxit: *Sui primitiuum pro* sua *possessiuo dixit. Pari modo cap. 16.* Gesta sui, & merita demonstrabat. *Cap. 18.* In persona non quidem tui, sed Elisæi. *Cap. 19.* Ad sui, & suorum discipulorum mansionem. *Cap. 20.* non solum exemplo sui. *& his alia quædam habet similia. Cap. 13.* Adduxit ad Regem Israël in ciuitate Samariæ: *pro ad Regem, qui erat in ciuitate. Similiter cap. 18.* Qui cultum Baal in Regno Israël introduxit. *Cap. 20.* ad eum in monte Carmeli misit. *& alia. Cap. 15.* Alter *pro alius ponitur: Cap. 16.* In eius imitatione decreuit Deus consistere huius Religionis perfectionem, *pro vt consisteret. Cap. 31.* In *pro secundùm* cuncta tibi tradita. *Cap. 33.* Quærebant ab eo, si ipse erat Elias. *Et cap. 36.* Postulantes, si aduenerat tempus, *Vtrobique* si *pro* an *dixit. Cap. 35.* Propterea magis stupebant scientes Apostolos esse Galilæos, *pro quòd scirent. Item*, cernens eos esse scientes, *pro scire. Hi sunt Græcismi, quos obseruaui illustriores, & magis obuios: cæteros obseruabunt, qui intelligent.* Nobis tamen hæc sufficient, vt credamus librum Græco idiomate conscriptum.

17 Elucidat idem intentum *cap. 26.* idem Vvastellius confirmans Græcè hunc librum editum esse varijs argumentis ex ipso desumptis, sic dicens: *Subiungam tamen & alia, & non minoris firmamenti. Capite enim 5. ex Ecclesiastici 7.* nec enim, *inquit*, eris in vno Petrus Vvastellius.

immunis. *Deinde Scripturam explicans addit.* Sed quia, vt ait Sapiens, in monos (*sic enim ibi legitur*) id est, in vno, seu in singulari degens, non eris à peccato immunis. *Hic obserua Sapientis pronunciatum allegari iuxta vulgatam editionem: deinde in explicatione eius liquidò significari libri auctorem longè alia lingua illud legisse. Legit enim id quod ab interprete vides Latinè redditum, non in vno, sed in mono, quod explicatur per vnum seu singulare. Quamquam suspicor legendum esse non* mono, *sed* mia *in fœminino genere, quod minimè intellectum transcriptor in* monos *mutauerit: sicuti eodem vitio pro* Semneio *scriptum erat* Sennio. *Capite* 47. *legit auctor ex Matth.* 11. Hominem mollibus vestimentis indutum, *vestimentis autem in Latina editione non legitur: at verò habet contextus Græcus, leguntque Græci auctores. Item cap.* 5. *ex Matthæi* 19. Omnis qui reliquerit domum aut fratres, &c. centuplum accipiet iam in hac vita, & vitam æternam possidebit. *Vbi aduertendum est omnia ad vnguem recitari sicuti nobis est apud Matthæum, nisi quod ex Marci cap.* 10. *explicationis gratia additum sit:* Iam in tempore hoc *non quidem secundùm dictiones, sed secundùm sententiam, quam cùm non aduerteret Interpres in Euangelio legi, suis ipse verbis reddidit. Rursus cap.* 6. *cum ex* 1. *Petr.* 4. *dixisset:* Charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum; *mox subiungit, pro quantitate dilectionis fieri peccatorum remissionem: fortassis occasionem nactus ex eo quòd in Græco pro continuam legatur ἐκτενῆ, id est, propensam seu vehementem. Addo c.* 42. *ita ex* 3. *Regum cap.* 18. *legi:* Iunge currum tuum, *& addi*, currus quidem à currendo est dictus: est enim vehiculum circularis formæ, & habile ad portandum onus. Significat autem Diuinam Filij Dei naturam, quę est circularis, id est, æterna carens instar currus principio, & fine. *Lector quis vnquam audiuit currum esse circularis formæ, carere principio, & fine? Vnde certum est auctorem non scripsisse currum, sed* rotam, *maximè quia rota Græcis à currendo dicitur, & locum valde esse corruptum, vel Interpretem mirè lusisse, dum non vult à vulgata editione paululum recedere. Denique cap.* 6. *Scriptura adducitur ex Prouerb.* 14. Miseros facit homines peccatum: *idque vt declararetur* per descensum *bene intelligi peccatum: quod homines à dignitate sua faciat descendere. Atqui verbis istis nihil dicitur de descensu. Quid ergo ad sensum quem vrget? Rursus in culpa est Interpres, qui nimis adhæsit vulgatæ editioni.* (Tu lector modifica hæc, cùm solùm intendat Vvastellius, quod Interpres dum Græcum librum transferret, Græcæ translationi deberet conformari) *Septuaginta enim sic habent:* Ἐλασσονοῦσι δὲ φυλὰς ἁμαρτίαι, *id est*, Diminuunt autem populos peccata, *prout ver-*

[illegible] *tit in*

tit in commentarijs Iansenius, *pro* diminuunt *verti etiam poterat* inferiores faciunt. *Hoc enim etiam verbum Graecum significat, & praecedentia suadēt. Praecedit namque immediatè* iustitia eleuat gentem. *Quamquam eadem sint* diminuere, *&* inferiorem facere, *& vtrumlibet subseruiens Instituto Ioannis. Vnde subdit etiam verba Moysi:* Descendes, & eris inferior. *Hactenus satis probatum est auctorem libri ad Caprasium esse Graecum, ac proinde qua consequenter hic opponentur, maioris tantum lucis gratia à nobis scito fuisse apposita.* Hæc Vvastellius *in suo illo Apologetico*; plura etiam addens ingenij qua pollet fæcunditate in nouissimo ab ipso edito Opere *vindiciarum Ioannis Ierosolymitani Operum*, quod non nisi sero à nobis inspici potuit, dum videlicet hoc nostrum Opus iam sub prælo esset.

18 Quod verò aliquando auctor libri istius Latinus videatur nō Græcus, eo quod sæpius pro Græco textu 70. vulgatum Latinum substituat: quam ob causam Bellarminus, & alij putarunt eum non Ioannem Ierosolymitanum, qui Græcus erat, sed alium recentiorem Latinum fuisse, vitio Aymerici Interpretis, non auctoris id aliqui tribuunt; quasi nimis scrupulosè pro Græco contextu, quem in Ioanne libri auctore reperit, Latinum supposuerit; sed tamen quod isti vitium vocant, prudentiam nos potiori iure appellare debemus: boni enim, & prudentis Interpretis munus est non tam verbum pro verbo, quàm sensum sensui aptare. Quod docuit expreßè Sanctus Hieronymus magnus Bibliorum Interpres *in epist. ad Pamachium* de optimo genere interpretandi disserens, de quo inter alia esse dicit, *non verbum è verbo, sed sensum exprimere de sensu*. Pro quo refert Tullium, qui ita sæpius fecit, & Horatium dicentem: *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres:* Et inferiùs: *Si ad verbum interpretor absurdè resonant*. Nominat etiam Hilarium, qui hanc interpretandi regulam sæpius amplexatus est. Referri & innumeri possent, qui ita quoque gesserunt. Cur ergo mirabile erit Aymericum huius libri Interpretem ita gessisse? mirabilius quidem esset hanc boni Interpretis regulam non obseruasse. Cùm enim pro simplicibus, & omnino Latinis Carmeli deserti eremitis eum transferret, apud quos Græcus contextus vix notus esset (propter eos enim hæc translatio facta est, qui venerant ex Europa, vt diximus) quid ni faceret? Nonne saniori consilio duriora Græcorum exemplarium verba ab dulciora, & ipsis notiora Latinorum codicum accommodaret? Sanè, vt malæ aliàs fidei auctor Ioannes Balæus superiùs relatus dixit, ideo hunc librum in Latinum sermonem transtulit Aymericus, *vt deinceps esset ex Hebrais, Latinis, & Græcis*

Græcus auctor.

Latina Religio. Prudentissimè ergo aliqua, quæ ex Græco textu in præfato libro citabantur, iuxta vulgati Latini versionē pro Latinæ Religionis vsu conuertit, quemadmodum alij Græci sermonis Interpretes sæpius fecisse pro comperto est.

Argumenta. 19 Quamuis autem ex dictis satis constare possit legitimum illius libri auctorem Ioannem Ierosolymitanum fuisse, omittere tamen non possumus alia ad idem intentum argumenta, quæ illud moraliter conuincunt. Primum sit, quod si huiusmodi opus Ioannis non est, sed ab aliquo impostore posteriori in Carmelitarum gratiam editum, quomodo tam fatuus, & imprudens hic homo fuit, vt si mentiri libuit, Ioanni Ierosolymitano prauæ apud plures opinionis auctori illud adscriberet? Cur homini ab Hieronymo, & Epiphanio Sacris Doctoribus acerrimè impugnato, de erroribus Origenis accusato, & de alijs, si placet, hæresibus suspecto liber tribuendus? Cur non Gregorio Theologo, Nysseno, Basilio, Macario, Climaco, Damasceno, aut mille alijs non contemnendæ auctoritatis? Et si Ierosolymorum Patriarcha solùm isti impostori arrisit, quare non Iustum, Zacchæum, Tobiam, Beniaminum, Matthiam, Senecam, Cyrillum, aut alium similem ex his, qui inter Ierosolymæ Ecclesiæ Antistites Monachi, docti, & sanctæ famæ fuerunt, arripuit? Non sic, non sic huius seculi mendaciorum inuentores libros appingunt dubiæ auctoritatis auctoribus, sed diligentissimè obseruant, conspiciunt, & circumspiciunt, si fortè aliquod in viro, quem Patronum comminiscuntur, vitium reperiatur, idque in primis curant, vt ille sit fide, moribus, & doctrina apud homines commendatus. At qui veritatis sunt amatores (vt nostri Dei gratia fuerunt) ipsa veritate, & sinceritate ducti de suo cerebro nihil addunt, nihil confingunt, nihil immutant, omnia intacta relinquunt. A seculis multis huius libri auctorem Ioannem, etsi aliàs de hæresi suspectum, repererunt, illum prædicant, tuentur, ac defendunt eiusdem germanum scriptorem.

Aliud. 20 Adhæc si licet ab aduersarijs nostris vnum percunctari libet, à quo scilicet tempore hoc opus Ioannis suppositition editum fuisse existiment? Si à duobus, vel tribus dumtaxat seculis id contigisse dicant, à veritate prorsùs deuiasse conuincentur, cùm constet à quatuor seculis, tempore scilicet Beati Cyrilli, de quo supra, & à quinque etiam, quando illius traductio in Latinum ab Aymerico facta est, librum extitisse. Si autem ab hoc Aymerici æuo librum editum, & falsò Ioanni adscriptum autument, in primis cùm Baronius, & Bellarminus ante annum 1181. Carmelitarum nomen inaudi-

inauditum esse credant, fateri cogentur ab aliquo non Carmelita rem confictam esse. Quis ergo hic fuit tam studiosus Carmelitarum, qui de ipsis, antequam essent, tam præclara præscius scripsit? Si alicui ex nostris eius æui imposturá hanc appingant, idem redit argumentum, quomodo erant Carmelitæ, antequam Carmelitæ (vt aduersarij putant) essent? Deinde quis tam doctus, in Sacra Pagina versatus, literis diuinis, & humanis eruditus, qualis auctor libri ostenditur, & simul tam artificiosè mendax, & tam solemniter impostor esse eo tempore potuit, quo nostri (vt verum dicamus) humiles, deuoti, contemplatiui, Deo, & rebus diuinis, non humanæ gloriæ addicti prorsus existimantur? Maneat ergo vt veritas inconcussa, libri istius auctorem Ioannem Ierosolymitanum, prout probatum manet, extitisse. Et esto (quod negamus) aliquis alius eius voluminis auctor fuerit, saltem vetustum valde illum fuisse, ac proinde dignum humana fide ea, quæ adduximus, sufficienter conuincunt.

21 Nec refert, si dicatur hunc Ioannem de erroribus Origenis notatum dignum non esse, cui fides in hoc Opere adhibeatur: hoc enim futile omnino est, nec longa eget impugnatione. Omnibus enim pro comperto habetur Originem ipsum, etsi de multis erroribus suspectum, à Catholicis citari, referri, & in eis, quæ Christianæ fidei non contradicunt, probari, & defendi. Vnde de eodem Origene, Tertulliano, & Dydimo hæc scribebat *in Apologia aduersus Ruffinum* Sanctus Hieronymus: *In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresim. In Origene laudamus scientiam Scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falsitatem. In Dydimo verò memoriam prædicamus, & super Trinitate fidei firmitatem, sed in cæteris, quæ Origeni malè credidit, nos ab eo retrahimur.* Ita & nos Carmelitæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filij obsequentissimi, si Ioannes hic verè fuit Origenianæ, aut alterius hæresis (de quo diligenter Tomo secundo dicemus) fautor, fotor, aut defensor, ipsius errores anathematizamus, librum verò de *Institutione Monachorum*, vt pium, Catholicum, & doctum brachijs expansis amplectimur. Sic communiter fideles Eusebij Pamphili, qui Arrianus creditur, Opera non reijciunt; Ruffini Aquileiensis, qui malè in fide audit, libros recipiunt; Socratis, & Sozomeni Nouatianorum historiam amplectuntur, Ioannis Cassiani, etsi de Pelagianismo suspecti, monumenta perlegunt, & Palladij Galatæ, Nicephori Calixti, ac plurium aliorum dubiæ fidei auctorum scripta non aspernantur. Cur ergo vnus Ioannes, quòd eius fidem aliqui labefactare conentur, non æquo animo in hoc libro, Solutio futilis.

qui totus Catholicus est, alicui displicebit? præsertim cùm eiusdem nedum fidem integram, sed & sanctitatem quoque plures tueantur: de quo nos Deo dante in dicto secundo Tomo disputabimus.

Scandali occasio.

22 Id tandem hoc loco non prætermittendum, illam videlicet scandali petram, in quam non mediocris auctoritatis Scriptores impegerunt, quòd scilicet hoc Opus ipsius non sit, quia in eo Carmelitam se nominat, eorumque habitum, gestaque minutatim describit tempore, quo in mundo non erant, facilè de medio tollendam, ne iterum ad ipsam tam oculati viri pedibus offendant, & ostendendum præfato secundo Tomo à Christi æuo vsque ad Ioannem istum, & deinceps (sicut in hoc primo ab Elia vsque ad Christum) Carmelitanam seu Elianam, aut Propheticam non defuisse familiam habitu, gestis, & Religione memorabilem, qualem ipse Ioannes eam describit. Interim vt ad alia progrediamur, hoc vnum animaduertat lector, quòd simili argumento vsus est Scaliger, vt libros S. Dionysij veluti suppositítios reprobaret, quòd in eis mentio Monachorum fieret, (videlicet *cap. 6. Ecclesiast. Hierarchiæ*) quos ipse credit temporibus Dionysij nondum extitisse, de quo Lansellius *in Apolog. pro lib. S. Dionysij*, & Laurentius Landtmeter *de veter. cleric. Monach. lib. 1. part. 2. cap. 1.* Quod ergo communiter Scaligero de ipsius argumenti inefficacia obijci solet, id nos pijs auctoribus, nostris in hac parte aduersarijs, iure respondeamus.

Epilogus.

23 Huius ergo Ioannis nostri librum *de Institutione primorum Monachorum* reuelata facie, si antagonistis placuerit, in huius Operis discursu, prout necessitas postulauerit, sæpiùs referemus, secundùm communem, & vulgarem lectionem, & capitum diuisionem eiusdem Operis inter Bibliothecæ Patres relati, & à doctissimo Thoma de Iesu *in suis super Regulam Carmelitarum Commentarijs* inserti. Etsi nouissimè videamus diligentissimum auctorem Vvastellium aliter capita eiusdem libri diuisisse, pluraque in ipso correxisse, de quibus in 2. Tomo latiùs dicemus. Nunc enim, vt dicimus, vulgari, & communiori editioni, quæ præ omnium manibus habetur, obtemperandum censemus.

Ordinis

Ordinis Historicos in rebus ad ipsum spectantibus, veluti legitimos testes audiendos, & qui ij fuerint.
Cap. X.

1 VM vnusquisque (teste Aristotele *lib. 1. moral. c. 3.*) ea rectè iudicet, quæ cognoscit, ambigendi locus non erat, quin vnius familiæ, seu Reipublicæ homines de ijs, quæ in ipsa acciderunt cæteris aptiùs iudicare possent, ac proinde veluti legitimi testes testimonium de ipsis proferre. Quia tamen ea sunt quorundam ingenia adeo philautiæ morbo laborantia, vt quæ sua sunt ipsi supra modum diligentes, & quæ aliorum superciliosè auersantes, quantumcunque pio, & docto domestica narranti cum Iudæis dicunt: *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*; ideo vt istis satisfaciamus, operæ pretium erit breuiter ac succinctè ostendere Ordinum quorumcunque historicos in rebus ad ipsos spectantibus veluti germanos testes audiri debere, & non nisi à toruo spiritu reprobari posse. Capitis intentum.

2 Et quidem Religiosos omnes posse esse testes tam iudiciales, quàm cuiuscunque instrumenti (ex quo etiam sequitur testificari historicè posse domestica suorum Ordinum) res est certa. Colligitur ex *cap. nuper de testib, & auth. de Monachis. §. Cogitandum collat. 1.* atque ita docent Iason *auth. ingressi num. 20. C. de Sacrosanct. Eccles.* Angelus de Aretio *Institut. de testament. §. sed neque heres num. vnico.* & alij, quos refert, & sequitur Burgos de Paz *lib. 3. Tauri, par. 1. nu. 406.* & Farinacius *tract. de testibus q. 61. num. 126.* Quod & verificatur, etiamsi in aliquo testamento aliquid relinquatur Monasterio Religiosorum, qui illius testes scribuntur, vt docent idem Aretio, & alij apud Farinacium *tract. de testib. q. 60. num. 468.* & ratio est, quia, vt inquit Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 13. num. 102.* quando aliquid non est ad speciale singulorum commodum, sed Vniuersitatis, vel Collegij, cùm in communitatis vtilitatem, & non singulorum immediatam vergat, non dicitur singulorum proprium, ac proinde potest quilibet in ea causa testificari. Religiosi testes.

3 Hinc 14. *causa q. 2. cap. 1. super prudentia* expresisè determinatum est ab Ecclesia, quod licet in criminibus testes domestici admittendi non sint, *cæterum in possessionum, vel huiusmodi negotijs hi potissimum assumendi sunt, qui eadem negotia tractauerunt; de quorum auditu, & visu hæsitatio esse non debeat.* Addit etiam Glossa *verb. super pruden-* Confirmatio.

prudentia huius rationem, *quia causa Ecclesiæ non est causa singulorum*. Et infra *verb. tractauerunt*, subiungit hoc esse verum, *licet Lex dicat aliàs inter domesticos facilè quid confingi posse*. Ergo ad intentum non obstante vulgari illo: *Qui amant, sibi somnia fingunt*, cùm domestici Ordinis ij sint, qui eiusdem negotia tractauerunt, & de quorum scientia visu vel auditu dubitari non possit, procul dubio etiam in testes historiæ in Annalium nostrorum discursu assumendi erunt. Quod & probat intemeratus, & inoffensus omnium Sacrarum Religionum, quæ in Ecclesia florent, vsus, quo semper peculiaria, & domestica ipsarum, alumnorumque gesta à domesticis auctoribus descripta fidem apud exteros quoscunque promeruisse omnibus compertissimum est. Illud ergo dumtaxat nobis ostendendum relinquitur, quinã hi fuerint, qui ex nostri Instituti Professoribus Ordinis historias literis posteritati commendarint fide cõprobata dignas:

Ioannes Ierosolymitanus.

4 Et quidem Ioannem illum Ierosolymorum Antistitem primum omnium, qui extant inter historicos Ordinis recensendum in libro illo relato *de Instit. Monachorum ad Caprasium*, vbi priscorum Patrum gesta historiæ instar, & futurorum documenta, & Institutiones ad modum Regulæ traduntur, communiter ferè nostri autumare videntur; nec sine fundamento, cùm liber ille à 1200. annis, & supra scriptus fuerit, & nullum vetustius Ordinis monumentum ostendi possit. Nihilominus ex B. Cyrillo in *epist. ad Eusebium cap. præcedenti num.* 6. relata, prout habetur in *Speculo Ordinis lib.* 8. *ca.* 1. oppositum deduci videtur. Dicitur enim ibi Caprasium efflagitasse Ioannem suum magistrum, *vt quæ de Institutione huius religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda frequenter differuerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breuiter redigere in vnum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum numerositatem euoluere*. Ex ijs enim verbis colligi videtur, prout etiam notat Vuastellius *in suo Apologet. cap.* 2.1. *ad marginem ipsorum*, fuisse libros aliquos de Carmelitis ante Ioannem conscriptos. Hoc etiam clarè supponit Ioannes de Vineta eodem *cap. præcedenti num.* 8. relatus illis verbis: *Et ex nonnullis tractatibus editis à prædecessoribus suis*. Idque facilè suadetur exemplo Essenorum, à quibus Carmelitæ illius æui processerant, eos enim libros, seu volumina Priscorum habuisse, quæ euoluerent, auctores, qui de ipsis scripserunt, literis commendarunt. Ita ergo contigisse facilè credimus, vt propterea Ioannis librum solum vetustissimum inter ea, quæ extant Ordinis monumenta existimemus, cùm alia prorsus temporis iniuria perierint.

Post

5. Post hunc Ioannem B. Cyrillus Constantinopolitanus, de quo *cap. praecedenti* diximus, inter historicos Ordinis numerandus sequitur. Scripsit enim inter alia sui ingenij monumenta epistolam illam ad Eusebium confratrem suum, & montis Neroi prope Antiochiam Eremitam, quæ habetur in *Speculo Ordinis lib.8.* vbi ea quæ in Ordine acciderunt à tempore Ioannis vsque ad Alberti Regulam, compendiosè refert. Fuit autem Beatus hic Pater ante annos 400. sanctitate celebris, vt propterea officium ipsius à 250. fermè annis in vsu Religionis fuerit, tum decretis Capituli Generalis Conuentus Siluarum anno 1399. Bononiensis anno 1411. & Romani in conuentu S. Martini anno 1564. tum præcipuè ex Sedis Apostolicæ concessione, præsertim Gregorij XIII. Sixti V. & Sacræ Congregationis Rituum sub Paulo V. & Vrbano VIII. miraculis, & diuinis reuelationibus claruisse, ea præsertim, qua oraculum illud Angelicum à Deo habuit, quod ad Ioachimum Abbatem eo tempore prophetiæ Spiritu famosum transmisit. Insuper inter Scriptores iure numerandum, qui de ipso scripserunt, clarè demonstrant. Hi sunt Maurolicus, Molanus, Philippus Ferrarius, & Heribertus Rosvveidus in Martyrologijs, Catalogis, seu Fastis Sanctorum. Petrus de Natalib. Episcopus Aquilanus *in Catalogo Sanctorum ad finem sub titulo de Sanctis nuperrimè Canonizatis cap. 3.* legenda Sanctorum Nicolai Manerbij Veneti, Venetijs anno 1630. Bartholomæus Pisanus Minorita *in lib. conformitatum B. Francisci ad vitam Iesu Christi*, Theolosphorus de Cusentia Presbyter, & Eremita *in lib. de magnis tribulat. & Statu Ecclesiæ*, qui habetur inter aliqua Opera Abbatis Ioachimi Venetijs; Iacobus Græcus Sylanæus Cistercienſis *in chronolog. Ioachim Abbatis*, Theatrum vitæ humanæ *volum. 5. lib. 4. pag. 1347. & 1337. & volum. 27. lib. 3. pag. 4126. & 4169.* Gilbertus Anglus cognomento Magnus *in M. S. Bibliothecæ Vaticanæ num: 3820.* Nicolaus Kenton, Anglus *in vita ipsius Cyrilli* apud Balæum *in Catalogo Scriptor. Britan.* Ioannes Erghom Anglus eremita Augustinianus *in lib.* quod appellauit *Compilationes vaticiniorum* apud eundem Balæum. Antonius Sabellicus *Æneid. 9. lib. 5.* Franciscus Rosieres *in Stemmatibus Lotharingiæ to. 4. in fine*. Raphaël Volaterranus *in Anthropolog. lib. 21.* Gilbertus Genebrardus *lib. 4. chronolog. circa ann. Domini 1216.* Ciaconius *de vit. Pontific. sub Clemente III. anno 1191.* Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro verb. Cyrillus, & verbo Eastus*. Paulus Morigia *in histor. Religion.* Siluester Marulus *in Mari Oceano Religion. lib. 4.* Ioannes Carthagena *4. to. homil. lib. 17.* Iacobus Gualterus *in Chronolog.* Carolus de Tapia *in authent. ingressi verb.*

B. Cyrillus.

verb. Monasteria. Leander Granata *in vita S. Getrudis in proœmio*. Martinus Delrio *lib.4. Disquisit. magic. cap.1. q.2. sect.2.* Franciscus Viuar. *in Apologetic. pro Abbate Ioachimo*. Domesticos testes omittimus, dum de extraneis tot pro nobis loquuntur. Quibus etiam ex improbis auctoribus iunguntur Conradus Gesnerus *in Bibliotheca*, Ioannes Balæus *in Catalogo Scriptorum Britanniæ* sæpius, & Centuriatores Magdeburgenses *Centur. 12. cap. 10.* plures hos retulimus auctores Cyrillum nostrum commemorantes, vt quantæ auctoritatis vir ille fuerit, clariùs innotescat.

Guillelmus de Sannico. 6 Cyrillo fermè coætaneus fuit Guillelmus de Sannico, aliàs de Samuco, quibusdam Gallus, alijs Syrus, Carmeli tamen eremita, circa annum 1291. quo tempore cùm vt barbarorum insultus declinaret, Acconem confugisset, Accone ab eisdem expugnata cum alijs Christianis Cyprum fugiens vix eorum manus euasit. Scripsit breue chronicon suæ Religionis per prouincias Syriæ, & Europæ, & de perditione Monasteriorum Terræ Sanctæ, quæ habetur *in Speculo Ordinis lib.9.* Meminerunt huius auctoris Philippus Bergomensis *in supplem. historiæ*. Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Marcus Guazzus *in chronico*, & de nostris Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitar.* ac alij plures.

Sibertus de Beka. 7 Huic Guillelmo quasi coæuus fuit Sibertus de Beka natione Theutonicus patria Geldriensis Prouincialis Alemanniæ, qui inter alia volumina à se conscripta vnum edidit super Regulam Ordinis, cuius fragmenta extant in *Speculo Ordinis lib.8. cap.5.* De ipso cum laude scripserunt Euerardus Rouelinck *in fasciculo temporum circa annum* 1334. Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Philippus Bergomensis *in supplem. chronic. ad ann.* 1320. Iacobus de Plebe *in Indic. Scriptor. Carmelitar.* & ex nostris Petrus Lucius *in Bibliotheca*, ac alij quamplures.

Ioannes Bacco. 8 Non multò post clarissimus, & celeberrimus in toto Orbe Christiano erat Ioannes Bacco natione Anglus, Theologorum illius temporis facilè princeps, & Europæ, præsertim Galliæ, & Angliæ, quas perlustrauit Regiones, splendidissimum iubar, *suis scriptis* (inquit Pitseus *de Illustribus Scriptoribus Angliæ*) *apud omnem posteritatem tam immortalem famam est consecutus, vt illa nulla vnquam delere obliuio, vel obscurare valeat vetustas*. Inter quæ etsi innumera fermè, & ex omni materia tum Scholastica, tum positiua, tum Canonica, tum Philosophica, circa Ordinis historiam aliquot edidit volumina, videlicet *Compendium historiarum, & iurium pro defensione Ordinis*, quod incipit: *Inprimis attende.* & aliud Compendium *historiarum*,

rum, & Iurium de eadem re, quod incipit: *Beatus Bernardus in quodam sermone*. Item Tractatum super Regulam Ordinis, qui incipit; *Cuius libet Religionis titulus*. Alia etiam Opera circa idem intentum referuntur, quæ tamen non vidimus; ea verò, quæ retulimus, habentur cum *Speculo Ordinis fol. 51. 52. & 56. ex impressione Veneta anno* 1507. De ipso veluti præclarissimo Scriptore agunt communiter historici, & Bibliothecarum collectores, specialiter Euernerus Rouelinch *in fasciculo temporum*, Philippus Bergomensis *in supplem*. Ioannes Trithemius *de Scriptorib. Ecclesiast.* Sixtus Senensis *in Bibliotheca Sancta*. Bellarminus *de Scriptorib. Ecclesiast.* Posseuinus *in Apparatu*, Ioannes Pitseus *de illustribus Angliæ scriptoribus*, & plurimi alij, quos prolixum esset referre.

9 Post idem quoque tempus Ioannes de Cimineto, seu Chimenetus natione Gallus, & Conuentus, vt dicitur, Metensis vir egregius, scripsit opusculum paruum *Speculum Ordinis nuncupatum*, quod incipit: *Filij Sanctorum*, & habetur cum alio maiori Opere etiam *Speculum Ordinis* nuncupato fol. 49. Venetijs 1507. de hoc, & alijs huius Patris scriptis agunt Trithemius *in lib. de Scriptorib. Carmelit.* Posseuinus *in Apparatu Sacro*, & de nostris Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelit.* ac alij. Ioannes de Cimineto.

10 Pariter sub idem quoque tempus valde clarus in Ordine fuit Ioannes de Vineta Armoricus Brito Prior Parisiensis, & Prouincialis Franciæ per plures annos. Edidit inter alia sui ingenij monumenta librum, seu Chronicon Ordinis, quod incipit: *Cùm quidam fratres nostri*, & habetur cum *Speculo Ordinis ex dicta impressione Veneta 1507. fol. 57.* de quo loquitur Posseuinus *in Apparatu*, Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelit.* & alij. Ioannes de Vineta.

11 Similiter circa idem tempus Ordinem illustrauit Ioannes Hildeshemensis (alij aliter hoc cognomen describunt) natione Germanus, patria Saxo, vir in diuinis, & humanis literis studiosus, & eruditus, ac Beati Petri Thomæ Constantinopolitani Patriarchæ discipulus, & familiaris, vt propterea de reuelatione eidem Beato Petro Thomæ à Dei Genitrice facta de sui Ordinis perpetuitate fidele testimonium perhibere potuerit, de quo *c. 6. n. 7.* diximus. Inter plura huius Doctoris, quæ edidit, volumina vnũ fuit defensorium sui Ordinis, quod credimus illud idẽ Opus fuisse, quod Palæonydorus *in epist. ad Rumoldum Laupach* præfixa libris quidẽ Palæonydori vocat tractatũ per modum Dialogi vt dicit initium habere *Vetusta Religionis*. Hunc Patrem cõmendant Trithemius *de Scriptor. Ecclesiast.* Conradus Gesnerus *in Bibliotheca*, Petrus Lucius *in Bibliothec. Carmelit.* & alij. Ioannes Hildeshemensis.

Acce-

Ioannes de Malinis.

12 Accedit & alius huius fermè temporis Pater Ioannes de Malinis vir doctissimus, prout Opus ipsius ostendit; cui titulus est *Speculum historiale Carmelitarum*, quod incipit: *In diebus Achab Regis*, typis editum cum *Speculo Ordinis à fol.* 42. Aliqui confundere illum videntur cum Ioanne Palæonydoro, qui etiam Mechlinienſis, seu Malinenſis Conuentus fuit, ſed toto cælo falluntur, cùm ipſe Palæonydorus *in epist. ad Rumoldum Laupach* expreſsè aſſerat ſe ex hoc Ioanne de Malinis collegiſſe ſuum Opus, ex quo infertur diuerſum ab eo, & antiquiorem ipſo fuiſſe. De eo agit Franciſcus Svvertius *in libro, cui titulus est: Athenæ Belgicæ*. De eo etiam Antonius Poſſeuinus *in Apparatu Sacro*, dicens eundem eſſe cum Ioanne Paſchaſio Mechlinienſi etiam Ordinis noſtri; de quo alia Opera traduntur. Quod etiam habet Valerius Andreas *in ſua Bibliotheca*, etſi ſub dubio, de quo alibi.

Philippus Ribbotus.

13 Sed cui maximè debitores ſunt hiſtorici, ac chronologi noſtri, Philippus Ribbotus eſt, egregius hoc ſeculo Religionis alumnus. Fuit hic Philippus natione Hiſpanus, patria Catalanus, in ſacra Pagina Doctor, ſæpius in libro Ordinis pro Capitulis aliquot generalibus vocatus Diffinitor Generalis, & Prouincialis Cataloniæ. Zelo ſui Ordinis incenſus inter alia monumenta, quæ edidit, celebre illud, & ſæpiùs à nobis relatum volumen *Speculum Ordinis* appellatum compoſuit, in quo quæ de ipſo Ioannes Ieroſolymitanus Patriarcha, B. Cyrillus Conſtantinopolitanus, Guillelmus de Samuco, & Sibertus de Beka ſcripſerunt, decem libris compilauit. Non ſine Dei ſpeciali prouidentia factum credimus, vt auctor iſte librum præfatum Ioannis Ieroſolymitani dicto Operi inſeruerit: ex hoc enim manifeſtè à veritate aberraſſe conuincuntur, qui illum à recentiore aliquo ſcriptum credunt, quia hic Philippus à trecentis fermè annis, vel ſupra 250. vixiſſe comprobatur: ex quo euidenter deducitur librum illum non à neoterico aliquo fuiſſe compoſitum, quod etiam clariùs innoteſcit ex epiſtola Beati Cyrilli, quam in eodem Opere collocauit, in ea enim talis liber Ioannis commemoratur ex quo perſpicuè oſtenditur non ſolùm ante 400. annos, & ſupra, quo tempore B. Cyrillus viuebat, ſed à multis alijs perpetua veluti, & conſtanti Ordinis traditione teneri præfati libri legitimũ auctorẽ dictum Ioannem Ieroſolymitanũ extitiſſe. Sed de hoc *c. præcedenti* copioſiùs diximus. Nunc vero ſolùm adiungimus hunc noſtrum Ribbotum celebrẽ quoque eſſe apud exteros ſcriptores, vt videre eſt in Trithemio *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Poſſeuino *in Apparatu Sacro*, de quo etiam Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelit.* & alij plures.

Acce-

14 Accedit Reuerendissimus Generalis Magister Ioannes Grossus sub anno 1389. Perpiniani in Generalem electus illius partis Ordinis, quæ Clementem vocatum Septimum tempore schismatis sequebatur, licet postea sub Ioanne 23. à toto Ordine ad idem officium assumptus fuerit in Bononiensi capitulo sub anno 1411. natione erat Gallus, patria Tolosanus, & Conuentus Apamiarum alumnus. Hic inter plurimos pro suo Ordine exanthlatos labores, & aliquot libros editos historica duo opuscula scripsit, quorum alterum vocatur *Viridarium*, quod incipit: *Quia ad res grandes*, & alterum de Sanctis Ordinis, quod incipit: *Quia enim Deus*. Habentur cum Speculo Ordinis in impressione Veneta relata à pag. 101. De ipso agunt Trithemius *de Scriptorib. Ecclesiast.* Posseuin. *in Apparatu Sacro*, Petrus Lucius *in Bibliotheca*, & alij. Ioannes Grossus.

15 Accedit & alius Ordinis venerabilis Pater, qui propter vitæ sanctitatem, & mirabilia quæ gessit, Beati nomine à pluribus decoratur, Ioannes Soreth Generalis Ordinis Præsul, & magnæ apud omnes auctoritatis, natione Normannus, ac Conuentus Cadomensis alumnus, qui sub anno 1471. temporalem pro æterna commutauit vitam. Hunc Patrem inter historicos Ordinis referimus, quia etsi ex professo nullam historiam ediderit, in expositione tamen Parænetica Regulæ Carmelitarum *in præfatione* plura de Religionis antiquitate, Patribus, successione, & Regulis scribit, de quibus in discursu Annalium dicetur. Ipsius honorificam mentionem habent Euernerus Rouelinch *in fasciculo temporum circa ann.* 1464. Trithemius *in lib. de Illustrib. viris Carmelit. & de Scriptoribus Ecclesiastic.* Iacobus Philippus Bergomensis *in supplemen. chronic.* Antonius Posseuinus *in Apparatu*, & plures alij, quos longum esset referre, de quibus, & istius egregij Ordinis nostri gestis nos suo tempore dicemus, sperantes à S. R. Ecclesia in Sanctorum numero adscribendum. Ioannes Soreth.

16 Nec est omittendus inter Ordinis Scriptores Reuerendissimus alius Ordinis Pater Thomas Scroppus Dromorensis Episcopus circa annum 1491. clarus, qui adeo Ordinem suum digno amore, & honore prosequebatur, vt decem libros Philippi Ribboti Catalani in Anglicum sermonẽ transtulerit, & Cyrillo Garlandio sui Conuentus Priori dedicauerit. Scripsit etiam ad Ioannem Blacneium Ordinis S. Benedicti Monachum satis Latinè, & valde copiosè de antiquitate, dignitate, & varijs laudibus Carmelitarum. Vnde inter alia scripta ipsius hæc numerantur, *de Carmelitarum Institutione liber vnus, de eodem Ordine ad Eugenium Papam lib. vnus, Catalo-* Thomas Scroppus.

Ioannes de Malinis.

12 Accedit & alius huius ferme temporis Pater Ioannes de Malinis vir doctissimus, prout Opus ipsius ostendit, cui titulus est *Speculum historiale Carmelitarum*, quod incipit: *In diebus Achab Regis*, typis editum cum *Speculo Ordinis à fol. 42.* Aliqui confundere illum videntur cum Ioanne Palæonydoro, qui etiam Mechlinienfis, seu Malinensis Conuentus fuit, sed toto cælo falluntur, cùm ipse Palæonydorus *in epist. ad Rumoldum Laupach* expresse asserat se ex hoc Ioanne de Malinis collegisse suum Opus, ex quo infertur diuersum ab eo, & antiquiorem ipso fuisse. De eo agit Franciscus Svvertius *in libro, cui titulus est: Athenæ Belgicæ*. De eo etiam Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro*, dicens eundem esse cum Ioanne Paschasio Mechlinienfi etiam Ordinis nostri; de quo alia Opera traduntur. Quod etiam habet Valerius Andreas *in sua Bibliotheca*, etsi sub dubio, de quo alibi.

Philippus Ribbotus.

13 Sed cui maximè debitores sunt historici, ac chronologi nostri, Philippus Ribbotus est, egregius hoc seculo Religionis alumnus. Fuit hic Philippus natione Hispanus, patria Catalanus, in sacra Pagina Doctor, sæpius in libro Ordinis pro Capitulis aliquot generalibus vocatus Diffinitor Generalis, & Prouincialis Cataloniæ. Zelo sui Ordinis incensus inter alia monumenta, quæ edidit, celebre illud, & sæpius à nobis relatum volumen *Speculum Ordinis* appellatum composuit, in quo quæ de ipso Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha, B. Cyrillus Constantinopolitanus, Guillelmus de Sanuco, & Sibertus de Beka scripserunt, decem libris compilauit. Non sine Dei speciali prouidentia factum credimus, vt auctor iste librum præfatum Ioannis Ierosolymitani dicto Operi inseruerit: ex hoc enim manifestè à veritate aberrasse conuincuntur, qui illum à recentiore aliquo scriptum credunt, quia hic Philippus à trecentis fermè annis, vel supra 250. vixisse comprobatur: ex quo euidenter deducitur librum illum non à neoterico aliquo fuisse compositum, quod etiam clariùs innotescit ex epistola Beati Cyrilli, quam in eodem Opere collocauit, in ea enim talis liber Ioannis commemoratur: ex quo perspicuè ostenditur non solùm ante 400. annos, & supra, quo tempore B. Cyrillus viuebat, sed à multis alijs perpetua veluti, & constanti Ordinis traditione teneri præfati libri legitimũ auctorẽ dictum Ioannem Ierosolymitanũ extitisse. Sed de hoc *c. precedenti* copiosiùs diximus. Nunc vero solùm adiungimus hunc nostrum Ribbotum celebrẽ quoque esse apud exteros scriptores, vt videre est in Trithemio *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Posseuino *in Apparatu Sacro*, de quo etiam Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelit.* & alij plures.

Acce-

14 Accedit Reuerendissimus Generalis Magister Ioannes Grossus sub anno 1389. Perpiniani in Generalem electus illius partis Ordinis, quæ Clementem vocatum Septimum tempore schismatis sequebatur, licet postea sub Ioanne 23. à toto Ordine ad idem officium assumptus fuerit in Bononiensi capitulo sub anno 1411. natione erat Gallus, patria Tolosanus, & Conuentus Apamiarum alumnus. Hic inter plurimos pro suo Ordine exanthlatos labores, & aliquot libros editos historica duo opuscula scripsit, quorum alterum vocatur *Viridarium*, quod incipit: *Quia ad res grandes*, & alterum de Sanctis Ordinis, quod incipit: *Quia enim Deus*. Habentur cum Speculo Ordinis in impressione Veneta relata à pag. 101. De ipso agunt Trithemius *de Scriptorib. Ecclesiast.* Posseuin. *in Apparatu Sacro*, Petrus Lucius *in Bibliotheca*, & alij. Ioannes Grossus.

15 Accedit & alius Ordinis venerabilis Pater, qui propter vitæ sanctitatem, & mirabilia quæ gessit, Beati nomine à pluribus decoratur, Ioannes Soreth Generalis Ordinis Præsul, & magnæ apud omnes auctoritatis, natione Normannus, ac Conuentus Cadomensis alumnus, qui sub anno 1471. temporalem pro æterna commutauit vitam. Hunc Patrem inter historicos Ordinis referimus, quia etsi ex professo nullam historiam ediderit, in expositione tamen Parænetica Regulæ Carmelitarum *in præfatione* plura de Religionis antiquitate, Patribus, successione, & Regulis scribit, de quibus in discursu Annalium dicetur. Ipsius honorificam mentionem habent Euernerus Rouelinch *in fasciculo temporum circa ann. 1464.* Trithemius *in lib. de Illustrib. viris Carmelit. & de Scriptoribus Ecclesiastic.* Iacobus Philippus Bergomensis *in supplemen. chronic.* Antonius Posseuinus *in Apparatu*, & plures alij, quos longum esset referre, de quibus, & istius egregij Ordinis nostri gestis nos suo tempore dicemus, sperantes à S. R. Ecclesia in Sanctorum numero adscribendum. Ioannes Soreth.

16 Nec est omittendus inter Ordinis Scriptores Reuerendissimus alius Ordinis Pater Thomas Scroppus Dromorensis Episcopus circa annum 1491. clarus, qui adeo Ordinem suum digno amore, & honore prosequebatur, vt decem libros Philippi Ribboti Catalani in Anglicum sermonẽ transtulerit, & Cyrillo Garlandio sui Conuentus Priori dedicauerit. Scripsit etiam ad Ioannem Blacneium Ordinis S. Benedicti Monachum satis Latinè, & valde copiosè de antiquitate, dignitate, & varijs laudibus Carmelitarum. Vnde inter alia scripta ipsius hæc numerantur, *de Carmelitarum Institutione liber vnus, de eodem Ordine ad Eugenium Papam lib. vnus, Catalo-* Thomas Scroppus.

gus Sanctorum eiusdem Ordinis lib. vnus. De ipso propterea nec sine laude scripserunt Lelandus apud Pitseum, Balæus *in Catalogo Scriptorum Britanniæ*, & Pitseus ipse *de illustribus Angliæ Scriptoribus ætate 15. num. 896.*

Palæonydorus.

17 In idem etiam tempus referendus venit Ordinis alius Pater fama celeberrimus, & omnium nostrorum historicorum veluti compilator Ioannes Palæonydorus, seu Palædorpius, qui etiam de Aqua veteri, quod est Batauiæ oppidum, cuius erat nationis. Is enim pro feruentissimo in suam Religionem zelo inter alia Opera, quæ edidit quoad Ordinis historias composuit primò *fasciculum*, seu *Opus tripartitum libris tribus digestum*, quod sæpiùs in Annalium discursu citabimus, item *propugnaculum Carmelitarum*, *Dialogum inter Carmelitam, & Carthusianum*, ac *vitas Sanctorum Ordinis*. Specialiter Opus illud tripartitum testatur ipse *in epist. ad Rumoldum Laupach Operi præfixa* se collegisse ex Ioanne Ierosolymitano, Beato Cyrillo, Guillelmo de Samuco, Siberto de Beka, Philippo Ribboti, Ioanne Grosso, Baccone, Cimineto, Vineta, Hildesheim, Thoma Bradlei, Petro Bruni, Arnoldo Bostio, Martino Italo, Ioanne Gluel, Ioanne de Malinis, & Ioanne Gouda, quos partim retulimus, partim etiam alio loco afferemus. Peruenit vsque ad annum 1507. quo plusquam septuagenarius ad Cælestem patriam perrexit. De ipso scripserunt Valerius Andreas *in sua Bibliotheca*, Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Franciscus Svvertius *in libro, cui titulus, Athenæ Belgicæ*, & alij non pauci.

Baptista Mantuanus.

18 Iure etiam inter Ordinis historicos celeberrimus Baptista Mantuanus clarissimum Religionis nostræ luminare recenseri debet. Etsi enim ex intento Ordinis historias non ediderit, in diuersis tamen libris, & voluminibus ab ipso compositis tum prosa, tum versu sæpissimè de illis agit. Fuit hic Pater, quamuis ex Hispania oriundus, Mantuæ tamen in Italia velut alter Virgilius natus, sui seculi gloria propter eximiam eius cum vitæ probitate doctrinam in omni fermè materia Theologica, Philosophica, morali, historica, & maximè Poëtica, prout clarissima ipsius Opera quatuor tomis comprehensa per Laurentium Cupperum Antuerpiæ anno 1576. edita dilucidè testantur. In quibus sæpius, vt diximus, plura ad Ordinis historiam spectantia, & quæ nos suis locis referemus, doctissimè prosequitur. Huius porrò Patris Ordinis nostri Generalis Magistri, & inter Christianos Poëtas procul dubio Principis magnam habemus commendationem apud innumeros ferè auctores, præsertim Trithemium *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, vbi eum vocat

in diuinis Scripturis eruditissimum, in secularium literarum scientia nulli secundum, Philosophum insignem, Poëtam, & Oratorem celeberrimum, ingenio excellentem, sermone disertum, vita, & conuersatione praclarum Latina lingua decus, Graca clarum interpretem, metro excellentem, & prosa; Ioannem Picum Mirandulanum *in epist. ad ipsum*, Ioannem Iouinianum Pontanum *in alia epist. ad ipsum*, Philippum Beroaldum *in epist. ad Hieronymum Carmelitam*, Petrum Opmerum *in opere Chronographico tom. 1.* Cardinalem Bellarminum *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Antonium Possenimum *in Apparatu Sacro*, & alios innumeros.

19 Hos vetustiores Ordinis historicos secuti sunt alij plures recentiores, quos breuitati consulentes solùm sub compendio referimus. Hi sunt Petrus Lucius Belga *in compendio historiali*, & *Bibliotheca Carmelitana*, Didacus de Coria, Maldonatus Hispanus *in Chronico Ordinis duodecim libris digesto*, Thomas de Iesu Hispanus etiam ex nostris RR. PP. Discalceatis celebris alumnus *in commentar. super Regulam Carmelit. & in libro de Sanctis, & antiquit. Ordinis*; Petrus Thomas Sarracenus Bononiensis *in Menolog. Carmelit.* Franciscus Voersius Cherascus Italus, *tum in libro de vita Henrici Siluij Generalis, tum in alio, cui titulus est: Giardino de tesori spirituali*, Petrus Vvastellius Belga tum in eximio opere *vindiciar. Oper. Ioannis Ierosolymitani*, tum in *libro sæpius relato pro Monachismo eiusdem Ioannis in Carmelo*; Thomas Aquinas Gallus *in lib. de Patriarchatu Eliæ*, Franciscus à Sancta Maria Hispanus *in Historia Prophetica*, Michael Munozzius ex eadem natione *in Propugnaculo Eliæ*, nouissimè Romæ 1636. edito, Marcus Antonius Casanate *in paradiso Carmelitici decoris*, & alij. Alij Auctores

20 Omittimus aliquot ex vetustioribus, qui de ea re scripserunt, quòd eorum scripta non viderimus. Hi sunt Ægidius Fabri Belga, Alphonsus ab Alfama Lusitanus, Arnoldus Bostius Gandensis, Baptista Ferrariensis Italus, Bernardus à Montesa Celtiber, Franciscus Martini Catalanus, Guillelmus Conuentriensis Anglus, Guillelmus Greneus etiam Anglus, Henricus Marionouensis Germanus Episcopus, Ioannes Hornebius Anglus, Ioannes Oudenius Germanus, Iulianus Guingantius Theologus Parisiensis, Nicolaus Kentonus Anglus, Nicolaus Simonis Batauus, Petrus Garnengius Armoricus, Simon Coëllus Lusitanus. Sed recentiores alij, quorum scripta magna ex parte videre potuimus, quòd de hac nostra historia scripserint, iure recenseri debent. Hi sunt Camillus Ausilius Italus, Emanuel Roman Hispanus, Franciscus à Sancto Angelo etiam Alij Auctores.

Hiſpanus, Geneſius Roſanus Lombardus, Hieronymus à Matre Dei aliàs Gratianus Hiſpanus, Hieronymus Tonſtatus Bœticus aut Luſitanus, Ioannes Gerbrandus Leidanus, Ioannes Pintus de Victoria Luſitanus, Ioſeph Alſaconicus Italus, Iulianus Vrſatus Hannonius, Leo à Sancto Ioanne Gallus, Marcus Xauerius aliàs de Guadalaiara Celtiber, Michael à Fonte Hiſpanus, Petrus Royuela Hiſpanus, Philippus à Sancto Iacobo etiam Hiſpanus, Philocalus Caputus Italus, Valerius Ximenez ab Embun Epiſcopus electus, & Prouincialis Aragoniæ: quos omnes cum alijs in *libro de ortu, & progreſſu, ac viris illuſtribus Carmelitarum* Coloniæ impreſſo anno 1643. reperiet lector.

Ioannes Balæus.

21 Pudet tandem potius, quàm lubet inter hiſtoriographos noſtros vnum, veluti Ordinis fæcem, & omnium peripſema, vltimo loco referre Ioannem Balæum Anglum à fide, & Religione Apoſtatam, & pſeudo-epiſcopum Oſſorienſem. Hic enim miſerrimus poſtquam per plures annos in Religione ſtudiosè vixerat, Virginis habitum, & Ordinem eo tempore, quo florentiſſima quondam Anglia à fide declinabat, impudenter dimiſit, cælibatui renunciauit, & Eccleſiæ Catholicæ inſenſiſſimè maledicere cœpit. Scripſit autem inter Catholicos, & noſtros conuerſatus plura ad hiſtoriam Ordinis ſpectantia, videlicet *Scriptorum ab Elia* libros duos, *Scriptorum à Bertholdo* libros ſex, *hiſtoriam Simonis Anglici, franti ſenenſis, & D. Brocardi*. Inter hæreticos verò præter plura alia, quæ compoſuit, illud eſt notabilius, cui titulus, *Catalogus Scriptorum Britanniæ*, cuius 13. Centuriam Baſileæ exiſtens, Conrado Geſnero, Conrado Lycoſten, & Ioſiæ Simlero hæreticus hæreticis dicabat. Quod Opus etſi aliàs ſpurciſſimis erroribus ſcateat, pro noſtra tamen hiſtoria vtile ſæpiùs erit, vt propterea hæc de ipſo, etſi aliàs infamis memoriæ, dixiſſe operæ pretium fuerit.

Concluſio.

22 Hi ſunt, mi lector, teſtes à te vt puto non ſpernendi, & in mei cauſam aduocandi. Exteris tamen non reiectis, ſed præcipuo loco habitis, ne vel aliquis (quod de Vviclepho Vvaldenſis *to. 3. de Sacramentalib.* olim dixerat) cum Iudæis ſugillet: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* De vtriſque ergo dicam: *Interrogabo Patres meos, & annunciabunt mihi, maiores meos, & dicent veritatem.* Pijſſimam quoque, & immaculatiſſimam Parentem ſic interpello:

Vbera nunc aperi Chriſto dulcedine plena
Nato melliſluens Virgo Maria tuo.
Diſijce terrenæ nebulas, & pondera molis,
Dirige ſcribentis Virgo Maria manum.

AN-

ANNALES
CARMELITARVM
Notabiliores quoque Orbis euentus compendio recenſentes.

TOMVS PRIMVS.

Primum eiuſdem Ordinis ſtatum ab Elia Patriarcha inchoatum, & per filios Prophetarum, Rechabitas, Eſſenos, & Aſſidæos vſque ad Chriſtum Dominum continuatum, & propagatum comprehendens.

OPERIS DIVISIO.



VNDI curſum, & veluti vitam ſub vno Deo viuente Creatore in ætates quaſdam, quoſdamve ſtatus Chronologi digeſſere, alij ſex, alij ſeptem, & alij plures recenſentes. Sapienter aliqui octo eſſe huiuſmodi ætates numerandas, quibus ſubſcribimus, aſſeruere. Prima inchoatur cum mundi ortu vſque ad Diluuium; ſecunda à Diluuio vſque ad Abraham; tertia ab Abrahæ natiuitate vſque ad Moyſem; quarta à Moyſe vſque ad Samuelem; quinta à Samuele vſque ad Cyrum; ſexta à Cyro vſque ad Chriſtum; ex quo agitur ſeptima vſque ad conſummationem ſeculi; octaua autem à reſurrectione generali in omnem propagabitur æternitatem. Sic etiam totius Carmelitici, & Eliani Inſtituti curſum ac tempus ſub vno primo Inſtitutore Elia viuente diſſecandum autumamus. Cum enim Status iuxta Angelicum D. S. Th. 2. 2. q. 183. art. 1. *Sit quadam moralis, ſeu ſpiritualis conditio vitæ pertinens ad quandam libertatem, ſeu ſubiectionem*; ideo ſecundùm huiuſcemodi vitæ conditionis varietatem, qua hæc familia à prima ſui inſtitutione vſque ad præſens tempus propagata eſt, illorum diuerſitas accipienda erit. Primus Status à Protoparente ipſius magno Elia Propheta ad Chriſtum vſque Saluatorem, qui rerum omnium plenitudo fuit, protenditur: Secundus ab eodem Chriſto, & Ioanne Baptiſta vſque ad alium

Mundi ætates octo.

ad alium Ioannem Ierosolymitanum Antistitem, seu si placet, ad magnum Basilium eius æui Patres, qui huius Ordinis egregij propagatores fuerunt, numeratur: Tertius id tempus, quod inter istos Patres, & B. Bertholdi primam in Latinorum Generalem Creationem sub Aymerico Antiocheno Patriarcha versatur, amplectitur. Quartus ab hoc tempore ad Regulam datam sub B. Alberto Ierosolymorum Antistite B. Brocardo secundo Latinorum Generali numeratur. Quintus à Regula data vsque ad ipsius correctionem, declarationem, & aliqualem mitigationem tempore Innocentij Quarti Summi Pontificis censetur. Sextus ab Innocentio vsque ad Eugenij Quarti tempora, qui etiam nouam Regulæ mitigationem, & moderationem fecit. Et septimus ab Eugenij præfati moderatione, vsque ad S. Virginis Theresiæ æuum, quæ angelicis ditata virtutibus, cum non modò propriam, sed publicam quoque salutem solicita charitate desideraret, seueriorem veterum Carmelitarum Regulam, Deo afflante, & Pio Quarto approbante primum mulieribus, deinde viris obseruandam proposuit, ex qua noua in Ordine ipsaque celeberrima reformatione (quæ hoc æuo viget) octauus Status initium sumpsit, vsque ad aliam Ordinis mutationem, iuxta Dei beneplacitum, qui temporum diffinitor est, duratura. Operæpretium ergo erit de hoc primo Statu Religionis in hoc primo Annalium Tomo primùm disquirere.

De primo Statu Carmelitani Ordinis ab Elia Patriarcha vsque ad Christum. Lib. I.

Annus mundi 3123. ante Christum 930.

Quis hic annus.

1 NNO isto (qui Mundi erat 3123. ante Christi ortum 930. à Diluuio 1467. quintæ ætatis 184. Templi fundati 101. Iosaphat Regis Iudæ 3. Achab Regis Israël 7. Azariæ Pontificis 3. Troiæ excisæ 252. Ophratei Assyriorum Imperatoris 20. & Imperij Assyriorum 1192.) nominatur primò in sacra Historia Elias, comparet, & loquitur ad Achab Regem 3. *Reg.* 17. *v.* 1. dicens: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*. Ad huius anni historiam hoc pertinere autumat Iacobus Salianus *in Annalib. Ecclesiast. veter. testam. to. 4. sub hoc anno num. 5.* sub sequenti id refert Torniellus *in suis Annalibus*. Congruentius tamen est, quòd Salianus scribit,

Horum

Horum verò Auctorum, quia doctissimi sunt, & de Chronologia sacra valde benemeriti, vestigijs insistemus quoad annorũ computationẽ in hoc primo Tomo; præsertim quia à Ioãnis Ierosolymitani *in l. de Instit. Monachor. c. 1.* & Baptistæ Mantuani *in Parthenic. Marianæ lib. 2.* nostrorumque Scriptorum computo non valde differunt.

2 Quis tamen fuerit hic Elias Scriptura tacet, cùm ipsius parentibus, generatione, maioribusque celatis, de eo solùm dicat: *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad*. idcirco nos ex alijs Patrum monumentis rem libare debemus. Quis Elias.

3 Et primò nomen *Elias* viri eximia magnalia non obscurè subindicat. *Elias* namque idem est, quod *Dominus Deus*. Vt testantur S. Athanasius *de fuga sua*. Hieronym. *de nominib. Hebr. Malach. 4.* Isidor. *in lib. de Patrib. veter. Testam.* Quo præexcelsa eius, & supereminens sanctitas adumbratur: *quasi humanitatis nihil haberet, sed totus quasi Deus*, inquit Anton. Fernan. *de vision. veter. Testam. vis. 9.* Censent autem Hebræi in *Gen. magna cap. 27.* (quod non reijcit Cornelius *3. Reg. 17. vers. 1.*) Eliæ nomen sumptum fuisse ex illa populi acclamatione *3. Reg. 18.* quando Baalitas in Carmelo superauit: *Dominus ipse est Deus*. nam antea eum vocatum esse *Iaberschyt*. Idem Hieron. *in epist. ad Pamachium* Eliam interpretatur *fortem Domini*. Alij etiam *Deum fortem* in sua etymol. denotare dicunt: quo similiter Eliæ sanctitas, virtus, & fortitudo insinuatur. Notat, nec incongruè ad intentum, Cornelius in comment. *sup. Danielem cap. 4. vers. 3.* Hebræos solitos viros suos illustres, & Prophetas nominibus Dei *El*, & *Ia* compellare; sic enim constat in Prophetis plurimos ijs nominibus appellatos, vt Isaias, Ieremias, Abdias, Zacharias, Malachias, & alij, in quorum nominibus Dei nomen *Ia* inuenitur. Daniel, Ezechiel, Ioel cum alijs, in quorum etiam nominibus Dei nomen *El* cernitur. Cùm ergo in Eliæ nomine vtrumque Dei nomen reperiatur *El* & *Ia*, procul dubio maxima eius inter Prophetas sanctitas, vel præeminentia ex eo denotari videtur. Quadrat & alia singularis Eliæ nominis etymologia, quam Pagninus ei tribuit: *Deus Domini*. Quia sicut Moyses à Domino constitutus est Deus Pharaonis *Exod. 7. vers. 1.* sic ab eodem constitutus est Elias Deus Achabi, & Iezabelis, quos similiter plagis affecit, sicut Pharaonem Moyses. Videtur enim contra eos suscitatus Elias, sicut contra Arrianos Athanasius, cõtra Pelagianos Augustinus fidei Orthodoxæ Atlas, cõtra Nestorianos Alexandrinus Cyrillus, & contra neotericos hæreticos illustrissimi viri, quibus hoc sæculum abundauit. Eliæ Etymon.

Ipsius

Eliæ patria. 4 Ipsius patria Thesbis erat, seu Thesbes, à Iosepho *lib.8. antiq.cap.7.* appellata *Thesbone*. Non Thebas Bœotiæ, vel Ægypti, cum constet Eliam Hebræum fuisse, non Græcum, aut Ægyptium. Nec etiam Thebes, in qua occisus est Abimelech *Iudic.9.* vt Lyran. Hugo, & Abulen. 3.*Reg.*17. contendunt. Nec demum Thisbes, quæ fuit Tobiæ patria. Hæc enim ciuitas cis Iordanem est. Elias verò vltra-Iordaninus erat, de *habitatoribus* nempe *Galaad*, in tribu scilicet Gad, vt Adricomius vult, vel in sorte dimidiæ tribus Manasse, vt Iosephus credit, non de tribu Nephtalim, vt Iacob. Boulduc. *lib.3.de Eccles. cap.12.* scripsit. Multo minus de tribu Iuda, prout *in lib. quodam Gallico*, cui titulus, *le Pelerin veritable*, legitur. Quare dicendum, quod licet Elias cùm Leuita esset, vt inferius dicemus, gente de tribu Leui foret, sicut omnes alij Leuitæ, natiuitate tamen ex tribu Gad, vel forsan Manasses erat. De qua re doctè satis Ægid Camart. in *lib. de gestis Eliæ cap.5. per totum*, vbi *sect.6.* pias etiam rationes aliquot affert, quare Deus voluerit ignotum esse locum, vnde Eliæ ortus mundo fuit: inter quas ea non infimum locum tenet, vt omnis gloria, quam Elias magnificis suis actionibus peperit in sibi dilectissimum Carmelum, quem pro domicilio suo, suæque familiæ elegerat, referretur. Sinamus ergo tribus omnes Israeliticas de Elia decertare potiori iure, quàm de Homero septem vrbes Smyrnam, Rhodum, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenas.

Parentes Eliæ. 5 Parentes ipsius Scriptura Sacra alto silentio celat, sicut, & Melchisedech, nec sine mysterio. Sicut enim Melchisedechi pater, & mater, & genealogia reticentur, vt æternitas Sacerdotij Christi, cuius typus erat, aptiùs per ipsum designari posset, sic & Eliæ genus absconditur, vt Christi generationem mysticè adumbraret; de quo Isaias 53. dicitur: *Generationem eius quis enarrabit?* Sic fermè ex Eucherio *in notis ad lib.3. Reg.* Rabano, & Angelomo *in 3. Reg.17.* Dicamus & nos, ideo Elianam originem silentij sacramento Sacras literas obuoluisse, vt Eliæ eminentissima Sanctitas non communibus regulis metienda monstraretur. Apud Romanos Cato, & Marius sine parentibus inueniuntur, vt notauit Ælianus *lib. 12. var. hist.* vt eximios viros quasi de Cælo lapsos populus existimaret: nec desunt gentes quæ illos existiment omnium nobilissimos, qui prorsus ignorant patres, ac matres suas, eosque tenere primos dignitatum gradus post ipsum Principem, quod scriptum reliquit Petrus Bellonus *lib.2. obseru.cap.95.* Meliùs, & congruentiùs de Elia disseremus, si ipsum propterea sine parentibus describi dicamus,

mus, vt eum quasi supra humanum genus virum esse existimemus. Nihilominus quia verus, & purus homo fuit, veros quoque genitores habuisse compertissimum est. Rabbini quidam eum esse Phineem putantes, qui *numeror. 25.* scortum Madianitidem cum Hebræo colludens pugione perfodit, consequenter filium Eleazari faciunt, quod non displicuit Petro Damiano *l. 1. epistol. epist. 6.* Quod tamen placitum veluti inane recutitæ gentis figmentum communi applausu exploditur cum Origene *hom. 3. in Ioannem.* Neque enim Scripturam tacuisse credendum, quod in magnam tantorum virorum Phinees, & Eliæ laudem cedere certum erat. Omittimus contrarium id esse eidem Sacræ paginæ, quæ filios, & nepotes Phinees in summi Sacerdotij dignitatem successores recenset; cum tamen Eliam cœlibem semper vitam duxisse communis sit Patrum consensus, quorum aliquos *in Apparat. cap. 4. num. 9.* retulimus. Accedit, quòd Phinees Summus Pontifex fuit, qui proinde ratione sui ministerij primùm in Tabernaculo Dei, deinde in tribu Iuda, vel Beniamin, vbi erat Ierosolyma, & Templum Domini, assistere debuisset, atqui Elias non in loco Tabernaculi, non Ierosolymis, sed in Galaad, Carmelo, & cum decem tribubus habitauit, nec nisi semel in Iudæam abijsse legitur, quando scilicet Bersabee petijt. Non tamen propterea negandum Eliam Leuitam fuisse, ita enim tradunt Epiphanius *de vit. Prophetar.* Ioannes Ierosolymitan. *de Institut. Monachor. cap. 1.* Dorotheus *in Synopsi*, Metaphrastes *in vita ipsius*, & alij eum ex tribu Aaron, qui erat Leui, originem traxisse dicentes. Leuita ergo erat, etsi non cum alijs Leuitis in Iudæ regno, sed inter Israelitas propter eorum conuersionem nutu Dei habitans, vt habet Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap. 3. sect. 21.* nec dissentit Cornelius supra. Alij ergo Eliæ patrem Aquimaam vocant ex Epiphanio *hæres. 15.* Sed neque ipse Epiphanius huic traditioni fidit, nec solidè fundatur, cùm communior assertio aliud nomen eidem tribuat. Quod idem dicendum de ijs, qui Eliam Salomonis nepotem credunt; de quo perdoctè P. Franciscus à Sancta Maria ex nostris RR. PP. Discalceatis *in Histor. Prophet. Hispanica lib. 1. cap. 11. num. 8.*

An Phinees Elias.

6 Constantior ergo veritas est, Eliæ genitorem (nam de matris nomine pauci loquuntur) Sobac, vel Sabbacha appellatum fuisse. Ita enim habet Epiphan. *de vit. Prophetar.* Noster Ioannes Patriarcha Ierosolymit. *in l. de Instit. Monachor. c. 40.* Dorotheus *in Synops. Prophetar. in vit. Eliæ.* Metaphrastes apud Surium 20. *Iulij* Hugo Cardinal. 4. *Reg. 2.* & plures alij, quibus omnino assentiendum.

Eliæ genitor.

Accidit

Visio ante ortum ipsius. 7 Accidit autem ante Eliæ ortum mirabilis quædam ipsius patri visa reuelatio, qua infantis Magnalia non obscurè fuerunt præsignata. Visio autem sic erat ex Epiphanio *de vitis Prophetarum*, de Elia loquente: *Quem cum eniteretur parens eius, eiusmodi Sobac patri visio apparuit. Viri niueum quendam præferentes habitum, pusionem salutabant, matrisque vberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant. Profectus est itaque in Hierusalem, visaque ad Sacerdotes retulit. Respondit autem illi Chrematismus (hoc est oraculum, siue responsor) caue manifestum facias. Erit quippe lumen filij huius domicilium, sermoque eius demonstratio, ac sententia breuis, & iudicabit Israël cum in igne, cum romphæa.* Dorotheus *in Synops. Prophet.* in vit. S. Eliæ sic casum refert: *Cum nasciturus esset Elias, pater eius Sabbacha vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tanquam fascijs inuolui, & flamma ignis veluti cibo ali; & Ierosolymam profectus rem istam indicauit; dictumque illi ex oraculo ne timeret; fore enim, vt puer nasciturus in luce habitaret, & quæ diceret, firmam sententiam haberet, iudicaretque Israëlem in gladio, & igne.* Ioannes quoque ille Ierosolymitanus Antistes *in lib. relato cap.* 40. hæc habet: *Ante quippe Eliæ natiuitatem vidit Sabbacha in somnijs viros candidatos, qui ipsum salutabant: quæ visio sibi præsignauit, quales eius filius Elias imitatores suæ vitæ monasticæ habiturus esset. Cernens namque Sabbacha viros candidos, vidit in Spiritu Religiosos per Eliam instituendos, quos ideo candidatos vidit, quia Eliam velut monasticè viuendi exemplar erant imitati, in candore, nedum mentali sinceræ puritatis, sed etiam corporali habitus albi eos desuper tegentis.* Verba autem integrè retulimus, vt nedum (quod modò intendimus) de ortu Eliæ diuinitus prænunciato, sed & de iure, quo Carmelitæ ipsum vt parentem colunt, vtpotè qui album pallium gestantes viros illos candidos à Sabbacha visos procul dubio prænotabant, aliquid per transennam vltra dicta *in Apparatu cap.6.* dixerimus. Vtrumque amplexus Ioannes Trithemius Benedictinus Abbas, qui *in lib. de laudibus Carmelitar. cap.2.* hæc dixit: *Legimus in historijs, quòd Sabbacha pater Eliæ nondum nati viderit in somnijs viros candidatos salutantes eum, per quos rectè fratres Carmelitas accipimus, quos habitu, & conuersatione candidos esse cognoscimus.* Mirabile sanè est, quòd cum S. Romualdus per visum scalam, per quam homines in veste candida ascendebant, & descendebant, conspexerit, nouerint ex eo omnes Camaldulenses Monachos, quorum ipse auctor fuit, hac visione designari: & cum Sabbacha Eliæ pater similiter candidatos viros per somnium aspexerit, illi non æquè Carmeli alumnos denuncient?

De hac

De hac verò visione consulatur Cassiodorus *in vita S. Eliæ*; Simeon Metaphrastes *in homil. de Elia* apud Surium sub die 20. mensis Iulij; Comestor *in Histor. Scholast. in 4. Reg. 2.* Petrus Canisius *lib. 1. de corruptel. verb. Dei cap. 1.* & ante ipsum specialiter Hugo Cardinalis super 4. *Reg. 2.* Adde Thomam Beauxamis *in Harmon. Euangelic. to. 1. fol. mihi 164. in illud Ioann. 1. v. 21. Elias es tu?* Brunetum Latinum *lib. thesaur. cap. 46.* & ex recentioribus Gasparem Sanchez, & Cornelium *in 3. Reg. cap. 17.* & Hippolytum Marracium *de fundatoribus Marianis cap. 1.* ac S. Rotam in relatione ad Paul. V. pro Canonizatione Sancti Andreæ Corsini.

8 Sunt & qui credant Eliam in vtero matris à peccati originalis macula ac labe, veluti Baptistam, & Ieremiam purificatum fuisse. Sic enim perdoctè satis tuetur Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap. 3. sect. 16.* idque in publicis Thesibus Romæ in Purpuratorum Patrum consessu, & Comitijs Generalibus Ordinis, assistente doctissimo magistro Petro Cornexo anno 1613. propugnatum fuit, quod postea scriptis approbauit Petrus Sarracenus *in Menolog. Carmelitar. in vita S. Eliæ §. At mirandum.* Nec deest huius Thesis non inualidum fundamentum, quod tam in Sacra Scriptura *Luc. 1. & Matth. 11.* quàm apud Patres, præsertim Hieronymum contra *Iouinianum*, Augustinum *lib. 83. quæst. & tract. 4. in Ioann. & in lib. quæst. veteris, & noui Testamenti q. 26.* (si hoc Opus est ipsius) Ioannem Ierosolymitan. *de Institut. Monachor. cap. 9. & 29.* & maximè Petrum Damianum *in serm. 2. de S. Vitali, & serm. 2. de S. Ioanne* habeatur Eliam, & Ioannem eiusdem virtutis, gratiæ, & sanctitatis fuisse. Ex hoc enim elici datur etiam in vtero matris, sicut Ioannem, Eliam sanctificatum fuisse. Accedunt alia, quæ relatus Ægidius affert, videlicet quòd Elias in vtero matris ab Angelis salutatus referatur, vt vidimus *num. 7.* ex Dorotheo, quòd vitam quasi immortalem ad hoc vsque tempus gerat, vt ex sequentibus notum erit, & quòd in Paradisum Adamicum translatus fuerit, quæ signa, & notæ huius priuilegij esse videntur; præsertim cùm multis alijs concessũ asseratur. Obiter hîc nota hoc, quod dixit Dorotheus de Angelis Eliã in vtero matris salutantibus, recipi expressè etiam à Petro Canisio auctore graui *l. 1. de corruptelis verbi Dei c. 1.* & indicari à S. Epiphanio, Ioanne Ierosolymitano, Hugone, Trithemio, & alijs *eo n. 7.* relatis, dum dicunt à viris albicantibus salutatum fuisse. Nihilominus quia priuilegium hoc valde singulare, & à communi Ecclesiæ doctrina exorbitans est, ideo ipsius Ecclesiæ standũ iudicio, & dũ efficaciora nõ suppetant fundamenta, pietas in parentem Eliã cõpescenda.

An in vtero sanctificatus?

.Cuius

Qua ætate ad Achab venerit.

9 Cuius autem ætatis Elias hoc tempore fuerit, Scriptura non loquitur, nec Patres, aut Doctores (etsi in eam sententiam veniant, vt ipsum ætate maturum credant, qualem decebat esse eum, qui ad Regi minas indicendas vocabatur) certi aliquid affirmant, cùm alij triginta, alij quadraginta, alij plurium annorum fuisse dixerint: nos autem eò adducti aliquando fuimus, vt putaremus ipsum triginta annorum ætatis dumtaxat tunc fuisse. Cùm enim Elias, Patribus præsertim Cypriano, Augustino, Ruperto, Eucherio, & alijs testantibus, expressissima Christi Domini (si quis alius inter veteris Testamenti Patres) effigies, & figura fuerit, cùm Christus mundo manifestari, & prædicationis munus 30. ætatis anno cœperit; idem de Elia haud leuiter coniectandum videbatur. Vnde quod Abulensis 4. *Reg.* 2. *q.* 26. sub disiunctione dixit triginta, vel quadraginta annorum ætatis fuisse, nos determinatè priorem sectando partem acceptabamus. Quam etiam amplectitur Petrus Sartacenus in *Menolog. Carmelit. in vit. Eliæ*: Quia tamen 3. *Reg.* 19. *v.* 4. cùm in desertum à facie Iezabelis fugiens subter Iuniperum sederet, mortemque à Domino postularet, dixit: *Sufficit mihi, tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm Patres mei.* quod indicat parentes suos ætate superasse, Ecclesiæque picturæ ipsum semper senem, & prouectioris æui fuisse demonstrent; ideo in re incerta huic subscribimus opinioni, credentes eum cùm primùm Achabi conspectui se obiecit quadragesimum excessisse annum, prout etiam existimare visus est Abulensis relatus, & maximè Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap.* 3. *sect.* 19. qui eo tempore quinquagesimum attigisse annum existimat. Plura quoque alia de Eliæ infantia, pueritia, educatione, & studijs prætermittimus, quia certum apud omnes erit virum à Deo ad eximiam sanctitatem, dona prophetiæ, & miraculorum destinatum, à patre puerili institutione informatum feliciter in patria virtutum rudimenta posuisse, & à populari Idololatriæ nequitia seiunctum vixisse, ea opinione sanctitatis, vt omnibus admirationi esset. Salianus *sub hoc anno num.* 10. Ægidius relatus illa *sect.* 19. Alia autem ipsius eximia encomia in sequentibus referemus: illud tamen non prætermittendum, probabile valde esse etiam ante hoc tempus per aliquot annos montis Carmeli eremum Eliam habitasse. Hoc enim suadetur non solùm quia eum locum pro sui, Elisæi, & aliorum discipulorum mansione postmodum elegit, sed & quia in eum montem pro sacrificio faciendo, vt probaretur quis verus esset Deus, Regem, & populum 3. *Reg.* 18. tanquam in proprium, & sibi charum domicilium conuocauit. Sic fermè

An ante hoc tempus Carmelum habitauerit?

San-

Sanchez 3. *Reg.* 17. *nu.* 9. cui opinioni fauet Salianus *sub anno* 3127. *num.* 23. dum ante tempus illius Sacrificij videtur insinuare fuisse Collegium Prophetarum in Carmelo. Maximè etiam fauet Coria *in chronic. Carmelitar. lib.* 1. *cap.* 8. dum in eo monte Samuelem Collegium prædictum ædificasse autumat. Si enim ita fuit, prout probabile est accidisse, valde credibile fit in eo Eliam saltem per aliquod tempus suam mansionem habuisse.

10 Volunt etiam alij iam pridem, antequam Achabo Regi sese obtulisset, Monasticam, & Religiosam vitam sectari incepisse. Suarez 4. *to. de Relig. Tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 3. Franciscus à Sancta Maria *in Histor. Prophet. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 9. Quia tamen Ioannes Ierosolymitanus relato *libro de Institut. Monachor. cap.* 2. indicat tunc primùm Eliam à Deo edoctum fuisse de vita Religiosa sectanda, cùm ei 3. *Reg.* dixit: *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, &c.* ideo licet credamus ante hoc tempus vitæ sanctimonia, diuini honoris zelo, aliarumque virtutum splendore specialissimum Dei cultorem fuisse, in Carmelo, vt diximus, forsan etiam in aliquo ex Collegijs Prophetarum à Samuele primitus institutis, scilicet in Masphat, Galaaditide, vt diximus *in Apparat. cap.* 4. *num.* 3. & 4. Religionis tamen substantialia vota modo ibidem insinuato vsque ad id tempus, quo in Carith torrente latuit, obseruare non cœpisse eiusdem Ioannis Ierosolymitani auctoritate ducti verius autumamus. Quia tamen Nazaræus erat, sicut & alij Prophetarum filij, vt diximus in eodem *Apparat. c.* 7. *n.* 10. Nazaræatus Leges obseruasse pro comperto erit. *Vitam ne monasticam gesserit:*

11 Hic ergo Elias harum, cæterarumque virtutum præsidio munitus Achab Regis obtutibus hoc anno repræsentatus illa protulit: *Viuit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Quid ad eiusmodi denunciationem dixerit Achab, Scriptura tacuit; credibile est, vt hominem adhuc ignotum Regi, & nouum eiectum de conspectu Regis quasi insanum, qui absurda, & aliena ab hominum potestate polliceretur. Itaque licet diceret terram rore, & pluuia carituram, donec ipse diceret futuram, non curauit Achab, aut potius, Deo rem disponente, illi in mentem non venit Prophetam istum minacem comprehendere, & in vincula conijcere, vt si res ipsa minarum veritatem comprobaret, aut precibus, aut verberibus cogeretur ad impetrandam pluuiam, quomodo malefici dicuntur plagis compelli ad tollenda maleficia, quæ dæmonum ope in homines, bestiasvè induxerint. Interim autem reliquus annus à pluuia immunis com- *Achabo apparet.*

minationi fidem facere cœpit. Quod qualiter contigerit, graphicè descriptum reliquit os aureum Chrysostomi in *serm. 2. de Elia to. 1.* nec discordat Ambrosij lepor *de Elia, & ieiun. c. 2.*

Quid postea egerit.

12 Abijt ergo Elias à conspectu Achabi, *& factum est verbum Domini*, siue per Angelum, siue per somnium aut visionem Dei *ad eum* (eo fine vt vrgente fame non reperiretur, nec vi cogeretur ad tollendam siccitatis plagam) dicens: *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith.* id est, in aliqua spelunca huius torrentis, *qui est contra Iordanem*, cis Iordanem, vt Adrichomius putat, seu trans illum, vt S. Hieronymus in *locis Hebraicis* scripsit; *& ibi de torrente bibes: coruisque*, id est, Angelis sub coruorum specie (hoc enim fieri potuisse dicit Salianus *sub hoc anno nu. 18.*) vel quod verius est, ipsismet auibus hoc nomine vocatis, *præcepi*, mouendo, & instigando supra ipsorum innatam inclinationem, *vt pascant te ibi*. Elias porrò Deo obedientissimus abijt, & statim *fecit iuxta verbum Domini, cumque abijsset, sedit in Torrente Carith, qui est contra Iordanem*, Dei contemplationibus, & sanctis meditationibus incumbens. *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes vesperi*, de ipsa domo Achab, vt creditur, ad aliquem desertum locum ab Angelis portata, & inde à coruis rostro, & vnguibus ad Eliam delata. *& bibebat de torrente*, non vinum, quia Nazaræus erat. Sacra Scriptura 3. *Reg. 17.* Auctor de mirabilibus Sacræ Scripturæ *lib. 2. cap. 15.* Abulensis *in 3. Reg. 17. q. 16. & 21.* Franciscus à Sancta Maria *in histor. prophet. Hispan. lib. 1. cap. 13.*

Annus mundi 3124. ante Christum 929.

Anni huius historia.

1 

RAT hoc anno nouus Princeps Assyriorum Ophratanes, siue Ophratenes ob decessum Ophratæi. Et circa idem tempus cum quidam vir nomine Hiel ausus reædificare vrbem Iericho, induxit super domum suam maledictionem illam, quam Iosue fulminauerat contra illam reædificantem, *Iosue 6. v. 26.* dicens: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit Iericho, in primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius.* Ita enim adimpletum est. Etenim vt primùm vrbis fundamenta iacere cœpit, decessit Abiram primogenitus eius, & quando posuit portas, mortuus est Segub postremus filius, vt vel sic discerent homines superiorum suorum anathemata pertimescere.

Sacra

Sacra Scriptura 3. *Reg.* 16. Eusebius *in chronic.* Augustinus Torniellus *in Annalibus to.* 1. *ann. mundi* 3124.

2 Elia autem nostro in Carith hoc tempore absconditè manente, fameque ob pluuiam impeditam iuxta verbum ipsius populum Israël valde affligente, cum sanctitatis illius, & miraculosæ pluuiæ detentionis fama per terras volitaret, viri aliquot pij timore Dei, & Idololatriæ abominatione excitati ad eum accedebant, eo animo, vt sub eius doctrina in cultu veri Dei persistere possent, & Idololatriæ prauitatem, si à Regibus Achab, & Iezabele ad eam sectandam cogerentur, euitarent. Hac igitur occasione nactus Elias ipsos non solùm in veri Dei cultu firmare studuit, sed etiam in eremitica, & monastica vita, quam ipse primus hominum in ea torrentis Charith spelunca inchoauerat, & iuxta formam vitæ Religiosæ, trium scilicet votorum obedientiæ, paupertatis, & castitatis, quam ei Deus eo loco inspirauerat, instruere, & informare disposuit: quos etiam docuit prophetare, id est, ad laudem Dei cantica, hymnos, & psalmos cum musicis instrumentis diu, noctuque decantare. Hæc habentur ex Ioanne Ierosolymitano *dicto lib. de Institut. Monachor. cap.* 1. *& præsertim* 10. quem alij tum veteres, tum moderni Ordinis Scriptores secuti sunt, & Salianus *sub hoc anno num.* 9. quod & perdoctè prosequitur *num.* 10. Ioannes ergo id testatur his verbis: *Denique Elias in monastica vita eremitica, quam primus hominum à proposito inchoauerat, successores post se relinquere disposuit. Qui vt Pater primus monachorum fieret, in suos discipulos elegit quosdam viros, qui idcirco ad ipsum in solitudine torrentis Carith tunc latentem confugiebant, ne per Regem Achab, & Reginam Iezabel cogerentur, sicut & cæteri populares adorare Baal. Viri quippe isti timore Dei repleti cernentes Eliam ita verbo Domini tunc continere Cælum, quod pluuiam non dabat super terram, ad eum tanquam ad Dei cultorem accedebant occultè in solitudine Carith, vt sub eius doctrina in cultu veri Dei persistere possent, & Idololatriam vitarent. Hos itaque Deo deuotos viros Elias secundum formam à Deo ei traditam habuit suæ monastica vita primos discipulos, & imitatores veros, quos etiam docuit prophetare, id est, ad laudem Dei cantica, hymnos, & psalmos cum instrumentis musicis cantare.* Quamuis autem nec S. Scriptura, nec Ioannes in libro relato explicent, quinam fuerint hi deuoti viri, qui ad Eliam instructionis quærendæ causa accesserunt, ex alijs tamen auctoribus habetur ipsos (aliquot saltem) fuisse ex antiquis Samuelis discipulis Prophetis nuncupatis, & in cuneis seu Collegijs ab ipso institutis collocatis, de quibus 1. *Reg.* 10. & 19. etsi enim ipsorum plurimi impiæ Iezabelis gladio interfecti

Elias informat discipulos.

fecti essent, vt propterea Elias 3. *Reg.* 19. coram Domino conquereretur, quòd gladio occisi essent, & ipse solus derelictus, quia tamen ex 3. *Reg.* 18. constat centum ipsorum Abdiæ pietate conseruatos esse, ideo ex illis, vel alijs, qui mortem effugerant, hos deuotos viros fuisse existimandum, iuxta dicta *in Apparatu c.* 4. *n.* 5.

In vitæ Religiosæ obseruãtia, & quomodo.

3 Hanc verò vitæ formam, quam Ioannes dicit Eliæ *à Deo traditam*, & in qua instruere disposuit hos primos discipulos, fuisse vitæ Religiosæ obseruantiam per tria essentialia vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis in eremo exercendam, iuxta modum sanè quo in Lege veteri id potuit esse, colligitur ex eodem Ioanne in præcedentibus capitibus eiusdem libri, præsertim *cap.* 3. 4. & 5. vbi habet Deum illis verbis: *Recede hinc & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, &c.* hæc illi demonstrasse. Paupertatem quidem illis, *Recede hinc*, scilicet vt *terrenis possessionibus tui generis, & caducis mundi diuitijs cor tuum non apponas*. Obedientiam illis: *Vade contra Orientem*, videlicet *post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere, eam prorsus relinquens, & Superioris recto arbitrio vsque ad mortem propter me humiliter te submittens*. Castitatem autem illis: *Et abscondere in torrente Carith*, quia (inquit) *Carith diuisio interpretatur, quia expedit ad tui propheticam perfectionem, vt ita absconsus & diuisus sis ab humano consortio, quod etiam mulieri non coniungaris coniugio*. Eremi autem, seu solitudinis incolatum ex eodem verbo *Carith* colligit idem auctor: *Abscondere* (inquit) *in torrente Carith, nolo enim te vlterius morari inter turbas in vrbe, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate*. Eadem ferme Ioannes Soreth *in exposit. Paranet. Regul. Carmelitar. in præfat.* & alij. Vide dicta *in Apparat. c.* 4.

Inchoatiuè solum.

4 Hoc autem loco, hacque occasione primùm Elias suam veluti Religiosam familiam cum his primis discipulis inchoare cœpit, non quidem illam eo loco perfectè instituendo; cum aptus non esset vitæ Monasticæ exercendæ, sed eam veluti delineando, & adumbrando, quam postea loco commodiori, Carmelo scilicet expressiùs instituturus erat, prout fecit post duos annos, vt sub anno mundi 3127. dicemus. Hinc eius discipuli non Charithæ, sed Carmelitæ vocantur, vt aiunt Ioannes Ierosolymit. dicto *lib. c.* 17. & alij Historici Ordinis.

Erant Nazaræi.

5 Fuisse autem primos hosce Eliæ discipulos, & olim Samuelis Nazaræos, seu Nazaræi Ordinis, habetur ex Glossa ordinaria. 1. *Reg.* 19. circa illa verba de Saule dicta: *Prophetauit cum cæteris*, inquiens: *Isti Prophetæ Religiosi viri erant dicti Nazaræi, qui non bibebant*

bant vinum, & vacabant semper canentes hymnos, & psalmos. Qua etiam de causa vocantur *Religiosi* tam ab eadem Glossa hic, quàm à Lyrano 1. *Reg.* 10. in illa verba: *Obuium habebis gregem Prophetarum.* & 1. *Reg.* 19. in illa: *Qui cum vidissent cuneum.* & in illa: *Et expoliauit etiam,* ex eo scilicet, quòd in multis Religiosorum statum æmulabantur. Glossam sequitur Hugo Cardinalis *ibidem.* Cùm autem iuxta dicta *num.* 2. ex prædictis Samuelis sectatoribus sibi Elias in discipulos aliquos saltem elegerit, si illi Nazaræi erant, etiam Eliæ discipuli tales erunt. Cuius etiam signum est, quòd ipse, vt colligitur ex Ioannis Ierosolymit. *libro cap.* 7. & 9. à vino abstinuerit, eamque vitæ rationem discipulis obseruandam tradiderit. Vnde ipsum Eliam Nazaræum etiam fuisse latè probat Ægidius Camartus *de rebus Eliæ. cap.* 3. *sect.* 18. Elisæus quoque ipsius primarius discipulus Nazaræus Domini erat, vt expressè habet S. Hieron. *in cap.* 8. *Ezechiel.* etiamsi caluitium haberet. Idem dicito de Rechabitis scholæ Elianæ alumnis, cùm constet ipsos à vino abstinuisse, Deique cultui consecratos fuisse. Idemque existimandum de alijs Prophetici Ordinis sectatoribus propter eandem rationem. Imò cum inter Nazaræos alij solùm ad determinatum tempus, alij verò perpetui fuerint, vt cum communi sententia tenet Cornelius *in Numer. cap.* 6. *vers.* 2. & nos diximus in *Apparat. cap.* 4. *num.* 21. existimamus ex ijs posterioribus fuisse Eliæ alumnos, prout habet Franciscus à S. Maria *in histor. Prophet. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 13. & *lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 17. & ante ipsum Cotia *in Chronic. Carmelitar. lib.* 1. *cap.* 7. dum agit de Nazaræis, doctè animaduertens ideo voluisse Eliam suos discipulos trium votorum vinculo, Legi tamen illi imperfectæ proportionato, constringi, vt essent perpetui Nazaræni, qui prius solùm temporarij fuerant, quod saltem de pluribus ipsorum certissimum autumamus. Quòd verò etiam Samuelis discipuli Nazaræi fuerint, diximus *in Apparatu cap.* 3. *nu.* 3.

Annus Mundi 3125. ante Christ. 928.

1 IRCA id tempus infaustas nuptias celebrabant Reges Iudæ, & Israel, vt earum pessimus exitus manifestè postmodum comprobauit. Iosaphat enim pius Rex Iudæ vxorem dedit filio suo Ioramo Athaliam Achabi improbi filiam, quæ postea maritum malè ambulare coram Domino fecit, & post eius mortem vniuersum regium semen impia fœmina extinguere conata est. Salianus *Nuptiæ infaustæ.*

anno mundi 3124. Discant ergo Principes nonnisi cum veris Dei cultoribus filios, & filias suas matrimonio iungere.

Reuelatio Eliæ facta.

2 Interim crescente siccitate, & fame in Israel ob defectum pluuiæ, siccatus etiam est torrens Carith, vbi Elias absconditus manebat, Deo sic prouidente, vt communis miseriæ particeps esset, ac proinde pro ipsa tollenda Dominum exoraret. *Factus est ergo sermo Domini* (per Angelum, vel interiorem visionem) ad eum dicens: *Surge, & vade in Sarephta*, oppidum scilicet Gentilium, mediterraneo mari proximum, inter Tyrum, & Sydonem situm, vt propterea *Sydoniorum* appelletur, *& manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te*, clanculum scilicet, & abscondite ne prodaris. *Surrexit ergo Elias, & abijt in Sarephta*, per medias vias regias incognitus, & forsan inuisibilis. *Cumque venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna*: erat enim pauper operaria ligna legens. *Et vocauit eam*, vtique edoctus à Deo, quòd ea esset, apud quam mansurus erat. *Dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam.* Cumque *illa pergeret*, promptè, & libenter, vt afferret, cognita ab Elia ipsius pietate, *clamauit post tergum eius* dicens: *Affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tua*, ne scilicet aquæ solus potus æstuanti ex itinere noceret. *Quæ respondit*, suam paupertatem manifestans: *Viuit Dominus Deus tuus* (non iurauit per Deos suos, sed per Deum Eliæ, quem nouerat Hebræum, vt ab ipso crederetur) *quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam*, id est, coquam, *illum mihi, & filio meo, & comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait: Noli timere*, mortem scilicet, quæ propter famem tibi imminet, *sed vade, & fac sicut dixisti*, coquens panem: *veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium* (quia sic citiùs & faciliùs coquitur) *panem paruulum, & affer ad me*, intellige in domo tua, ad quam tendo: *tibi autem & filio tuo facies postea*. Ne autem hoc videretur esse contra charitatem, quæ prius illam habenti, quàm alteri alij, cæteris paribus, consulere debet, subiungit: *Hæc autem dicit Dominus Deus Israël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.* Sic enim præmiare voluit Deus pauperculæ mulieris fidem, & liberalitatem: *quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ, & comedit ipse, & illa, & domus*, seu familia *eius, & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.* Deus enim miraculosè farinæ, & olei quantitatem creando augebat.

Miracula patratur.

Sacra

Sacra Scriptura 3. *Reg.* 17. Abulens. *ibidem* Salianus *in Annalib. sub hoc anno.* Expositores hic.

3 Eodem etiam anno patratum ab Elia nostro est nouum illud, & vsque ad id tempus inauditum miraculum de suscitatione pueri filij viduæ Sarephtanæ, quod sic narrat Sacra Scriptura 3 *Reg.* 17. v. 17. *Factum est autem post hæc*, scilicet post miraculum de multiplicatione farinæ, & olei, *ægrotauit filius mulieris matrisfamiliæ*, eiusdem videlicet viduæ, *& erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus*; quia deficiente respiratione extinguebatur. *Dixit ergo* vidua ad Eliam: *Quid mihi, & tibi vir Dei?* vel quod peccatum commisi contra te? *Ingressus es ad me, vt rememorarentur* coram Deo *iniquitates meæ*, quas olim commisi, & tuæ sanctitatis præsentia quasi luce tenebræ apparerent, *& interficeres filium meum*; Ad quam Elias ait: *Da mihi filium tuum*, vtique iam mortuum. *Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum, & clamauit ad Dominum, & dixit*: (Suauissima scilicet querela eximiæ fiduciæ, & familiaritatis cum Deo indice) *Domine Deus meus, etiam ne viduam, apud quam ego vtcunque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus*, inspirando scilicet, vel insufflando in ipsum, *& clamauit ad Dominum, & ait*, alternatim clamando, & procumbendo super illum: *Dominus Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius.* Et post tertiam orationem, tertiumque procubitum *exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit, tulitque Elias puerum, & deposuit eum de cœnaculo*, vbi patratum erat miraculum, *in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi: En viuit filius tuus.* Quo miraculo stupefacta mulier dixit: *Nunc in isto cognoui, quia Vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo*, quod scilicet nuncias nobis de vero solo Deo Hebræorum; *verum est*. Sacra Scriptura 3. *Reg.* 17. Abulens. & alij Expositores ibid.

Puerum suscitat.

4 Tradunt Hebræi hunc filium Sarephtanæ à mortuis suscitatum fuisse Ionam Prophetam, prout refert S. Hieronym. *in Prologo ad Ionam*; & Ioannes Ierosolymitanus dicto *lib. de Institut. Monachor. cap.* 12. & alij, quos referimus *sub ann.* 3127. *n.* 12.

Ionas Propheta.

Annus

Annus mundi 3126. ante Christum 927.

Fames magna 1 AM vehemens fames, tantaque annonæ penuria hoc anno in Israelis regno vigebat, vt Rex ipse Achab personaliter ex vna parte, & eius dispensator Regius Abdias ex alia Regiones sibi diuisissent, quærendo per fontes, & valles, si fortè inuenirent herbam pro equis, & mulis alendis, & ab interitu liberandis. Sacra Scriptura 3. *Reg.* 18. In quo etiam improbus, & prauorum Principum typus Achab ostenditur, qui tam solicitus pro equis, & mulis alendis, nullam de tot pauperibus, quos consumebat fames, curam habuisse videretur. Torniellus *sub ann.* 3124. *n.* 4. Salianus *sub hoc anno num.* 4.

Victoria contra Baalitas. 2 Accidit hoc anno mirabilis ille casus de victoria ab Elia contra Pseudo-prophetas Baalitas in monte Carmelo pro veri Dei cultu, & honore gloriosissimè reportata, quam Sacer textus refert 3. *Reg.* 18. Cùm enim, Deo sic iubente, Elias post Sarephtæ patrata miracula ostendere se vellet Achabo, vt pluuia esset super terram, & obuium in itinere haberet Abdiam Regiæ domus œconomum, eique dixisset, vt nunciaret Regi de aduentu suo, eoque modestè se excusante, (verebatur enim, quòd si tale nunciasset, & Spiritus Domini aliò transferret Eliam, ipse veluti nuncius falsus in manus Achab incideret) confirmaret autem Elias promissum, Abdias Regem monuit, qui in occursu Eliæ veniens in illa prorupit: *Tu ne es ille, qui conturbas Israël?* cui ille non minus animosè: *Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Quia tamen ijs dictis veluti conterritum Regem videbat, vt dicti veritatem periculo facto ostenderet, & regium animum aliquo modo pacaret: *Veruntamen* (inquit) *nunc mitte* (intellige Regias literas tuas) *& congrega ad me vniuersum Israël in monte Carmeli, & Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, Prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel.* Congregari autem eos voluit in monte Carmeli, quia is non procul erat à Sarephta, vnde discesserat, vel quod magis arridet, quia ipsum pro sui, & Ordinis ab ipso instituendi mansione elegerat in Carith, vbi prima eius delineamenta posuit, vt diximus *sub anno* 3124. *num.* 4 vel tandem, quia Carmelus erat antiqua ipsius habitatio, iuxta dicta *sub ann.* 3123. *num.* 9. & 10. Congregato ergo populo, & falsis Prophetis iussu Regis in Carmelo, ait illis Elias: *Vsquequo claudicatis in*

duas

duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum. Obmutescente autem populo, nec quidquam respondente, volens probare solum Deum Israël verum Deum esse, inquit: *Dentur nobis duo boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frusta cadentes ponant super ligna, ignem autem non supponant, & ego faciam* (id est, sacrificabo) *bouem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam. Inuocate nomina Deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei, & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Hìc notant Hebræi ex Rabbi Salomone (prout referunt Liranus, Abulensis, Carthusianus, & Gaspar Sanchez) bouem, quem Baalitæ pro Sacrificio sibi elegerant, ab illis fugisse quasi dedignatum dæmoni immolari, & ad Eliam confugisse, ab ipsoque illis traditum, vt aræ imponeretur. Acceptante autem populo conditionem, & ex pacto Baalitis inuocantibus Deum suum de mane vsque ad meridiem, nulloque respondente, Eliaque illis insultante, cum ignis non caderet supra ipsorum holocaustum; dixit Elias omni populo: *Venite ad me, & accedente ad se populo curauit Altare Domini, quod destructum fuerat.* Quod sic exponit Cornelius hic: *Dico ergo Eliam, vt populum auocaret ab altari, & cultu Baal, iam ante instinctu Dei erexisse altare in monte Carmelo, & ad illud populum conuocasse, vt in eo Deo vero sacrificaret; quare Iezabelem & Baalitas Elia indignantes hoc eius altare destruxisse; Eliam vero illud hic rursus erexisse, & instaurasse.* Hinc collige vulgatum Eliæ habitaculum fuisse Carmelum, etiam ante hoc tempus. Sequitur textus: *Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, ad quem factus est sermo Domini dicens: Israël erit nomen tuum. Et ædificauit de lapidibus Altare in nomine Domini, fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu Altaris, & composuit ligna, diuisitque per membra bouem; & posuit super ligna, & ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum & super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundò hoc facite. Qui cum fecissent secundò, ait: Etiam tertiò idipsum facite. feceruntque tertiò, & currebant aquæ circum Altare, & fossa aquæductus repleta est.* Hoc fine scilicet, ne suspicaretur populus illic absconditum fuisse ignem. *Cumque iam tempus esset, vt offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta ait: Domine Deus Abraham & Isaac, & Israël ostende hodie, quia tu es Deus Israël, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me, vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus. & tu conuertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.*

bens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. S. Script. 3. *Reg.* 18. & ibid. Expositores.

Hebræorum traditio.

3 Fabulatur hîc (antequam ad alia pergamus notandum) Rabbi Salomon Eliam cùm tantum alueum aqua in hydria allata implere non posset, fecisse vt pars aquæ ex hydria à se effusæ manus suas attingeret, itaque nouo miraculo ex Eliæ manibus, quasi è duobus fontibus aquas largissimas emanasse, quæ totum alueum implerent, ideoque 4. *Reg.* 3. 11. dici ab Elisæo, in Eliæ manus aquam effusam. Hoc ergo explodendum figmentum ex Hebræorum officina extractum eò credimus, quòd Elisæus eo tempore non erat in comitatu Eliæ, sed postquam ex Horeb reuertebatur ad Israëlem, vt ex dicendis compertum erit. Nec Eliæ eximia sanctitas fictis miraculis veluti adminiculis eget. Eliam porro tantam aquæ copiam circa altare effudisse, ne quis putaret eum sub altari abscondisse ignem, ac proinde ignem ab eo è Cœlo euocatum non è Cœlo descendisse, sed in terra ab eo absconditum, inde in altare more suo ascendisse, audi S. Chrysostomum homilia de Petro, & Elia, quam ex Metaphraste recitat Surius die 1. Augusti: *Attende quod dicturus sum, vidi enim ipse quod dicam. In Idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiore parte altaris, & fouea quadam obscura: descendunt autem erroris artifices in foueam illam, & ex foraminibus ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita vt multi decepti ignem illum cœlestem existiment esse. Ne igitur & Elias in suspicionem veniret, quòd & ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, vt aqua illa nulla esse infra altare foramina ostenderet; vbi enim aqua foramen inueneris, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat necesse est.* Illud tamen non prætermittendum (vt ad Rabbinicam illam Salomonis traditionem redeamus) admitti posse, eo excluso quod Elisæus tunc aquam fundens super manus Eliæ dicatur, cum id figmentum sit, iuxta dicta. Illud enim textus: *Et currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est*, maximam aquæ copiam denotare videtur ex ipsis Eliæ manibus profluxisse. Quî enim tam paucæ hydriæ aquæ alueos efficere, & magnam fossam implere abundè possent (inquit Salomon) nisi quia aqua ipsa Eliæ manus primò tangens, inde sic diuinitus aucta effflueret, vt affluens & redundans per altare, & fossam cerneretur? Fauet huic Hebræorum placito, quod dum vulgatus noster loco adducto habet: *Fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris*, ex Hebræo sic legat iste Salomon: *Fecit in circuitu altaris fossam quinquaginta cubitos patentem*. Tam grandis enim

seu

seu profunda cauerna impleri duodecim aquæ hydrijs neutiquam posset.

4 Egregia hac victoria contra Pseudo-prophetas Baal à Deo Eliç data animosior ipse factus, & feruentissimo eo diuinæ gloriæ, qui in eius pectore ardebat, zelo incensus optimam ratus occasionem ait ad populum: *Apprehendite prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis.* Obediente autem populo, & vel ipsorum odio, vel Eliæ timore perculsi certatim inuaserunt eos. *Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison* (qui pene ad radices montis Carmeli excurrit) *& interfecit eos ibi.* Vt primus in veteri Lege fidei Inquisitor, vel (si titulus non arrideat) vt eximius ac acerrimus diuini cultus propugnator contra hæreticam, & Idololatricam prauitatem, & in vindictam sanguinis Prophetarum, quem impia Iezabel his annis effuderat. Sacra Scriptura 3. *Reg.* 18. Sulpitius Seuerus *in sacra historia l.* 1. & Expositores. Occisio idolorum.

5 Sumpto iam de impijs sacrificulis, & Pseudo-sacerdotibus supplicio sciens Elias Deum iam placatum esse, velleque in terram pluuiam desideratam emittere, ait ad Achab, qui testis fuerat necis impiorum in torrente factæ: *Ascende*, in Carmelum scilicet vel aliū locum aptum ad quiescendum, *comede, & bibe* lætus, & securus, *quia sonus multæ pluuiæ est.* quo faciente, *Elias ascendit in verticem Carmeli* (descenderat enim prius ad torrentem) *& pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*, in signum humillimæ, & feruentissimæ orationis, *& dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare* (est enim Carmelus supra mediterraneum mare) *Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. & rursum ait illi: Reuertere septem vicibus. In septima autem vice, ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Quo cognito Elias ait illi: *Ascende, & dic Achab: Iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia. Interim facta est pluuia grandis.* & Achab abijt in Iezrael vnam ex ciuitatibus sui Regni, præeunte Elia illuc etiam à Deo misso 3. *Reg.* 18. Torniellus *sub anno* 3124. *num.* 4. Salianus *sub hoc anno.* De huius nubeculæ mysterijs, & qualiter per ipsam Eliæ denunciatus fuerit ortus Augustissimæ Virginis Mariæ, eiusque immunitas ab originali labe, legi potest Ioannes Ierosolymitanus libro relato c. 32. 33. & 34. de quo & nos *sub anno mundi* 4037. & sequentibus, ac *sub annis* 4042. & 4086. Qualiter etiam in hoc loco, vbi Eliæ puero (scilicet Giezi) nubecula illa paruula visa est ædicula eidem Deiparæ à Carmelicolis dicata, & vsque ad præsens tempus superstes sit, dicenda in 2. To. monstrabunt. Ostenduntque Pluuiam promittit.

que fidæ relationes ab ijs, qui eum Carmeli locum inuiserunt, datæ.

Iezabelem fugit.

6 Cùm autem audisset Iezabel ab improbo consorte Achab, quæ fecerat Elias, & quomodo vniuersos Baal Prophetas gladio occidisset, iracundia fœminea feruens misit ad illum nuncium dicens: *Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnius ex illis*. Excæcauit sanè Deus mentem mulieris, aliter enim non nuncium ad eum monendum de morte, sed satellites ad eum capiendum, & occidendum misisset. Elias autem timuit, & surgens ex Iezrael vbi erat, *abijt quocunque eum ferebat voluntas*, latebras scilicet, & abscondicula quæritando. Sabbato id contigit, prout Beauxamis *in Harmon. Euangelic. tom. 2. circa illud Ioann. 5. Sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum fol. mihi* 275. testatur. & sic *venit in Bersabea Iuda*, vrbem scilicet valde remotam, & in finibus australibus Terræ Sanctæ. Suam autem vitam conseruare tunc voluit, quia ad plura alia pro Dei gloria, & populi vtilitate necessariam esse sciebat. 3. *Reg.* 19. Franciscus de S. Maria *in historia prophetica Hispana l.* 1. *c.* 19.

7 Illud præterea non prætermittendum, huius insignis historiæ de Eliæ sacrificio cælitus igne misso absumpto vsque ad hæc nostra tempora, quando hæc scribimus, perseuerare memoriam. Vt enim ex fida quorundam nostri Ordinis Patrum ex illustriss. Discalceatorum Congregatione S. Eliæ nuncupata, relatione accepimus, in Carmeli summitate versus Nazareth respiciente duodecim lapides circa altaris locum videntur literis Hebraicis inscripti, illos ex quibus ædificatum fuit indigitantes. Eosdemmet esse traditur, quod vix sine insigni miraculo asseuerari potest. Forsan diuersi erunt, à fidelibus tamen loco aliorum, ne tanti prodigij memoria periret, suppositi. Ergo iudicio prudentum res dimittenda.

Annus mundi 3127. ante Christum 926.

Iosaphati magnificentia

1 

PIETATEM Iosaphat Regis Iuda hoc tempore honestabat Deus. Admodum enim diues, & inclytus factus est, magnificas ædes, & palatia, ac vrbes munitas ædificabat; vndecies quoque centena, & sexaginta hominum milia, id est, vnum millionem, centum, & sexaginta hominum millia virorum bellatorum ad quemcũq; belli euentũ in paruo Regno Iuda, & Ierusalẽ habebat. Sic enim sui cultores honorare solet iustus Deus. 2. *Paralip.* 17. Salianus *sub hoc anno num.* 1. & 2.

Elias

2 Elias noster interea dum fugiens Iezabelem in Bersabeæ Iuda venisset, dimisso ibi puero (quem filium Sarephtanæ viduæ fuisse tradit Abulensis) *perrexit in desertum viam vnius diei*, in illud scilicet, in quo peregrinati fuerunt filij Israel ab Ægypto egressi. *Cumque venisset, & sederet subter iuniperum, petiuit anima sua tædio vitæ tam ærumnosæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine* (supple viuere) *neque enim melior sum, quàm patres mei*. Itinere ergo lassus *proiecit se, & obdormiuit in vmbra iuniperi; & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede*. Expergefactus ergo *respexit, & ecce ad caput suum subcineritius panis, & vas aquæ*, quod creditur fuisse quotidianus victus tanti Prophetæ. *Comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit*. Tuncque *reuersus est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexit, comedit, & bibit*, residuum videlicet illius, quod primò ab Angelo receperat, *& ambulabat in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb*. non recta quidem via, sic enim multo citiùs illuc peruenire potuisset, sed per deuia, ac tortuosa itinera, vtpote latebras quærens. *Cumque venisset illuc, mansit in spelunca*, credens ibi commodissimum esse ad latendum locum, & minas Iezabelis fugiendas. *& ecce sermo Domini*, seu Angeli nomine Dei ad eum, dixitque illi: *Quid hic agis Elias?* quasi redarguens ipsum, eo quòd non maneret in regno Israel. *At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, occidendo videlicet Prophetas Baal, & lucorum, *quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus* (intellige, qui palam, & publicè honorem Dei tueatur, & futura prædicat) *& quærunt animam meam, vt auferant eam*. Tunc dictum est illi: *Egredere & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus & post spiritum commotio, non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elias? & ille: Zelo zelatus sum &c.* sicut prima vice dixerat. Tunc ait illi Dominus: *Vade, & reuertere in viam tuam*, à meridie scilicet versus Septentrionem *per desertum* (longo videlicet, & multorum dierum itinere per Regiones Ammonitarum, & Moabitarum, ac montem Galaad) *in Damascum. Cumque perueneris illuc, vnges Hazael Regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges Regem super Israël. Eli-*

Elias venit in desertum.

Postea in Horeb.

Quid illi acciderit.

ſæum autem filium Saphât, qui eſt de Abelmeula, vnges Prophetam pro te, id eſt, *in ſucceſſorem tuum*; ſeu Præpoſitum Prophetarum & Collegiorum ipſorum, vt habetur ex Abulenſi 4. *Reg.* 2. *q.* 11. Proſequitur: *Et erit, quicunque effugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicunque effugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſæus.* Domini ergo intentum in hac viſione, verbiſque relatis videtur fuiſſe auferre ab Elia timorem, quem de Iezabele conceperat, & oſtendere illi iudicia ſua, quibus tam ipſum, quàm alios ſui cultores defendere decreuerat. Propterea enim *Eccleſiaſtic.* 48. *v.* 7. dicitur de Elia audijſſe in Horeb *iudicia defenſionis.* Idcirco etiam ſubiunxit Deus ſe derelicturum in Iſrael ſeptem millia virorum, *quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* Sacra Scriptura 3. *Reg.* 19. Ioſephus *l.* 8. *antiquitat. c.* 7. Ioannes Ieroſolymitanus *dicto l. c.* 18. Abulenſis *in* 3. *Reg.* 19.

Obtemperat Deo.

3 Ergo Elias deinde à Deo animatus, ipſius præceptum impleturus profectus ex loco illo Damaſcum per viam, qua Dominus illi præceperat, Hazaelem in Regem Syriæ, & Iehu in Regem Iſrael vnxit, id eſt, futuros poſtea in Reges vngendos denunciauit. Hoc namque pacto explicat præfatus Ioannes eo *cap.* 18. hanc vnctionem ab Elia faciendam. Cæterùm vel hoc ſaltem modo illos vnxiſſe, etſi Sacra Scriptura hoc loco non exprimat, procul dubio credendum, quia Eccleſiaſtic. 48. *v.* 8. dicitur de ipſo vnxiſſe *Reges ad pœnitentiam*, id eſt, ad pœnam, & vltionem impiorum, nec par ſit credere impoſitum ſibi à Deo præceptum executioni non mandaſſe. Abulē. 3. *Reg.* 19. *q.* 21. Genebrardus *l.* 1. *Chronol. in Achab.* Torniellus *ſub anno* 3124. & Gaſpar Sanchez *in* 3. *Reg.* 19. *verſ.* 16.

Reperit Eliſæum.

4 Quod ad Eliſæum ſpectat, *profectus inde*, id eſt, ex Horebi montis ſpelunca *Elias* dum iret in Damaſcum, vel forſan in reditu, cùm iam eſſet in terra Iſrael tutus ex Dei reuelatione ab ira Iezabelis, *reperit Eliſæum filium Saphat* in agro oppidi Abelmeula *arantem in duodecim iugis boum*, in cœtu videlicet 12. aratorum, *ipſe* enim *in* 12. *iugis boum arantibus vnus erat. Cumque veniſſet Elias ad illum, miſit pallium ſuum ſuper illum*, diſcipulum, & ſectatorem ſui, ac Prophetam poſt eum ipſum declarans, imò eiuſdem ſocietatis, & vitæ, ac Inſtituti participem, vt rectè Sanchez ſupra *verſ.* 19. §. *Quid ergo*, propterea ſubdens: *Vnctio fecit Prophetam Eliſæum, pallium autem contubernalem, & Monachum. Qui* (Eliſæus) ſtatim intelligens quid illo ſigno ſignificare vellet Elias, mundum ſcilicet, patriam, parentes, & temporalia bona ſibi relinquenda, *relictis bobus cucurrit poſt Eliam.* Recordatus autem parentum ſuorum, à quibus inſalutatis diſcedere inurbanum videbatur, ait ad Eliam: *Oſculer obſecro patrem meum, & matrem*

matrem meam, & sic sequar te. Cumque iusta & humilis esset postulatio, annuit Propheta dicens: *Vade, & reuertere* (intellige ad salutandos parentes) *quod enim meum erat, feci tibi.* Elisæus autem vocationis factæ memor, ad demonstrandum scilicet se libenter priori vitæ, modoque viuendi renunciare, *tulit par boum*, in quo scilicet arabat, *& mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo*, intellige in conuiuium, *& comederunt, consurgensque abijt, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.* S. Scriptura 3. *Reg.* 19. Abulens. *q.* 24. 25. *&* 26. Sanchez *supra*.

De prima Ordinis Institutione & Fundatione. 1



5 AB hoc anno & tempore Prophetici, Eliani, & Carmelitani nostri Ordinis primordialis origo, & institutio meritò desumenda est. Postquam enim sanctus Dei Propheta noster Patriarcha Elias ex Horebi spelunca Dei iussu discessisset, Damascum pro Hazaelis Regis vnctione perrexisset, Israelem quoque (iam securus ab ira Iezabelis, quam Deus mitiorem fecerat) Iehu in Regem denunciando peruasisset, ac tandem Elisæum in Prophetam pro se vnxisset, ipseque parentibus, patria, & bonis, quæ habebat, relictis eum secutus esset, à Deo doctus, & illuminatus studuit statim tum Elisæum ipsum, tum quosdam alios, quos iampridem à duobus annis, cùm in Torrente Carith à facie Achab absconditus lateret, in vita Prophetica veluti Religiosa, & eremitica instituere cœperat, secum in Carmelum montem ducere, in præfata Prophetica sanctiori, & eremitica vita denuò instruere, & ad ipsius obseruantiam verbo, & exemplo commonere. sic ferme ex historicis Ordinis. Quia tamen ipsi ex Ioanne Patriarcha Ierosolymitano antiquissimo Ordinis historico *in lib. de Institut. Monachor* hæc hausere, propterea quæ Ioannes ad hoc intentum scripsit, in medium proferre placet. Is ergo in dicto libro *cap.* 11. sic: *Cum autem de spelunca montis Horeb, in qua aliquamdiu manserat, fuisset Elias iussu Dei reuersus in terram Israël, ipse collectis in vnum discipulis suis in monte Carmeli, protinus studuit secundum formam à Deo sibi traditam denuò inducere eos ad obseruandam vitam monasticam.* Et *cap.* 19. sic: *Reuersus itaque Elias iussu Dei de spelunca montis Horeb in terram Israel, confestim instar auræ tenuis sibilauit, id est, conuocauit suos discipulos, & cæteros Dei seruos ad Deum d. inceps in regno Israel securè colendum, nuncians (sicut à Deo acceperat) quod eos in pace dimitteret Dominus persecutionibus eorum sedatis: Dere-*

Prima Ordinis origo.

Ioannes Ierosolymitanus

liqui mihi in Israël (inquit Dominus) septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum, osculans manum. Quia igitur ex tunc, & non antea fuit Eliæ & suis discipulis liberum in Regno Israel securè conuersari, studuit ipse deinceps Religionem quam inchoauerat in loco idoneo plantare, quoniam ad sui, & suorum discipulorum ingem mansionem elegit præ alijs eremis Carmeli montem, tanquam commodiorem ad Propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo edocendam, & exercendam. Approbat intentum inter plures alios, quos omittimus, Bartholomæus de Salignaco Protonotarius Apostolicus *in Itinerar. Ierosolym. to. 10. cap. 6.* inquiens: *Montem hunc* (scilicet Carmelum) *olim Prophetæ Sancti Elias, & Elisæus incolere soliti erant cum filijs Prophetarum, quorum successores sunt fratres, qui Carmelitæ vocantur.* Item Iacobus Salianus in Annalibus *sub hoc anno num. 23.* dicens: *Hinc autem non leuem accipit probabilitatem, quod scribit Ierosolymitanus Patriarcha Ioannes post reditum Eliæ de monte Horeb, videlicet assumptum Elisæum in discipulum, ac successorem, cùm Deo visum esset ipsum hinc abducere, etiam alios discipulos in monte Carmeli collegisse, eosque ad vitam religiosè traducendam, nominatimque ad laudes iugiter decantandas, vnde & prophetare dicebantur, instituisse, habitu à prophanis hominibus, cultu, conuersationeque distincta.* Plura etiam & pulchra ad hoc intentum Gaspar Sanchez *3. Reg. 17. num. 12.* Antonius Ferdinandez *de visionib. vet. Testam. vis. 9.* Iacobus Tirinus *in 3. Reg. 17.* Illustrissimus Archiepiscopus Vlyssiponensis Acuña *in 1. p. decret. ca. generalis dist. 54.* & alij.

Motiua Institutionis.

6 Motiua autem quibus sanctus Dei Propheta permotus hunc Ordinem, modumque viuendi instituere decreuit, prout ex Sacra Pagina, alijsque Doctoribus habentur, hæc fuerunt. Primùm, Dei vocationi seu inspirationi, qua ipsi id præcipiebatur, morem gerere: testante enim præfato Ioanne Ierosolymitano dicto *lib. cap. 2. Elias Religiosam, & Prophetalem vitam eremiticam sancto dictante, & mandante Spiritu inchoauit, & instituit.* Hoc autem Dei præceptum (præter internam sibi factam inspirationem) in illis etiam verbis agnouit: *Recede hinc, & vade contra Orientem, & absconde re in Torrente Carith.* illis enim (vt *sub anno 3124. num. 3.* diximus) trium votorum aliqualis obseruantia in eremo, & solitudine ab ipso amplectenda, & alijs monenda denunciabatur. An autem propterea de iure diuino eius Institutio sit dicenda, licet communiter nostri affirment; specialiter Philippus Ribboti *in Speculo Ordin. lib. 10. c. 5.* Ioannes Bacco inter scholasticos doctissimus *in compendio historiali particula 7.* & alij post ipsos; cautius tamen est ab hoc modo loquendi ab-

di abstinere & dicere, quod licet huiusmodi Propheticæ Religionis Institutio respectu Eliæ, & Elisæi fuerit de iure diuino particulari præcipiente, hoc est, ex diuina ordinatione ipsis intimata, seu inspiratione illis facta, quia solùm Eliæ vt eam institueret, & Elisæum vocaret, à Deo præcipiebatur; respectu tamen aliorum dumtaxat de iure diuino consulente, & approbante sit dicenda, ad instar suo modo, quo de Religionis statu in Lege Euangelica loquitur Suarez *3. to. de Relig. l. 3. c. 2.* ex S. Thoma, Vvaldensi, & alijs.

7 Secundum dictæ Institutionis motiuum amor fuit, & desiderium vitæ contemplatiuæ à se, & alijs exercendæ. Testante enim præfato Ioanne Ierosolymitano *cap. 2.* dicti libri, ***obtentu contemplationis diuinæ***, hanc vitam Elias instituit. Ad cuius etiam contemplationis exercitium præcipuè accensus creditur ex visione sibi à Deo in Horebi montis spelunca facta, vbi neque in spiritu grandi, & forti, neque in commotione, aut igne, sed in sibilo dumtaxat ***auræ tenuis*** (per quem contemplationis altitudo iuxta S. Gregorium *l. 5. moral. c. 26.* demonstratur) Deum esse, sibi ostensum fuit. Aliud motiuum.

8 Tertium fuit amor etiam & desiderium maioris perfectionis à se, & sectatoribus obtinendæ. ***Desiderio*** (inquit Ioannes *c. 2.*) ***sublimioris profectus &c. Religiosam, & Prophetalem vitam eremiticam &c. instituit.*** Quod Deus illis verbis illi dictis *3. Reg. 17. v. 3.* videlicet, ***vade contra Orientem, & abscondere in Torrente Carith*** suadere voluit, eodem Ioanne, *vt supra*, testante. Tertium.

9 Specialiter quartò in hac noui Ordinis Institutione voluisse videtur Elias, vt ea temporis occasione, qua impij Baalitæ Prophetæ Idolum suum superstitiosis cerimonijs colebant, prout vel ex eis, quibus in Carmelo coram Achabo vsi fuerant, discere poterat, pij sanctique Prophetæ vero Deo cultum verum psalmis, musicis, & cantibus deuotè exhiberent. Hoc enim fuit præcipuum ipsorum exercitium, in quo ab Elia edocti fuerunt, vt sub sequenti anno dicemus. Similiter cùm Regina Iezabel Domini Prophetas occidisset, vt veri Dei cultum in Israel omnino deleret, debuit è contrario Ordinem Prophetarum Elias instituere, qui præfatum Dei cultum psalmis, & citharis Deo iugiter canentes restaurarent. Hanc autem rationem tradit præfatus Ioannes *c. 17.* dicti libri. Quartum.

10 Quod autem Carmeli solitudinem præ cæteris Terræ Sanctæ eremis pro loco primario, & originali Ordinis elegerit, ideo fuit, non solum quia in eo loco fuerat iam primitus religiosè conuersatus, iuxta dicta *sub anno 3123. num. 9. & 10.* & per consequens experimento cognouerat aptissimum esse ad vitæ Religiosæ, & eremi- Cur in Carmelo.

ticæ exercitium, ſed quia mons ille ob illuſtriſſimam ab ipſo contra Idololatras Baalitas obtentam victoriam illuſtris valde & nominatiſſimus in Iſrael erat; locus etiam veluti ſacer habebatur, quod in ipſo publico ritu Deo ſacrificium immolaſſet (propterea enim eos non in Carmelo, ſed in Torrente Ciſon interficiendos curauit, ne ſcilicet Deo ſacrum locum prophanare videretur, vt habet ex noſtris Ioannes de Malinis in *Specul. Hiſtor. cap. 2.* Hoſtia quoque Deo ibi oblata igne cælitus emiſſo acceptabilis valde, & gratiſſima comprobata manebat. Voluit ergo montem illum nouo cœtu veri Dei Prophetarum à ſe inſtituto illuſtriorem reddere, vlteriùs conſecrare, & ad Deo iugem cultum exhibendum in perpetuum deſtinare. Loci etiam commoditas, & quòd ab vrbium frequentia ſeparatus eſſet, pro vita auſteriori eremitica exercenda iure optimo id poſtulabat, de quo pulchrè Ioannes relatus *cap. 19.* dicti libri ſic: *Quia igitur ex tunc, & non antea fuit Eliæ, & ſuis diſcipulis liberum in Regno Iſraël securè conuerſari, ſtuduit ipſe deinceps Religionem, quam inchoauerat, in loco idoneo plantare: quoniam ad ſui, & ſuorum diſcipulorum iugem manſionem elegit præ alijs eremi Carmeli montem tanquam commodiorem ad propheticam diſciplinam, & vitam monaſticam in eo edocendam, & exercendam. Mons quippe præbet Eremitæ homini ex ſua ſolitudine ſilentium, & quietem, ex ſuis antris congruam manſionem, ex ſuo ſaltu iucunditatem, ex ſuo eminenti ſitu aerem ſalubrem, ex ſuis herbis, & fructibus paſtum vberem, & ex ſuo fonte aquæ viuæ hauſtum dulcem, propter quæ omnia Elias in monte iſto non modò elegit habitare, verùm etiam domum orationi conſecratam, appellatam Seunion in eo ædificauit.* De huius ſacri montis deſcriptione, ſitu, finibus, fonte, ſaltu, & ſpeluncis, ac vrbibus vicinis ſæpius in ſequentibus noſter erit ſermo, ſpecialiter ſub anno 3236. interim videri poteſt Speculum Ordinis *lib. 3. c. 3.* & Franciſcus à S. Maria *in hiſtor. prophetica lib. 1. c. 8. à num. 8.*

Qui primi diſcipuli?

11 Qui autem fuerint primi Eliæ diſcipuli, cum quibus vt ſocijs primum hunc Religioſorum Prophetarum cœtum in Carmelo inſtituerit, operoſiùs inquirendum eſt. Et primò quod Eliſæus omnium illorum Anteſignanus, & veluti vexillifer, ac primus diſcipulus (etſi non tempore propter dicenda de Iona, dignitate tamen) fuerit, pro comperto habetur. Ipſius namque mirabilis vocatio, egregia facta, illuſtria miracula, & quod poſt raptum Eliæ Inſtituti Prophetici Pater deſignatus fuerit, hunc ei primatum iure concedunt. Hic, vt vidimus, ab Elia poſt regreſſum ad terram Iſrael de ſpelunca montis Horeb pallij impoſitione ipſius diſcipulus, & ſectator

ctator Carmelum vsque factus est. Adhæsit enim ex tunc Eliæ eidem ministrans non vt seruus domino, sed vt filius patri, discipulus magistro. Eius autem vocationem ab Elia factam ad monasticam & propheticam vitam fuisse comprobant ea, quæ superius diximus, & tradunt Ioannes Ierosolymitanus dicto *lib. cap.* 13. & alij historici Ordinis, ac de exteris Salianus in annalibus *sub hoc anno num.* 23. & 26. & Gaspar Sanchez *in* 3. *Reg.* 19. *num.* 66. cuius hæc sunt verba: *Postquam vnctione designatus esset Propheta per pallij communicationem ad eandem societatem & vitæ communicationem vocaretur*. Et inferius: *Vnctio igitur fecit Prophetam Elisæum, pallium autem contubernalem, & Monachum*.

12 Secundus Eliæ discipulus (etsi tempore primus) Ionas Propheta numeratur. Fuit autem hic Ionas filius illius mulieris Sarephtanæ viduæ, quem Deus Eliæ precibus à mortuis suscitauit, vt tradunt S. Epiphanius *in Histor. Prophetar.* Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Instit. Monach. cap.* 12. Isidor. Hispal. *lib.* 7. *etymolog. cap.* 7. *de Patriarch.* Dorotheus *in synopsi*, Lyra *cap.* 1. *in Ionam*, Rupertus, Haymo, Carthusianus & alij ibidem. Id etiam vt Hebræorum traditionem refert, & non reprobat S. Hieronym. *in Prolog. ad Ionam* quem plures sequuntur. Nec refert, quod hæc sententia communiter à modernis reijciatur, tum quia Ionas Hebræus fuerit, non Sidonius, aut Sarephtanus, tum quia aliàs nimis longæuus esset, quando prophetauit. Non enim propter hæc antiquorum Patrum traditio deserenda est, cum potuerit ex patre Hebræus, & ex matre Sidonius, aut Sarephtanus esse, & prophetare valde senex, vt suo loco, *sub anno scilicet* 3216. dicetur. De quo Franciscus à S. Maria *in histor. prophetica Hispana lib.* 2. *cap.* 18. Hic ergo Propheta dum puer esset à mortuis Eliæ precibus suscitatus, & ipsi à matre ex deuotione erudiendus traditus, eidem semper vt discipulus, & minister adhæsit, etiam in Carmelo, & propterea inter ipsius asseclas iure censetur à Ioanne Ierosolymitano, *vt supra*, & alijs Historicis Ordinis, quos de exteris alij sequuntur. Vide præter relatos Abulens. 3. *Reg.* 17. *q.* 31. Petrum de Natalib. *in Catalogo Sanctor. lib.* 3. *cap.* 26. Riberam in *c.* 1. *Ionæ*. Adrichomium *in Theatro Terræ Sanctæ in Tribu Asser num.* 71. Secundus discipulus.

13 Tertius fuit Michæas Propheta, non quidem ille Morastires, qui temporibus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda prophetauit, & in numero duodecim Prophetarum ponitur, sed alius ex patre vocato *Iembla*, qui his temporibus, Achab scilicet, Ochosiæ, & Ioram Regum Israël prophetiæ spiritu illustris claruit, de Tertius.

quo

quo in sequentibus. Adhæsit hic Eliæ, cum de spelunca montis Horeb iussu Dei reuersus fuit in Israël, vnde inter filios Prophetarum vnus erat. S. Epiphanius *vt supra*, Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. cap.* 14. Abulens. 3. *Reg. cap.* 20. *q.* 6. *&* 8. Gaspar Sanchez 3. *Reg. cap.* 20. *in fine*, & alij. Hos tres primos Eliæ discipulos simul cum Abdia, de quo nos *sub anno* 3138. numerat nobilis quidam Gallus auctor libri, cui titulus, *Les Estats, Empires, Royaumes, & Principautez du monde*, in Tractatu *de Origine Religionum*, affirmans etiam Elisæum cum suis discipulis habitasse (intellige magna ex parte) in Carmelo, Ionam cum suis in Sarephta, Abdiam in Samaria, alios in Galgala, Ierichο, & Ephraim, quæ verissima credimus, & conformia ijs, quæ suis locis inferiùs dicemus; Ioannes quoque Balæus Ordinis quondam alumnus, etsi postea improbus sectarius, eosdem Ionam, Abdiam & Michæam inter Eliæ, & Elisæi discipulos recenset *in Tractatu de suo Ordine*.

Alij. 14 Præter hos præcipuos, & primos Eliæ discipulos, fuisse etiam alios, quorum nomina ignorantur, hoc eodem tempore illi adiunctos ad vitam eremiticam in Carmelo sectandam, constat ex eodem Ioanne Ierosolymitano *dicto lib. cap.* 19. vbi affirmat, quòd reuersus Elias ex spelunca Horeb, *confestim instar auræ tenuis sibilauit, id est, conuocauit suos discipulos, & cæteros Dei seruos*, ad vitam scilicet eremiticam, *& iugem mansionem* in Carmelo, vt inferiùs exponit. Vnde Aubertus Miræus in Tract. de orig. Carmelitar. sic ait de Elia: *Postquam enim Dei iussu primogenitum suum, & ex asse paternæ laudis heredem Elisæum ex agri cultura euocatum sibi sociauit, plurimos alios excelsum, & à fluxis mundi curis exemptum vitæ genus affectantes (quos filios Prophetarum appellatos Scriptura Sacra demonstrat) in agmine illo primæuo recensuit.* Hi autem discipuli, & serui Dei procul dubio erant illi, qui ex antiquis Samuelis alumnis Iezabelis sæuitiam fugerant, & dum in Carith Torrente à facie Iezabelis absconditus lateret, cernentes quod verbo ipsius claudebatur cælum, ne plueret, ad eum accessere, vt in doctrina, & cultu veri Dei informarentur, quosque ipse eo loco primum in præfata vita instituit, & ad laudem Dei cantica, & hymnos cum instrumentis musicis cantare docuit, vt idem Ioannes *cap.* 10. *lib. præfati* asseuerat, & sequitur Salianus *sub anno* 3139. *num.* 9. de quo & nos *sub anno* 3124. *num.* 2. neque enim alios discipulos eo tempore habuisse constare potest. Vnde postea *cap.* 11. sic idem Ioannes: *Cum autem de spelunca montis Horeb, in qua aliquamdiù manserat, fuisset Elias iussu Dei reuersus in terram Israël, ipse collectis in vnum discipulis in monte Carmeli, protinus*

tinus studuit secundùm formam à Deo sibi traditam denuò inducere eos ad vitam monasticam; illa enim voce *denuò* manifestè denotatur, hos discipulos, quos in Carmelo monte congregauit, & ad vitam Monasticam sectandam induxit, reuersus ex spelunca montis Horeb, illos eosdem fuisse, qui primitus ab eo in Carith Torrente instrui cœperant. Vnde illos, etsi nobis nomine ignotos, inter primos Eliæ socios in Carmelo iure connumeramus. Quare autem filij Prophetarum appellati sint, sub anno sequenti dicemus. Quod verò ipsi Nazaræi fuerint, dicta *sub anno* 3124. *num.* 5. sufficienter comprobant.

15 Eliam porrò, Elisæum, & filios Prophetarum ipsius discipulos obedientiam, paupertatem, & castitatem etiam perpetuam, & ex voto obseruasse, vt propterea meritò Legis veteris Religiosi, quatenus in ea imperfecta Lege esse poterant, appellari possint, sufficienter, vt credimus, ostensum manet ex Patribus, Doctoribus, & alijs scriptoribus *in Apparatu ca.*4. fermè per totum, specialiter *à n.*6. vbi etiam ijs, quæ obstare videbantur, pro posse satisfecimus, simulque differentiam inter ipsos, & nouæ Legis Religiosos *num.*22. assignauimus, ac qualiter ea omnia sano modo intelligi deberent. Similiter quòd propterea ipsi Monachorum, vel Religiosorum, seu potius Monachismi, aut status Religiosi quadamtenus Principes, & Antesignani, specialiter Carmelitanæ familiæ Patriarchæ, & primi fundatores nuncupari iure debeant, ex plurimorum Patrum, Doctorum, & aliorum testimonijs pro viribus *cap.*5. & 6. *eiusdem Apparatus* ostendimus. De nominibus porrò ac titulis, quibus huius Eliani Ordinis Professores decorati sunt, & qualiter per illos vsque ad Christi Seruatoris tempora propagatus sit, *in eodem Apparatu c.*7. & 8. etiam diximus. Quæ autem supersunt circa Ordinis fundationem, animaduertenda, de primo videlicet Ordinis oratorio, seu sacello Eliæ, ac discipulorum exercitijs, mansionibus, seu Collegijs, filiorum Prophetarum nomine, gestis, & miraculis in sequentibus, prout occasio venerit, differemus, sicut sub anno Christi 34. quomodo in Deiparæ Virginis honorem, cuius typus fuit nubecula illa paruula Eliæ in Carmelo visa, hic Ordo ab Elia institutus fuerit. Qui modus vi ueudi.

Annus

Annus mundi 3128. ante Christum 925.

Regum gesta. 1 CHOZIAS Iorami filius, Iosaphati nepos, Rex Iuda hoc anno ex impia Athalia filia Achab natus creditur. Torniellus, & Salianus *in Annalibus sub hoc anno*. Pessimè se gessit hic in regni administratione, vt patet ex 2. *Paralipomenon* 22.*v*.3. vbi dicitur: *Ingressus est per vias domus Achab; mater enim eius* (videlicet Athalia) *impulit eum, vt impiè ageret*. Quo docentur fideles fugere coniugium infidelium fœminarum, quæ prolem ad impietatem lacte instillatam impellere solent.

Elia Oratorium. 2 Eo anno, vel circiter primum Ordinis Sacellum, seu Oratorium, in quo Prophetici Instituti alumni ad Dei laudes concinendas congregari possent, Elias ædificauit. Hæc verò orationis domus *Seunion* dicta fuit, *quoniam Elias, & eius discipuli de suis tabernaculis, & speluncis egredientes ad illam honestè tribus vicibus quotidie conueniebant, nõ quidem ad refectionem corporalem vel ad reliqua corporis ministeria peragenda; sed ad Creatorem omnium litaniis* (id est supplicationibus, à verbo Græco λιτανεύω, quod est *supplico*) *& orationibus suppliciter placandum, & vt vnusquisque eorum cum Propheta diceret: Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*. Sic fermè præfatus Ioannes Ierosolymitanus *in dicto lib. cap*. 19. & 21. consentiuntque reliqui historici Ordinis. Ex eo

Quæ in Oratorio agerentur. autem iure elici potest, in eum præcipuè finem inter alios hoc suum Institutum erexisse Eliam, vt *vespere, mane, & meridie*, quatenus per fragilitatem humanam liceret, Ordinis alumni Deo vacarent. Concurrebant etiam fideles ad hunc locum festiuis diebus, vt verbum Dei à Prophetis audirent, prout colligitur ex 4. *Reg*.4. *vers*.23. vbi Sunamitidem Carmelum adire volentem, vt Elisæum conueniret pro filij mortui suscitatione, maritus percunctabatur: *Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt calendæ, neque sabbatum*, iuxta dicenda inferiùs *sub ann*.3143. *num*.5. Vnde Suarez ex huius fœminæ facto infert 4. *tom. de Relig. Tract*.9.*lib*.2.*cap*.10. quòd in hoc monte Carmeli habebant Prophetæ *locum aliquem operibus Religionis, & diuini cultus destinatum*, Oratorium sanè istud Elianum.

Hebræorum traditio. Vt verò hæc clariora fiant, præmittenda est Hebræorum quædam traditio, quam inter alios refert Galatinus *lib*.1.*cap*.1. Statuunt enim duplex dogmatum genus, alterum *Tora scebichetab* nuncupatum, id est, Legem scriptam; alterum *Tora scebealpe*, id est, Legem tradi-

traditam, seu Legis explanationem, quam dicunt Deum Moysi simulcum Lege ipsa in Sinai monte tradidisse. Hæc verò explanatio Legis, quantum ex varijs Talmudicis, & Rabbi Moyse Ægyptio elicit ipse Galatinus, sic posteris communicata est. Moyses eam tradidit Iosue, Iosue Phinees, Phinees Heli, Heli Samueli, Samuel Dauidi, Dauid Achię, Achias Elię, Elias Elisæo, Elisæus Ioiadæ Pontifici, Ioiadas Zachariæ, Zacharias Osee, Osee Amos, Amos Isaiæ, Isaias Michææ, Michæas Ioeli, Ioel Nahum, Nahum Habacuc, Habacuc Sophoniæ, Sophonias Ieremiæ, Ieremias Baruch, Baruch Esdræ. Ad rem ergo nostram, Oratorium hoc Elianum locus procul dubio erat, vbi Elias Legis expositionem suis, præsertim Elisæo, tradebat, prout colligitur ex dictis, & indicat Suarez relatus, dum propterea Sunamitidem in Carmelum adire solitam fuisse dicit, *ad verbum Dei cum alijs audiendum à Propheta*. Et addit, quòd Prophetæ in Carmelo habebant *locum operibus Religionis destinatum*. Vide Lyranum 4. *Reg*.4. & Abulensem *ibidem quæst*.32. præsertim *quæst*. 30. vbi habet quòd in Calendis, & principalioribus festiuitatibus Hebræi conueniebant *ad Synagogas, vel ad loca, in quibus essent viri periti, qui docere possent de Lege*. Quemadmodum ergo alia Prophetarum Collegia, videlicet illud quod *Collis Dei* dicebatur 1. *Reg*.10. *vers*.10. appellabatur *Schola*, seu *Domus consessus*, prout ipsum vocant Chaldæus Paraphrastes, & Sanchez ibi, & aliud Collegium Naioth Ramatha vocabatur *Domus doctrinæ* ab eodem Paraphraste, & Collegium Masphat appellatur à Glossa 1. *Reg*.7. *Speculatio*, & domus illa, in qua Holda Prophetissa populum docebat 4. *Reg*.22. *vers*.14. nuncupatur *Domus doctrinæ*, seu *Schola* ab ipso Paraphraste, Glossa, & alijs iuxta dicenda *sub anno* 3412. pariter dicendum de hoc Eliæ Collegio, ijsdem scilicet nominibus appellari posse propter eandem causam. In hoc ergo Oratorio, vel Synagoga Carmeli populum diebus festis conuenire solitum tum orationis causa, tum vt Eliam, Elisæum, & similes concionatores audiret, præter relatos auctores tenet etiam Cornelius *in* 3. *Reg*.18. *vers*.42. §. *Hinc* & *Nicephorus*.

3 Hoc Eliæ Oratorium idem videtur esse cum eo, quod Genebrardus *in Chronol. lib*.1. *ann*.3284. ei erectum post raptum dicit. Ex eo autem credimus hoc Eliæ Oratorium *Seunion* appellatum, diuersum non fuisse ab eo, quod ei erectum Genebrardus dixit: quia de posteriori nullam inuenimus mentionem nec in Ioanne Ierosolymitano, nec alio ex nostris vel exteris auctoribus. Quare pro eodem habendum; & existimandum Genebrardum in eo solùm deceptum, quòd putet non ab ipso Elia, sed à discipulis post illius raptum Quale fuerit.
tum

tum fabricatum. Ab eo autem extructum fuisse præter Ioannem relatum tenent ex recentioribus Ægidius Camartus *de rebus Eliæ c. 5. sect. 4.* Fauet Sanchez 4. *Reg. 4. num. 15.* Boulducus *de Ecclesia ante Legem lib. 3. cap. 16. §. Et hæc est ratio, & §. Secundo ex eo,* vbi nomen *Seunion* satis congruè deriuari dicit à *Sennim*, seu tabernaculis quibusdam, quæ erant in tribu Nephtalim, vbi copiosa Prophetarum multitudo conueniebat, de quibus intelligit illud *Iudic. 4. vers. 11.* de Haber vno ex Cinæis Prophetici Ordinis prædecessoribus, *& tetenderat tabernacula vsque ad vallem, quæ vocatur Sennim.* A qua etiam *Seunion* voce deriuari quoque videtur *Semmea*, quæ Essenorum Ordinis eiusdem cultorum Oratoria designabat, prout habetur ex Philone *in lib. de vit. contemplat,* & Eusebio *lib. 2. Hist. Eccles. cap. 17.* qui tamen id nomen à *Semmon*, quod significare dicit *honestorum conuenticulum*, deriuari existimat. Nicephorus verò *lib. 2. cap. 16.* putat eam vocem significare *honestatis & grauitatis locum.* sed hæc in idem recidunt. Sententiam porrò Genebrardi, *vt supra*, asserentis Oratorium hoc ab Elianis Patriarchæ Eliæ erectum fuisse, eatenus veram putamus, quòd existimemus idem Oratorium, quod ab ipso Elia, eiusque discipulis primitus extructum erat, post eius raptum à discipulis in eius nomine dedicatum fuerit. Sic enim Genebrardi mentem veluti exponit vir doctus Aubertus Miræus *in tractatu de origine Carmelitarum,* sic dicens de Prophetarum filijs Eliæ discipulis: *Qui eius domum post raptum in Oratorium tanti Vatis nomine decoratum in Carmelo dedicarunt.* In hoc vigebat Oraculum, de quo Suetonius *in Vespasiano cap. 5.* eodem Genebrardo testante: in eo quoque Pythagoram philosophasse dicemus *sub ann. 3515.*

Ibi iugiter manserunt Eliæ discipuli.

4 In hoc autem Eliæ Oratorio, vel alio Carmeli loco, prout commoditas, necessitas, vel rerum vicissitudo postulabat, præfatos Eliæ discipulos continua, & perenni vsque ad Christi aduentum successione perdurasse, præterquam historiæ nostræ discursu ostendetur, præter dicta etiam *in Apparatu cap. 8.* alijs etiam fundamentis, & Auctorum testimonijs comprobatur. Et primò id colligitur ex verbis Summorum Pontificum Sixti IV. Iulij II. & Gregorij XIII. præsertim, qui in Diplomatibus relatis *in Apparatu cap. 6.* dicunt Carmelitas *successionem hereditariam* tenere ab Elia, Elisæo, & alijs Patribus, *qui montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt.* Ijs enim denotatur successionem hanc non solùm in Instituto, sed & in loco, Carmeli scilicet, fuisse, & cùm vocetur *hereditaria successio*, quæ est idem, ac continua, iugis, & perpetua, indicatur ipsos, vtpote Eliæ successores, in eo loco continuè, iugiter, & perpe-

perpetuò mansisse. Secundò id etiam elicitur ex constanti, & perpetua Ordinis traditione, qua semper hoc fuit receptum. Cuius testis est informatio per Bernardum Olerium Ordinis Generalem circa ann. 1376. facta, & Papæ præsentata per Cardinalem Petrum Corsinum S. Andreæ Corsini consanguineum, quæ habetur cum *Speculo Ordinis fol. 53.* vbi de hoc puncto sic dicitur: *Doceri potest ex documentis, & traditionibus antiquorum Patrum dicti Ordinis venientium de Terra Sancta ad partes cismarinas. Ipsi enim successores suos, quos citra mare ad Ordinem duxerant, informarunt, & docuerunt, ac alijs subsequentibus in scriptis reliquerunt, quòd à tempore Eliæ, & Elisæi vitam eremiticam in monte Carmeli sectantium, alij viri deuoti primò filij Prophetarum, postea Religiosi eremitæ nominati, eorum vestigia sequentes iuxta fontem eiusdem montis in sancta pœnitentia vsque ad tempora Christi laudabiliter successerunt.* Vnde superuacaneum est omnes Ordinis Historicos pro hac re confirmanda adducere: cum enim communis omnium traditio sit, eamque suis scriptis cuncti posteris exaratam reliquerint, à Ioanne Ierosolymitano, qui primus ipsorum noscitur, numerando vsque ad vltimum necessarium non est singulos speciatim referre. Vnus tamen, ipseque grauissimus Thomas Vvaldensis magnæ auctoritatis Doctor singulariter referendus, quòd eius eximia doctrina magno apud Ecclesiam in pretio sit. Is ergo in *1. to. doctrinal fidei lib. 3. ar. 1. cap. 4.* loquens de filijs Prophetarum, discipulis Eliæ, & Elisæi, quos dicit mansisse in Carmelo iuxta Iordanem, in monte Ephraim, Galgala, Bethel, Ierusalem, Sarephta, Samaria, & Ierichunte, subiungit: *Mansit hæc Religio Prophetarum continuò vsque in aduentum Christi, & deinceps facti sunt Principes Religiosæ militiæ Christianæ.* Deinde *to. 3. tit. 9. cap. 89.* vt Vvicleпpho Ordinis nostri vetustatem neganti occurreret, Armacanum obiecit, qui *in sermone de conceptione B. Virginis Mariæ*, quem prædicauit Auenione in Conuentu Carmelitarum anno 1342. hæc dixerat: *Vt dicunt fide digna historia, à tempore Eliæ, & Elisæi, qui sæpius morabantur in monte Carmelo iuxta Nazareth Ciuitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines deuoti secretius habitare, vsque ad tempora Saluatoris, & tunc illi eremitæ prædicantibus Apostolis inter cæteros sunt conuersi.* Et sanè traditionem hanc valde veritati conformem esse nullus refragari potest. Cùm enim Carmeli loci sanctitas, miracula à Prophetis ibi patrata, deuotio erga sanctissimos viros Eliam, & Elisæum, qui eum incoluerunt, & commoditas, quæ in ipso erat, tum ad vitam eremiticam exercendam propter amœnitatem, solitudinem, & quietem, tum ad vitæ conseruationem,

Thomas Vvaldensis.

Traditio vera.

propter aërem salubrem, & ex herbis, & arbustis pastum uberem, & ex fonte aquæ viuæ haustum dulcem, homines pios, & deuotos, qui semper in illa Regione fuerunt, ad se alliceret, & inuitaret, omnis dubitationis causa auferri videtur. Scimus his temporibus, quãdo hæc scribimus, sub Pontificatu videlicet Vrbani VIII. non solùm ab aliquibus ex nostris, sed & ab impijs ex Sarracenorum secta hominibus *Santones* appellatis, propter adductam loci venerationem, & congruitatem inhabitari. Cur ergo id negabitur de toto tempore Synagogæ, in quo viri pijssimi nunquam defuerunt? Robur hæc accipient ex dicendis, vbi ostendemus tempore captiuitatum, immunes ab eis fuisse Carmeli incolas. Deinde tempore Iudith, constat ex libro ipsius *cap.* 1. fuisse *gentes in Carmelo*. Item circa *ann.* 3515. dicemus in eo philosophatum fuisse Pythagoram, non cum saxis, lapidibus aut arboribus, sed cum hominibus ibi degentibus, & in Eliæ Oratorio, de quo *num. præcedenti*, commorantibus. Præterea anno 77. ante Christum eò loci fuisse eremitas circa id tempus ostendemus. Accedit quòd in re obscura, antiquissima, & de qua nulla extant vetusta monumenta (cùm Carmelus ipse, qui erat veluti commune promptuarium, sub barbarorum manu sæpiùs venerit, qui Oratorium, & cuncta, quæ in eo erant, combusserunt, & fratres ibi assistentes interfecerunt) non requiritur maior demonstratio, quàm ea, quæ per traditionem, & testimonia relata nos adduximus. Quibus fauent plura Iurisprudentum dogmata, quæ affert Berthachinus *in Repertorio part.* 4. *verbo possessio*. Præcipua sunt hæc. Primum, *Possessio præsumitur ex titulo præcedenti*. Secundum, *Possessio continua probatur probatis extremitatibus temporis, quia medio tempore præsumitur*. Tertium, *Possessio præsumitur continuata per eum, qui in præteritum possedit, nisi contrarium probetur, scilicet quod alius postea possederit*. Quartum, *Possessio auctoris, & successoris præsumitur continuata*. Quintum, *Possessio præsumitur continuata tempore turbationis, & litis contestationis, quando actor probat de antiquiori*. Quæ omnia nobis in hac causa patrocinari omnes animaduertent, nec in eis amplius immoramur, cum historiam solùm texere, non autem iudicialiter rem tractare nostrum institutum sit. Sufficiat ergo nostri iuris fundamenta insinuasse.

Exteri auctores. 5 Propterea de exteris plures continuam hanc nostrorum in Carmelo successionem ab Eliæ tempore vsque ad Christi Seruatoris ortum recipiunt. Quales sunt Armacanus ex Vvaldensi à nobis *num. præcedenti* relatus, *vt dicunt* (inquit) *fide digna historia*, Vvernerus Rolevvink Carthusianus pergrauis auctor *in fasciculo temporum*

rum circa ann. 1291. his grauissimis verbis: *Nobilissima Acconensium ciuitate à Sarracenis destructa, demum Deiferæ Mariæ in Carmelo monasterium ad quatuor milliaria ciuitati vicinum ab eisdem igne crematur, fratribus inuentis in eo perfidorum gladijs trucidatis, & tunc (proh dolor!) Ordo Carmelititus mellifluum locũ ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ, & Elisæi Prophetarum per 2221. annos perstiterat.* Ioannes Trithemius Abbas Benedictinus magnæ auctoritatis vir *in lib. de laudibus Carmelitarum* (qui extat in Catalogis operum ipsius per Ioannem Duraclusium, & per Arnoldum Vionem apud Posseuinum in Appratu Sacro) *cap.2.* sic: *A tempore siquidem Eliæ, & Elisæi Prophetarum Dei vsque ad Christi natiuitatem plures montem Carmeli amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historijs apertè demonstratur.* Et vt Carmelitas eos fuisse demonstret, inferiùs subdit: *Vnde & vocabulũm loci, & Religionis recipere meruerunt.* Dixerat etiam priùs: *Si veterum testimonijs credendum est, post Eliæ raptum, & mortem Elisæi, filij Prophetarum per successionem generationis montem Carmeli inhabitantes, claris vacuum nunquam sinebant esse cultoribus.* Fauet Genebrardus *lib.4. Chronolog. circa ann.1180.* dicens: *Carmelitarum origo reperitur à Prophetis Elia, & Elisæo, qui Carmelum montem Terræ Sanctæ primi consecrarunt, & discipulos illic reliquerunt, quos Scriptura filios Prophetarum appellat.* Clarius id fatetur Carolus de Tapia *in authent. Ingressi cap.7. num.2.* dicens, Prophetas in Carmelo ab Elia vsque ad Ioannem Baptistam semper habitasse. Sequitur Augustinus Torniellus *to.2. Annal. sub anno 3139. §.2. in impressione Antuerpiensi 1620.* vbi post dubiam rei disquisitionem sic tandem manus dat nostris: *Et quidem mihi de hac re aliquoties cogitanti nihil probabilius in mentem venit, quàm si dixerimus fieri potuisse, quòd quemadmodum Samuel Propheta creditur auctor fuisse illius Congregationis Prophetarum, quæ erat in Ramatha, & in qua ipse tanquam illius Præfectus collationes quasdam Spirituales celebrare solitus erat (vt videre est 1. Reg.19. v.24.) ita Elias quoque aliquando aliam eiusmodi Prophetarum, siue Spiritualium virorum Societatem in monte Carmelo erexerit, atque erudierit, quæ postea ibidẽ vsque ad Messiæ Legis Euangelicæ tempora perseuerauerit.* Et Dominicus Grauina, qui *in lib.cui Vox turturis* titulus est, *part.2. cap.15.* de Carmelo, & Carmelicolis filijs Prophetarum sermonem instituens, hæc habet: *Quorum alij etiam in Galgala, alij in Bethel, alij in Iericho, alij in Samaria morabantur, orationi & contemplationi vacantes, ad quos Elisæus post Eliæ translationem, eiusdemque pallij receptionem se recepit, ex Lyrano. Permanserunt verò hi Prophetarum filij vsque ad tempora Apostolorum, ex Eusebio.*

Item Petrus Oxeda Iesuita *in informatione Ecclesiastica pro Immaculata Conceptione Virginis, fundamento primo,* referens Palæonydorum, Iosephum Antiochenum, Gilbertum Gemblacens. & Ioannem Ierosolymitanum. Indicat Laurentius Beyerlinck *in Theatr. vit. hum. to.6. litera R. verbo Religiosus Religio,* dum de Carmelitis loquitur sic: *Igitur vt Elias Religionem Carmeli inchoauit in Lege veteri, sic in noua S. Ioannes circa Iordanem, & B. Enoch quidam in Carmelo eam continuarunt, alijsque post se tradiderunt.* Indicat & Cornelius à Lapide *in 3. Reg. 18. vers. 42. §. Porro Abulensis;* & Salianus *sub anno mundi* 3139. loquens de Eliæ concione ante raptum Concarmelitis facta illis verbis: *Credo enim fore, vt non deficiat in vobis, posterisque vestris obseruationis sanctæ propositum, donec veniat is, qui est expectatio gentium.* Item Ægidius Camartus *in lib. de rebus gestis Eliæ cap. 5. sect. 10.* dicens: *Si tot, & tam celebres discipulorum scholas reliquit Propheta in Carmelo, Bethel, Iericho, Galgalis, cur non & in Galaad? Credibile certè est Eliæ discipulos dici in illa viguisse, nec defecisse, donec ad Christi discipulos, Euangelicamque doctrinam confluerent.*

Ante Christum 924. 923. 922.

Horum annorum historia.

1 E his tribus annis historici, & Annalistæ tacent. Cùm autem sequentibus annis duas insignes victorias Deus Achab, prænuncio Michæa ex nostris filijs Prophetarum, qui in Carmelo degebant, contulisset, coniectari propterea licet Achabum, etsi in Idololatriæ peruersitate persistentem; tantisper tamen emendatum mirabili Eliæ sacrificio in Carmeli monte conspecto, vel forsan aliquid boni ex ijs operibus, quibus & infideles carere non solent, exercentem (ad minus enim à persecutione Prophetarum cessauerat, vt notat Ioannes Ierosolymitanus *cap. 11.*) hoc temporali præmio remunerari meruisse. Hæc enim temporalia bona sæpius Deus iustissimus etiam peccatoribus propter bene gesta donare solet, vt cum D. Augustino Theologi admittunt.

Exercitia Elianorum.

2 Interim Eliani nostri Instituti sectatores in Carmeli antris, & speluncis latitantes, tribusque vicibus, vt diximus, in die, vespere, mane, & meridie ad *Semnion* conuenientes, nedum vocibus, sed & psalterio, cithara, cymbalis iubilationis, & alijs instrumentis musicis Deum collaudabant: hoc enim veluti vnum ex præcipuis Ordinis Prophetici Institutis ab Elia eorum parente ordinatum erat, vt vel sic etiam vitæ Religiosæ Professores hunc iubilandi Deo modum

dum veluti sibi extraneum non respuendum credant, quem à sanctissimis Dei Prophetis adinuentum agnoscunt Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. c.* 10. *&* 11. & alij historici nostri. Quomodo etiam pia alia sanctitatis exercitia ab Elia magistro edocti Eliades æmularentur, audi Cornelium *in Ecclesiast. cap.* 48. *vers.* 12. *in fin.* sic dicentem: *Elisæus, & filij Prophetarum versantes cum Elia, eius zelum, & heroicos animos imbiberunt, & factis expresserunt.* Hoc enim sensu exponere videtur illud Ecclesiastici 48. *vers.* 11. *Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt.*

3 Ex hoc autem pio & Religioso more Deo canendi musicis instrumentis laudes, ortum habuit Eliani Instituti cōmune *Prophetarum* cognomen. Non enim iuxta dicta *in Apparatu cap.* 2. tales dicebantur, quia omnes futura præuiderent, aut prædicerent, sed quia ad Deo deuotè psallendum cum prædictis instrumentis musicis à Samuele primò, deinde ab Elia instituti erant. *Propheta* enim idem est, quod *psallens*, seu *psaltes*, & propterea Dauid Propheta regius *psaltes*, vel *psallens* nuncupatur. Hac enim de causa de ipso Elia Ecclesiastic. 48. *v.* 8. dicitur: *Qui Prophetas facis successores post te.* Non enim hoc loco *Propheta* nomen eos, qui futura prænunciant, indicare potest, cùm constet Prophetiam *voluntate humana allatam non esse.* 2. *Pet.* 1. sed à Deo solo infundi, vt testatur Paulus 1. *Corinth.* 12. *v.* 10. dicens à Dei spiritu dari. Vnxisse autem Eliam discipulum Elisæum in Prophetam, ex eo solùm dicitur, quia illum Ordinis Prophetici alumnum, & sui discipulum, & sectatorem fecit, iuxta dicta *sub anno* 3127. *num.* 4. & quia illi notificauit spiritu prophetico à Deo illustrandum fore post ipsius raptum. Cœperat primùm horum Prophetarum cœtus sub Samuele Propheta, vt fermè communiter Sacræ Scripturæ Expositores tradunt, specialiter Salianus *sub anno mundi* 2962. *num.* 101. ex Comestore, & Lyrano, & Sanchez *in* 3. *lib. Reg. cap.* 10. *n.* 32. & nos diximus *in Apparat. cap.* 3. fit etiam de illis mentio 1. *Reg.* 10. *v.* 5. illis verbis Samuelis ad Saulem: *Obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.* Qui etiam inferius *Cuneus* Prophetarum nuncupantur. Commemorantur & 1. *Reg.* 19. *v.* 20. vbi etiam cuneus *Prophetarum vaticinantium* appellantur. Item 1. *Paralipom.* 15. *&* 25. *&* 2. *Paralipom.* 35. vbi cantores Regis prophetantes dicuntur. Vnde etiam 1. *Paralipom.* 15. dicitur, quòd Chonenias erat *Princeps Prophetiæ inter cantores*, id est, caput, seu magister istorum cantorum, qui dicebantur Prophetæ: de quo Sanchez *vt supra num.* 29. Horum etiam plures

Prophetæ nomen.

Prophetantes

Q 3 Achab

Achab & Iezabelis gladio de medio sublati sunt, propterea quod veri Dei cultores essent, vt idcirco Elias 3. *Reg.* 19. *v.* 10. coram Domino conquereretur: *Prophetas tuos*, dicens, *occiderunt gladio*. Vnde eos *veros Martyres* Gaspar Sanchez 3. *Reg.* 17. *num.* 8. compellare non dubitat. Plures etiam illorum in hac Achabi, & Iezabelis persecutione Abdiæ Regis œconomi pietate in speluncis abditi, pane, & aqua alebantur. Sic enim ipse Abdias ad Eliam 3. *Reg.* 18. *v.* 13. dixit: *Nunquid non indicatum est tibi Domino meo, quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini; quod absconderim Prophetas Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauerim eos pane & aqua?* Quare cum Elias postea 3. *Reg.* 19. *v.* 10. ad Dominum dixit: *Derelictus sum ego solus, &c.* non ideo hoc asseruit, quia alij *Propheta* dicti, isti scilicet Abdiæ misericordia reseruati superstites non essent, aut quia S. Dei Propheta illos ignoraret; sed quia ipse solus esset, qui Dei cultum publicè in Israël defenderet, & futura præuidendo prænunciaret. De his perdoctè Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. cap.* 10. & Vvaldensis *in Doctrinal. fidei lib.* 3. *art.* 1. *cap.* 4. Quomodo autem plures ex illis *Propheta* appellati fuerint non solùm communi vocabulo, quia scilicet Dei cultui cantibus, & musicis instrumentis exhibendo dicati erant, sed & quia Prophetiæ spiritu & præscientia futurorum à Deo illustrabantur, & cur filij Prophetarum appellati sint, aliàs diximus, & sub anno sequenti asseremus.

Hebræor. traditio.

4. Quia verò de Eliæ schola, & spiritu prophetico ipsius filijs sæpius à Deo concesso crebrius diximus, & in sequentibus dicemus, præmonendus lector de quadam Hebræorum traditione, ex qua constat Prophetiam illam Eliæ communiter attributam de duratione mundi per sex millia annorum, eiusdem discipulis etiam adscribendam videri. Etenim Rabbi Iacob filius Salomonis hæc ait: *Docet domus*, (hoc est schola, vel Academia seu secta Eliæ) *sex mille annis erit mundus. Duobus mille inanitas: duobus mille Lex; duobus mille dies Christi. At propter iniquitates nostras, quæ multiplicatæ sunt, elapsi sunt hi, quos præteriisse cernimus.* Ita ex Talmud. *tract. Sanhedrin cap. Helec*, interprete Genebrardo, accipitur. Etsi autem Eliam istum non Thesbitem & Prophetam nostrum fuisse, sed Rabbinum quendam Caballicum aut Talmudicum, seu, vt alij credunt, Grammaticum plures existimarint cum Genebrardo *lib.* 1. *Chronol. p.* 1. & alij cum Fino *lib.* 5. *cap.* 11. & Costo *in typo Messiæ* prædictam traditionem adscribant filio viduæ Sarephtanæ ex mortuo ad vitam ab Elia reuocato, posteaque ipsius socio, & discipulo, qui secundùm

dùm Hieronymum *in præfatione Commentarij ad Ionam*, & alios fuit ipse Ionas Propheta; aliorum tamen sententia est, nec contemnendæ auctoritatis, istum Eliam fuisse Tesbitem nostrum, prout tradunt Stratonicus Cumarum Episcop. *in Collectaneis*. Franc. Georgius *Harmonia mundi cant. 3. to. 7. cap. 7.* Ludou. Viues *in lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 7.* Sixtus *lib. 2. Biblioth. in Elia, & lib. 5. annot. 190. & alij.* Vnde habetur hanc domum, scholam, Academiam, seu sectam Eliæ Elianos nostros indigitare: quod noster Mantuanus *lib. 3. de patientia cap. 29.* sic habet: *Concordat huic sententiæ quod legitur in Talmud Hebræorum; in eo namque libro, vbi agitur de Idololatria, scribitur, filios Eliæ, qui fuerunt antecessores nostri filij Prophetarum Carmelitæ, sic dixisse: Sene alapim sana aia holam: sene alapim tou; sene alapim torat; sene alapim dies Messiæ quod sic interpretatur: Sex mille anni fuere mundi: hoc est assignati sunt mundo à Deo, duo millia vanitatis vel inanitatis, quia sine Lege transierunt; duo millia Legis; duo millia Christi.* Aliqua de hac traditione in *nostro tractatu de Sancti Eliæ officio canonico* dicimus, simulque, quòd, ea non obstante, Euangelicum illud proloquium; *De die autem illo, vel hora nemo scit,* omnibus præferri debeat.

Annus Mundi 3132. ante Christ. 921.

1 IC annus creditur primus Regni Tyberini Siluij decimi Latinorum Regis, à quo Romæ fluuius *Tyberis* appellatus dicitur, Ouidio teste in *2. fastor.* dum canit: Qualis hic annus.

Albula, quem Tyberim mersus Tyberinus in vndis
Reddidit, hybernis fortè tumebat aquis

Alij tamen post Virgilium *Æneid. 2.* à Tybri Etruscorum Rege iuxta hunc fluuium occiso denominationem accipiunt. Quicquid hoc fuerit, de alia nostrorum Eliani Instituti professorum denominatione, quæ circa hoc tempus ortum habuit, disquirere debemus.

2 Fuerunt Eliæ discipuli, sicut & illi, qui sub Samuele congregati erant, primitus *Prophetæ* nuncupati, ab hoc tamen tempore, quo Elias suum Institutum veluti Religiosum ex illis fundare cœpit, nouo titulo filiorum Prophetarum in sacris Literis sæpius nominati conspiciuntur. Huius ergo nuperi nominis causam quærimus: eam verò fuisse, quia erant ipsorum discipuli, ita vt *filij Prophetarum* idem sit ac discipuli Prophetarum plures, & graues Doctores tradunt, specialiter Lyranus, Abulensis, & Vatablus 4. *Reg. 2.* Theodoretus Prophetarum filij qui? *ibid.*

ibid.q.5. Serarius *ibid.& c.6.* Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap.1. sect.5.* Quam expositionem vt veram admittimus, est enim valde conformis S. Scripturæ, in qua illi, qui ab alijs in via spirituali erudiuntur, eorum *filij* nuncupantur. Sic Dauid *ps.33.v.12. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Sic Paulus ad Galat. 4. *v.19. Filioli mei, quos iterum parturio.* Sic etiam nihil frequentius in libris Prouerbior. & Ecclesiastici occurrit, quàm quòd nomen filij ei, qui veluti discipulus instruitur, tribuatur. Pariter ergo in proposito *filiorum Prophetarum* appellatio idem erit ac discipulorum. Quod præter auctores relatos admittunt etiam Hebræi, maximè verò R. Salomon apud Lyranum 4. *Reg.2.* & inter omnes clarius, & distinctius Ioannes ille Ierosolymitanus dicto *lib.cap.11.* simul alia scitu digna adiungens sic: *Cum autem de spelunca montis Horeb, in qua aliquamdiu manserat, fuisset Elias iussu Dei reuersus in terram Israël, ipse collectis in vnum discipulis suis in monte Carmeli, protinus studuit secundùm formam à Deo sibi traditam denuò inducere eos ad obseruandam vitam monasticam: quos etiam solicitè docuit disciplinam propheticam, ordinans, vt deuotè in psalterio, in cithara, & cymbalis iubilationis Deum laudarent. Cui officio prius non poterant perfectè intendere, propter graues persecutiones, quas passi fuerant à Rege Achab, & præcipuè à Iezabel vxore eius. Sedatis autem per Deum persecutionibus illis, ex tunc quosdam horum monachorum excellentes viros cæteris perfectius cum instrumentis musicis Deo in psalmis deuotè iubilantes constituit Deus Prophetas, qui scilicet sicut Elias prophetarent. Per hunc quippe psalmorum iubilum aperiebant ita deuotè Domino penetralia mentium, vt frequenter in eorum corda immitteret Deus prophetiæ spiritum. Propter quod dum de occultis certificari à Domino volebant, ad hunc psalmorum iubilum deuotissimè recurrebant. Hinc in libro Regnorum legimus, quod Elisæus in hac disciplina eruditus cum per Regem Iosaphat esset quadam vice de futuris consultus, & deesset sibi tunc prophetiæ spiritus, psalterium ad se ferri fecit, in cuius cantu cor deuotè Domino aperiens, prophetiæ spiritum de quæsitis à Deo accepit. Diuina itaque disponente sapientia ex tunc factum fuit, quòd Elias, multiplicatis istis monachis per eum institutis, quosdam ex eis excellentes Prophetas, qui futura præuidebant, assumpsit ad hoc officium, vt scilicet cum eo, & post eum dictos monachos solicitè in vita monastica secundum formam ei traditam à Deo erudirent: vt in disciplina Prophetica, & in psalmis psalterio canendis eos instituerent, & ita diligentem curam eorum gererent, ac si filij eorum essent. Et propterea hi monachi, qui prius (vt prædixi) vocabantur Prophetæ, fuerunt postmodum appellati filij Prophetarum: quia dictorum excellentium propheta-*

phetarum huius Religionis erant discipuli, & in prophetica, ac in monastica disciplina sub regimine ipsorum tanquam Patrum suorum Prophetarum, & sub hoc titulo, quo dicebantur filij Prophetarum, fit sæpe in lib. Regnorum de his monachis mentio.

3 Breuiùs id exprimit idem Ioannes dicto *libro cap.* 12. in principio sic: *Igitur cum eorum Religio esset iam tempore Eliæ ita multiplicata, quod tam in eremis, quàm in ciuitatum suburbijs erant plures eorum cunei, necesse fuit, vt (præter Eliam) quidam ex eis excellentes Prophetæ, discipuli Eliæ eos regerent, & gubernarent, quos monachi prædicti vocabant Patres suos, & ipsi dicebantur filij Prophetarum.* Quæ fuerint hęc loca, seu eremitoria ab Eliæ discipulis tunc habitata, in sequentibus, præsertim sub ann. 3154. dicemus. Quomodo autem non solùm propter hanc causam, sed ob aliam etiam, scilicet quia *filij Prophetarum* idē importat iuxta Scripturæ phrasim, ac *Prophetæ*, tales nuncupati sint, diximus in Apparatu. Id verò quod vlterius docet Ioannes Ierosolymitanus, videlicet huiusmodi Prophetas appellare solitos suos Magistros *Patres*, est etiam valde certum, & docetur à S. Hieronym. in traditionib. Hebraic. vbi illud 1. *Reg.* 10. *Et quis pater eorum?* sic explicat: *Pater, Magister vocatur, sicut Elisæus Eliam Patrem, id est, Magistrum vocat* 4. *Reg.* 2. *& in lib. Iob. c.* 34. *Eliu Eliphaz Patrem, id est, Magistrum vocat.* Hæc Hieronymus. Sic etiam Genes. 4. Iubal vocatur *Pater canentium*, id est, Magister, & Genes. 45. Ioseph vocatur *quasi Pater Pharaonis*, id est, veluti Magister. de quo Sanchez 3. *Reg.* 10. *n.* 30. Idem incentum.

Annus mundi 3133. ante Christum 920.

1 RAT hic annus quinquagesimus supra quingentesimum, ex quo Iosue populum Hebræorum, Iordane mirabiliter transmisso, in terram Chanan itidem induxit: ex quo etiam consequens, fuisse eodem anno vndecimum Iubileum, qui de quinquaginta in quinquaginta annos celebrari solitus erat. Salianus *sub hoc anno n.* 1. Cum autem annus iste specialiter Dei cultui dicatus esset, ideo Eliā cum Prophetici Instituti Professoribus eum solemniùs, & religiosiùs celebrasse, accuratiùsque hymnis, & canticis, vocibus, & musicis instrumentis psallendis incubuisse, non tam suspicandi, quàm pro certo credendi locus datur. Quis hic annus

2 De hoc anno loquens Salianus *vt supra num.* 2. sic habet: *Hoc tempore florebat in monte Carmelo Elias, cum Religioso discipulorum choro, in* Carmeli Religio.

ro, in quibus nuper à Deo nominatim vocatus Elisæus maximè eminebat, quem postea Dominus multis prophetiæ, & miraculorum donis reddidit perillustrem: quæ causa fuit, vt Rabbini eum iam ab ipso ortu prodigijs ornare voluerint. Refert enim Ioannes Ierosolymitanus vtique ex eorum officina, in eius natiuitate vnum de vitulis aureis, quos Israelitæ ex Ieroboami institutione colebant, acutum edidisse mugitum. Quod cum Sacerdos Domini Ierosolymis audisset, diuino nutu dixisse fertur, Elisæus. *Prophetam natum in Israël, qui sculptilia Deorum destrueret. Quam narrationem iustius contemnere possumus, quàm illi sine probatione ac probabilitate intrudere. Erat in eodem cœtu filius viduæ Sarephtanæ, quem Elias suscitarat à mortuis, quem Hebræi existimant à matre traditum Eliæ erudiendum & disciplina Religiosa informandum, illumque ipsum esse, qui iussu Eliæ septies aliquod pluuiæ signum aucupabatur. Retulit præter Ioannem Ierosolymitanum Hieronymus in Proœmio commentariorum suorum in Ionam. sed de eo sicut & de alijs eiusdem discipulis alius erit dicendi locus.*

Hebræorum traditio. 3 Veruntamen etsi inter Hebraicas traditiones plurimæ sint, quæ potiùs nænia, & figmenta æstimari iure possint, quæ tamen ex illis PP. & DD. assensu receptæ fuerint, non sic facilè reijcienda huiusmodi est ista de Eliæ natiuitate. Etenim præter Ioannem Ierosolymitanum dicto *lib. cap.* 13. eam etiam referunt S. Epiphanius *de vita, & morte Prophetar.* S. Isidorus *de ortu, & interitu Prophetar.* noster Ioannes de Malinis *in Speculo historiali cap.* 1. & alij historici Ordinis, quos de recentioribus sequi videtur Gaspar Sanchez *in* 3. *Reg.* 19. *num.* 64. referens etiam historiam scholasticam. Quare hæc traditio reprobanda non est, sicut nec illa de filio viduæ Sarephtanæ iuxta dicta *sub anno* 3127.

Annus mundi 3134. ante Christum 919.

Gesta huius anni. 1 NSIGNEM hoc anno victoriam de Benadab Syriæ Rege triginta duobus alijs Regibus associato Samariam obsidente, ac opprimente, aurum, & argentum, vxores, & liberos postulante reportauit Achab Rex Israël, fugato Syro cum socijs, curribus, & equitibus ipsius, magnaque plaga Syriæ Regnis inflicta. Sic ex 3. *Reg.* 20. Expositoribus ibidem, & Annalistis *sub hoc anno*. Tribuit autem Deus medio Propheta quodam prænuncio hanc victoriam Achabo, etsi improbo, vel quia improbior Benadab, vel quia aliqua opera bona exijs, quæ moraliter talia Theologi nuncupant, Achabus

bus exercuerat, quæ Deus hoc temporali præmio gratificare voluit, vel vt nosset Dei potentiam, quam in Carmelo Eliæ sacrificio nondum didicerat, quod indicat Propheta ad eum nomine Dei dicens: *Vt scias, quia ego sum Dominus.*

2 Quis verò Propheta hic fuerit (quod ad nostros Annales propiùs attinet) inquirunt Doctores. Quidam Eliam volunt; hos verò redarguit Abulensis 3. *Reg.* 20. *q.* 6. Nam Elias cum quasi per excellentiam, & antonomasticè singularis Dei Propheta esset, non communi nomine *Propheta*, sed alio clariori deberet insigniri. Accedit quòd non ita facilè Elias gregem Prophetarum in Carmelo deserere deberet, nisi Dei vrgeret præceptum. Propterea ipse Abulensis putat hunc Prophetam fuisse Michæam filium Iemla (quem vnum ex Eliæ discipulis in Carmelo diximus sub anno 3127.) Id etiam tenet Salianus *sub hoc anno num.* 15. referens auctorem historiæ Ecclesiasticæ Lyranum, & Hæbreos in *seder olam*. Quod etiam asserit Ioannes Ierosolymitanus *lib. citato cap.* 14. nosque libenter amplectimur. Nec obstat quòd is simpliciter vocetur *Propheta*, non filius Prophetarum; nam hoc eodem *cap.* 20. *lib.* 3. *Reg. v.* 35. vt dicemus sub anno sequenti, vocatur *de filijs Prophetarum*, tum quia (quod maximè notandum pro dictis in superioribus) licet is esset ex Eliæ discipulis, quia tamen ex illis erat, qui, vt diximus ex prædicti Ioannis Ierosolymitani doctrina *sub anno* 3132. alijs præerant vt excellentiores, ideo non *filius Prophetarum*, sed simpliciter *Propheta* dicitur, quamuis quia vtroque modo appellari posset, vtroque etiam in prædicto *cap.* 20. *lib.* 3. *Reg.* vt diximus, nuncupetur.

Qui fuerit hic Propheta?

Michæas.

3 Ergo Michæas ad Achab Regem exercitus Benadab, & 32. aliorum Regum timore perterritum, ac penè desperatum accedens, Dei nomine dixit: *Certè vidisti omnem multitudinem hanc nimiam! Ecce ego tradam eam in manu tua hodie, vt scias, quia ego sum Dominus*, Quasi diceret: Si mirabili Eliæ sacrificio conspecto in Carmelo nondum didicisti me vnum esse verum Deum, ignium, atque pluuiarum potentem, nunc disces me esse Dominum exercituum, qui pauculis hominibus contra innumerabiles copias victoriam tibi tribuam. Interrogante ergo Achab: *Per quem*, id est, quo auxiliante, aut ope ferente hæc victoria reportanda est? Respondit Michæas: *Per pedissequos Principum Prouinciarum*, hoc est, per iuniores pueros, aut filios Principum. Victoria ergo reportata, ac Benadabo cum equitibus fugato, accedens Propheta, idem videlicet Michæas, ad Regem dixit: *Vade, & confortare, & scito, & vide quid facias, sequenti enim anno Rex Syriæ ascendet contra te*: nouo enim hoc benefi-

Quid gesserit.

cio

cio prædictionis belli futuri anno sequenti Deus se beneficum in Achabum impium ostendere voluit. Quid autem pro tunc vlteriùs egerit Michęas, Scriptura non loquitur, credi proinde par est, in Carmelum, vel alium locum sibi ad mansionem cum filijs Prophetarum per Eliam designatum redijsse.

4 De Elia porro in Carmelo per id tempus agente Scriptura tacet; ex fida tamen cuiusdam ex nostris Patribus Discalceatis, qui hoc tempore sanctum colunt locum, accepimus, gentis illius traditione haberi, Eliam quondam in eleemosynam postulantem ab hortulano, qui hortum iuxta mare situm habebat, terræ fructum (melonem vulgo) id responsi audijsse, locum lapides, non melones germinare solitum, moxque fructus in saxa conuersos. Fidem facit in ea montis parte lapides melonibus similes cerni vsque ad hæc nostra tempora. Si casus contigit, res enim incerta, iure in hoc tempus incolatus Eliæ in suo Carmelo referri potest.

Annus mundi 3135. ante Christum 918.

Benadab Rex. 1  INGENTEM conceperat Syrus Rex de accepta clade tristitiam, vt propterea serui ipsius non inurbanam hanc consolationem adinuenerint 3. *Reg.* 20. *v.* 23. dicentes ei: *Dij montium sunt Dij eorum, ideo superauerunt nos, sed meliùs est, vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.* Accepto ergo consilio iterum sub hoc anno recensuit exercitum Benadab in Israël potentissimũ; Achab etiam, vt aduersario forti obuiaret, suas copias congregauit, modicas tamen, vt propterea dicantur, *quasi duo parui greges caprarum.* Quo apparet quantum pietas, & verus Dei cultus ad Regnorum ampliationem conferat. Israël enim, qui iampridem aciem octingentorum millium virorum electorum sub Ieroboam 2. *Paralipom.* 13. numerauerat, modò instanti euidenti periculo totalis destructionis Regni, ob Achabi, & Iezabelis improbitatem vix paruam manum congregare potuit. Salianus *sub hoc anno nu.*4. Moniti ergo sint Principes Deum timere, & ipsius cultum pro viribus amplificare.

Michæas. 2 Mittitur interea *vnus vir Dei*, idem scilicet Michæas, Eliani Instituti alumnus ad Achabum dicens: *Hæc dicit Dominus: quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem* (exercitus videlicet Benadabi) *in manu tua, & scietis* (tu, & ille) *quia ego sum Dominus.* Commisso ergo

ergo septima die prælio, *percusserunt filij Israël de Syris centum millia peditum in die vna*, Syrusque Rex fugiens ingressus est ciuitatem, & in abditissimum Palatij cubiculum se prorupit, iussis interea suis ad muros hostem imminentem propulsare. Clausis ergo portis, Syri ad 27. millia muros ascendentes, ipsis cadentibus omnes illi ex ruina obtriti, ac contrucidati miserè perierunt. Qua rę cognita, saluteque desperata, Syris consulentibus Benadab misericordiam ab Achabo postulat, impetrat, & fœdere icto liber dimittitur. S. Scriptura 3. *Reg.* 20. & Expositores ibidem.

3 Iratus ergo Dominus in Achabum, quòd improbum Benadabum morte dignum liberum dimisisset, Michæam iterum ad eum durum, & infaustum nuncium misit, prout S. Scriptura eodem 3. *Reg. cap.* 20. *v.* 35. sic narrat. *Tunc vir quidam de filijs Prophetarum* (Michæas scilicet, vt aiunt Iosephus, & alij Hebræi, Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. cap.* 14. Salianus *sub hoc anno num.* 15. Sanchez 3. *Reg. cap.* 20. *num.* 35.) *dixit ad socium suum*, alium nempè ex filijs Prophetarum, *in sermone Domini*, siue ex Dei mandato: *Percute me*. Volebat enim instar aliorum Prophetarum in seipso exprimere plagam, quam Achabo prædicturus erat. Sic Isaias nudus nuditatem Ægyptijs *cap.* 20. portendit, Ieremias ligatus catenis populis seruitutem *cap.* 27. Ezechiel Iudæis captiuitatem, & transmigrationem assumens sibi peregrinantis speciem *cap.* 12. Forsan apparere voluit coram Achabo facie vulneratus, vt videretur in bello accepisse vulnus, & non cognosceretur. Socius autem *noluit percutere* Michæam, procul dubio quia res dura sibi videbatur Prophetam, & socium suum innocentem percutere. Cui Michæas: *Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo: cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit*. Hinc collige fuisse tunc Michæam cum socio in Carmelo, aut eremo aliqua, vel deserto loco, vbi tunc erant Prophetarum mansiones, neque enim in locis populatis esse solent leones. Ex hoc autem quod Scriptura dicat: *Atque percussit*, credibile sanè est occisum non fuisse, sed percussum, vulneratum, aut malè tractatum à leone, culpa enim illa maius videbatur non exigere supplicium. Michæas deinde *alterum inueniens virum, dixit ad eum: Percute me*; qui Dei visioni obediens, *percussit eum, & vulnerauit*, in capite videlicet; ita vt sanguine vultu consperso agnosci non posset, maximè cùm mutauerit *aspersione pulueris os, & oculos suos*. Abijt ergo ad Regem, & occurrens ei in via, qua veniebat, ait: *Seruus tuus egressus est ad præliandum cominus, cumque fugisset vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & ait:*

Mittitur iterum.

Quid gesserit.

Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes (eandem scilicet subibis conditionem seruitutis aut mortis). *Dum autem ego turbatus huc, illuc me verterem, subitò non comparuit*. Tunc Rex ad eum: *Hoc est iudicium tuum, quod ipse decreuisti*, id est, tu ipse contra te sententiam protulisti. *At ille statim abstersit puluerem de facie sua, & cognouit eum Rex Israël, quod esset de Prophetis*, eo videlicet quia iam illi bis prædixerat victoriam, vel quia habitu Prophetarum eum indutum vidit. Ait ergo ad Regem: *Hæc dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius*. S. Scrip. 3. *Reg.* 20. Expositores ibidem.

Achab contra Michæam.

4 Non refert Scriptura, quid fecerit Achab contra Michæam, quia sibi hæc prædixerat, cum solùm dicat reuersum fuisse in domum suam, contemnentem ea quæ audiuerat, & furibundum venisse in Samariam. Nihilominus Ioseph. *lib.* 8. *antiq. cap.* 8. Histor. Ecclesiastic. Dionys. & Hugo, quos sequitur Gaspar Sanchez 3. *Reg.* 20. *num.* 42. asserunt iussisse in vincula conijci Prophetam: quod etsi Ioannes Ierosolymitan. *dicto lib. cap.* 14. non referat, & Salianus neget, satis tamen verisimile est, tum quia idem vel similia fecerunt sub hoc tempus alij Reges, vt Asa 2. *Paralipom. cap.* 16. Baasa 3. *Reg.* 16. *v.* 8. & ipse Achab cum eodem Michæa 3. *Reg.* 22. *v.* 27. tum quia ex hoc *cap.* 22. *lib.* 3. *Reg. v.* 8. constat Michæam mansisse apud Regem, procul dubio incarceratum, quia alio modo vix manere poterat. Regnante enim Iezabele, quæ odio insectabatur Prophetas Domini, nullatenus eum liberum, & solutum in aula Regis pateretur.

Annus mundi 3136. & 3137. ante Christum 917. & 916.

Nabothi historia.

1 

ONTIGIT his duobus annis in vtroque partim, vel in alterutro solùm historia Nabothi, prophetica comminatio Eliæ Achabo facta, Achabi humiliatio, & Dei in ipsum misericordia; quæ 3. *Reg. cap.* 21. referuntur. Habebat Naboth Iezraelita iuxta Regis Palatium vineam relictam à parentibus hereditario iure, quam, cùm ab illo peteret Achab, vtpotè ad laxandum animum, & domesticos vsus opportunam, negauit Naboth, quia parum putabat pium à sua familia vllo modo distrahere, quod in illa iampridem inuerterasset. Accepit Rex hanc vocem, quam impudentem interpre-

terpretabatur, & liberam cum stomacho. Cum autem sui doloris signa neque leuia, neque obscura prodidisset, illum vxor Iezabel bono animo esse iussit, certum de vineæ possessione proxima; quod negotium in seipsam recepit, perfecitque iniquo, crudeliquè consilio. Inductis enim sceleratis quibusdam hominibus, qui reum blasphemiæ facerent Naboth; illum populari frequentia ac manu lapidari fecit. Collige hinc nimias delicias quærere, quandoque Principibus interitum parare posse, sicut & improbæ fœminæ commercia & consilia sectari.

2 Quid post hæc acciderit nostris annalibus dignissimum, sic refert eadem Sacra Pagina: *Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbitem*, in Carmelo cum Prophetarum filijs eiusdem montis incolis sancta quiete fruentem (vt colligitur ex Saliano *sub anno* 3133. *num.* 2.) & ibidem à Iezabele tutum in protectione Dei Cæli commorantem, dicens: *Surge*, & descende de monte isto, in quo habitas, *in occursum Achab Regis Israël*, qui est in Samaria, *ecce ad vineam Naboth* iam lapidati & mortui *descendit, vt possideat eam, & loqueris ad eum dicens: Hæc dicit Dominus: occidisti*, Naboth, *insuper & possedisti*, animo scilicet, & voluntate. *Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Cum autem Achab prophetica hac comminatione iratus dixisset: *Num inuenisti me inimicum tibi?* Respondit Elias feruentissimo illo, & supra humanam admirationem animosissimo zelo: *Inueni, eo quod venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini*, id est, quia totus traditus es Diabolo, vel peccato à multis annis. Subiunxitque: *Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & vltimum in Israël. & dabo domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Abiæ, quia egisti, vt me ad iracundiam prouocares, & peccare fecisti Israël. Sed & de Iezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres Cæli.* Cum autem hæc audisset Achab, experientiaque nosset, quàm veridicus futurorum euentuum prænunciator Elias esset, *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* Doluit enim reuera ea commisisse crimina, quæ tantam pœnam à Deo mererentur. Propterea Deus ipsam mitigauit, dicens ad Eliam: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius,*

Reuelatio Eliæ.

Prophetat cõtra Achab.

sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. Sacra Scriptura 3. *Reg.* *c.* 21. Sanchez *ibid.* Salianus *sub anno* 3137.

Quò perrexerit. 3 Ergo Elias in Carmelum vulgatum sui habitaculum, vel aliam filiorum Prophetarum mansionem reuersus, quæ gesta erant alumnis prænunciabat, & ad Dei cultum cantibus, & musicis instrumentis prosequendum animosiores reddebat.

Annus mundi 3138. ante Christum 915.

Achabi mors. 1  BIIT hoc anno miser Achab Rex Israël in bello contra Syros cœpto ob recuperationẽ Ramoth Galaad, quæ ad Israelitas pertinebat, incerta quadam sagitta inter pulmonem, & stomachum percussus, canibus lingentibus sanguinem ipsius, iuxta verbum Domini per Eliam factum. S. Scriptura 3. *Reg.* 22. Expositores *ibid.* Improborum Regum exitus condignus.

Michæas. 2 Plura interea de Michæa ex nostris filijs Prophetarum vno, & eo tempore clarissimo narranda euenerunt. Venerat pro auxilio Regi Achab præstando in bello, in quo percussus fuit, Iosaphat Rex Iuda, qui vt erat pius, & sanctus, ipsum admonebat, vt antequam ad bellandum pergerent, Dominum consulerent, sicut & olim Israelitarum Reges facere soliti erant. *Congregauit ergo Rex Israël Prophetas*, falsos videlicet, & Baalis cultores, *quadringentos circiter viros*. (mirum porrò est improbum hoc semen post cladem 850. illorum in Cison iuxta Carmelum per Eliam eis illatam, in tantã multitudinem excreuisse.) Ait ergo ad illos Achab: *Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere?* At illi nihil cunctati responderunt: *Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis*. Quia tamen Iosaphat Rex Iuda, qui aderat, ex habitu, gestis, & modo prophetandi istorum nouerat illos non esse ex Prophetis Domini, sub Eliana disciplina constitutis, qui habitu, & modo colendi Deum diuersi ab istis erant, propterea dixit: *Non est hic Propheta Domini quispiam, vt interrogemus per eum?* Achab autem vt socio Regi satisfaceret: *Remansit vir vnus* (inquit) *per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Iemla*. Noluit dicere Achab se illum in carcere constitutum habere, ne fortè displiceret sermo pio Regi Iosaphato. Mentitus præterea est, vel hyperbolicè locutus, cùm dixit: *Non prophetat mihi bonum, sed malum*, cùm duplicem illam victoriam, quam de Benadab annis superioribus reportauerat, ab eo prænouisset. Solumque

lumque ab ipso malum nuncium semel, propterea quod Abenadabum captum dimiserat, audisset. Hæc tamen est improborum conditio, qui, vt bonis liberiùs noceant, beneficia ab eis recepta obliuioni tradentes, solùm ea, in quæ sibi contrarij fuerunt, recordantur. Falsum etiam locutus videtur, dum dixit: *Remansit vir vnus*, id est, solus, cum remaneret etiam Elias Propheta satis Achabo cognitus cum Elisæo, & alijs filijs Prophetarum in Carmelo, & alijs Religiosis locis. Iosaphat verò impiam Achabi voluntatem agnoscens: *Ne loquaris* (inquit) *ita Rex*, amica scilicet obiurgatione eum reprehendens. *Vocauit ergo Rex Israël* eunuchum quendam, cubicularium scilicet, vel ministrum Regis, & dixit ei: *Festina adducere Michæam filium Iemla*, quem, vt diximus in superioribus, in carcere detentum habebat. *Rex autem Israël, & Iosaphat Rex Iuda sedebant vnusquisque in solio vestiti cultu regio in area*, platea quadam, ad quam de more populus ad iudicia confluebat, *iuxta ostium portæ Samariæ, & vniuersi Prophetæ prophetabant in conspectu eorum. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: his ventilabis Syriam, donec deleas eam: Omnesque Prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus Regis. Nuncius verò qui ierat, vt vocaret Michæam, locutus est ad eum dicens: Ecce sermones Prophetarum ore vno Regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona. Cui Michæas ait: Viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Venit itaque ad Regem, & ait illi Rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an cessare? cui ille* (ironicè quidem) *respondit: Ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus Regis*. Cognoscens autem Achab Prophetam irrisoriè loqui, adiurauit eum, vt veritatem loqueretur. Tunc ille: *Vidi cunctum Israël dispersum in montibus quasi oues non habentes pastorem, & ait Dominus: Non habent isti dominum, reuertatur vnusquisque in domum suam in pace*. Tunc Rex Israël ad Iosaphat conuersus: *Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?* Michæas autem prosequens inceptum sic: *Propterea audi sermonem Domini. Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum Cæli assistentem ei à dextris, & à sinistris, & ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Israël, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? & dixit vnus verba huiuscemodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus, in quo? & ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus: De-*

Quid prophetauerit.

cipies, & praeualebis; egredere, & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum. Tunc Sedechias Pseudo-prophetarum Princeps indignatus se, suosque in tali, tantoque consessu argui mendacij, *percussit Michaeam in maxillam*, alapam illi insigens, & dixit: *Me ne ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi?* Michaeas autem iniuriam propter veritatem patienter sustinens, metum mortis, quem passurus erat Sedechias, eo quod falso suo vaticinio causa fuisset mortis Achab, ei praedixit dicens: *Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum*, id est, abditissimum cubiculum, *vt abscondaris* à facie amicorum Regis quaerentium animam tuam. Achab verò Michaeam reduci iubet in carcerem, & ibi modico pane, & aqua pasci. Propheta autem testem vaticinij populum inuocans, subiungit: *Si reuersus fueris in pace, non est locutus in me Dominus, & ait: Audite populi omnes*. S. Scriptura 3. *Reg.* 22. Expositores *ibid.*

Percutitur in maxilla.

Historia quinquagenariorum.

3 In eundem etiam annum historiam de quinquagenarijs iussu Eliae igne consumptis, quam Sacra Scriptura 4. *Reg.* 1. commemorat, Torniellus, & Salianus referunt; quae sic contigit: Cùm mortuo Achab in bello Ramoth Galaad, vt visum est, regnaret Ochozias filius eius, etsi paruo tempore & infeliciter, pro ipso, cecidit per cancellos coenaculi sui, quod habebat in Samaria, & grauiter aegrotauit. Misit propterea nuncios in Accaron ciuitatem Palaestinae ad consulendum Idolum Beelzebub, an desperata esset eius salus, nec ne? Cum autem Elias in Carmelo monte cum discipulis manens id audiret ab Angelo sibi nunciante, in occursum nunciorum venit, & dixit ad eos: *Nunquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem haec dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Abijt autem inde, vnde venerat, Carmelum scilicet. Nuncij autem cùm viderent hominem habitu Prophetico indutum, secreta legationis ipsorum penetrasse, ac tam liberè malum euentum futurorum praedixisse, Prophetam fuisse credentes, ad Dominum suum redierunt: qui cùm cur tam cito reuersi essent, interrogasset, responderunt: *Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & reuertimini ad Regem qui misit vos, & dicetis ei: Nunquid quia non erat Deus in Israel, mittis, vt consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcirco de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Miratur Rex de improuiso, & infausto nuncio, scire volens quisnam talis vir fuisset, interrogauit illos: *Cuius figurae, & habitus est vir ille, qui occurrit*

rit vobis, & locutus est verba hac? At illi dixerunt: *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus.* Noscens autem Rex hunc habitum Eliæ proprium esse, exclamauit: *Elias Thesbites est.* Tam seuera autem denunciatione tristis, Prophetæ reprehensione exacerbatus, & vindictæ appetens, militarem manum ad eum comprehendendum misit, quinquagenarium videlicet Principem, & quinquaginta qui erant sub eo. Qui ad eum in Carmeli monte quiescentem ascendens, per ironiam loquens dixit: *Homo Dei, Rex præcepit, vt descendas.* Elias autem non ex cupiditate vindictæ sed ex Dei ardentissimo, quo feruebat zelo, ad eum dixit: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te & quinquaginta tuos. Descendit itaque tunc*, formidoloso vtique, planeque horribili spectaculo, *ignis de Cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo*, iuxta verbum Eliæ. Cum autem Rex Eliam comprehendere vellet, nec primus nuncius cum ipso comprehenso veniret, misit similem alium quinquagenarium cum quinquaginta militibus, qui adhuc superbiùs, quàm primus ad Eliam in Carmelo ascendens dixit: *Homo Dei, hæc dixit Rex, festina, descende.* Sed hic eundem omnino cum priore quinquagenario legationis suæ sortitus exitum, idem responsum ab Elia accepit, igneque cælesti cum socijs consumptus interijt. Cùm autem nec secundus iste quinquagenarius Regis desiderium expleturus adueniret, moræ impatiens iterum misit quinquagenarium tertium, & quinquaginta, qui cum eo irent. Erat hic pius, & bonus, Abdias scilicet, iam olim, vt *sub anno* 3126. *n.* 2. vidimus, Eliæ cognitus, Achabi Regis familiæ procurator, vel œconomus, qui à Prophetis accolis Montis miserum euentum præmissorum Ducum discens, ad Eliam supplex accedens, genibus curuatis ait: *Homo Dei noli despicere animam meam, & animam seruorum tuorum, qui mecum sunt, ecce descendit ignis de Cælo, & deuorauit duos Principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant, sed nunc obsecro, vt miserearis animæ meæ.* Elias ergo viri precibus commotus, Angeli præsertim instructione confortatus, mortis intrepidus, cùm cerneret solo suo verbo ignem de Cælo super duos quinquagenarios bis decēdisse, cum Abdia quinquagenario tertio de Carmelo descendit, Samariam (quo iuxta Adricomium iter fermè duorum dierum est) ad Regem peruenit, eique à mortis metu vehementer afflicto, triste illud, ac lugubre carmen iterauit: *Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem. Ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Sacra Scriptura

Igne consumuntur.

4. *Reg.*

4. *Reg.* 1: Abulensis, & alij Expositores ibidem. Ioannes Ierosolymitanus *in lib. de Institutione Monachor. cap.* 15. *&* 37. Torniellus, & Salianus *sub hoc anno.*

Quò perrexerit. 4 Quò ex Samaria funesto hoc nuncio Ochoziæ intimato Elias perrexerit, ex dicendis sub anno sequenti coniectari possumus.

Abdias. 5 Interim Abdias Regis Achab dispensator, ac Ochoziæ nuncius ad Eliam missus vitæ beneficium ab eo receptum recognoscens, obsequio Ochoziæ relicto, filijsque cum vxore in domo sua dimissis, eiusdem Eliæ discipulus factus est. Sic habet Ioannes Ierosolymitan. *lib. relato cap.* 15. & alij Historici Ordinis, maximè Ioannes de Malinis *in Speculo historiali cap.* 1. Ioannes de Cimineto *in Tractatulo, Filij Sanctorum &c. Speculum Ordin. vocato cap.* 1. Vineta *in Tractatulo: Cum quidam fratres nostri,* & Palæonydorus *lib.* 1. *cap.* 4. Subiungit vlterius idem Ioannes Ierosolymitanus hunc Abdiam dono Prophetiæ à Deo decoratum fuisse, & *cap.* 24. describit, eius vxorem viduā ab Elisæo olei multiplicatione miraculosa ab ære alieno, quo opprimebatur ob alimoniam centum Prophetarum, liberatam. Quæ duo vt subsistant, necesse est asserere paucis annis post Eliæ sequelam obijsse, cum hoc miraculum de olei multiplicatione sub anno 3140. vel circiter contigerit, ac per consequens videri vel hunc Abdiam non fuisse illum, qui inter 12. minores Prophetas vnus nominatur, vel si fuit, non constare cur in Sacris Biblijs quartus ordine referatur, qui primo loco ante Oseam, & alios numerari deberet. Qua in re etsi satis incerta ac dubia dicere placet, quod si hic noster Abdias ex 12. Prophetis minoribus vocatis vnus est, eius Prophetia primo loco ante omnes alios reponi deberet, siquidem sub hoc tempore eam scripsisse creditur, vt colligitur ex Eusebio *in chronic.* Clem. Alexandr. *in* 1. *Stromat.* Genebrardo *in Chronolog. in Achab Re.* Quare autem non nisi quarto loco reposita fuit, nihil certi affirmari potest. De hoc iterum sub anno 3140. redibit sermo. Sepultum autem fuisse in Samaria, & iuxta ipsum postea Elisęum, dicemus *sub anno* 3204. Eliæ discipulum fuisse præter nostros tradunt de exteris Epiphanius *de vit. Prophetar.* Dorotheus *in synopsi,* & alij apud Sanchez *in princip. Abdiæ Prolog.* 2. *n.* 4.

Annus

Annus mundi 3139. ante Christum 914.

1 RAT hic annus primus Iorami Regis Israël, ad quem ob mortem fratris Ochoziæ, qui sine liberis decesserat, Imperium decem tribuum deuolutum erat, Iosaphati Regis Iuda 19. & Amariæ Pontificis secundus. Ioram Rex.

2 In quem annum clarissimi, & sanctissimi nostri Prophetæ Eliæ raptum, & ei supparis Elisæi vaticiniorum & prodigiorum, ac Ordinis prophetici suscepti regiminis initium, plures grauesque auctores referunt. Hi sunt Abulensis *q. 1. in cap. 2. in 4. Reg.* Torniellus, & Salianus *sub hoc anno.* Franciscus à S. Maria *in histor. Prophet. lib. 1. cap. 28.* nec multum absunt Hebræi *in seder olam cap. 17.* Genebrard. *in chronolog.* & Ioannes de Vineta *in Tract. qui incipit: Cum quidam fratres nostri, cum Speculo Ord. fol. 57.* nec dissentiunt Serarius, & Cornelius. Alijs ergo aliter opinantibus huic sententiæ subscribendum censemus. Ei tamen refragari videtur, quod Ioannes Ierosolymitanus *dicto libro cap. 20.* dicat per sexdecim annos mansisse Eliam in Carmelo, quod verum esse non potest, si hoc anno translatus est, siquidem ab anno 3127. quo Carmelum ascendisse diximus, non nisi duodecim, vel tredecim numerentur. Sed prælerquam dici potest errorem in numerum typographi negligentia incidisse, vel ita Ioannem iuxta sui computi rationem existimasse, suppetit alia satis probabilis solutio, eum scilicet non solùm computasse annos, quibus Elias Carmelum coluit cum Elisæo, & alijs filijs Prophetarum, sed etiam illos, qui ante illud tempus præcesserant. Probabile namque valde est, vt cum Gasparo Sanchez *sub anno 3123. num. 9.* diximus Eliam prius quàm ante Achabum siccitatem minitans comparuisset, per aliquot annos Carmeli eremum habitasse, ideoque tanquam in loco sibi bene cognito, vt in eo congregaretur populus, pro sacrificio faciendo à Rege expostulasse. Vt vt res fuerit, nos communiorem sequamur sententiam. Annus raptus Eliæ.

3 Ibant igitur Elias, & Elisæus de Galgalis, vrbe magna in tribu Ephraim, & vbi prophetici Ordinis Collegium erat, iuxta dicenda sub anno 3154. *n.* 7. illuc enim è Carmelo descendentes conuenerant, vt testatur Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. cap. 23.* ex quo elicitur post mortis Ochoziæ prædictionem Eliam Carmelum ascendisse, consolaturum scilicet filios Prophetarum ibi manentes, deindeque in Galgalam eundem ob finem cum Elisæo socio descendisse. Qualiter contigit.

disse. Cum autem diuinitùs sibi reuelatum esset de medio mundi mirabiliter tollendum, nolens gloriæ translationis suæ quemquam habere testem, nec intimum quidem socium, discipulum, ac successorem Elisæum, ideo: *Sede*, inquit, *hic, quia Dominus misit me in Bethel*. Elisæus autem non præceptum, sed adhortationem intelligens, respondit: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te*. Descenderunt ergo Bethel, & egressi sunt eis obuiam filij Prophetarum in eo Collegio existentes, iuxta dicenda eo sub anno, & dixerunt ad Elisæum: *Nunquid nosti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum à te?* Nouerant enim hoc, quia inter eos aliqui erant lumine prophetico à Deo donati, vt notat ibi Lyranus, & alij. Ideo autem hæc dixerunt Elisæo, *quòd volebant* (inquit Abulensis hic *q.* 11.) *quod Elisæus succederet loco Eliæ in principatu* eorum. Qui respondit: *Et ego noui*, eodem pacto sicut & vos, *silete* ergo, ne scilicet hoc sciat Elias. Hoc etiam loco monuit Elias Elisæum, vt maneret, quia Dominus illum mitteret in Iericho, sed Elisæus eodem modo respondit non facturum. Ascendentibus autem Iericho, filij Prophetarum in eo Collegio manentes de discessu Eliæ Elisæum etiam, sicut & ij, qui erant in Bethel, monuerunt, quibus & idem responsum præbuit. Monente quoque etiam eo loco Elia, vt maneret quòd vsque in Iordanem iturus esset, idem quod prius responsum ab Elisæo accepit. Ierunt igitur ambo pariter versus Iordanem eos insequentibus quinquaginta ex filijs Prophetarum Ierichuntinis (quo magnum illud Collegium fuisse denotatur) à longe tamen státibus, vt viderent finem. Cùm verò ad Iordanis ripam accessissent, cui nec pons, nec vadum, aut nauicula ad traijciendum erat, *tulit Elias pallium suum, & inuoluit illud*, in formam videlicet oblongam, rotundam, & aptam ad percutiendum Iordanem *& percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem*, id est, *in duas partes, & transierunt ambo per siccum*, duplici facto miraculo, primo diuisi fluminis, secundo fundi lutulenti exsiccati. *Cumque transissent*, iamque proximè sui raptum instare cognouisset Elias, ait ad socium: *Postula quod vis, vt faciam tibi*, in signum veteris amicitiæ, & subsidium pro tibi imponendo onere. *Sciebat* enim (inquit Abulensis hic q. 15.) *Elisæum sibi futurum successorem*, procul dubio quia illi dixerat Deus 3. *Reg.* 19. *v.* 16. *Elisæum filium Saphat vnges Prophetam pro te*. Cui Elisæus: *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus*, spiritus videlicet occulta prædicendi, & miracula faciendi, vtrumque enim necessarium forsan credebat pro bona administratione muneris superioratus sibi iniungendi, sicut fuerat in Elia, vel saltem ad exercendum

Venit Bethel. Iericho. Et Iordanem

munus

munus prædicatoris contra populum peruicacem, & innumera peccata committentem, prout habet Auctor mirabil. S. Scriptur. *lib. 2. cap. 22.* Vide de hoc spiritu duplici alia apud Beauxamis *in Harmon. Euangelic. to. 1. fol. mihi 32.* subdit Elias: *Rem* (inquit) *difficilem postulasti*, quam videlicet solus Deus, & non omnibus suis amicis concedere solet, *attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi*, à Deo videlicet, *quod petisti, si autem non videris, non erit*: ita enim dictauit Dominus Eliæ respondendum. *Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei*, Angeli videlicet hac specie, *diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in Cælum.* Elisæus autem sui, & sociorum, ac totius populi orbitatem dolens, *videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga eius*, id est, columen, præsidium, & Pater totius populi. S. Scriptura 4. *Reg. 2.* Abulensis, & alij Expositores *ibid.* Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. cap 23.* Aliter exponit hæc posteriora verba Bouldducus *in exposit. epist. B. Iudæ vers. 1.* ita vt Eliam vocari *currum Israel, & aurigam eius*, idem sit ac eum appellare *Generalem Prophetarum Archimandritam, in quo velut in curru, qui Spiritu Dei ducebantur, erant aggregati, & ad nutum eius moderati.* Sic ille. De curru porrò Eliæ multi multa dicunt, illud nobis non prætermittendum, quod Ioannes Geometra vetustus Auctor Græcè, Latinitati tamen à Federico Morello donatus *in to. 8. Biblioth. edit. 4. Parisiens.* hunc Eliæ currum Deiparam Virginem interpretatur. Sic enim *Hymn. 1. de laudib. Deipara* concinit: Raptus est.

Gaude Thesbita viue & clarissime currus,
Virtutum rapidis concite quadriiugis.

Quæ quo sensu accipienda, docti iudices sunto. Mea quidem sententia, vel quia Marianæ puritatis Elias typus fuit, vel quia tantæ Virginis in spiritu deuotissimus.

4 Antequam autem de loco, ad quem sublatus Elias fuit, vitæ conditione, quam ibi gerit, & gestis Elisæi post ipsius raptum aliquid dicamus, operæ pretium videtur ipsius commonitionem, concionemue ad discipulos in Carmelo habitam, quam piè meditatur perdoctus Iacobus Salianus *sub hoc anno num. 9. & sequentibus*, hîc apponere: eam verò totam referimus, quia per ipsam multa ex ijs, quæ in superioribus diximus, clariùs denotantur. Sic ergo Salianus Eliæ concionem refert: *Meministis*, ait, *quanta tempestatis procella in nos ante aliquot annos concitata fuerit ab Achabo Rege, dum in pœnam peregrini cultus Idolorum, Deus illi me denunciare iussit siccitatem, indeque secuturam famem, cuius solutio ex ore meo, ac voluntate penderet. Nullum* Concio Eliæ ad sodales.

lum oppidum, nulla ciuitas, nulla tribus fuit, quam eius nuncij inquirendi mei gratia non peragrarent; nulla gens, nullum regnum, quod veredarij eius non percurſarent, vt comprehenſus ſuppliciorum acerbitate compellerer ad diuina decreta commutanda. Sed irritus fuit hic eius conatus, Domino me ad torrentem Carith occultante canibus hiſce venaticis, humaniſsimèque protegente, atque adeo perpetuis prodigijs ſuſtentante. Cuius rei conſcij ſunt nonnulli veſtrum, qui ad me tunc metu illorum temporum confugiebatis, vt ne vos inundantis idololatriæ torrens violenter abriperet, ac diſsiparet eos, qui vno iam tum ſpiritu, ac voluntate regebantur, & communem nobiſcum vitam in Religioſo Dei famulatu ambiebant. Nonne exiguum iſtum, electumque manipulum Dominus non ſolum à Regis furore, ſed à famis quoque neceſsitate prouidentiſsima miſeratione liberauit? ſicut & me apud viduam Sarephtanam, quam voluit reliquo famis tempore me habere hoſpitem; cuius filium vitæ reſtituit, cuius farinam multiplicauit ad preces meas, cuius oleum iugiter ſtillare iuſsit, neque deficere, quamdiu ſæuiret fames. Nec deſpero fore in hoc numero, qui tantum apud miſericordiſsimum Dominum gratia valeant, vt non ſolùm his ſimilia aliquando faciant, ſed maiora etiam faciant.

Monitio.

5 *Quidni confidatis in Domino filij Prophetarum, quamuis ſpirante adhuc, ac rugiente immani illa beſtia interfectrice Prophetarum, filij mihi longè chariſsimi, quos Deus ad gloriam ſui nominis conuocauit, vt dies, noctesque laudes eius ore, manuque decantaretis, vt à communi via iniquitatis abhorreretis, & in eam mecum incumberetis vitam, vt corda filiorum conuerteremus ad Patres, qui Domino Deo Iſrael corde perfecto ſeruierunt, vt fratres noſtros, quos Idolorum ſeruitus miſerè dementauit, à ſacrilegis vitulis abduceremus, neque pateremur oſculari eos Idoli manum, & curuare genua ante faciem Baal? Quidni confidatis, inquam, filij Patriarcharum Abraham, Iſaac, & Iacob dilectorum Dei, filij Samuelis, filij Nathan, filij Aſaph, filij Aſaph, filij Heman, & Idithum, & reliquorum qui doctrina domibus præfuerunt, & multos erudierunt ad iuſtitiam, & in perpetuas tanquam ſtellæ fulgebunt æternitates; quos inter nomen quoque humilitatis meæ deinceps memorabitur? Quidni præſenti animo ſitis, cum tam ſingularem in vos, meque ipſum Patrem veſtrum Dei prouidentiam oculis ipſi veſtris vſurpare, & manibus penè attrectare potueritis?*

Renocat in memoriam præterita.

6 *Num memoriam depoſuiſtis temporis illius, quo quinquageni in ſpeluncis latitantes, dum detonaret à Iezabela tempeſtas, à diuina prouidentia veriùs multo, quàm Abdiæ benignitate protecti, ac nutriti fuiſtis, vt cæteris fame tabeſcentibus, nihil deeſſet vobis? Non tenetis horriſo-*

nas

nas minas, quas Sidonia Iezabel suorum cæde Pseudo-prophetarum saucia in me iactabat, & tam multis iam piorum cruenta cædibus omnes in me suorum scelerum administros armabat? Cum ego trepidus (nihil enim diffitebor infirmitatem meam) ille ego qui nuper quasi murus æneus coram feroci, atque irato mihi Rege steteram, quo me cunque tum ferret impetus versus inuiam solitudinem proripui me ab omni humano præsidio imparatus, & vnius diei itinere confecto, fatigatus ab itinere sub vmbra Iuniperi vnius obdormiui: vbi semel, iterumque Angelico ministerio excitatus, ciboque ac potu recreatus, ipsos quadraginta dies permansi ieiunus, eiusque cibi vi, & efficacitate roboratus ambulaui oberrans vsque ad montem Dei Horeb: quò cum peruenissem, quod ego nunc abiens ab hominibus non iactandi mei, sed consolandi atque animandi vestri causa dictum velim, & de Domino Deo, cui seruitis in bonitate sentiendi, sperandique in spelunca ostio apparuit mihi Dominus in tenuis auræ sibilo, & fluctuantes zelantis animæ motus beneuolè composuit, & de futura sua aduersus impios vindicta præmonuit, ijs quoque nominatis, per quos exercenda foret. Ibi tum mihi nominatim edidit Elisæum filium Saphat, vngique iussit in Prophetam Elisæum, nostrum ab eo tempore socium, deinceps etiam diuino decreto successorem, & omnium vestrum à digressu meo parentem, Elisæum disciplinæ religiosæ Præpositum ac magistrum, cui secundùm Deum obtemperabitis, quicunque in Carmelo, & in Bethele, & in Galgalis, & in Naioth, & ad Iordanem, & in Gabaa, cæterisque locis diuinæ militiæ, & religiosæ professioni nomen dedistis. Eius ex ore diuina accipietis oracula, & in eo agnoscetis loquentem Deum. Ab eo directionem; & consolationem, & auxilium in prosperis & aduersis tanquam à parente amantissimo & spiritualium bonorum locupletissimo expectabitis. Eum enim scio multum gratia valere apud Dominum, vt res ipsa citiùs opinione vestra docebit; & valiturum etiam ampliùs propter vos, in quos Dei loco suauissimum exercebit imperium: Hunc tanquam è Moysis cathedra loquentem audietis, in eius manibus vota vestra offeretis Deo. Ergo quam cœpistis castè ac religiosè vitam agitare, eodem ductore constanter ad mortem vsque ducere perseuerabitis, ab eo siquidem ad omnem virtutem verbo, & exemplo informabimini. Est enim vir Propheta potens opere, & sermone. Ille vobis propitium reddet Deum, nihil vt in vos possit immanis Iezabelis audacia, neque qui nunc regni gubernacula suscepit Ioramus, non magis, quàm in me, vosque hactenus Ochozias & Achabus, cui impunè domum eius penitus excindendam pronunciaui, cuius vaticinij vos mihi non ita multò post testes eritis.

Primum autem illud esse cupio siue in mandatis, siue in admonitionibus meis, vt omnem Idolorum spurcitiam detestati, vnius veri Dei Exhortatio.

cultum fideliter, constanterque amplectamini; illius Legem, cerimonias, atque iudicia sanctè, integrè inuiolatèque custodiatis. Ab eo promissum in Lege Messiam (cuius nonnullam nos quoque figuram gessimus) singulari fide, ac deuotione, constantia, charitate, desiderio præstolemini, & intimis quotidie precibus more maiorum à Deo flagitetis Messiam mundi reparatorem, exterminatorem, atque expiatorem peccati, perfectioris, sanctiorisque vitæ, quam quoquo modo incepeamus, auctorem. Messiam, qui persoluto redemptionis humanæ pretio iustitiam adducet sempiternam, & regnabit in domo Iacob, & in solio Dauid, & Regni eius non erit finis. Messiam, qui Cælum ipsis quadraginta seculis obseratum morte sua patefaciet, & æternitatis aditum deuicta morte reserabit. Primus quippe illuc cum pompa inuectus, nobilissimoque triumpho iustorum animas populato Abrahæ sinu in locum Beatissimæ immortalitatis transferet, atque transcribet, & reliquis deinceps temporibus amicis suis statim à deposito mortalitatis exuuio, purgatisque delictorum reliquijs, felicitatis præmium sine mora largietur. Habete ergo in eo spem salutis vestræ repositam, proque eius accelerando aduentu Deum indefessis precibus fatigate. Credo enim fore, vt non deficiat in vobis, posterisque vestris obseruationis sanctæ propositum, donec veniat is, qui est expectatio gentium; donec surgat Propheta ille magnus, quem sanctissimus diuinæ Legis promulgator Moyses sub seuerissimæ animaduersionis interminatione, ac iudicij Dei audiendum esse pronunciat. Ille est filius Dauid, filius Abraham, à quo noua fient omnia, à quo studium voluntariæ paupertatis, illibatæ castimoniæ, & obedientiæ sponte susceptæ mirabilia accipiet incrementa, adeo vt feruor vitæ arctioris, qui nunc paucis quibusdam vnius Prouinciæ oppidis, desertisque locis continetur, longè se inde lateque fundat, quacunque Orbis terrarum patet. Suscitabit Dominus alios Samueles, & alios Nathanos, atque Elias, si ita vultis, qui diuersis itineribus, diuerso cultu, habituque, diuersis legibus, & Institutis ad culmen perfectioris vitæ connitantur; & in Ecclesia Sancta laudabili varietate circundata ad brauium supernæ vocationis accendantur. Plerique inuias, squallentesque solitudines incolent, in quibus oberrabunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erit mundus, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ, ibi in sepulchris, quasi mortui vltrò condentur, & aurea Cælorum palatia angustis carceribus mercabuntur. Alij communem in ciuitatibus, & cœnobijs vitam adamabunt, vt sanctis sociorum exemplis ad omnem virtutem eorum industria acuatur, vt tam proprio, quàm proximorum profectui, & commoditatibus seruiant, & mutua inter se charitate deuincti illud regij Prophetæ oraculum incredibili animi exultatione decantare possint.

Futurorum prædictio.

Ecce

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. *Hi ergo solitudinem in hominum frequentia reperient, & contemplationem cum actione attemperabunt, vt vbi ex diuino fonte hauserint in eremo, eructent in populis ad eorum salutem. O quando exorientur aurea illa tempora, quoniam visio in multos adhuc propagabitur dies! Felices, quibus sacrosanctam illam Messiæ faciem dabitur aliquando contemplari, & diuinas auribus vsurpare voces, quas tam multi Reges, & Prophetæ tot votis expetiere. Videbo ergo illum, sed non modò, intuebor illum, sed non prope: fulgebit enim lux eius in oculis meis in monte sancto eius, & verba eius auribus meis insonabunt, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum; reposita est hæc spes mea in sinu meo. Vos autem filioli, quos postremum alloquor, ea quæ dixi vobis, in altum pectus dimittite, religiosam humilitatem diligite, corporis, animique feroces ac turbulentos motus Spiritus feruore compescite, linguam cohibete, mutua inter vos charitate, beneuolentiaque certate, pietate in Deum, & obseruantia apud Præpositos, & maiores natu, bono denique aduersus omnes exẽplo.*

57 Sed nos pro eodem magno Parente Elia ad terrestris Paradisi ianuas affigendum Elogium sic damus:

ELOGIVM.

Hic stat, ò Viator, cælicus ille diuini honoris Zelotes Elias, spiritu duplex, puritate simplex, virtutibus diues, terrestri mammona pauperrimus, Deo amicissimus, Diabolo inimicus, bonis amabilis, impijs formidabilis, ante Christum natus, cum Christo conuersatus, post Christum contra Antichristum reseruatus; Patriarcha eximius, Propheta celeberrimus, Sacerdos magnus, Monachus, Monachorum Pater, virgo cœlebs, vnicus Phœnix.

Christi

Apostolus veluti futurus, Martyr, Præcursor, Antesignanus, Propugnator strenuus, veritatis præco, Ecclesiastes feruentissimus. Annosus sine carie, senex sine senio, mortalis sine morte, cibatus sine cibo, longæuus sine ærumnis, & ad viginti quinque annorum secula, ò mirum dictu! vitam sanctissimam protrahens.

Qui

verberauit Tyrannos, neci dedit sacrilegos, Cælos siccitate clausit, rursumque aperuit, Reges vinxit, Prophetas vindices instituit; ab Angelis in ortu denunciatus, in Carith cibatus, in Horeb salutatus, vbi medios inter sonoræ tempestatis fragores, & concussos flagrantes montes suauissimæ sub auræ sibilo Deum operto vultu, prout fas est, attentus excepit.

S 2 Cuius

Cuius

virtute hydria farinæ non defecit, vas olei perpetuo fonte manauit, ignis de cælo ter venit, Leæna Baalıta canum laniena perijt, Iordanis aquæ scinduntur, Prophetæ spiritus datur, mortuus homo primò ab inferis reuectus auram spirat, mundusq; in consummatione ad factorem suum reuertetur.

Cui

Deus honorem, Christus claritatem, Baptista Ioannes dignitatem, Angeli obsequium, Cæli, & elementa obedientiam, Prophetarum cunei, lectique Religiosorum manipuli reuerentiam, magnus eius discipulus Elisæus ministerium, corui quoque panem, & carnes, & panem, & carnes vesperè præbebant.

Quem

Raptum mirabiliter, per aera sublevatum, curru & equis igneis euectum, magnifico triumpho, splendidissimo trophæo, nimium corusca luce micantem in hunc amœnitatis, & delitiarum hortum tanquam mundi prodigium, Orbis miraculum, gratiæ, & naturæ monstrum terra possidet, Cælum expectat, Ecclesia colit, & totus veneratur Orbis

Vita superstitem.

In quem locũ raptus sit Elias.

8 Iam ergo de loco, in quem Elias raptus est, paucis differere necesse erit. Etsi enim Patrum plures curiosam, nec humano ingenio dignam hanc disquisitionem arbitrentur, quales sunt Chrysost. *hom.21.in Genes.& hom.22. ad Hebræos;* Augustin. *lib.2. de peccato origin. cap.23.* Theodoret. *q.45. in Genes.* auctor apud Cyprianum *in l. de Sina, & Sion*, nihilominus cum res etiam obscuriores à Patribus, & Theologis pro captu definiri soleant, non est cur in hac ipsorum placita non attendamus. Alij propterea ex eo quòd Sacer textus 4.

Non in Cælum.

Reg.2. v.11. dicat: *Ascendit Elias per turbinem in Cælum*; in Cælum, quòd Beatorum sedes est, translatum esse Eliam autumare videntur. Hi sunt Ambros. *in lib. de Paradiso epist. ad Simplician. & lib. de Pænit. cap.5.* Hieronym. *epist. 152. ad Minerium, & Alexandrum*, Chrysost. *hom. de Ascensione Eliæ*. S.Ephrem *in Serm. de transfigurat.* Dorotheus *in synops. Prophetar. in vita Eliæ*. D. Gregorius *lib.20. moral: cap.26.* Sedulius *lib.1. oper. pasch.* Alcimus Auitus *lib.4. de diluuio c. 6.* Procopius Gazæus in *cap.5. Genes.* Michael Psellus apud Eugubinum *in cap.2. Genes.* & alij. Quorum placitum, si vt sonat de translatione Eliæ tum anima, tum corpore ad Cælum Beatorum accipiatur, admitti non debet. Constat enim Christum primum fuisse inter homines, qui Cælorum fastigia penetrauit. Propterea namque

que

que ipse Ioann.3.v.13. dixit: *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo.* Et cap.14.v.2. etiam: *Vado parare vobis locum.* Et ad Hebr.6.v.20. Paulus: *Vbi præcursor pro nobis intrauit Iesus.* & cap.10. v.20. de ipso Christo: *Initiauit nobis viam bonam.* Propterea etiam in Hymno, *Te Deum laudamus* canit Ecclesia: *Tu deuicto mortis aculeo aperuisti credentibus Regna Cælorum.* Et Innoc. III. in cap. *Maiores de Baptismo* dixit: *Regnum Cælorum vsque ad mortem Christi fuisse omnibus obseratum.* Ideo alij locum illum, in quem Elias raptus est, cum dicitur ascendisse *per Cælum* (id est; per aerem, qui Cælum etiam in Sacris Codicibus appellatur) Adamicum Paradisum, terrestrem scilicet, intelligunt, commodius sanè, & magis ad mentem Ecclesiæ. Hi sunt S. Iræneus *lib.5. contra hæres. cap.5.* Iustinus *q.85. ad orthodoxos*; S. Hieronym. *ep.61. ad Pammachium.* Ioannes Ierosolymit. *de Instit. Monachor. cap.23.* S. Thom. *1.p. q.102. art.2. ad 3. & 3.p. q.49. ar. 5. ad 2.* quos tot alij minoris notæ sequuntur, vt prolixum valde esset eos sigillatim recensere. In Paradisum

9 Sed siue in hunc Paradisi locum, siue in illum, in quo Paradisus erat, vt alij putant (si vera est sententia illorum, qui credunt Noemici diluuij aquis perijsse) siue tandem in alium quemlibet translatum Eliam asseramus, illud pro comperto fermè omnibus est, eum viuere, nec mortis debitum Dei specialissimo miraculo vsque modo exsoluisse: id enim (quibusdam Hebræis reclamantibus, qui temerè eum *in suo raptu corpore laxatum, & in sua elementa solutum* apud Genebrard. *lib.1. Chronolog.* dicunt) PP. veneranda cohors tenet. Hi sunt Irenæus *lib.5. aduersus hæreses cap.5. & lib.4. cap.30.* Iustin. Philosoph. & Mart. *in quæst. ad Orthodoxos q.85.* Tertull. *lib. aduersus Iudæos cap.2. & lib. de Anima cap.35. & 50. & lib. de resurrectione carnis. cap.58.* Clemens Roman. *lib.5. constit. Apostol. cap 8.* D. Cyprian. *lib. de montibus Sion, & Sina*, D. Hieronym. *epist.61. ad Pammachium, & lib.3. contra Pelagianos, & in epist. ad marcell.* D. Basilius *hom.2. in Hexam.* D. Chrysost. *hom.21. in Genesim, & hom.22. in epist. ad Hebræos.* D. Ambros. *lib. de Paradiso cap.3. & lib.4. de fide cap.1. & lib.2. in Luc.* S. Epiph. *lib.1. aduersus hæreses, hæresi 64.* D. August. *lib.9. de Gen. ad literam cap.6. & lib.1. de peccatorum meritis, & remissione cap.3.* Theodor. *lib. quæst. in Gen. q.45.* D. Gregor. *lib.9. moral. cap.4. & lib.21. mor. cap.36.* Eucher. *lib.1. in Gen. cap.18.* D. Anselm. Theophil. Oecum. D. Thom. *in cap.11. epist. ad Hebr.* & alij. Historiographi etiam qui res in mundo gestas diligentissimè exquisierunt, veritatem hanc communiter amplexati sunt. Ex millibus vnum vel alterum proferamus, videlicet Otton. Viuit adhuc.

S 3 Frisin-

Frisingens. *in Chron. cap.*30. & Hermann. Contract. *circa ann. mundi* 3064. Quod ille prior conceptis sic expressit verbis: *Elias igneo curru in aera viuus transuectus adhuc manere creditur superstes*. Et posterior sic: *Elias igneo curru rapitur quasi in vsque Cælum*. Clariùs Gotfridus Viterbiensis *in Chron. p.*8. sic: *Igneus est currus submissus ab ethere Cæli, Viuus Elias quo scripto perhibente resedit, Viuere perpetuò cui Deus ipse dedit*. Et meritò sanè Eliam sanctum nondum mortuum tradiderunt, cum Sacra Scriptura id non obscurè subindicet, cum eum 4. *Reg.*2. *v.*11. in Cælum translatum referat. *Et Ecclesiastici* 48. *v.*9. receptum dicat *in turbine, & inscriptum in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, &c.* Accedit quòd de communi Patrum, Doctorumque sententia duo illi testes Christi, de quibus *Apoc.*11. *v.*3. *&* 4. Ioannes dicit: *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, Elias, & Enoch sunt. De illis autem paulo post docet à Bestia, id est, Antichristo occidendos: *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos*. Si autem occidendi sunt, ergo nunc superstites, & inter viuos numerantur, nondum vita priuati. Melius ergo sapiunt Hebræorum alij, qui Eliam *septimum humanæ vitæ continuatorem* dicunt. Est namque illorum traditio, septem viris omnem à mundi principio vsque in finem vitam humanam continuatam esse. Primus est Adam, cuius vita vsque ad Mathusalem peruenit. Secundus hic Mathusalem, qui vixit vsque ad Sem filium Noè. Sem iste, qui fuit tertius, peruenit vsque ad Iacob. Quartus Iacob vsque ad Amram patrem Moysis. Hic Amram quintus in hac continuatione Ahiam Silonitem attigit. Sextus Ahias vsque ad Eliam, qui septimus vsque in finem mundi est victurus. Ita ex Sixto Senense *in Bibliotheca sancta lib.* 2. *in verbo Elias* extraximus. Hæc etiam traditio à nostri Ordinis Professoribus, qui iure hereditario filiorum successionis Parentis Eliæ statum diligentius obseruare debuerunt, conseruata est. Illam enim scriptis prodiderunt Ioannes Ierosolymitanus in relato *libro de Institut. Monachor. cap.*23. Ioannes de Malinis *in Speculo histor. cap.*2. Ioannes de Cimineto *in paruo opusculo Speculo Ordinis appellato cap.*1. Vineta *in tractatulo*, qui incipit: *Cum quidam fratres nostri*. Franciscus à Sancta Maria *in Historia prophetica lib.* 1. *cap.*30. Michael Munoz *in propugnaculo Eliæ lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 2. *ar.*4. & plures alij. Rem hanc ad fidei dogmata pertinere plures asserunt: sed cum loca S. Scripturæ allata non sint ita manifesta, vt ad alium sensum retorqueri non possint, nec traditio tam constans, vt non desint contrariæ partis fau-

Probatur.

tores,

tores, nec suppetat aliqua Ecclesiæ quoad hoc expressa definitio, ideo licet vt certa, & indubitata nostra doctrina tenenda sit, quòd tamen opposita hæresis appellari debeat, affirmare non audemus.

10 In eum autem finem superstitem Eliam à Deo reseruari, vt Antichristi tempore contra ipsum veniens, & pro Christi fide testimonium perhibens, martyrio peremptus de impio tyranno gloriosiùs triumphet, plurium etiam Patrum, & DD. assertio firmat, specialiter Ambrosij, S. Thomæ, Aretæ, Aymonis, Riccardi, Ansberti, Dionysij, & aliorum expositorum loci illius Apocalyps. 11. iam relati: *Hi sunt duæ oliuæ, &c.* & alterius similis *Malach.* 4. *v.* 5. vbi sic Propheta: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis, &c.* Illos prætermittimus; quia vulgare hoc est, & commune Theologorum placitum, nec necesse sit de eo longiorem disputationem texere. De eo tamen inter alios Cornelius *in Ecclesiastic. c.* 48. *vers.* 10. Ad quem finem.

11 An verò interim Dei beatifica visione, & fruitione noua Dei gratia, & miraculo potiatur, controuersum est. Plures enim in affirmatiuam sententiam propendunt. Primò illi, quos superiùs adduximus, qui credunt ipsum in Cælum Beatorum translatum fuisse, consequenter enim existimare debent eum visione, & fruitione Dei potiri. Secundò alij etiam, qui Eliam titulo Beati appellant, hoc enim Beati cognomen ex vsu Ecclesiæ illis solùm, qui Dei visione fruuntur, applicatur. Patres verò, qui hoc titulo Eliam nostrum decorant, sunt Chrysost. *hom.* 2. *ad popul. Antioch. & hom.* 15. *ex varijs in Matth. & hom.* 42. *in Genes. cap.* 18. *Item serm. in Eliam Proph.* D. Hieron. *in vit. Pauli eremitæ.* S. Ambros. *lib.* 2. *offic. cap.* 4. *& lib.* 1. *de Iacob. cap.* 8. Ioannes Ierosolymitan. *in lib. de Institut. Monachor. cap.* 2. S. Cyrillus Alexandrin. *lib.* 3. *contra Iulianum.* S. August. *serm.* 201. *de temp. qui est secundus de Dominica* 3. *post Trinit.* Basilius Seleucien. *Orat. de Elia.* Eucherius *in* 4. *lib. Reg.* Rupertus Abbas *in libros Reg. lib.* 5. *cap.* 19. quibus alij assentiuntur. Tertiò specialiter illi, qui clarissimè Eliam visione beata frui concedunt; quales sunt Ambros. Catarinus *in libello de consummata gloria Christi.* Augustinus Eugubin. *in cap.* 2. *Genes.* Alphonsus Salmeron *tom.* 11. *tract.* 32. circa illa verba *Ioannis* 21. *Sic eum volo manere.* Sebastianus Barradas. 4. *to. hist. Euangelica lib.* 9. *cap.* 4. & Benedictus Pererius *lib.* 7. *in Genes. quæst.* 5. vbi id probabile reputat. Quibus iungitur magnæ auctoritatis Doctor inter Græcos Gregorius Hiero monachus magnus Protosyncelus, & à confessione Summi Pontificis, qui postea Patriarcha, & Romæ sepultus miraculis claruisse dicitur, *in responsioni-* An fruatur Dei visione.

sionibus ad epistolam Marci Ephesij in fin. Concil. Florentini. 4.to. concilior: in impressione Coloniensi; quod videtur ex Menologio Græcorum desumptum, vbi in hymno seu oratione S. Eliæ sic dicitur: *Propheta Christi præco tu nunquam à sede maiestatis abiungeris*. Et ex Metaphraste, *qui* 20. die Iulij *in sermone de Elia* de ipso maximè à Dauide dictum esse putat: *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum*. Alijs tamen Auctoribus, inter quos sunt Suarez *to.2. in 3.p. disp.55. sect.1.* Cornelius *in c.5. Genes.* sententia hæc non arridet propter adducenda fundamenta.

Felicissimam ducit vitam.

12 Esto autem Beata Dei visio, vel fruitio Eliæ concedenda non sit, ne scilicet sicut Christus viator, & comprehensor æquè censeatur (quod eiusdem Christi Seruatoris proprijssimum priuilegium creditur) & quia illi obstare videntur Sacræ Paginæ testimonia, quibus Deum videri in hac vita denegatur, qualia sunt illud *Exod.33.v.20. Non videbit me homo, & viuet*. Et 1. *ad Timoth. vlt. v. 16: Quem nullus homo videt, sed neque videre potest.* Nihilominus in eo statu, quo est, felicissimam, & fermè beatam ducere vitam pro comperto omnibus erit. Ita enim astruunt PP. & DD. specialiter Sanct. August. *lib.9. in Genes. ad literam cap.6.* Hieronymus *ep.61.* Epiphanius *hæres.64.* Tertullian. *de resurrect. carnis cap.58.* Abulen. *4. Reg. 2. q.24.* Metaphrastes die 20. Iulij *in serm. S. Eliæ*. Et ex recentioribus optimè Thomas Maluenda Dominicanus *lib.9. de Antichristo c. 12.* Franciscus à Sancta Maria *in Histor. prophetica lib.1. cap.30.* Michael Munoz *in propugnaculo Eliæ lib.3. tit.2. cap.1. ar.1.* cum alijs pluribus.

Pluribus Charismatibus decoratur.

13 Pariter etiam in eo felicissimo statu, in quo est, si Dei visione beata non perfruatur, ad minus tamen eximijs charitatis, & aliarum virtutum operibus, quibus exercendis per altissimam contemplationem, cui vacat, dirigitur, augmentum gratiæ & donorum in præsenti, & gloriæ pro futuro in patriæ statu promereri negari nō debet. Quo namque iure Deus iustissimus, qui pronior ad præmiandum est, quàm ad puniendum, amicissimi sui, & in altissimo sanctitatis gradu constituti Eliæ in carne mortali ad modum viatoris degentis opera libera, bona, & supernaturalia ex gratiæ auxilio procedentia condignis præmijs, sicut & aliorum iustorum opera non decorabit? Quid obstare poterit? Sanè dicunt graues aliqui Theologi, quia alioquin Beatissimæ Virginis Mariæ superabit merita. Infirma certè euasio, nec tam doctis viris digna. Licet enim plures numero, & duratione Eliæ actus boni futuri sint, quàm Deiparæ Virginis, intentione tamen, feruore, & charitatis ardore, quibus

præ-

præcipuè circumstantijs maior, & copiosior ratio meriti desumitur, opera B. Virginis eminentiora erunt, ac proinde magis meritoria. Huius propterea sententiæ propugnatores sunt Abulensis 4. *Reg.* 2. *q.* 24. *& in cap.* 25. *Matth. q.* 566. Episcopus Tenas *in cap.* 11. *epist. ad Hebr. disp.* 4. *sect.* 3. Viegas *Apocalyps. cap.* 11. *comment.* 5. *sect.* 4. Henriquez *l. vlt. de fine hominis c.* 23. & plures alij.

14 Similiter in eo statu, quo est, rectè & piè ab Ecclesia inuocari posse, ita vt mirum sit Raphaelem de la Torre 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 4. *disput.* 5. *& art.* 11. *disput.* 5. *concl.* 2. id vel in dubium reuocasse, multis & efficaciter suaderi potest. Primò enim id probant officia Ecclesiastica illi ab Ecclesia concessa: antiqua enim, venerabilis, sæpiusque à Sede Apostolica confirmata facultas extat ipsius officium celebrandi. Primò enim id Carmelitis nostris concessit Gregorius XIII in Bulla, *Vt Breuiarij*, anno 1584. & Sixtus Quintus in Bulla *Eximium*, anno 1589. Item S. Rituum Congregatio sub Paulo V. anno 1609. & sub Vrbano VIII. anno 1628. Deinde Clemens VIII. in Bulla quæ incipit: *Romanus Pontifex*, sub Dat. Ferrariæ *die* 30. *Iulij* 1598. concessit, & indulsit Presbyteris, & Monachis Græcis, præsertim Ordinis S. Basilij, vt vti possent Breuiario quodam Græco, Græcisque literis, & characteribus impresso, in quo officium S. Eliæ Prophetæ *pagina* 459. continetur. Fuit autem prædictum Breuiarium ab Antonio Arcudio Archipresbytero Soleti Hydrunt. Diœcesis ex mandato Cardinalis Iulij Antonij S. Seuerinæ in compendium redactum, & absolutum, ad ipsumque Clementem Octauum per prædictum Arcudium Archipresbyterum dedicatum, vt ex epistola ipsius in principio talis Breuiarij constat. De alio quoque Eliano officio, antiquo sanè, vtpotè quod ante Concilium Florentinum in vsu apud incolas Cretensis Insulæ videtur fuisse, agit Gregorius ille Hiero monachus magnus Protosyncelus *in responsionibus ex varijs Sanctorum sententijs ad epistolam Marci Ephesij in responsione ad obiectionem contra Beatitudinem Sanctorum*, asserens incolas prædictæ Insulæ rogasse venerabilem Ephesi Præsulem, *vt sermonem scriberet, quem annua Sancti Eliæ celebritate in officio legerent*, annuisseque petitioni ipsorum, *non absque mercede*, inquit, *tum à Sancto ipso exigenda, tum exacta per vinum in vase, quod vulgo Barile vocant*, scripsisseque sermonem, cuius principium tale est: *Opus profecto, &c.* Huius verò Auctoris liber 4. *to. Concil. impressionis Coloniensis* post acta Concilij Florentini extat impressus. Antiquissimis etiam temporibus officium eiusdem Eliæ inter veteres Christianos vsu receptum fuisse constat ex eo quòd S. Ioannes Chrysostom. qui circa ann. Domini 400. floruisse

Inuocari potest.

Officia illi concessa.

ruisse noscitur, homilias, conciones, seu sermones tres de Elia Sancto scripserit, vt ex primo tomo Operum eiusdem Chrysostomi habetur: harum enim homiliarum, seu concionum declamatio fiebat in sanctorum solemnijs, quæ populus ritu annuo celebrabat. Constat id etiam in Simeone Metaphraste, qui homiliam quoque pro Eliæ natali scripsit, quam Surius Latinam pro die 20. Iulij habet, vbi diem illum Eliæ festiuum *admirabilem* appellat. Ex Breuiario etiam Ecclesiæ Angriensis in Vngaria Venetijs ann. 1514: typis edito id quoque manifestè perspicitur. Habetur autē hoc Breuiarium cum Eliæ Antiphonis, & Oratione Hispali in nostro S. Alberti Carmelitarum Collegio, in ipsius Bibliotheca. Ex dictis autem elicitur non rectè Cornelium *in cap. 5. Genes.* solùm à Græcis Eliæ festum coli indicare; cùm certum sit & à Latinis id fieri, prout ex Breuiarijs relatis pro Carmelitarum Ordine liquidò innotescit. Minus etiam bene eo loco dicit à Græcis coli tantùm memoriam raptus Elię, quia mirabilis fuerit. Ex officijs namque adductis, precibus, hymnis, orationibus, Missarum solemnijs, &c. perspicuè demonstratur non Eliæ raptum, sed ipsum raptum Eliam, eiusque festum ab Ecclesia tum Græca, tum Latina celebrari. Ex eò autem quòd ipsi ab Ecclesia officium dicatum sit, manifestè colligitur ipsum à fidelibus inuocari posse, constat ex fine ab Ecclesia intento, dum officia & festa Diuorum instituit: is enim alius non est, nisi quem S. Bernardus *in sermone quodam* dixit, scilicet, *vt quorum delectamur præconijs, eorum subleuemur patrocinijs*. Et Rabanus *in alio sermone, vt per temporalia festa quæ gerimus, eorum meritis interuenientibus ad æterna gaudia peruenire valeamus*. Ex quo sanè conuincitur Ecclesiam, quæ ipsi officium concessit, eo ipso posse inuocari à fidelibus declarasse. Idem esto iudicium de Missis ipsius S. Eliæ, quarum plures extant in nostri Ordinis Missalibus ab Ecclesia approbatis, & alijs antiquioribus secundùm ritum Ierosolymitanæ Ecclesiæ & vna habetur in antiquissimo Bibliothecæ Vaticanæ Missali. Missæ enim Deo offeruntur in Sanctorum memoriam, eos inuocando, vt ipsi pro nobis apud Dominum intercedant. Secundò id suadetur ex magna templorum, & altarium multitudine, quæ Deo sub titulo Sancti Eliæ in Ecclesia Græca, & Latina consecrata sunt: eò enim hæc templa Deo sub titulis Sanctorum dedicantur, vt Christi fideles ad ea accedentes ipsorum Sanctorum meritis inuocatis, quæ postulant beneficia, à Domino consequi mereantur. Neque enim, vt Cornelius supra autumare videtur, in Eliæ raptus memoriam hæc templa Deo dicata consistunt, sed in tam egregij Prophetæ, ac celeberrimi Sancti commenda-

Templa illi erecta.

mendationem. Illa porro commemorant historiæ, specialiter Cedrenus *in compend. histor. in Basilio*, Genebrard. *in Chronolog. ann.* 3284. Nicephorus *lib. 8. histor. cap.* 30. Adricomius *in theatro Terræ Sanctæ, in tribu Isachar n. 21. in Ephraim loquens de Torrente Carith, in Zabulon n. 95 & in Ciuitate Ierosolymæ n. 221.* Nicolaus Eluehen *in suo Itinerario*, Beniamin Iudæus *in Itinerar. p.* 38. Alia quoque hoc tempore videntur in Zantes Insula sub PP. Dominicanis, apud Litium, & Tranni in Apulia, & in Insula Sardinia sub Diœcesi Turritana, Messanæ quoque, & alijs fermè innumeris locis. Tertiò id supponunt aliqui PP. maximè Basilius *hom.* 40. Gregorius *in 9. c. Iob.* Metaphrastes *in serm. de Elia*, Gregorius ille Hieromonachus relatus, & alij. Quartò, vt omittamus id etiam supponi in officijs, & Missis eiusdem Sancti Eliæ relatis, vbi sæpius inuocatur, vt pro nobis ad Dominum intercedat: clarissimè id quoque habetur in Menologio Græcorum, & apud præfatum Gregorium Hieromonachum, vbi etiam pluribus deprecationibus ipsius intercessio ad Deum interpellatur. Habeo & apud me Hymnum de eodem Elia ex Sclauonico in Latinum translatum, vbi cuilibet strophæ accinitur versiculus: *Propheta Domini ora Deum pro nobis.* Quintò non incongruè etiam ex sacra Scriptura elicitur; etenim 4. *Reg. 2. v. 14.* cum Elisæus post Eliæ raptum pallio ipsius, quod ei ceciderat, aquas Iordanis scindere vellet, & semel percussæ non diuiderentur, exclamauit: *Vbi est Deus Eliæ?* quo meritis, & fauore Eliæ fluuij diuisionem postulasse cernitur: sic enim aliqui legũt ex septuaginta: *Vbi est Deus, & Elias*; & Chaldæus: *Suscipe petitionem meam Dominus Deus Eliæ, etiam ipse.* Fauetque huic expositioni Ambros. *in psal.* 37. clariùs Abulensis *q.* 28. super hunc locum, clarissimè tamen Caietanus dicens: *Ad merita Eliæ inuocanda apud Deum confugit.* & Carthusianus: *Meritis Eliæ precor hanc Iordanis impetrare diuisionem.* Demum semper totius Synagogæ mentem fuisse Eliam in eo statu, quo modò est, inuocari posse. Suadetur primò, quod cùm dixisset ad Elisæum 4. *Reg. 2. v.* 10. *Si videris me, erit tibi quod petisti.* Ideo sic dixit, vt notat Rabbi Salomon, quia post raptum poterat aliqua facere, quæ prius non poterat, *per modum orationis, & meriti*, vt inquit Abulensis *q.* 18. Secundò, quia cum *Matth.* 27. Christus in Cruce dixisset: *Eli, Eli, lamma sabbatani*; Hebræi existimarunt in sui adiutorium Eliam compellasse, vnde dicebant: *Eliam vocat iste*; de quo *sub anno* 4086 *n.* 21. latiùs dicetur. Tertiò quia in Diuorum precationibus, quas populus iste incredulus, & incircumcisus adhuc retinet, vt videre est apud Genebrardum, qui illas collegit, sic habetur: *Recordare obsecro Eliæ, atque* Inuocatur.

Elisæi.

Elisæi. Et rursum: *Qui exaudisti Eliam in monte Carmelo, exaudi nos*. Extat & de hoc visio quædam Rab Simeon Beniohai apud Galatinum *lib.6. cap.*13. vbi introducitur Elias orans, & plorans, pro populo videlicet Dei. Multa de hoc in speciali tractatu à nobis scripto, etsi nondum typis edito, de officio, & inuocatione Eliæ; quæ omittimus, quia res, vt credimus, sufficienter probata, vsu & praxi Ecclesiæ communiter recepta. Vide & dicenda *sub anno* 3148. *n.*3. & Leonardum Marium *in Genes. c.*5. *n.*35.

Quomodo eo gnoscat preces illi oblatas.

15 Sed, inquies, quomodo Elias, si visione Dei beatifica, in qua, vel ex qua Sancti preces ad ipsos fusas cognoscunt, non fruitur, orationes, & deprecationes, quibus inuocatur, intelligere potest? Respondetur id fieri per frequentes Dei, & Angelorum reuelationes, illustrationes, & colloquia, quibus in eo felicissimo statu frequenter fruitur. His enim supernaturalibus consolationibus perfrui refragabitur nemo, & expressè concedunt Suarez *to.*2. *in* 3. *p. disp.* 55. *sect.* 1. Thomas Maluenda *de Antichristo c.*14. Gaspar Sanchez *in* 4. *Reg.* 2. Addit relatus Marius non solùm per extraordinarias reuelationes nostrarum inuocationum Eliam auditorem esse, sed & ex eo quòd instar Angeli, aut spiritus, quæ alij ipsis manifestant, agnoscunt, ipse quoque sibi manifestata percipiat. Vtcunque res sit siue vno, siue alio, siue vtroque modo Elias orationes ad ipsum directas intelligat, res pro comperto est Ecclesiæ stylo comprobata ab omnibus inuocari posse.

Eliæ sanctitas eximia.

16 Eliæ porrò sanctitatem, eximiaque magnalia commendare superuacaneum videtur, cum id sæpius in S. Scriptura 3. scilicet, & 4. lib. Regum, Ecclesiastic. 48. *v.* 1. & 1. *Machab.* 2. *v.*58. exaratum reperiatur: id quoque Patres imitentur, libros, homilias seu conciones integras de ipsius encomijs inscribentes, prout fecerunt Chrysostomus, Basilius Seleuciensis, Metaphrastes, & alij. Illud tamen non prætermittendum, quod de ipso Patres loquentes quasi ipsius excellentissimam celsitudinem sanctitatis admirantes sæpius *magnum*, *sublimem*, *mirabilem*, *eximium*, vel alium similem supra communes aliorum titulum ipsi concedunt. Magnum eum vocant S. Athanas. *de fuga sua*, Theodoret. *in lib. Reg.* Nyssenus *orat. de laudibus Basilij*, Chrysost. *hom.*1. *in cap.*1. *Genes.* August. *de Ciuitate Dei l.*20. *cap.* 29. Basilius Seleuc. *orat.* 11. Laurent. Iustinianus *in serm. de S. Iacobo*. Sublimem appellat Nyssenus *orat.* 5. *in Cantic.* & *orat. de laudib. Basilij*. Eximium Cæsarius *dialog.*3. & Damianus *sermon.* 2. *de Sancto Vitali*. Præstantissimum Principem Prophetarum S. Ambros. *in lib. de Viduis*. Caput Prophetarum Chrysost. *hom.* 18 *ad Rom.*

Valde à Patribus commendatur.

Rom. Mirabilem, admirabilem, seu miræ virtutis virum, aut mirificum Chrysost. *lib.* 3. *de prouidentia*, Augustinus *de Ciuitate Dei lib.* 20. *cap.* 29. Gregorius *in* 29. *cap. Iob. cap.* 5. & Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi* 17. qui etiam ibidem *Spiritiferum* eum vocat. Drogo Hostiensis Episcopus *serm.* 1. *de passione* Eliam pijssimum compellat, ne fortè quispiam ob multas ab illo impijs illatas cædes seueriorem crederet, illum quoque vocat *amicum & domesticum Dei, imò domesticorum, & amicorum præcipuum.* Abulensis 4. *Reg.* 2. *q.* 16. eum dicit *gloriosiorem omnibus Prophetis*, & *q* 25. affirmat, quòd *Hebræi quandocunque videbant aliquem virum facientem miracula, putabant eum esse Eliam. Vnde quæsiuerunt à Ioanne, an ipse esset Elias.* Demum Simeon Metaphrastes *in sermone de Elia*, ipsum *virum sacrosanctum, & diuinum* appellat, & qui *à Deo accepit omnium maxima* (hæc tamen sine præiudicio Deiparæ Sanctissimæ dicta credantur.) An verò cum Baptista Ioanne, & Apostolis conferendus, & maior illis sit, seu potius pro tempore Antichristi cum Enoch Apostolus, & de illis, in quibus typus Christi, alijs quoque ipsius prærogatiuis, quibus Præcursor secundi Aduentus Christi gaudebit, alij tractant; & inter eos egregiè Franciscus à Sancta Maria *in Histor. Prophet. & in Apolog. pro ipsius defens.* Ægidius Camartus *de reb. Eliæ cap.* 6. *sect.* 8. & 9. Munozius noster *in Propugnac. Eliæ*, & alij. Nobis autem, qui solùm historiam teximus, hæc sufficiant. Elogium tamen potius quàm epitaphium, quod ad limen Carmelitanæ speluncæ appendendum vult perdoctus Iacobus Salianus *tom.* 4. *Annal. sub hoc anno num.* 43. hîc nos adiungimus: *Hanc aliquando speluncam incoluit viator, qui præter naturæ ordinem factus est Paradisi colonus, & immortalitatis in mortali corpore candidatus, magnum illud Prophetarum lumen Elias Thesbites, in veste cilicina, in horrido, ac neglecto capillo, in prophetico pallio, in melote, pelliceaque zona. Hoc ille solum rigabat lachrymis, has tenebras diuinarum illustrationum copia efficiebat illustres; ipsum denique informe, olidumque antrum precum suarum balsamo reddebat odoratum. Hic spiritum feruoris vates hauriebat, quo decem tribus sacrilegæ impietatis reas duorum, & 40. mensium sterilitate afflixit; quo impurissimæ vanitatis Architectos, Magos, Ariolos, Pseudo-prophetas præstigiarum conuictos, ad octingentos, & quinquaginta morti dedit, quo profanum ipsum Regem in suam perniciem coniuratum increpuit palam, & verborum pondere afflictum, ad saccum, & cineres, infimamque compulit humilitatem. Hic ille est Elias, qui quadraginta dierum continentis ieiunij prolusione visus ad bis mille quingentos, & triginta quinque annos ingem ad hanc diem, ac perpetem cibi potusque abstinentiam* Eliæ Elogiũ.

protraxit ; ad illumque protrahet diem, quo post rigata mortalium corda, tot mensium curriculo, quot terram sterili siccitate damnauerat, in conspectum sedabit omnium importunissimi, cruentissimique tyranni Antichristi : à quo cum consorte prædicationis Enocho morti datus, post triduum rediuiuus recipietur in cælum. Hic est, qui medios inter sonoræ tempestatis fragores, & concussos, flagrantesque in Horebo montes suauissimæ auræ sibilum operto vultu pallio attentus excipit ; qui Reges vngit, ac Prophetas vindices iniuriarum Dei, qui corda filiorum conuertit ad patres, imò ad omnium Parentem Deum, & per medios iniquitatis torrentes, lectos Prophetarum, & Religiosorum in Carmelo, totaque Chananitide manipulos sui æmulos, atque imitatores instituit, ad Cælestem vitam mundo ignotam, ac contemptam traducendam adduxit, tot seculis suarum precum quasi facularum ardore calefecit, & ad hanc diem tot inter rerum, locorum, temporumque varietates constantes reddidit magni sui Patriarchæ sectatores. Abijt ab hominibus Iosaphati Regis Iudæ anno decimo nono, mundi ter millesimo centesimo, vnde quadragesimo post Enochi translationem bis millesimo centesimo quinquagesimo secundo.

Quid postea gesserit Elisæus.

17 Iam ad Elisæum regrediamur, qui postquam Eliam parentem per aëra aufugisse conspexerat, *apprehendit vestimenta sua, & scidit ea in duas partes*, vt pium pro parente sublato dolorem ostenderet, *& leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*, eo se operiens, vt à filijs Prophetarum cognosceretur Eliæ successor in Patrem, & magistrum. Fuisse enim ipsius successorem, Patrem, & Præfectum Ordinis Prophetici post ipsum constans est sententia. Quam inter alios tradit Abulensis 4. *Reg. 4. q. 15. & 4. Reg. 2. q. 31.* Salianus supra relatus *in exhortatione Eliæ*, Antonius Ferdinandez *in lib. de visionibus veter. testamenti vis. 9.* De hoc porrò Eliæ pallio nonnulla dicam infra circa *ann. 3204.* Prosequitur textus: *Reuersusque stetit super ripam Iordanis, & videntibus filijs Prophetarum, qui contra erant, pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas ;* confidens se Eliæ meritis eas scissurum, quæ *non sunt diuisæ* illa vice, Deo sic prouidente, vt orationi feruentius pro eo miraculo patrando instaret. Dixit ergo iterum meritis Eliæ confidens, Deumque & ipsum Eliam inuocans: *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc?* id est, cur Deus Eliæ non mihi adest, sicut ipsi, si in me resedit spiritus ipsius? *Percussitque aquas, & diuisæ sunt huc atque illuc, & transijt Elisæus. Videntes autem filij Prophetarum, qui erant in Iericho è contra*, miraculosè transijsse Iordanem, & Eliæ pallio indutum esse, *dixerunt : Requieuit spiritus Eliæ*, ille scilicet duplex, *super Elisæum. & venientes in occursum eius adorauerunt eum proni in*

Transit Iordanem.

terram

terram, veluti Superiorem & Patrem loco Eliæ: *Magna quippe* (inquit Salianus *supra n.48.*) *illi viro veneratio debebatur, qui tanti à Deo miraculi potestatem accepisset, & quem suum ipsi superiorem, & spiritualem patrem agnoscerent in eius pallio, qui prius eodem officio fungebatur.* Amore etiam ipsius Eliæ inducti dixerunt Elisæo: *Ecce cum seruis tuis*, ex nostris scilicet, *sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere Dominum tuum, ne fortè tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit in vnum montium, aut in vnam vallium*, sicut illi scilicet sæpiùs contigisse nouimus. Elisæus autem bene sciens non ita hac vice contigisse, sed diuersum valde hunc raptum ab alijs fuisse; eos prohibere volens: *Nolite* (ait) *mittere ad quærendum eum, quia non inuenietis.* Eis autem instantibus, vt acquiesceret, dixit: *Mittite. Miserunt ergo quinquaginta viros, qui cum quæsissent tribus diebus, non inuenerunt.* Idcirco reuersi sunt ad eum adhuc manentem in Iericho, qui dixit illis: *Nunquid non dixi vobis, nolite mittere*, ne scilicet incassum eum quærendo tempus tereretis? Scientes quoque Ierichuntini ciues miraculum patratum ab Elisæo in transitu Iordanis, & in eo Eliæ spiritum requieuisse, dixerunt ad eum: *Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse Domine perspicis, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis*; precantes scilicet, vt communi saluti prouideret. Ille autem illorum sortem miseratus, opem allaturus: *Afferte* (inquit) *mihi vas nouum, & mittite in illud sal*, vt vel sic manifestiùs miraculum appareret. Quod cum attulissent, *egressus ad fontem aquarum, quæ pessimæ erant, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ vsque in diem hanc iuxta verbum Elisæi, quod locutus est. Ascendit autem inde Bethel*, ad visitandos filios Prophetarum in ea ciuitate Collegium habentes. Viri autem ciuitatis illius, qui erant Idololatræ, cum in ea esset præcipuum Idolum aurei vituli, ipsum exosum habentes, quia erat verus cultor Dei, in eius contemptum proiecerunt pueros suos paruos, vt deriderent Elisæum. Propterea *cum ascenderet per viam, egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, ascende calue*, videlicet exprobrando, vel quòd caluus esset, vt communiter creditur, vel quia tonsus Monachorum more, vt eruditè animaduertit Petrus Bertius Gallus Geographus, & Professor Regius *in epist. quadam ad filium Eliæ sectatorem*, vbi hæc: *Videntur igitur pueri isti Elisæum derisisse, & caluum vocauisse, non quòd pili de capite fluxissent; tales enim in vrbe, & in tota Samaria non deerant, sed quòd rasus & tonsus esset, hoc est, quòd vir Dei esset, & Propheta.* Hanc verò doctrinam non euertit, si dicatur,

Aquæ sanat.

Quomodo caluus Elisæus.

tur, iuxta sæpius in superioribus inculcata, Elisæum Nazaræum fuisse, ac per consequens non tonsum, sed comatum iuxta illud *Numer.6. Omni tempore separationis suæ nouacula non transibit per caput eius.* Nam, vt in eodem loco adiungitur, id intelligitur *vsque ad completum diem, quo Domino consecratur.* Tunc enim, vt habetur in eodem capite, radebatur caput Nazaræni, & capilli eius igne cremabantur. Quamuis ergo Elisæus Nazaræus esset, potuit rasus & tonsus esse, sicut similiter Paulus *Actor.21.* & Priscilla, & Aquila *Actorum.18.* secundùm plures. Insultabant ergo pueri Elisæo raso, sicut nouissimè hæretici insultant Sacerdotibus, & Religiosis, succlamantes cum vno ex ipsis: *Turba Sacerdotum vertice rasa caput.* Illud porro *Ascende*, idem est, ac si dicerent: *Ascende* in montem nostræ vrbis Bethel, aut etiam *ascende* in aërem, vti ascendit Magister tuus Elias, hoc est, rapiat, & auferat te malus aliquis genius in auras, vti abstulit Eliam Magistrum tuum, sequere discipulus Magistrum, vt nobis desinas esse molestus, nec amplius nos ob cultum vituli aurei castiges, & obiurges. Ita ferè S. Iustinus *in quæst.* 80. ad Orthodoxos, & Cornelius hic.

Maledicit pueris.

18 Cernens autem Elisæus verum Deum, cuius ipse cultor erat, in hoc facto ab illius ciuitatis habitatoribus floccipendi, cum respexisset pueros, Dei afflatu impulsus, *maledixit eis in nomine Domini;* non vindictæ zelo, sed parentes puniendi causa. *Egressi ergo sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Abijt autem inde in montem Carmeli*, filios Prophetarum ibi manentes visitaturus, & consolaturus, *& inde reuersus est in Samariam;* quò scilicet eum spiritus Domini ducebat, tum alios ex Prophetarum filijs ibi manentes visitaturus, tum vt imminenti belli expeditioni contra Moabitas interesset, & Hebræorum Regibus opem ferret, quod sic accidit. Volens Ioram Rex Israël Achabi filius bellum Moabitis inferre, eo quòd præuaricati essent fœdus antiquum, quo reddere soliti erant annis singulis centum agnorum millia, & totidem arietum, belli socium aduocauit Iosaphat Regem Iuda, & Regem Edom; cumque pergerent tres Reges, non erat aqua exercitui, vt propterea magnum ipsi periculum immineret. Iosaphat autem Rex pius, & bonus à Domino duxit petendum consilium, & propterea *est ne* (ait) *hic Propheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum?* Et respondit vnus de seruis Regis Israël: *Est hic Elisæus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ*, id est, discipulus, & quasi minister Eliæ. Diuino autem consilio actum erat, vt Reges hosce sequeretur Elisæus ex Samaria, quò venerat, & vnde exercitus

citus mouebatur. Tunc ait Iosaphat: *Est apud eum sermo Domini*, non interrogatiuè, sed affirmatiuè, quo denotatur vel Elisæum ipsi iam cognitum fuisse, etiamsi Elisæus solùm in Israël, non autem in Regno Iuda signa fecisset, vel ex eo quòd discipulus Eliæ fuisset, pro certo coniectasse eum esse verum Prophetam. Tres ergo Reges ad Elisæum in loco, quo erat, accesserunt; nec enim eum ad se imperio vocarunt. *Dixit autem Elisæus ad Regem Israël* (filium videlicet Iezabelis, & Achab impiorum) *Quid mihi & tibi est?* Ac si diceret: Quid mihi & tibi commune, qui Pseudo-prophetas consulere soles? *Vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ*, tacitè videlicet eum corripiens; quòd futilem, & inanem ipsorum Religionem sectaretur. Pergit nihilominus Ioramus propter præsentem necessitatem obiurgationem Prophetæ dissimulans, & dixit: *Quare congregauit Dominus tres Reges hos, vt traderet eos in manus Moab?* cui Elisæus, paternam Eliæ in dicendo libertatem æmulatus inquit: *Viuit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quòd si non vultum Iosaphat Regis Iuda erubescerem* (erat enim probus Rex) *non attendissem quidem te, nec respexissem: nunc autem*, hoc est, veruntamen, *adducite mihi Psaltem, cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus, facite alueum torrentis huius fossas, & fossas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis; & bibetis vos, & familia vestra, & iumenta vestra. Parumque est hoc in conspectu Domini. Insuper tradet etiam Moab in manus vestras, & percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuersum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus*. Causa porrò cur ad prophetandum Elisæus adduci iussit Psaltem, ea fuit, quia canente Psalte, harmoniæ suauitate ad deuotionem excitabatur, aptiorque fiebat ad accipiendam Propheticam illustrationem; quemadmodum etiam alijs filijs Prophetarum contingere solitum erat. Sacra Script. 4. *Reg.* 2. & 3. Lyranus, Abulensis, & alij Expositores *ibid.* Ioannes Ierosolymitanus de *Instit. Monachor. cap.* 24. 25. & 11.

Regibus ad est.

Prædicit futura.

19. Ex eo autem quòd tam acriter & seuerè Elisæus Ioramum Regem Israëlis coarguerit, suspicionis locus datur ad credendum, circa hoc tempus contigisse mortem Michææ Prophetæ filij Iemla, & ex discipulis primis Eliæ, de quo in superioribus egimus, ab hoc Rege ipsi illatam. Tam acris enim & seuera Prophetæ reprehensio iustam eius iram in Regem tùm propter impiam Michææ cædem demonstrare videtur. Illud certiùs, hunc Ioramum Michæam præ-

Michçæ mors

fatum, eo quòd ipsum propter Idolorum cultum reprehendisset, præcipitari, & occidi iussisse. Sic enim habet Ioannes Ierosolymitanus *libro relato cap.* 14. quem alij Historici Ordinis sequuntur, specialiter Palæonydorus *lib.* 1. *cap.* 14. Coria *lib.* 5. *cap.* 11. & Franciscus à S. Maria *in Historia Prophetica lib.* 2. *cap.* 18. qui meritò eum vocat Protomartyrem Prophetici Ordinis, intellige, prout ab Elia ad normam Religiosam euectus est. Sepultus autem est in Morasthi, iuxta sepulchrum Senaquin, eodem Ioanne Ierosolymitano teste. Ex quo aliqui occasionem sumere potuerunt, vt crederent hunc Michæam alium non esse ab eo, qui inter minores Prophetas numeratur, & Michæas dicitur Morasthites. Falsum tamen istorum dogma est, vt asserit præfatus Ioannes Ierosolymitanus, eò præsertim quia ab hoc tempore vsque ad illud, in quo Morasthites prophetauit, 150. circiter anni præterierunt.

Annus mundi 3140. ante Christum 913.

Iorami victoria.

1 BTINVIT. Ioram Rex Israël victoriam contra Moabitas, quam illi promiserat Elisæus, vt diximus sub anno præcedenti, vt credi par est, propter socium belli Iosaphatum Principem bonum, vt hinc Reges de bonis socijs, & commilitonibus habendis commoneantur.

Olei miraculum.

2 Remanserat autem Elisæus in Samaria apud Ioramum Regem, quem sperabat relicta sensim Idololatria ad meliorem frugem reducere posse. Interim *mulier quædam de vxoribus Prophetarum clamabat ad Elisæum dicens: Seruus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti, quia seruus tuus fuit timens Dominum* (à populari scilicet scelere abhorrens, vt reliqui Prophetæ) *& ecce creditor venit, vt tollat duos filios ad seruiendum sibi* (vsitatum enim erat apud Hebræos, vt filij pro parentum debitis venderentur, aut à creditoribus sumerentur vt serui) cui dixit Elisæus, ipsius nempe calamitatis miseratus: *Quid vis vt faciam tibi? dic mihi quid habes in domo tua?* illa autem respondente nihil habere nisi parum olei, quo vngeretur, id est, quo vngi posset, ait Elisæus: *Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, & ingredere, & claude ostium tuum: cum intrinsecus fueris tu, & filij tui, & mitte inde in omnia vasa hæc, & cum plena fuerint, tolles. Iuit itaque mulier, & clausit ostium super se, & super filios suos, illi offerebant vasa, & illa infundebat. Cum itaque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas, & ille respondit*

dit non habeo: Stetitque oleum. Nunciauit post hæc Elisæo ea, quæ acciderant, & ille: *Vade,* inquit, *vende oleum, & redde creditori tuo, tu autem, & filij tui viuite de reliquo.* S. Script. 4. *Reg.* 4. Expositores *ibid.* Salianus *sub hoc anno.*

3 Circa quæ difficultatem primò ingerit, quæ fuerit hæc vidua *de vxoribus Prophetarum*, & quis vir eius? Plures enim, grauesque auctores putant huius viduæ coniugem fuisse Abdiam Prophetam, de quo *sub anno* 3138. *nu.* 5. diximus. Hi sunt Iosephus *l.* 9. *cap.* 2. quem sequuntur Theodoretus, historia scholastica, Lyranus, Abulensis, & alij hic, & communiter Hebræi, & quod magni nobis est, Ioannes Ierosolymitanus lib. sæpius relato *cap.* 24. Nititur hæc sententia similitudine verborum illorum, quibus ipse Abdias agens cum Elia vtebatur, cùm diceret 3. *Reg.* 18. se ab infantia timuisse Dominum; & quia ibidem ait se pauisse centum viros absconditos in speluncis, colligitur eum æs alienum contraxisse, vt propterea ipsius derelicta à creditoribus grauaretur. Displicet alijs hæc traditio, præsertim Saliano *sub hoc anno nu.* 5. tum quia Abdias dispensator Achabi Regis fuit, non Propheta, tum quia si Eliæ discipulus fuit, non diceret vxor eius ad Elisæum: *Seruus tuus vir meus*, sed diceret: *Seruus Eliæ*; tum tertiò, quia non videtur satis probabilis causa debiti ab ipso contracti, quod aluisset centum Prophetas, quia copiosus diuitijs potuit esse, eosque non splendidè, atque diuturnè aluisse. Sed hæc non cogunt, vt tantorum DD. sententiam deseramus. Nam verè fuit Propheta, & discipulus Eliæ, iuxta dicta *sub anno* 3138. *n.* 5. imò & ipsius Elisæi post Eliæ translationem, vt propterea *seruus* ipsius dici potest, maximè ex vrbanitate. Cum autem timens Dominum ab infantia esset, vt ipse dixit ad Eliam 3. *Reg.* 18. propterea, etsi dispensator Regius, non multùm diues, tales enim ministri Regij sæpius diuites solent fieri ex mercede iniquitatis, idcirco etiam sustentando centum viros, prout decebat, quo tempore populus grauissima laborabat fame, per tres annos videlicet, & dimidium, ipsosque occultando in latebris contra Iezabelis improbitatem, quæ illos ad mortem quærebat, procul dubio tot sumptus facere potuit, quot postea soluere impotens esset. Magis vrget contra hanc traditionem, quod videtur hoc tempore, imò & post plures annos superstitem fuisse: prophetasse namque creditur ab aliquibus circa ann. mundi 3255. vel saltem, vt Torniellus credit, circa ann. 3258. sed neque hoc conuincit falsitatis hanc sententiam, nam de tempore quo Abdias prophetauit, vel vixit, nihil certi habetur, vt notauit Vatablus *in initio Abdiæ*, quin potius probabile satis sit circa hoc tem-

Quæ fuerit hæc vidua.

Probabilis sententia.

tempus prophetasse, quia vt, diximus circa ann. 3138. ex Eusebio, & Clem. Alexandrino, prophetauit tempore Iosaphat, qui his annis regnabat.

Filij prophetarum aliqui cõiugati.

4 Difficultatem secundò ingerere videtur, quòd hæc mulier dicatur de *Vxoribus Prophetarum*, quod contrarium videtur ijs, quæ diximus *in Apparat. cap. 4. num. 9.* filios videlicet Prophetarum virginitatem coluisse. Sed facilè nodus soluitur, si aduertatur eam doctrinam non de omnibus, sed de aliquibus dumtaxat accipiendam esse. Etsi enim aliqui ex illis virginitatem, vel castitatem etiam ex aliquali voto, & perpetuam coluissent, vt eo loco dictum est, non tamen omnes; alij namque vxores ducebant, & carnales filios procreabant. Propterea etenim S. Hieronymus *ad Eustochium* dicebat: *Virgines multi filij Prophetarum*, quia non omnes tales erant, sed vxorati, & filios generantes. Propterea etiam doctissimus Thomas Vvaldensis *lib. 3. doctrinal. fidei ar. 1. cap. 1.* inquit, quòd licet in omni Religione perfecta moderna (intellige in Lege gratiæ) essentialiter requisitum sit tria vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis obseruare, *Non sic tamen* (inquit) *antiquitus dum Religio infans erat, sed alij quadam, alij vnum, alij vniuersa seruabant magnis de causis*. Ij ergo qui tria vota seruabant, adinstar Religiosorum censendi sunt, etsi non perfecti, aut tales sicut in Lege Euangelica, propter *ibid.* dicta. Alij verò qui vnum, vel duo tantùm non simpliciter, sed secundùm quid, & analogicè veluti Religiosi nuncupari possent: quia (vt inquit idem Vvaldensis) *Religiosi dicebantur omnes, quia singulariter præ alijs conciuibus, vel toto medio, vel alio æquiualenti diuino cultui se dederunt*. Dici etiam possent omnes illi eiusdem Ordinis Prophetici ad modum, quò Tertiarij Ordinum mendicantium viri, vel fœminæ dicuntur eiusdem Ordinis cum illa Religione, cuius sunt Tertiarij, etiamsi tria vota non emittant, nec verè Religiosum statum profiteantur. Ad intentum ergo, si Abdias, repudiata vxore, vel facto diuortio cum illa essentialia Religionis adinstar Religiosorum perfectorum (quod incertum est) peregit, verè Religiosus sicut & alij ex filijs Prophetarum eandem vitæ rationem, & qualiter in ea Lege id potuit esse, profitentes, dicendus erit, si autem non ita, sed solùm se Dei cultui sub Eliæ disciplina dedicauit, non simpliciter Religiosus, sed solùm secundùm quid, & analogicè appellari potest, licet eiusdem Ordinis Prophetici cum alijs meritò compelletur. Franciscus à Sancta Maria *in histor. prophetic: Hispanè l. 2. c. 6. n. 1.*

Quo sensu Religiosi.

Annus

Annus mundi 3141. & 3142. ante Christum 912. & 911.

1 
ANSERAT, vt vidimus, Elisæus in Samaria Ioramo Regi gratus, & beneuolus post victoriam de Moabitis reportatam, eo, vt credi par est, animo, vt ab Idololatriæ nequitia, si posset, eum reuocaret, quia tamen *peruersi difficile corriguntur*, ideo, vt videtur, oleum, & operam cum ipso perdere existimans, proprij officij debito satisfacere volens, filiorum Prophetarum collegia transiens visitabat. Salianus *sub anno* 3140. *num.* 8. Elisæus cum Ioramo.

2 Quo tempore, & occasione, his videlicet annis, vel proximè præcedenti, cum per Sunam ciuitatem Carmelo proximam, vtpote in tribu Isachar, de more transiret (adibat enim eam teste Brocardo *in descript. Terræ Sanct. p.* 1. *cap.* 7. §. 5. Elisæus iter faciens de Carmelo in Iericho, Bethel, aut Galgala, Collegia Prophetarum inuisens) accidit, vt quædam *mulier magna*, seu illustris virtute, & nobilitate, ad quam diuertere solebat hospitij gratia, dixerit ad virum suum *Animaduerto quòd vir Dei Sanctus sit iste, qui transit per nos frequenter.* Experiebatur enim sanctam ipsius conuersationem, non quòd in mensa, quam illi toties strauerat, & edulijs ipsius musca nulla aut aliquid sordidum insedisset, vt nugatur Rabbi Salomon, sed ex verbis, & gestis ipsius. *Faciamus ergo* (inquit) *ei Cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos, maneat ibi.* Consensit maritus, paratus est locus, & cùm quadam vice illuc deuertisset Elisæus, *requieuit ibi*. Grati ergo animi causa per Giezi seruum suum interrogauit eam, si quid vellet ab illo, aliquem præsertim fauorem apud Regem; ipsa verò significante nihil velle, seu nullius egere patrocinio (hoc enim significat verbum illud: *In medio populi mei ego habito*) vt aliquod beneficium illi rependeret, dixit ad eam: *In tempore isto, & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in vtero filium.* Exhilarata mulier propter filij, quem desiderauerat, promissionem, & promissi auidior, quàm certior: *Noli*, inquit, *Domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ*; id est, ne sub vana spe consolari velis ancillam tuam. Factum ergo est iuxta verbum Domini per Elisæum, & mulier peperit filium, licet postea, vt in sequentibus dicemus, Deo sic prouidente, mortuus puer est, vt ipsum suscitando spiritum Eliæ duplicem recepisse comprobaretur Elisæus. Filium promittit Sunamitidi.

sæus. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 4. Expositores *ibidem*, Salian. *sub anno mundi* 3140. *à n.* 9.

Annus mundi 3143. ante Christum 910.

Homeri mors 1 ORS Homeri Græcorum Poëtarum Principis in hunc annum, qui 272. ab excisa Troia erat, contigisse dicitur. De qua Iulius Solinus *c.* 53. *sui Polybistoris*, Herodotus *in vita Homeri*, & alij.

Iahaziel Propheta. 2 Erat hic annus Iosaphati Regis Iudæ 23. & Iorami Regis Israël quintus; quo tempore congregabantur Moabitæ, Ammonitæ, & Idumæi, vt contra Iosaphatum pugnarent. Ille autem Principibus exemplum præbens, vt in arduis præsertim negotijs Deum primum orationibus, & pœnitentijs conciliare studeant; totum se ad rogandum Dominum contulit; ieiunium in vniuerso Iuda prædicare præcipiens: eo autem simul cum populo precante Deus misericors & clemens fidelium precibus inclinatus, Prophetiæ spiritum immisit Iahazieli de posteris Saphat, qui bono animo omnes fore iubens, pauorem excussit, locum demonstrauit, & victoriam sine sanguine illis promisit: quod verum fuisse euentus ipse postea comprobauit. Sacra Scriptura 2. *Paralipom.* 20. Expositores *ibid.*

Quis fuerit. 2 Hunc Iahazielem Prophetam ad Propheticum Ordinem spectare, qui primitùs in collegialem institutus est sub Samuele Propheta, & postea ad Religiosam veluti normam euectus (saltem quoad aliquos) ab Elia, ex ijs, quæ *in Apparatu cap.* 2. diximus, sufficienter probatum manet. Nec incongruè ex eo elicitur, quòd eum S. Textus appellet de posteris Saphat, qui ex Cantoribus Dauid *Prophetis* nuncupatis vnus erat, ex quibus Elias sui Instituti socios elegit, vt colligitur ex Saliano *sub anno* 3127. *n.* 23.

Miraculum Elisæi de suscitatione pueri. 3 Sub idem tempus referunt Annalistæ Torniellus, & Salianus miraculum illud insigne de puero mulieris Sunamitidis filio Elisæi precibus impetrato, eiusdem quoque meritis, & oratione à mortuis suscitato. Cum enim iam puer ad ætatem trium circiter annorum peruenisset, alicuius domestici ductu ad patrem in agro veniens, feruenti solis radio tactus capite dolere cœpit. Patris ergo iussu ad matrem reuocatus, & super genua positus, spiritum tandem exhalauit. Memor ergo mater Eliæ, qui puerum Sarephtanæ suscitauerat, & Elisæi, qui Eliæ spiritum duplicem quasi pro hereditate acceperat, ascendit ad cœnaculum Elisæi, & puerum defunctum super lectu-

lectulum viri Dei collocatum relinquens, sperans remedium ob lectuli contactum, vel vt ibi eum reperiret, cùm reuerteretur, ad maritum in agro pergit, licentiamque postulat adeundi in Carmelum inuisendi Elisæi gratia. Dubitat maritus inquiens: ***Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque sabbatum.*** Ac si diceret: Non est iste dies festus, vt more tuo ad Carmelum pergas. Vxore autem instante, viroque licentiam abeundi præbente, celerrimè versus Carmelum iter direxit. Cumque eam Elisæus ex montis fastigio ascendere vidisset, ad illam salutandam, & an rectè eius familia se haberet interrogandam, Giezi ministrum in occursum misit. Illa aduentus causam Giezi occultans ad Elisæum in Carmelo existentem accedit, animæ suæ amaritudinem, & filij mortem ad ipsius pedes prouoluta manifestat. Propheta autem hospitæ suæ calamitati miseratus, Giezi præcipit, vt citius ad domum Sunamitidis pergat, baculum Elisæi deferat, & super defuncti corpus imponat. Pueri autem mater baculi gestatione per ministrum non contenta, Prophetæ præsentiam requirit, vt propterea eam sequi decreuisset. Noscens autem in itinere baculi impositionem supra defunctum nihil profuisse, domum peruenit, cubiculum in quo erat ascendit, & ea gessit pro puero suscitando, quæ S. Scriptura 4. *Reg.* 4. sic narrat: ***Ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum. & ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. At ille reuersus deambulauit in domo semel huc atque illuc: & ascendit & incubuit super eum, & oscitauit puer septies, aperuitque oculos. At ille vocauit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc, qua vocata ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram, tulitque filium suum, & egressa est; & Elisæus reuersus est in Galgala.*** Antequam autem in Galgala reuerteretur (vt prudenter putat Salianus *sub hoc anno num.* 33.) suscitato puero, redijt ad dilectum sibi Carmelum, vnde ipsum mulier Sunamites adduxerat, & post vnum, alterumue mensem Suna iterum transiens, mulierem, mortuo iam marito, de deserenda patria, quòd in ea futura esset ingens fames per septennium, monuit, prout ex 4. *Regum* 8. habetur. Quo pacto.

4 Ex hac porrò historia duo pro nostri Prophetici Ordinis Instituto explanando suppetunt. Primum, vsum baculorum in consuetudine fuisse apud primos huius Ordinis Professores, vt colligitur ex illis verbis 4. *Reg.* 4. *v.* 29. Elisæi ad Giezi: ***Tolle baculum meum*** Baculorum vsus.

in ma-

in manu tua, & *vade* ad suscitandum, scilicet filium mulieris Sunamitidis. Quod quamuis de Elia, alijsque Prophetarum filijs non legatur in sacris Literis, id suadet tum necessitas illos gestandi, cum magna ex parte per Carmeli, & aliorum locorum desertorum rupes, & saxeos colles pedites incederent, tum auctoritas Ioannis Ierosolymitani, qui id affirmat *lib. relato cap.* 41. quem fermè eisdem verbis sequitur Cassianus *lib.* 1. *de habitu Monachi c.* 9. & alij Historici nostri. Nec deest mystica ratio, quare baculis vsi fuerint ij nostri primi Ordinis parentes, quam ipse Ioannes affert, ad denotandum videlicet Monachos semper armatos incedere debere contra spiritualium nequitiarum bestias, de quibus Propheta *ps.* 73. *v.* 19. inquit: *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi*. Hinc in Anonymo M. S: cui titulus est: *Origo Ordinis montis Carmeli*, in Bibliotheca Romana excellentissimi Ducis Altemps reperto, in fine dum de SS. Ordinis agitur, sic habetur: *SS. Prophetæ de monte Carmelo*, & *depinguntur cum baculo in manu*. Moxque subiungitur: *S. Elias Propheta*, *S. Elisæus Propheta*, *S. Ionas Propheta*, *S. Abdias Propheta*. Quomodo autem apud veteres Monachos vsus baculorum inualuerit, lege Laurentium Landmeter *lib.* 1. *de vet. cleric. Monach. p.* 2. *c.* 5. & 26.

Carmelum visitabant fideles.

5 Alterum est, vsitatum inter Hebræos fuisse hoc tempore pijs personis Prophetarum loca, Carmeli præsertim Cœnobium, sabbatis, & Calendis (peruigilijs videlicet horum dierum) adire, non quidem Sacrificij Deo offerendi gratia, cum id extra Ierosolymitanum Templum non liceret, sed voti, orationis, & religionis ergô, ac vt locum illum Eliæ, Elisæi, ac filiorum Prophetarum præsentia decoratum piè venerarentur, diuinis laudibus, quæ in Carmeli Oratorio *Seunion* appellato celebrabantur, assisterent, & sanctis exhortationibus, Legisque expositionibus, quæ ibi à Prophetis fiebant, interessent. Quod verba illa mariti Sunamitidis ad illam Carmelum, & Elisæum adire volentem: *Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque sabbatum*, manifestè indicant. Sic etiam tradunt Lyra. Caietan. Abulensis, Serarius Tirinus, & Gaspar Sanchez super hunc locum 4. *Reg.* 4. Sanchez verba, quia clariùs rem explicant, & plura ex ijs, quæ in superioribus diximus, hìc apponimus: *Hinc constat vsitatum esse inter Hebræos, vt diebus sacris, atque solemnibus orationis, ac religionis gratia, loca quædam adirent Religioni, & pietati destinata, qualia erant oratoria, aut templa, aut Sanctorum Cœnobia; qualia videntur fuisse illa, quæ instituerunt Elias, & Elisæus, quorum præcipuum videtur fuisse in monte Carmelo, vbi magnus habitabat Prophetarum numerus, qui diuinis laudibus assiduè vacabant*. Nec

præ-

prætermittēdus egregius Doctor Franciscus Suarez, qui 4.*to. de Relig. Tract.9. lib.2.cap.*10. expendens illa verba, *Quam ob causam* &c. dicit: *In his verbis insinuantur duo, vnum est habuisse illam fœminam consuetudinem adeundi illis diebus in Carmelum, ad conueniendum Prophetam illic habitantem. Aliud est, solitam esse illuc ire causa religionis ad verbum Dei cum alijs audiendum à Propheta, vel orandum, & canendum diuinas laudes, sicut mos erat Hebræis eundi ad orationis loca in diebus sabbatorum & Calendarum, & festiuis alijs, vt docuit Lyranus, & latiùs Abulensis q.*30. Vnde concludit: *Erat igitur mons ille habitatio istorum Prophetarum, & in eo habebant locum aliquem operibus religionis, & diuini cultus destinatum*. De quo *sub ann.*3128. iam diximus.

6 Ab hoc tempore quo Elisæus filium Sunamitidis mulieris à mortuis suscitauit, videns tam insigne miraculum ab eo patratum, Ionadab filius Rechab vir clarissimus, & insignis valde in Israël, de quo plura *sub anno* 3151. eum secutus est in Prophetica disciplina, & vitæ instat monasticæ. Ita habet Ioannes Ierosolymitanus *lib. relato cap.*25. Idque supponit Vualdensis *to.*1. *Doctrinal. fidei l.*3. *art.* 1. *cap.*5. dum inquit Ionadab, & ipsius familiam fuisse eiusdem Instituti, ac filios Prophetarum. Tenent & alij Historici Ordinis, specialiter Franciscus de S. Maria *in Histor Prophetica Hispanè l.*2. *c.*19. Quibus de exteris accedit Iacobus Boulducus *lib.*3. *de Eccles. ante Legem cap.*16. nec dissentit Salianus *sub anno* 3151. *num.*52. & quod magis est, clarè id colligi videtur ex D. Hieronymo *in ep. ad Paulinum*, vbi tam ipsum, quàm alios Rechabitas inter filios Prophetarum recenset. Fauet & Genebrardus *to.*1. *Chronolog. circa ann.*1586. vbi Ionadabum clarum Prophetam appellat. Cum enim non constet ipsum vnquam prophetasse, aut futura prædixisse, solùm eo sensu appellatus videtur *Propheta*, quia Ordinis Prophetici alumnus, aut ex filiorum Prophetarum schola, conformiter ad dicta *in Apparatu cap.* 2.

Ionadab filius Rechab.

Annus mundi 3144. ante Christum 909.

1 AGNA cœpit sub hoc tempore in Israëlis Regno per septennium, iuxta Elisæi prædictionem, fames vigere. Quæcunque enim quantumuis fertilissima Regio *ob malitiam inhabitantium in ea* hac pœna à Deo puniri solet, iuxta id quod per Moysem Dominus comminatus fuit. *Deuteron.* 11. *v.* 17. Quanta porro huius

Fames in Israël.

in manu tua, & vade ad suscitandum, scilicet filium mulieris Sunamitidis. Quod quamuis de Elia, alijsque Prophetarum filijs non legatur in sacris Literis, id suadet tum necessitas illos gestandi, cum magna ex parte per Carmeli, & aliorum locorum desertorum rupes, & saxeos colles pedites incederent, tum auctoritas Ioannis Ierosolymitani, qui id affirmat *lib. relato cap.* 41. quem fermè eisdem verbis sequitur Cassianus *lib.* 1. *de habitu Monachi c.* 9. & alij Historici nostri. Nec deest mystica ratio, quare baculis vsi fuerint ij nostri primi Ordinis parentes, quam ipse Ioannes affert, ad denotandum videlicet Monachos semper armatos incedere debere contra spiritualium nequitiarum bestias, de quibus Propheta *ps.* 73. *v.* 19. inquit: *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi*. Hinc in Anonymo M.S: cui titulus est: *Origo Ordinis montis Carmeli*, in Bibliotheca Romana excellentissimi Ducis Altemps reperto, in fine dum de SS. Ordinis agitur, sic habetur: *SS. Prophetæ de monte Carmelo, & depinguntur cum baculo in manu*. Moxque subiungitur: *S. Elias Propheta, S. Elisæus Propheta, S. Ionas Propheta, S. Abdias Propheta*. Quomodo autem apud veteres Monachos vsus baculorum inualuerit, lege Laurentium Landmeter *lib.* 1. *de vet. cleric. Monach. p.* 2. *c.* 5. & 26.

Carmelum visitabant fideles.

5 Alterum est, vsitatum inter Hebræos fuisse hoc tempore pijs personis Prophetarum loca, Carmeli præsertim Cœnobium, sabbatis, & Calendis (peruigilijs videlicet horum dierum) adire, non quidem Sacrificij Deo offerendi gratia, cum id extra Ierosolymitanum Templum non liceret, sed voti, orationis, & religionis ergô, ac vt locum illum Eliæ, Elisæi, ac filiorum Prophetarum præsentia decoratum piè venerarentur, diuinis laudibus, quæ in Carmeli Oratorio *Seunion* appellato celebrabantur, assisterent, & sanctis exhortationibus, Legisque expositionibus, quæ ibi à Prophetis fiebant, interessent. Quod verba illa mariti Sunamitidis ad illam Carmelum, & Elisæum adire volentem: *Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque sabbatum*, manifestè indicant. Sic etiam tradunt Lyra. Caietan. Abulensis, Serarius Tirinus, & Gaspar Sanchez super hunc locum 4. *Reg.* 4. Sanchez verba, quia clariùs rem explicant, & plura ex ijs, quæ in superioribus diximus, hîc apponimus: *Hinc constat vsitatum esse inter Hebræos, vt diebus sacris, atque solemnibus orationis, ac religionis gratia, loca quædam adirent Religioni, & pietati destinata, qualia erant oratoria, aut templa, aut Sanctorum Cœnobia, qualia videntur fuisse illa, quæ instituerunt Elias, & Elisæus, quorum præcipuum videtur fuisse in monte Carmelo, vbi magnus habitabat Prophetarum numerus, qui diuinis laudibus assiduè vacabant*. Nec

præ-

prætermittẽdus egregius Doctor Franciscus Suarez, qui *4. to. de Relig. Tract. 9. lib. 2. cap. 10* expendens illa verba, *Quam ob causam* &c. dicit: *In his verbis insinuantur duo, vnum est habuisse illam fœminam consuetudinem adeundi illis diebus in Carmelum, ad conueniendum Prophetam illic habitantem. Aliud est, solitam esse illuc ire causa religionis ad verbum Dei cum alijs audiendum à Propheta, vel orandum, & canendum diuinas laudes, sicut mos erat Hebrais eundi ad orationis loca in diebus sabbatorum & Calendarum, & festiuis alijs, vt docuit Lyranus, & latiùs Abulensis q. 30.* Vnde concludit: *Erat igitur mons ille habitatio istorum Prophetarum, & in eo habebant locum aliquem operibus religionis, & diuini cultus destinatum.* De quo *sub ann. 3128.* iam diximus.

6 Ab hoc tempore quo Elisæus filium Sunamitidis mulieris à mortuis suscitauit, videns tam insigne miraculum ab eo patratum, Ionadab filius Rechab vir clarissimus, & insignis valde in Israël, de quo plura *sub anno 3151.* eum secutus est in Prophetica disciplina, & vitæ instar monasticæ. Ita habet Ioannes Ierosolymitanus *lib. relato cap. 25.* Idque supponit Vualdensis *to. 1. Doctrinal. fidei l. 3. art. 1. cap. 5.* dum inquit Ionadab, & ipsius familiam fuisse eiusdem Instituti, ac filios Prophetarum. Tenent & alij Historici Ordinis, specialiter Franciscus de S. Maria *in Histor Prophetica Hispanè l. 2. c. 19.* Quibus de exteris accedit Iacobus Boulducus *lib. 3. de Ecclef. ante Legem cap. 16.* nec dissentit Salianus *sub anno 3151. num. 52.* & quod magis est, clarè id colligi videtur ex D. Hieronymo *in ep. ad Paulinum,* vbi tam ipsum, quàm alios Rechabitas inter filios Prophetarum recenset. Fauet & Genebrardus *to. 1. Chronolog. circa ann. 1586.* vbi Ionadabum clarum Prophetam appellat. Cum enim non constet ipsum vnquam prophetasse, aut futura prædixisse, solùm eo sensu appellatus videtur *Propheta*, quia Ordinis Prophetici alumnus, aut ex filiorum Prophetarum schola, conformiter ad dicta *in Apparatu cap. 2.* Ionadab filius Rechab.

Annus mundi 3144. ante Christum 909.



1 MAGNA cœpit sub hoc tempore in Israëlis Regno per septennium, iuxta Elisæi prædictionem, fames vigere. Quæcunque enim quantumuis fertilissima Regio *ob malitiam inhabitantium in ea* hac pœna à Deo puniri solet, iuxta id quod per Moysem Dominus comminatus fuit. *Deuteron. 11. v. 17.* Quanta porro huius Fames in Israel.

 septen-

septennij fames fuerit, Dauid Chimius ex Hebræis refert. Ait enim primo anno (hoc videlicet) comedisse Israelitas fructus, quos habebant in domibus suis ex annis præcedentibus collectos; in secundo fructus, quos primo anno collegerant; in tertio animalia munda in Lege permissa; in quarto immunda, vt equos, asinos, camelos; in quinto reptilia; in sexto filios suos; in septimo carnes brachiorum suorum: quæ tamen etsi falsa, vel hyperbolica, magna saltem ex parte, censeantur, ad minus vehementiam famis, quæ tunc fuit satis exaggerant. Salianus *sub hoc anno nu. 1. & 2.*

Elisæi miraculum.

2 Interea fame inualescente Elisæus noster duplici insigni miraculo, vtroque pro illa subleuanda, per id tempus claruit. Primo enim, cum in Galgalis cum filijs Prophetarum in Collegio eius vrbis esset, vni ipsorum præcepit: *Pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs Prophetarum, Egressus* autem *vnus* illorum *in agrum, vt colligeret herbas agrestes* (hoc enim videbatur eo tempore Prophetarum commune pulmentum) inuenit *quasi vitem siluestrem*, herbam videlicet viti similem, *& collegit ex ea colocynthidas agri*, id est, cucurbitas agrestes amaras, *& impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti, nesciebat enim quid esset* illa herba. *Infuderunt ergo socijs* in scutellas, *vt comederent. Cumque gustassent de coctione*, existimantes venenum iniectum in lebetem, *clamauerunt ad Elisæum, dicentes: Mors in olla vir Dei; & non potuerunt comedere. At ille* sociorum necessitati consulere volens: *Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, & ait* Giezi: *Infunde turbæ, vt comedant, & non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.* Miraculosè videlicet, cum farina non fuerit sufficiens ad tollendam amaritudinem illam, & esto sufficiens esset ad illam saltem minuendam, id non posset esse naturaliter tam breui mora. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 4. Abulensis *ibid. quæst.* 60. Vallesius *de Sacra Philosophia cap.* 36. & 37.

Alterum.

3 Sequitur alterum miraculum Elisæi: *Vir quidam* (ait Scriptura) *venit de Baal Salisa*, vrbe Tribus Ephraim, iuxta Adrichomium, & in campestribus Saren, *deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua.* Acceptum munus Elisæus in communem impendit vtilitatem. Propterea dixit Giezi: *Da populo* (communitati scilicet filiorum Prophetarum) *vt comedat.* Erat enim eis mensa communis, vt Religiosis viris. Respondente autem Giezi: *Quantum est hoc, vt apponam centum viris?* tot enim videbantur esse in eo Collegio, dixit Elisæus: *Da populo, vt comedat; hæc enim dicit Dominus: Comedent & superetit.*

rit. Quod ita factum est iuxta verbum Domini per Elisæum. S. Scriptura 4. *Reg.*4. Sanchez *ibid.* & alij Expositores.

4 Ex his miraculis colligit Salianus *sub hoc anno n.*9. ex Theodoreto ab ipso relato magnam paupertatem Elisæi, & filiorum Prophetarum, quòd *nullas* (inquit) *habuerint possessiones*, quòd Elisæus, *qui erat eorum primus*, eos pauerit *conuiuio olerum agrestium*, & apposuerit eis *panes hordeaceos*, *eosque ab alijs allatos*. Addit & hanc paupertatem fuisse illis voluntariam, & alia quæ attulimus *in Apparatu cap.*4. *n.*8. Colligimus & nos eorundem filiorum Prophetarum obedientiam in ollæ coctione, immissione farinæ, & infusione, ac diuisione ciborum. Castitatem in eo, quòd inter centum viros nulla refeíatur mulier, quæ saltem coquinæ ipsorum adstaret. Vitam communem in eo, quòd omnium idem esset cibus. Mensam frugalem in herbis agrestibus, & panibus hordeaceis, ingentem numerum discipulorum Eliæ, & Elisæi vitam iuxta normam Religiosam ducentium, siquidem de vno hoc Galgalensi Cœnobio centum viri referuntur. Quæ omnia satis indicant Religionis methodum ab eo tempore inchoatam, iuxta dicta *in Apparatu cap.*4. — Paupertas Elisæorum.

Annus mundi 3145. ante Christum 908.

1 IOSAPHATI Iudæ Regis pijssimi mortem in hunc annum referimus cum Torniello & alijs. Rex hic inter clarissimos numeratur, quòd vnus ex Christi primogenitoribus fuerit, populum in diuina Lege erudiendum curauerit, & plura egregia suo tempore egerit, vt propterea eum Deus diuitijs, & gloria inclytum fecerit, bello fortem, ac felicem, ac numerosa prole fortunatum. Quamquam & ipse reprehensibilis fuit, quòd se, familiamque suam impio Achabo affinitate coniunxerit, quam forsan ob causam Ecclesiasticus *cap.*49. in Regibus Iuda, qui non peccauerunt, Iosaphatum non posuit. Salianus *sub hoc anno num.*2. Timeant ergo Principes probi improborum sanguini admisceri, ne ex tali commixtione labem aliquam sibi asciscant. — Iosaphati mors.

2 Ad nostra regredientes, cum esset Elisæus in quodam Prophetarum Collegio non longè à Iordane, Galgalis scilicet, vbi erat sub anno præcedenti, vel Iericho, multique ex filijs Prophetarum, qui sub eius disciplina vigebant, ad ipsum tanquam ad communem Parentem suum vndique confluerent, vt ab eo vel diuina subsidia per miracula, vel humana per eius eximiam apud omnes gratiam — Alterum Elisæi miraculũ.

consequerentur tempore illo famis, & angusta redderetur habitatio illius Collegij pro tot hospitibus recipiendis, dixerunt ad ipsum: *Ecce locus in quo habitamus coram te*, id est, te vidente, *angustus est nobis. Eamus vsque ad Iordanem, & tollant singuli de sylua materias singulas*, ligna videlicet, *vt ædificemus ibi locum ad habitandum*. Annuit Elisæus, quin vno ex filijs Prophetarum rogante, cum illis ad Iordanem venit. Cum autem quidam illorum minus cautè ligna cæderet, ferrum cecidit in aquam, *exclamauitque ille, & ait: Heu, heu, heu domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam*, ac si diceret: Væ mihi, quia hoc securis ferrum non erat nostrum, sed mutuò acceptum à quodam, nec soluendo pretio pecunia adest. Tunc Elisæus dixit: *Vbi cecidit?* ferrum videlicet; monstrante autem ei locum, *præcidit lignum* Elisæus, *& misit illuc, natauitque ferrum, & ait* discipulo: Tolle. *Qui extendit manum, & tulit illud*. Vbi geminum factum est miraculum, alterum quòd recta via manubrium incidit in foramen ferri, alterum quòd natasset ferrum. S. Scriptura 4. *Reg.* 6. Abulensis *q.* 2. Salianus *sub hoc anno*.

Paupertas filiorum Prophetarum.

3 Hic iterum expendit Salianus *sub hoc anno n.* 6. ex Theodoreto ab ipso relato magnam paupertatem filiorum Prophetarum, quippe vtebantur tugurijs de lignis ab eisdemmet factis, & neque securis ferrum proprium haberent, sed tantùm commodatum. Quod etiam expendit D. Hieronym. *in epist. ad Rustic.* dicens: *Filij Prophetarum, quos monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant*. Expendit etiam noster Vvaldensis *in doctrinal. fidei l.* 3. *ar.* 1. *cap.* 4. multitudinem filiorum Prophetarum hoc tempore, qui nec in Carmelo, nec alijs locis possent commodè habitare, vt propterea de nouis colonijs construendis circa Iordanem tractassent: *Et sic tandem* (inquit) *multi manserunt ibidem iuxta littus Iordanis*. Imò hæc Iordanis mansio celebris semper fuit in Religione, tum tempore Ioannis Baptistæ, & Essenorum, tum in posterioribus sæculis, vt suis locis dicemus. De illa Genebrardus *lib.* 1. *Chronolog. sub anno mundi* 3272. sic ait: *Elisæus construxit cellas Prophetis in Ierichuntis solitudine. Manauit Institutum, & loci Religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentiæ incredibilis*. Idem habet Iacobus Zeigherus *in descript. Palæstinæ in Monte Adumim fol.* 38. cuius verba afferimus *sub anno* 4052. *n.* 13.

Elisæi prædictio.

4 Reuelauit etiam sub id tempus Elisæus Regi Israël Prophetico spiritu insidias, quas illi parabat Rex Syriæ, vt propterea Rex Israël

Israël non semel ab ipsis Elisæi monitu liberaretur, Regique Syriæ in animo esset Elisæum capere, quem ab vno seruorum suorum sciuerat occulta quæque ipsius Israëlis Regi manifestare. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 6. Quid autem Syriæ Rex egerit pro Elisæo capiendo, sequenti anno, quo acta credimus, commodius referemus.

Annus mundi 3146. ante Christum 907.

1 EGNABAT in Iuda pro patre Iosaphato defuncto Ioram, concurrente etiam eodem tempore eiusdem nominis Rege in Israël. Hic porrò Ioram Rex Iuda non pium patrem, sed impiam vxorem Athaliam filiam Achabi secutus, plurima mala, sceleraque commisit, quæ 4. *Reg.* 8. & 2. *Paralipom.* 21. narrantur. Vxores enim malignæ familiaribus illecebris, coniugali consuetudine, & multiplici blandimento naturæ viros peruertunt. Caueant ergo viri cultores Dei à simili thalamo. Ioram Rex Iuda.

2. Turbatus interim Rex Syriæ Benadab, quòd ea, quæ in occultis cogitabat, ab Elisæo Regi Israël panderentur, eum comprehendere deliberauit. Misit ergo suos dicens: *Ite, & videte vbi sit, vt mittam, & capiam eum.* Illi verò venientes inuenerunt eum in Dothan oppido Samariæ vicino, vbi fortasse etiam filiorum Prophetarum Collegium erat. Misit ergo Benadab illuc equos & currus, & robur exercitus, vt oppidum vallarent, & Elisæum comprehenderent. Cum autem diluculo surrexisset minister Elisæi (quem credimus Giezi fuisse) vidit exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nunciauitque ei dicens: *Heu, heu, heu domine mi; quid faciemus?* Cui Elisæus à Deo iam illuminatus respondit: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Quia tamen formidinem adhuc deponere non videbatur, conuersus ad Deum, inquit: *Domine aperi oculos huius, vt videat.* Deus autem miraculosè, per specierum videlicet infusionem *aperuit oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Egresso autem Elisæo ex Dothan hostes descenderunt ad eum: qui videns illos venientes, ait ad Deum: *Percute obsecro gentem hanc cæcitate. Deus autem percussit illos, ne viderent*; ita scilicet, vt Elisæum, & ea, quæ ante oculos habebant, discernere non possent. Petentibus ergo ab illo, numquid ea esset ciuitas, in qua erat Elisæus, dixit ad illos: *Non est hæc via, neque ista est ciuitas*; non quidem mentiendo, sed aliqua interna æquiuocatione licitè vtendo, quia erant ipsius inimici, vel Benadab vult comprehendere Elisæum. Illuminatus Elisæus.

 ci, vel

consequerentur tempore illo famis, & angusta redderetur habitatio illius Collegij pro tot hospitibus recipiendis, dixerunt ad ipsum: *Ecce locus in quo habitamus coram te*, id est, te vidente, *angustus est nobis. Eamus vsque ad Iordanem, & tollant singuli de sylua materias singulas*, ligna videlicet, *vt ædificemus ibi locum ad habitandum*. Annuit Elisæus, quin vno ex filijs Prophetarum rogante, cum illis ad Iordanem venit. Cum autem quidam illorum minus cautè ligna cæderet, ferrum cecidit in aquam, *exclamauitque ille, & ait: Heu, heu, heu domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam*, ac si diceret: Væ mihi, quia hoc securis ferrum non erat nostrum, sed mutuò acceptum à quodam, nec soluendo pretio pecunia adest. Tunc Elisæus dixit: *Vbi cecidit?* ferrum videlicet; monstrante autem ei locum, *præcidit lignum* Elisæus, *& misit illuc, natauitque ferrum, & ait* discipulo: Tolle. *Qui extendit manum, & tulit illud*. Vbi geminum factum est miraculum, alterum quòd recta via manubrium incidit in foramen ferri, alterum quòd natasset ferrum. S. Scriptura 4. *Reg.* 6. Abulensis *q.* 2. Salianus *sub hoc anno*.

Paupertas filiorum Prophetarum.

3 Hic iterum expendit Salianus *sub hoc anno n.* 6. ex Theodoreto ab ipso relato magnam paupertatem filiorum Prophetarum, quippe vtebantur tugurijs de lignis ab eisdemmet factis, & neque securis ferrum proprium haberent, sed tantùm commodatum. Quod etiam expendit D. Hieronym. *in epist. ad Rustic.* dicens: *Filij Prophetarum, quos monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant*. Expendit etiam noster Vvaldensis *in doctrinal. fidei l.* 3. *ar.* 1. *cap.* 4. multitudinem filiorum Prophetarum hoc tempore, qui nec in Carmelo, nec alijs locis possent commodè habitare, vt propterea de nouis colonijs construendis circa Iordanem tractassent: *Et sic tandem* (inquit) *multi manserunt ibidem iuxta littus Iordanis*. Imò hæc Iordanis mansio celebris semper fuit in Religione, tum tempore Ioannis Baptistæ, & Essenorum, tum in posterioribus seculis, vt suis locis dicemus. De illa Genebrardus *lib.* 1. *Chronolog. sub anno mundi* 3272. sic ait: *Elisæus construxit cellas Prophetis in Ierichuntis solitudine. Manauit Institutum, & loci Religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentia incredibilis*. Idem habet Iacobus Zeigherus *in descript. Palæstinæ in Monte Adumim fol.* 38. cuius verba afferimus *sub anno* 4052. *n.* 13.

Elisæi prædictio.

4 Reuelauit etiam sub id tempus Elisæus Regi Israël Prophetico spiritu insidias, quas illi parabat Rex Syriæ, vt propterea Rex Israël

Israël non semel ab ipsis Elisæi monitu liberaretur, Regique Syriæ in animo esset Elisæum capere, quem ab vno seruorum suorum sciuerat occulta quæque ipsius Israëlis Regi manifestare. Sacra Scriptura 4. *Reg.6.* Quid autem Syriæ Rex egerit pro Elisæo capiendo, sequenti anno, quo acta credimus, commodius referemus.

Annus mundi 3146. ante Christum 907.

1 EGNABAT in Iuda pro patre Iosaphato defuncto Ioram, concurrente etiam eodem tempore eiusdem nominis Rege in Israël. Hic porrò Ioram Rex Iuda non pium patrem, sed impiam vxorem Athaliam, filiam Achabi secutus, plurima mala, sceleraque commisit, quæ 4. *Reg.8. & 2. Paralipom.21.* narrantur. Vxores enim malignæ familiaribus illecebris, coniugali consuetudine, & multiplici blandimento naturæ viros peruertunt. Caueant ergo viri cultores Dei à simili thalamo. Ioram Rex Iuda.

2 Turbatus interim Rex Syriæ Benadab, quòd ea, quæ in occultis cogitabat, ab Elisæo Regi Israël panderentur, eum comprehendere deliberauit. Misit ergo suos dicens: *Ite, & videte vbi sit, vt mittam, & capiam eum.* Illi verò venientes inuenerunt eum in Dothan oppido Samariæ vicino, vbi fortasse etiam filiorum Prophetarum Collegium erat. Misit ergo Benadab illuc equos & currus, & robur exercitus, vt oppidum vallarent, & Elisæum comprehenderent. Cum autem diluculo surrexisset minister Elisæi (quem credimus Giezi fuisse) vidit exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nunciauitque ei dicens: *Heu, heu, heu domine mi, quid faciemus?* Cui Elisæus à Deo iam illuminatus respondit: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Quia tamen formidinem adhuc deponere non videbatur, conuersus ad Deum, inquit: *Domine aperi oculos huius, vt videat.* Deus autem miraculosè, per specierum videlicet infusionem *aperuit oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Egresso autem Elisæo ex Dothan hostes descenderunt ad eum: qui videns illos venientes, ait ad Deum: *Percute obsecro gentem hanc cæcitate. Deus autem percussit illos, ne viderent*; ita scilicet, vt Elisæum, & ea, quæ ante oculos habebant, discernere non possent. Petentibus ergo ab illo, numquid ea esset ciuitas, in qua erat Elisæus, dixit ad illos: *Non est hæc via, neque ista est ciuitas*; non quidem mentiendo, sed aliqua interna æquiuocatione licitè vtendo, quia etiam ipsius inimici, vel Benadab vult comprehendere Elisæum. Illuminatus Elisæus.

ei, vel loquendo de ijs rebus, quatenus ipsis per species repræsentabantur, quæ vt sic diuersæ erant. Dixit etiam ad illos: *Sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam: cumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Elisæus: Domine aperi oculos istorum, vt videant; aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ. Dixitque Rex Israël ad Elisæum, cum vidisset eos: Nunquid percutiam eos Pater mi? At ille ait: Non percuties: neque enim cepisti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias: sed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad dominum suum. Appositaque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, & vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Israël.* De hoc insigni, & mirabili facto S. Scriptura 4. *Reg.*6. Expositores *ibid.* & Salianus *sub hoc anno*.

Annus mundi 3147. ante Christum 906.

Iorami gesta. 1 
ER id tempus Ioram Rex Iuda optimi patris Iosaphati filius pessimus sex fratres, quos habebat, & quosdam de Principibus Israël gladio perimi fecit, siue vt omnem amittendi regni suspicionem tolleret, siue vt alendorum pro dignitate fratrum onus abijceret, siue vt relicta eis à patre bona, & ciuitates adimeret: S. Scriptura 2. *Paralipom.*21. Sanchez *in* 4. *Reg.*8. *n.*27. En diaboli politicam, quam mundus *rationem status* appellat.

Alterius Iorami ingratitudo. 2 In Regno porrò Israëlis alius Ioram Rex ingratus valde beneficijs à S. Elisæo receptis demonstrabatur per id tempus 4. *Reg.*6. Cum enim Benadab Rex Syriæ Samariam Regiam ciuitatem tam arctè obsideret, vt fame obsessos opprimente putridis cadaueribus, & stercore vescerentur, quin matres ipsæ in prolem indulgentissimæ filiorum carnibus pascerentur, & caput canis, ac quarta pars stercoris columbarum ingenti pretio venderentur, Rex contra Elisæum indignatus, vel quòd ciuitatem suis precibus, vt poterat apud Dominum, non liberaret, vel quòd permiserit Syros, qui, vt anno præcedenti vidimus, in Samaria fuerant, impunè abire, vel forsan quia credebatur ipsum à Domino ob Idololatriæ vindictam illam famem, aut obsidionem obtinuisse, ait: *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisæi filij Saphat super ipsum hodie.* Elisæus autem erat *in domo sua*, domo scilicet, seu Collegio filiorum Prophetarum, quod erat etiam in Samaria, vt docet Ioannes Ierosoly-

Occidere vult Elisæum.

mita-

mitanus *dicto lib. cap.* 22. neque enim Elisæus, qui omnia reliquerat, & paupertatem profitebatur extremam, domum propriam habere poterat. *Et senes*, id est, filij Prophetarum, vel ipsorum seniores *sedebant cum eo*. Rex autem *præmisit virum*, sicarium scilicet, qui Prophetam occideret. *Sed antequam veniret nuncius ille*, id est, iste sicarius, dixit Elisæus *ad senes*, discipulos nempe suos (vt exponit Iosephus) *Nunquid scitis, quòd miserit filius homicidæ*, id est, Rex Ioram, qui erat filius Achab, qui occidit Naboth, *vt prædicatur caput meum? Videte ergo cum venerit nuncius, claudite ostium, & non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini eius*, id est, Rex ipse iam facti pœnitens, *post eum est. Adhuc illo loquente eis apparuit nuncius, qui veniebat ad eum*. Venit etiam æquè cum illo Rex, & iam placatus ait ad Elisæum: *Ecce tantum malum à Domino est, quid amplius expectabo à Domino?* Ac si diceret: Siquidem ad tantam famen deuenimus, Deo sic volente, vt matres proprios filios deuorare cogantur, quid amplius spei in Deo potest esse? Elisæus autem magnam in diem crastinum abundantiam panis promisit tum Regi, tum Ducibus, qui cum illo venerant, & vni illorum dubitanti comminatus est, non ea fruiturum, prout rei euentus manifestauit; fugientibus illa nocte, terrore immisso de Cælo Syris. De quo in S. Scriptura 4. *Reg.* 7. & ibi Expositores.

Annus mundi 3148. ante Christum 905.



1 REGI Iuda Ioramo infelicia multa hoc anno, vel circiter contigere. Idumæorum namque Regnum irreparabili iactura perdidit, ciuitatem Lobna amisit, & alui languore insanabili diuinitùs percussus est. S. Scriptura 2. *Paralipom.* 21. Sciant ergo Principes publicè peccantes, publicè etiam à Deo plectendos esse. Regis Iorami infortunia.

2 Noster etiam Princeps Elias in Paradisum, vel locum alium amœnissimum à Deo translatus, contra eundem etiam Ioramum Propheticas literas dedit: Sacra etenim Pagina 2. *Paralipom. cap.* 21. *v.* 12. testante, *allatæ sunt ei literæ ab Elia Propheta*. Etsi enim putarint quidam alium Eliam à nostro hunc esse, à quo illæ allatæ dicantur, quia tamen sine fundamento nouum istum Eliam, & contra ipsum textum *ab Elia Propheta* dicentem, quo solus Elias noster designari solet, confingunt, ideo audiri non merentur. Alij maioris probabilitatis apparentia à nostro Elia has literas scriptas fatentur, sed antequam per aëra tolleretur, licet hoc tempore ab aliquo, cui Literæ Eliæ.

rem

rem commiserat, Regi datas. Sed quia nec isti aliquo solido nituntur fundamento, & maiorem literæ auctoritatem haberent ad Ioramum conuertendum, si ab Elia in Paradiso commorante scriptæ, & missæ essent, ideo huic sententiæ firmiter adhærendum, prout etiam faciunt Hebræi *in Seder Olan cap.* 17. Iosephus *lib.* 2. *antiquit. cap.* 2. Aben Ezra *in* 4. *Malach.* Lyranus *ibid.* Genebrard. *lib.* 1. *Chronolog.* Acosta *lib.* 3. *de nou. temporibus cap.* 7. Maluenda *lib.* 9. *de Antichristo cap.* 2. Torniellus *sub anno* 3146. Salianus *sub hoc anno n.* 5. Sanchez *in* 4. *Reg.* 2. *n.* 25. Cornelius *in Ecclesiastic. cap.* 48. *vers.* 6. literæ porrò ex dicto *cap.* 21. feruentissimum Eliæ zelum spirantes, sic erant: *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Quoniam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in vijs Asa Regis Iuda, sed incessisti per iter Regum Israël, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidisti: Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filijs, & vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua. Tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.*

Corollarium. 3 Ex ijs porrò literis Eliæ ad Ioramum Angelorum ministeriō (vt Sanchez putat) transmissis, colligitur verissimum illud fuisse, quod *sub anno* 3139. *n.* 14. diximus, videlicet Eliam in eo statu, quō est, inuocari à nobis posse: si enim curam de his, quæ apud nos aguntur, ipse gerit, quis negabit nostris precibus ad eum directis eius intercessionem apud Deum postulari posse? Vnde ex huiusmodi literis curam habere Eliam de rebus ad se spectantibus, inferunt Genebrard. Maluenda, & Sanchez relati, ac Sebastianus Bacadas *to.* 1. *lib.* 5. *cap.* 22. Iunge ex eodem Genebrardo Hebræos *in Seder Olan cap.* 17. asserere Eliam post raptum scribere *gesta omnium ætatum, & temporum*. Quod idem habetur *in Chronolog. maiori Seder Olan Rabba* nuncupata. Recepta etiam consensu Hebræi tenent Eliam nostrum Sacræ Scripturæ nodos, & difficultates explanaturum, vt vulgariter hoc prouerbium vsurpent: *Thisbi* (id est, Elias) *soluet duras*, vt notant Ioannes Cellarius, & Ioannes Quinquarboreus in *Abbreuiationib. Hebræorum*. Tradunt etiam hac gratia ornatum esse, vt nulla circumcisio apud eos fiat, cui Elias præsens inuisibiliter non adsit, vt videre est apud Kimchium *Malach.* 4. Galatinum *lib.* 10. *de arcan. cap.* 6. & Genebrar. *l.* 1. *Chronolog. pag.* 119. Refert etiam Galatinus *l.* 17. *de Arcan. cap.* 22. quandam Eliæ reuelationem factam Rabbenu Haccadosch circa Matris Messiæ genealogiam. Sed vt Hebræorum placita, quæ figmentis plena esse solent, omittamus, ex vita S. Pa-

tritij

tritij Hyberni *cap. 19.* per Thomam Meringhamum collecta habetur, quòd cum semel S. Patritius Sathanæ vexatione in membris torqueretur, Eliam inuocans ab ipso adueniente liberatus fuit. Vnde in hymno, seu sequentia de eodem S. Patritio ex vetusto Missali deprompto apud eundem Mesinghamum sic dicitur:

Opprimens per triduum
Sathan hunc vexauit,
Sed Elias artuum
Robur reparauit.

Nostris ergo precibus præsto adest Elias, & iure à nobis in necessitatibus inuocatur, vt etiam diximus *sub anno 3139. n. 14.*

Annus mundi 3149. ante Christum 904.

1. VB hoc tempore Ioram Rex Iuda infirmitate, quam illi per literas minatus est Elias, à Deo percussus, videns se inutilem ad Regni negotia pertractanda, Ochoziam vnicum suũ filium Regem declarauit, & successorem. Salianus *sub hoc anno n. 17.* Mira Dei prouidentia hic ostenditur, vt qui fratres occiderat, vt in Regno conseruaretur, cogeretur à Deo adhuc viuens alteri Regnum gubernandum committere. Attendat hoc mundus. Ioram filium Regem declarat.

2 Interim Rex Syriæ Benadabus Damascum post Samariæ obsidionis vilem solutionem reuersus, in morbum grauem incidit ob mœrorem. Venit etiam Elisæus noster Damascum vncturus, vt creditur, Hazaelem in Regem Syriæ. Etsi enim Eliæ à Domino hoc fuisset præceptum in spelunca Horeb latitanti, vt *sub anno 3127. n. 3.* vidimus, quia tamen solùm illum futurum, & vngendum Regem tunc declarauit, vt ibidem ex Ioanne Ierosolymitano dictum est, ideo necesse fuit, vt Elisæus Magistri nomine, & vt credimus, etiam mandato id expleret. Sciens autem Benadab ægrotus Elisæi aduentum misit in occursum ipsius, Deo sic disponente, hunc Hazaelem vnum ex primis Regijs ministris cum muneribus, vt consuleret Dominum per eum, si euadere posset de infirmitate, qua premebatur. *Iuit igitur Hazael* (inquit Scriptura) *in occursum eius, habens secum munera, & omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cumque stetisset coram eo, ait: Filius tuus Benadab Rex Syriæ misit me ad te dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac?* Nihil significat Scriptura, aut Iosephus, an huiusmodi munera receperit Elisæus: recepisse videtur, cum nihil de repudiatione illorum Sacer Elisæus venit Damascum. Occurrit ei Hazael.

textus

textus affirmet: rectius tamen erit cum Tostato existimare non fuisse recepta, *ne religiosam paupertatem* (inquit Salianus *sub hoc anno num* 7.) quam adamabat, ac profitebatur, tot, tantisque muneribus violare videretur. Tacuit autem (inquit) Scriptura *repudiata munera à viro sancto cultore paupertatis, quòd id per se minimè obscurum esset*. Casu autem quo illa acceperit Elisæus pro subuentione filiorum Prophetarum tempore ingentis famis, & penuriæ, qualis erat his septem annis in Israël, nullatenus reprehensibilis esset. Subiungit Sacer textus Elisæum dixisse ad Hazaelem: *Vade dic ei*, scilicet Benadabo, *sanaberis: porrò ostendit mihi Dominus; quia morte morietur*. Quæ duo etsi contraria videantur, talia non sunt. Verbum enim *sanaberis* intelligitur, quantum est ex parte morbi, quem Rex patiebatur, quia ille mortalis non erat. Illud verò *morte morietur*, indicat ab alia extrinseca causa occidendum, prout contigit. *Stetitque cum eo, & conturbatus est, vsque ad suffusionem vultus*, volens scilicet reprimere lacrymas, & mœrorem, sed tandem in lacrymas profusus *fleuit vir Dei*. Quæ videns Hazael ait: *Quare Dominus meus flet?* At ille dixit: *Quia scio quæ facturus sis filijs Israël mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides*. Dixit tunc Hazael: *Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* Cui Elisæus: *Ostendit mihi Dominus te Regem Syriæ fore*. Tunc commodius creditur vnctum esse Hazaelem ab Elisæo in Regem Syriæ. Reuersus autem ad Regem, recepturum sanitatem iuxta verbum Elisæi promisit, verumtamen altera die panno madido expanso super faciem ipsius illum suffocauit. Mortuo ergo Benadabo successit Hazael iuxta eiusdem Elisæi prædictionem. Sacra Scriptura 4. *Reg*. 7. Expositores *ibidem*. Salianus *sub hoc anno*.

Propheta Elisæus.

Annus mundi 3150. ante Christum 903.

Ioram mors. 1



IN hunc annum Ioram Regis Iuda mors referenda videtur, misera sanè, & in exemplum impiorum Regum, eorum præsertim, qui ob diabolicam status rationem iniusta suorum clade lætantur, improbæ & infideli vxori coniunguntur, vel Dei præcepta contemnunt. Mortuus enim est infirmitate pessima, qua diuinæ iræ iudicio quotidie per ventrem intestina defluere cernebat. Regum sepultura caruit, & populus cadaueri insultans, quàm inuisus

Deo

Deo fuisset, facilè coniectare potuit. S. Scriptura 2. *Paralip*, 21. Iosephus *l.* 9. *cap.* 3.

2 Septimus, & vltimus hic annus famis ab Elisæo prænunciatæ in Israël erat. Quo tempore Sunamitis mulier, quæ propter prædictionem Elisæi de terra Israël fugerat, nunc de Philistinorum Regione, vbi manserat, in patriam reuertebatur. Quia tamen domum, & agros, quæ primùm habebat, ab alijs occasione suæ absentiæ occupata cognouit, ad Regem interpellandum venit. *Rex autem* (inquit Scriptura) *loquebatur cum Giezi puero viri Dei*, id est, Elisæi, dicens; *Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Elisæus. Cumque ille narraret Regi, quomodo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cuius viuificauerat filium, clamans ad Regem pro domo sua, & pro agris suis. Dixitque Giezi: Domine mi Rex, hæc est mulier, & hic est filius eius, quem suscitauit Elisæus. Et interrogauit Rex mulierem, quæ narrauit ei. Deditque ei Rex eunuchum vnum dicens: Restitue ei omnia, quæ sua sunt, & vniuersos reditus agrorum à die, qua reliquit terram vsque ad præsens.* Fœmina Sunamitis.

3 Grata ergo apud Ioramum Regem Israel Elisæi memoria in causa fuit, quòd tam citò omnia ipsius bona ei restitui per suum Cubicularium fecerit. Sacra Scriptura *in* 4. *Reg.* 8. & Expositores *ibid.* Elisæus gratus Ioramo.

4 Causa porro, cur hæc mulier vsa non fuerit opera Elisæi ad impetrandum hunc fauorem à Rege, sicut ipse promiserat facturum, 4. *Reg.* 4. *v.* 13. ea fuit, quia *Elisæus* (inquit Abulensis 4 *Reg.* 8. *q.* 11.) *discurrebat per varia loca visitans Collegia Prophetarum*. Quod idem asserit Salianus *sub hoc anno num.* 16. Nec enim placet, quòd dicatur adhuc fuisse in Damasco. Quid enim faceret in terra Gentilium S. Propheta, expleto eo ad quod iuerat, videlicet vnctionem Hazaelis in Regem? Erat ergo iam in terra Israel. Vbi erat tunc.

5 In hunc etiam annum meritò referenda est (etsi alij contrarium sentiant) historia curationis Naaman Syri à lepra per Elisæum Prophetam, vt bene Salianus *sub hoc anno num.* 17. ex chronic. Hebræor. Tostato, & alijs, quibus assentimur. Erat ergo Naaman iste Princeps militiæ Regis Syriæ magnus, & honoratus, fortis, & diues, sed leprosus. Accidit ergo quòd cum quidam latrunculi de Syria egressi captiuam duxissent ex Israel puellam paruulam, eaque in vxoris Naaman obsequio constitueretur, diceret ad dominam suam: *Vtinam fuisset dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria, profectò curasset eum à lepra, quam habet.* Vxor verò de viri salute solicita, quod à puella audiuerat, ipsi retulit. Qui præ sanitatis desiderio, Historia curationis Naaman Syri.

rio, & quòd sine dubio de Elisæo multa per famam cognouisset, Regi Hazaeli rem significauit. Placuit Regi, & literas commendatitias ad Regem Israël dedit pro Naamani curatione. Is autem acceptis secum decem talentis argenti, sex millibus aureis, & decem pretiosis vestibus, profectus est versus Israelis Regnum. Cum ergo talentum pondus sit 125. librarum, & quælibet libra 12. vnciarum (vt docti communiùs asserunt) elicitur Naamanum secum duxisse quindecim millia vnciarum argenti, quæ cum sex millibus aureis magnam pecuniæ quantitatem faciunt. Detulit autem (inquit Scriptura 4. Reg. 5.) literas ad Regem Israël in hæc verba: *Cum acceperis epistolam hanc, scito quòd miserim ad te Naaman seruum meum, vt cures eum à lepra sui. Cumque legisset Rex Israël literas, scidit vestimenta sua, & ait: Numquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? Animaduertite, & videte, quòd occasiones quærat aduersum me. Quod cum audisset Elisæus vir Dei, scidisse videlicet Regem Israël vestimenta sua, misit ad eum dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat esse Prophetam in Israël. Venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Elisei.* Hanc credimus fuisse domum filiorum Prophetarum, de qua sub anno 3147. diximus. Et in ea habuisse *centum Prophetarum filios sub sua disciplinæ magisterio* habet expressè Petrus Damianus *in Apologetico de contemptu secul. quod est opuscul. 12. cap.* 28. Tunc misit ad eum Elisæus nuncium dicens: *Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Non venit ad ipsum, vel in odium Idololatriæ, quia Naaman Gentilis erat, vel humilitatis gratia, vt miraculum non ipsi, sed Deo tribueretur. Naaman autem credens se contemptum ab Elisæo, quòd per nuncium secum ageret, *iratus recedebat dicens: Putabam, quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana, & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israël, vt lauer in eis, & munder? Cum ergo vertisset se, & abiret indignatus, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis! Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. Reuersusque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Verè scio quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantùm in Israël. Obsecro itaque, vt accipias benedictionem à seruo tuo. At ille respondit: Viuit Dominus ante*

Literæ Regis Syriæ.

Quid gesserit Elisæus.

Curatur Naaman.

ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquieuit, dixitque Naaman: Vt vis, sed obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra. Non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum, aut victimam Dijs alienis nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, vt adoret, & illo innitente super manum meam si adorauero in Templo Remmon adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.

6 Interim Giezi seruus Elisæi cupiditate pecuniæ, quam Naaman detulerat, agitatus, *pepercit* (inquit) *Dominus meus Naaman Syro isti, vt non acciperet ab eo, quæ attulit, viuit Dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.* Et secutus est Giezi post tergum Naaman, *quem cum vidisset ille currentem*, cupiditas enim illi alas ad currendum ministrabat, *desiliit de curru in occursum eius* (grati animi erga Elisæum indicium) & ait: *Rectene sunt omnia? & ille ait: Recte, Dominus meus* (subiungit mentiendo) *misit me ad te dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim de filijs Prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Tunc Naaman,* gratus, & liberalis: *Melius est vt accipias duo talenta. & coegit eum, ligauitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, & qui portauerunt coram eo. Cumque venisset iam vesperi, tulit de manu eorum, & reposuit in domo, dimisitque viros, & abierunt, ipse autem ingressus stetit coram Domino suo, & dixit Elisæus: Vnde venis Giezi? Qui respondit: Non iuit seruus tuus quoquam. Ac ille ait: Non ne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas & oues, & boues, & seruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.* Sacra Scriptura 4.*Reg*.5. Expositores ibid.

Giezi cupiditas.

Punitur ab Elisæo.

7 Hunc exitum habuit auaritia Giezi, fraude, mendacio, & sacrilegio cumulata. Eiectus etiam fuit à facie Elisæi, nec amplius ad ipsius consortium admissus, tum quia leprosus erat, cum quo ex Lege prohibitum fuit communicare, tum in scelerum ipsius pœnam. Vnde si ille ex filijs Prophetarum vnus erat, prout fuisse apparet ex tanta communicatione, quantam cum Elisæo, & alijs Prophetis habebat, censendus primus expulsus, seu eiectus ab Ordine; erat autem honoris, & inanis gloriæ cupidus, vt propterea Theodoretus dixerit præcepisse ipsi Elisæum, vt nemine salutato iret cum baculo ad suscitandum puerum Sunamitidis 4.*Reg*.4.*v*.29. ne scilicet *occurrentibus*

Giezi expulsus.

tibus in via sui cursus causam indicaret; & ita impediretur miraculum, ex eo etiam quod intuitu sanitatis miraculosè à Deo Elisæi precibus Naaman collatæ pretium ab eo petierit, sacrilegus, & simoniacus iure censetur, qui rem sacram pretio vendere nitebatur. Similiter si ex illis forsan fuit filijs Prophetarum, qui aliquale votum paupertatis emiserant, proculdubio peccatum proprietatis commisit, quia recepit pecuniæ magnam quantitatem contra voluntatem sui superioris Elisæi. Esto autem tale votum ipse non emisisset, quia scandalum fuit Elisæo, & alijs, qui paupertatem iuxta normam Religiosam colebant, ideo lepra & expulsione dignus fuit. Addunt Hebræi, & inter eos Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid apud Sanchez. 4. *Reg.* 4. 8. *n.* 5. Giezi postquam lepram contraxerat, de salute animæ suæ desperasse, atque ideo à patria, veraque Religione ad Idololatriam defecisse, vt propterea (inquiunt) Elisæus in Damascum iret ad ipsum in fide confirmandum, & ab Idololatria abducendum. Quod si verum fuit, satis suadet improbum valde, & malæ indolis fuisse, præsertim cum exemplari vita Elisæi, & aliorum Prophetarum contempta ad tantam miseriam deuenerit. Timendum ergo valde est auaris, aut cupidis Religiosis.

8 Addendum præterea est in Elisæi, & filiorum Prophetarum gratiam, quod (vt inquit Salianus *sub hoc anno n.* 29.) cum Elisæus *pauper esset, & paupertatem cum discipulis suis profiteretur*, nihilominus à Naamam oblata munera recipere recusauit. Quinimo, vt idem auctor *sub anno* 3144. *n.* 9. ex Theodoreto *q.* 19. *in* 4. *Reg* notat, eadem fuit eorundem filiorum Prophetarum paupertas, quod significat tam grauis pœna Giezi inflicta. Addere & vlterius possumus, quod si votum paupertatis in Anania, & Zaphira propter grauissimam, qua puniti sunt, pœnâ *Actor.* 5. cognoscitur, prout Suarez 3. *to. de Relig. lib.* 8. *c.* 2. *n.* 17. infert, pari etiam de causa ex grauissima pœna Giezi inflicta inferri potest tum ipsum, tum alios Prophetarum filios aliquale votum paupertatis emisisse, iuxta dicta *in Apparatu c.* 4. *n.* 11.

Paupertas Religiosa.

Annus mundi 3151. ante Christum 902.

Historia huius anni.



1 CVNCTA quæ per id tempus in Israele, & Iuda contigerunt, sanguine, terroribus, lamentis, & funeribus Principum, Sacerdotum, & Pseudo-prophetarum plenissima erant, ob idololatriam Regum, crudelitatem Athaliæ, & quod præcipuum est, ob Dei iustissimam prouidentiam, qua improborum Regum peccata

in

in subditis etiam vindicantur. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 9. Recte ille:

—Delirant Reges, plectuntur Achiui.

2 Quoad nostra hæc habemus eodem 4.*Reg.*9. Præcepit Deus Elisæo, vt ex discipulis Prophetarum filijs vnum mitteret ad vngendum in Regem Iehu Ducem exercitus Israel, qui erat in castris pro Ioramo Rege, & quem iampridem Regem futurum declarauerat Pater Elias reuersus ab spelunca montis Horebi. *Vocauit* ergo *vnum de filijs Prophetarum*, Ionam videlicet, discipulum Eliæ quondam, nunc Elisæi, vt tradunt Hebræi *in chronolog. c.*18. & 19. Ioannes Ierosolymitan. *lib. de institut. Monach. c.*12. & alij, & ait illi: *Accinge lumbos tuos*, idest, perge cum magna festinatione, *& tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Rameth Galaad*, vbi scilicet erat Iehu, *cumque veneris illuc, videbis Iehu filium Iosaphat filij Namsi, & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum; tenensque lenticulam olei fundes super caput eius, & dices: Hac dicit Dominus: Vnxi te Regem super Israël: aperiesque ostium, & fugies, & non ibi subsistes. Abijt ergo adolescens puer Propheta, & ingressus est illuc: ecce autem Principes exercitus sedebant, & ait: Verbum mihi ad te, ò Princeps, dixitque Iehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te ò Princeps, & surrexit, & ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput eius, & ait: Hac dicit Dominus Deus Israël: Vnxi te Regem super populum Domini Israël, & percuties domum Achab Domini tui, & vleiscar sanguinem seruorum meorum Prophetarum, & sanguinem omnium seruorum Domini, de manu Iezabel. Perdamque omnem domum Achab, sicut domum Ieroboam filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Abia; Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrabel, nec erit qui sepeliet eam. Aperuitque ostium & fugit.* Cum autem Iehu ea, quæ circa illum acta erant, vidisset, egressus est ad suos è cubiculo, in quod intrauerat. Qui cum vidissent hominem ex Prophetarum Ordine, qui non vulgaria, aut iocosa facerent, aut loquerentur, suspicati sunt aliquid noui cum Iehu gessisse; atque ideo illum interrogant: *Rectè ne sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te?* Hoc enim nomine impia plebs Prophetas vocitabat. Illo ergo narrante quæ acciderant, omnes diuinitus excitati *pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnauit Iehu*. Coniurauit itaque Iehu contra Ioram Regem Israël, & profectus in Iezraël, vbi erat, factusque diuinæ iustitiæ minister, occidit eum ibi, proijciens cadauer eius in agro Naboth Israëlitæ, iuxta verbum Domini, quod Elias nunciauerat Achabo,

Elisæus mittit ad vngendum Iehu.

Ionas mittitur.

Quid gesserit.

Iehu Rex.

3.*Reg.*21.*v.*19. occidit etiam Ochoziam Regem Iuda, qui pro Ioramo patre regnabat, & venerat ad visitandum Ioramum Regem Israëlis. Occidit insuper impiam Iezabelem, cuius carnes in agro Iezraël iuxta eiusdem Eliæ prophetiam canes comederunt. Missis quoque litteris in Samariam occidi fecit septuaginta filios Achab, qui ibi nutriebantur, & omnes qui erant de domo Achab optimates eius, notos, & sacerdotes. Veniens etiam versus Samariam in quadam pastorum domo fratres Ochoziæ Regis Iuda iugulari fecit. Sacra Scriptura 4.*Reg.*9.& 10. expositores *ibidem*.

Quid egerit.

3 Iter suum versus Samariam Iehu prosequebatur, vt posteros omnes Achabi iuxta verbum Domini de medio tolleret; cumque pergeret, *inuenit* (inquit Sacra Scriptura 4 *Reg.*10.*v.*15.) *Ionadab filium Rechab*, Elisæi discipulum, eum videlicet, de quo sub anno 3143 diximus, *in occursum sibi, & benedixit ei*, id est, salutauit amicè, & *ait ad eum*, certam, ac mutuam in amicitia fidem explorando: *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* eo autem respondente: *Est*, subiungit Iehu: *Si est, da manum tuam*. Danteque manum, *leuauit eum ad se in currum, dixitque ad eum: Veni mecum & vide zelum meum pro Domino, & impositum in curru suo duxit in Samariam*, eoque præsente occidit omnes cognatos, & affines Achabi, Baalis Prophetas, cunctosque ipsius Sacerdotes, statuam quoque Baal combussit, ædem destruxit, & in latrinas conuertit. Voluit autem secum Samariam vsque Iehu ducere Ionadab, non quia Ionadab potens esset, copiososque aleret ouium greges iuxta illam cameram pastorum, vbi Ochoziæ fratres extincti erant, vt non benè putauit Sanchez hic. Qui enim pauperem, & Religiosam vitam ducebat, vt constat ex *Ierem.*35.*v.*7. & ex eo quòd, vt diximus, Elisæi discipulus in vitæ instar monasticæ disciplina factus erat, titulo potentis, & diuitis non sic honorari potuit. Melius ergo Salianus *sub hoc anno n.*51. dixit assumptum esse in socium Ionadabum à Iehu, *quoniam is magna erat in opinione virtutis apud omnes, propter studium veræ pietatis, & probatos, ac religiosos mores, & vitæ institutum seuerius, & à vulgi consuetudine remotum*; quod verissimum putamus.

Ionadab in occursum Iehu.

4 Quis porrò fuerit hic Rechab, cuius filius Ionadab describitur, incompertum videtur. Plurium tamen sententia tenet fuisse eundem ac Hobab filium Iethro soceri Moysis, vel aliquem ex posteris ipsius, qui omnes Cinæi (de quibus *in Appar.c.*1.*n.*518.& *sequentibus* diximus) erant, vt habet Boulducus *lib.*1.*de Eccles.ante leg.c.*15. §.*Isti sunt Angeli*. Madianitæ etiam seu Amalecitæ vocabantur, quia ex ea patria erant, etsi populo Dei ob Moysem adiuncti. Hi ergo à Ia-

Quis fuerit Rechab.

Iabes, qui etiam Othoniel magno legis Doctore profundè in lege Dei eruditi (de quo Lyranus *in Iudic.c.1. & Iosue 18.* Abulensis *Iud. c.1.q.6.* Magallanus *in Iosue 15. sect.2.* & alij) Deo canebant musicis instrumentis laudes in locis desertis, casulis, & tabernaculis, præsertim in loco, qui ab eo Doctore *Iabes* etiam vocabatur. Quia ergo ex feruore huiusmodi Rechab didicerunt posteri ipsius hunc sanctum viuendi modum, ideo *Paralipom. 2. vers. 55.* dicuntur *cognationes Scribarum habitantium in Iabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes, hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore Patris domus Rechab.* Ideo etiam Ionadab noster filius Rechab nuncupatur, quia vnus erat ex ipsius posteris, & ab ipso talis viuendi modus incrementum acceperat. De quo doctè Serarius *in Trihæresio lib.3.c.9. & in c.1. Iudic.* Cornelius *in c.35. Ieremiæ vers.2.* & Franciscus à S. Maria *in Histor. prophetic. Hispanè lib.2.c.19.* ex S. Hieronymo *in traditionibus Hebraic.* & clarius ex Ioanne Ierosolymit. *lib. relato c.25.* ex quo etiam in sequentibus dicemus Cinæos istos, seu Rechabitas, ac Ionadab Regulam, & veluti Instituti reformationem accepisse ab Elisæo, quin & ab ipso Prophetici Ordinis disciplinam mendicasse, & tandem Essenos, & postea Assidæos appellatos esse. De ijs propterea Rechabitis, quòd ex Cinæis fuerint, asserunt ex sectarijs Petrus Martyr *in 2. Reg. 10. & in c.1. Iudic. & in c.4. Iudic.* Fagius, aut Munsterus *in c.1. Iudic.* Pellicanus *in c.4. Iudic.* vt videre est apud Serarium in loco relato ex suo Trihæresio; in *Mineruali* autem *lib.5.c.21.* refert tres alios idem asserentes, Iunium videlicet & Tremellium Caluinianos *in c.35. Ieremiæ, 1. Paralipomen. 2. & 4. Reg. 10.* ac Rodolphum Hostinianum Zvvinglianum *lib. de orig. Monachat. c.7.* Quibus iunge ex Rabbinis R. Salomonem Iarchi, & R. Dauid Kimchi *Ierem. 35.* & alios idem asserentes, vt propterea Lyranus in idem Ieremiæ caput dixerit: *Dicunt Doctores Hebræi, & Latini, quod isti Rechabitæ descenderunt de Iethro socero Moysis.* Vide Montanum *in Iudic. 1.* Vide & dicenda *sub anno 3159. n.2.* vbi aliam huius nominis *Rechabitæ* congruam satis originis rationem ex Boulduco dabimus.

5. Aliqui ex nostris credunt hunc Ionadab fuisse puerum illum ex filijs Prophetarum, qui ab Elisæo cum lenticula olei pro vnctione Iehu missus est, quemque postea secum ad currum leuauit Samariam vsque. Illa enim Iehu verba *4. Reg. 10. vers. 15. Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* indicare videntur eum interrogasse Ionadab, an id quod fecerat de occisione posterorum Achab, esset illud, quod illi intimauerat exequendum ex parte Dei Quis Ionadab.

 quan-

quando illum vnxerat in Regem. Ita Didacus de Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 1. c. 7.* Michael Munozius *in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 1. c. 2. ar. 5. n. 12.* Quia tamen Ioannes. Ierosolymitanus, & Hebræi relati asserunt hunc fuisse Ionam, vt vidimus, ideo ipsis magis credendum, præsertim quia verba illa Iehu ad Ionadab solum indicant mutuam; & veterem amicitiam, quæ inter eos erat. Vnde Iosephus loquens de Iehu, & Ionadab inquit: *Paulò post occurrit ei vir bonus & iustus nomine Ionadab vetus amicus ipsius.*

Annus mundi 3152. ante Christum 901.

Athaliæ impietas. 1  EXPERIENTIA ipsa comprobabatur hoc tempore, quod de impijs Salomon *Ecclesiast. 1. v. 15.* prædixerat dicens: *Peruersi difficilè corriguntur.* Quamuis enim talem ac tantam de Achabo Rege ob necem Naboth Israëlitæ, & Baalis cultum vindictam Deus medio Iehu ministerio, vt diximus, reportasset, nihilominus Athalia mater Ochoziæ Regis Iuda mortui omne semen Regium, auia videlicet nepotes crudeliter interfecit. Iehu etiam qui eam vindictam Dei nomine executus fuerat, à peccatis Ieroboam non recessit, nec abstulit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & Dan ob pessimam proculdubio status rationem, qua credebat, quod si illos auferret, populus Ierosolymam Religionis causâ conuolasset. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 10. & 11. & Expositores ibid.

Iehu præmiū. 2 Deus autem iustissimus, qui nullum opus bonum hominis sine præmio proportionato abire permittit, hæc ipsi 4. *Reg.* 10. *v.* 30. prænunciari fecit: *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.* Euentus vaticinio respondit, quatuor enim filij eius, videlicet Ioachaz, Ioas, Ieroboam, & Zacharias in regnum successerunt. Quis autem fuerit ille Propheta Domini, per quem hæc Deus prænunciauit Iehu, Doctores disquirunt: quidam Elisæum fuisse defendunt, quos sequitur Salianus *sub anno præcedenti n. 69.* alij Ionæ Prophetæ, ei scilicet, qui Iehu in Regem vnxit, id tribuunt. Sic habet Chronologia Hebræorum *c. 19.* facilè tamen in concordiam, & vt credimus, veritati conformius duci possunt, si dicamus, quod quemadmodum vnctio Iehu in Regem, & prædictio eorum, quæ facturus erat, nunciata sunt per Ionam, ab Elisæo tamen tempore Prophetarum Archimandrita primò missum, sic & secunda hæc futurorum

rorum prænunciatio, quæ in præmium rectè gestorum à Iehu à Deo ordinabatur, ab eodem Iona vt ministro, ab Elisæo tamen vt Præceptore, & Magistro facta sit.

Annus mundi 3153. ante Christum 900.



1 VNC annum insignem aliqui credere videntur cum Clemen. Alexandrino *in Stromatib. p. 226.* quòd in eo Lycurgus Lacedæmonijs leges dederit. Alijs id non placet, sed putant eo tempore, in quo floruit Lycurgus Clementem locutum fuisse. Salianus *sub hoc anno n. 1. & 2.* Nos ijs dimissis, de legibus, quas Elisæus filijs Prophetarum hoc tempore dabat, sermonem instituemus. Lycurgi leges

2 Eas verò sic describit Ioannes ille Ierosolymitanus *lib. relato c. 25.* circa medium: *Denique Elisæus summa cum diligentia creditos sibi monachos filios Prophetarum regebat, quos suo exemplo, & magisterio inducebat propter Regnum Dei melius consequendum, ad perfectionem inquirendam, secundum formam Disciplinæ vitæ monasticæ per Deum traditam Eliæ. Quibus etiam de crastino non solicitis prouidebat in vitæ necessarijs, non solum per humanam industriam, imò interdum miraculosè supra naturalem potentiam.* Cum ergo ad perfectionem acquirendam omnium virtutum exercitium necessarium sit, quia perfectio iuxta Sancti Thomæ doctrinam 2. 2. *q.* 184. *art.* 1. etsi principaliter in actibus charitatis erga Deum, & proximum consistat, minus principaliter tamen aliarum virtutum actus importat: ideo in filijs Prophetarum Eliæ, & Elisæi Discipulis nec charitatis, nec aliarum virtutum exercitatio desiderabatur. Non ergo ab eorum sancto consortio aberant orationis, & contemplationis dulcedo, humilitatis perfectionis basis consolatio, abstinentia, silentium, & alia mortificationis genera, quæ veluti charitatis adminicula ipsam comitari solent. Hæc eadem exercitia fuisse in huiusmodi filiorum Prophetarum Collegijs sic describit Petrus Bertius Geographus Regius *in epistola ad filium Carmelitam: Habuit verò etiam Elias varijs in locis Regni Israel asceteria, in quibus filij Prophetarum (sic illi monachos, & discipulos vocabant) simul versabantur sub vno præfecto, eadem vtentes mensa, & Regula, sobrij, casti, abstinentes à matrimonijs, vacantes lectioni, & meditationi legis Dei, & afflatus diuinos, reuelationesque sancti Spiritus captantes, aut prouocantes. Fuitque hoc singulare Dei in eam gentem & beneficium, post fœdissimam illam decem Tribuum Apostasiam conseruantis hoc modo inter prophanos semina salutaris doctrinæ*

Elisæi documenta.

Qualia fuerint.

quando illum vnxerat in Regem. Ita Didacus de Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 1. c. 7.* Michael Munozius *in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 1. c. 2. ar. 5. n. 12.* Quia tamen Ioannes. Ierosolymitanus, & Hebræi relati asserunt hunc fuisse Ionam, vt vidimus, ideo ipsis magis credendum, præsertim quia verba illa Iehu ad Ionadab solum indicant mutuam, & veterem amicitiam, quæ inter eos erat. Vnde Iosephus loquens de Iehu & Ionadab inquit: *Paulò post occurrit ei vir bonus & iustus nomine Ionadab vetus amicus ipsius.*

Annus mundi 3152. ante Christum 901.

Athaliæ impietas.

1 

EXPERIENTIA ipsa comprobabatur hoc tempore, quod de impijs Salomon *Ecclesiast. 1. v. 15.* prædixerat dicens: *Peruersi difficilè corriguntur.* Quamuis enim talem ac tantam de Achabo Rege ob necem Naboth Israëlitæ, & Baalis cultum vindictam Deus medio Iehu ministerio, vt diximus, reportasset, nihilominus Athalia mater Ochoziæ Regis Iuda mortui omne semen Regium, auia videlicet nepotes crudeliter interfecit. Iehu etiam qui eam vindictam Dei nomine executus fuerat, à peccatis Ieroboam non recessit, nec abstulit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & Dan ob pessimam proculdubio status rationem, qua credebat, quod si illos auferret, populus Ierosolymam Religionis causâ conuolasset. Sacra Scriptura 4. Reg. 10. & 11. & Expositores ibid.

Iehu præmiũ.

2 Deus autem iustissimus, qui nullum opus bonum hominis sine præmio proportionato abire permittit, hæc ipsi 4. Reg. 10. v. 30. prænunciari fecit: *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.* Euentus vaticinio respondit, quatuor enim filij eius, videlicet Ioachaz, Ioas, Ieroboam, & Zacharias in regnum successerunt. Quis autem fuerit ille Propheta Domini, per quem hæc Deus prænunciauit Iehu, Doctores disquirunt: quidam Elisæum fuisse defendunt, quos sequitur Salianus *sub anno præcedenti n. 69.* alij Ionæ Prophetæ, ei scilicet, qui Iehu in Regem vnxit, id tribuunt. Sic habet Chronologia Hebræorum *c. 19.* facilè tamen in concordiam, & vt credimus, veritati conformius duci possunt, si dicamus, quod quemadmodum vnctio Iehu in Regem, & prædictio eorum, quæ facturus erat, nunciata sunt per Ionam, ab Elisæo tamen vtpotè Prophetarum Archimandrita primò missum, sic & secunda hæc futu-

rorum

rorum prænunciatio, quæ in præmium rectè gestorum à Iehu à Deo ordinabatur, ab eodem Iona vt ministro, ab Elisæo tamen vt Præceptore, & Magistro facta sit.

Annus mundi 3153. ante Christum 900.

1 V N C annum insignem aliqui credere videntur cum Clemen. Alexandrino *in Stromatib. p. 226.* quòd in eo Lycurgus Lacedæmonijs leges dederit. Alijs id non placet, sed putant eo tempore, in quo floruit Lycurgus Clementem locutum fuisse. Salianus *sub hoc anno n. 1. & 2.* Nos ijs dimissis, de legibus, quas Elisæus filijs Prophetarum hoc tempore dabat, sermonem instituemus. Lycurgi leges

2 Eas verò sic describit Ioannes ille Ierosolymitanus *lib. relato c. 25.* circa medium: *Denique Elisæus summa cum diligentia creditos sibi monachos filios Prophetarum regebat, quos suo exemplo, & magisterio inducebat propter Regnum Dei melius consequendum, ad perfectionem inquirendam, secundum formam Disciplinæ vitæ monasticæ per Deum traditam Eliæ. Quibus etiam de crastino non solicitis prouidebat in vita necessarijs, non solum per humanam industriam, imò interdum miraculosè supra naturalem potentiam.* Cum ergo ad perfectionem acquirendam omnium virtutum exercitium necessarium sit, quia perfectio iuxta Sancti Thomæ doctrinam 2. 2. q. 184. art. 1. etsi principaliter in actibus charitatis erga Deum, & proximum consistat, minus principaliter tamen aliarum virtutum actus importat: ideo in filijs Prophetarum Eliæ, & Elisæi Discipulis nec charitatis, nec aliarum virtutum exercitatio desiderabatur. Non ergo ab eorum sancto consortio aberant orationis, & contemplationis dulcedo, humilitatis perfectionis basis consolatio, abstinentia, silentium, & alia mortificationis genera, quæ veluti charitatis adminicula ipsam comitari solent. Hæc eadem exercitia fuisse in huiusmodi filiorum Prophetarum Collegijs sic describit Petrus Bertius Geographus Regius *in epistola ad filium Carmeli tam: Habuit verò etiam Elias varijs in locis Regni Israel asceteria, in quibus filij Prophetarum (sic illi monachos, & discipulos vocabant) simul versabantur sub vno præfecto, eadem vtentes mensa, & Regula, sobrij, casti, abstinentes à matrimonijs, vacantes lectioni, & meditationi legis Dei, & afflatus diuinos, reuelationesque sancti Spiritus captantes, aut prouocantes. Fuitque hoc singulare Dei in eam gentem & beneficium, post fœdissimam illam decem Tribuum apostasiam conseruantis hoc modo inter prophanos semina salutaris doctrinæ*

Elisæi documenta.

Qualia fuerint.

quando illum vnxerat in Regem. Ita Didacus de Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 1. c. 7.* Michael Munozius *in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 1. c. 2. ar. 5. n. 12.* Quia tamen Ioannes. Ierosolymitanus, & Hebræi relati asserunt hunc fuisse Ionam, vt vidimus, ideo ipsis magis credendum, præsertim quia verba illa Iehu ad Ionadab solum indicant mutuam, & veterem amicitiam, quæ inter eos erat. Vnde Iosephus loquens de Iehu & Ionadab inquit: *Paulò post occurrit ei vir bonus & iustus nomine Ionadab vetus amicus ipsius.*

Annus mundi 3152. ante Christum 901.

Athaliæ impietas.

1  XPERIENTIA ipsa comprobabatur hoc tempore, quod de impijs Salomon *Ecclesiast. 1. v. 15.* prædixerat dicens: *Peruersi difficilè corriguntur.* Quamuis enim talem ac tantam de Achabo Rege ob necem Naboth Israëlitæ, & Baalis cultum vindictam Deus medio Iehu ministerio, vt diximus, reportasset, nihilominus Athalia mater Ochoziæ Regis Iuda mortui omne semen Regium, auia videlicet nepotes crudeliter interfecit. Iehu etiam qui eam vindictam Dei nomine executus fuerat, à peccatis Ieroboam non recessit, nec abstulit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & Dan ob pessimam proculdubio status rationem, qua credebat, quod si illos auferret, populus Ierosolymam Religionis causa conuolasset. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 10. & 11. & Expositores ibid.

Iehu præmiū.

2 Deus autem iustissimus, qui nullum opus bonum hominis sine præmio proportionato abire permittit, hæc ipsi 4. *Reg.* 10. v. 30. prænunciari fecit: *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.* Euentus vaticinio respondit, quatuor enim filij eius, videlicet Ioachaz, Ioas, Ieroboam, & Zacharias in regnum successerunt. Quis autem fuerit ille Propheta Domini, per quem hæc Deus prænunciauit Iehu, Doctores disquirunt: quidam Elisæum fuisse defendunt, quos sequitur Salianus *sub anno præcedenti n. 69.* alij Ionæ Prophetæ, ei scilicet, qui Iehu in Regem vnxit, id tribuunt. Sic habet Chronologia Hebræorum *c. 19.* facilè tamen in concordiam, & vt credimus, veritati conformius duci possunt, si dicamus, quod quemadmodum vnctio Iehu in Regem, & prædictio eorum, quæ facturus erat, nunciata sunt per Ionam, ab Elisæo tamen vtpotè Prophetarum Archimandrita primò missum, sic & secunda hæc futu-

rorum

rorum prænunciatio, quæ in præmium rectè gestorum à Iehu à Deo ordinabatur, ab eodem Iona vt ministro, ab Elisæo tamen vt Præceptore, & Magistro facta sit.

Annus mundi 3153. ante Christum 900.

1 VNC annum insignem aliqui credere videntur cum Clemen. Alexandrino *in Stromatib. p. 226.* quòd in eo Lycurgus Lacedæmoniis leges dederit. Aliis id non placet, sed putant eo tempore, in quo floruit Lycurgus Clementem locutum fuisse. Salianus *sub hoc anno n. 1. & 2.* Nos iis dimissis, de legibus, quas Elisæus filiis Prophetarum hoc tempore dabat, sermonem instituemus. Lycurgi leges

2 Eas verò sic describit Ioannes ille Ierosolymitanus *lib. relato c. 25.* circa medium: *Denique Elisæus summa cum diligentia creditos sibi monachos filios Prophetarum regebat, quos suo exemplo, & magisterio inducebat propter Regnum Dei melius consequendum, ad perfectionem inquirendam, secundum formam Disciplinæ vitæ monasticæ per Deum traditam Eliæ. Quibus etiam de crastino non sollicitis prouidebat in vitæ necessariis, non solum per humanam industriam, imò interdum miraculosè supra naturalem potentiam.* Cum ergo ad perfectionem acquirendam omnium virtutum exercitium necessarium sit, quia perfectio iuxta Sancti Thomæ doctrinam 2. 2. q. 184. art. 1. etsi principaliter in actibus charitatis erga Deum, & proximum consistat, minus principaliter tamen aliarum virtutum actus importat; ideo in filiis Prophetarum Eliæ, & Elisæi Discipulis nec charitatis, nec aliarum virtutum exercitatio desiderabatur. Non ergo ab eorum sancto consortio aberant orationis, & contemplationis dulcedo, humilitatis perfectionis basis consolatio, abstinentia, silentium, & alia mortificationis genera, quæ veluti charitatis adminicula ipsam comitari solent. Hæc eadem exercitia fuisse in huiusmodi filiorum Prophetarum Collegiis sic describit Petrus Bertius Geographus Regius *in epistola ad filium Carmelitam: Habuit verò etiam Elias variis in locis Regni Israel asceteria, in quibus filii Prophetarum (sic illi monachos, & discipulos vocabant) simul versabantur sub vno præfecto, eadem vtentes mensa, & Regula, sobrii, casti, abstinentes à matrimoniis, vacantes lectioni, & meditationi legis Dei, & afflatus diuinos, reuelationesque sancti Spiritus captantes, aut prouocantes. Fuitque hoc singulare Dei in eam gentem & beneficium, post fœdissimam illam decem Tribuum Apostasiam conseruantis hoc modo inter prophanos semina salutaris doctrinæ*

Elisæi documenta.

Qualia fuerint.

ctrina, & scholas, atque officinas pietatis cum suis exercitijs. Hæc etiam Ionadabum Elisæi discipulum, de quo sub anno 3151. suis quoque discipulis in Regula ipsis data præcepisse, eaque ex Eliæ schola hausisse in sequentibus dicemus.

Annus mundi 3154. 3155. 3156. ante Christum 899. 898. 897.

1 DE his annis quibus Iehu regnabat in Israël, Athalia in Regno Iuda, & Elisæus noster Princeps erat, & magister Eliani, ac Prophetici Instituti, vix aliquid scriptores produnt. Ordinis ergo status qualis tunc erat, magis elucidandus.

Elisæi gesta.

2 Caput ipsius Elisæus vitæ sanctitate, miraculorum gloria, Prophetici spiritus dono, & fauore apud Reges, & Principes clarissimus, sicut toti populo Israël vtilissimus erat, sic etiam commissum sibi gregem, vt magis, ac magis indies cresceret, auctoritate confortabat. Iehu etiam in Regem Israël ab Elia denunciatus, & à Iona Propheta quasi Elisæi nomine vnctus, & Hazael, qui etiam ab Elia Regni Syriæ præsagium, & ab eodem Elisæo vnctionem susceperat, ingratissimi hominum essent, si vel propter parentis, ac magistri reuerentiam filiorum Prophetarum familiam non reuererentur. Horum ergo auxilio, & præsertim quia, vt Ioannes noster *dicto lib. c. 25.* scripsit: *Elisæus per signa, & virtutes, quæ operabatur inter plebes, trahebat ad suam Propheticam Religionem multos deuotos homines*, adeo Ordo multiplicatus erat, vt tota fermè Israëlitarum Syria Collegijs Prophetarum plena esset. De quibus Ægidius Camartus eruditissimus *in lib. de rebus Eliæ c. 5. sect. 20.* sic: *Montes, deserta, vicos omnes obtinuerunt à mari, cui adhæret Carmelus ad flumen vsque Æthiopiæ, ad quod vsque mons Galaad protenditur*. Vnde Eliano Instituto illud psalmi 79. applicat: *Plantasti radices eius, & impleuit terram, operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius*. De hac etiam ingenti Collegiorum Prophetici Ordinis multitudine tempore Eliæ, tum Elisæi Vvaldensis noster *in Doctrinali fidei lib. 3. art. 1. c. 4.* Abulensis sæpius, præsertim *in 4. Reg. c. 9. q. 13. & 31.* Serarius 4. *Reg. 2. & 6.* Petrus Bertius Geographus Regius *in epist. ad filium Carmelitam* verbis relatis *sub anno 3153. n. 2.* Laurentius Beyerlink *in Theat. vit. human. tom. 6. verb. Religiosus Religio*, de Ordine Carmelitarum agens. Tirinus *in 3. Reg. 17.* & alij. Inter quæ aliqua erant etiam à tem-

Ordinis Prophetici propagatio.

Collegia Prophetarum.

tempore Samuelis ab illis, qui Prophetæ, id est, psallentes Deo laudes vocabantur, habitata, quæ tamen quia vitæ Religiosæ veluti modum per trium aliqualem votorum obseruantiam ab Elia acceperunt, vt dictum est *in Apparatu c.4.* ideo etiam inter Eliani Instituti Cœnobia recensentur. De ijs intelligendus Genebrardus *lib. 1. Chronolog. circa ann. mund. 3203.* dum ait in Israël fuisse *multa Collegia Prophetarum*. Alia verò erant, de quibus constat non nisi post tempora Eliæ à discipulis habitari cœpisse, quale fuit illud, quod circa Iordanis littora sub Elisæo magistro ædificatum à filijs Prophetarum fuit, & de quo *sub anno 3145.* diximus. De quibus omnibus quatenus ex scripturis nobis constare potest, aliquid dicemus.

3 Inter ea autem principem locum tenet Carmeli Colonia, quam Eliam, & Elisæum, & filios Prophetarum habitasse dicta in superioribus confirmant, & docet constans, & perpetua omnium traditio; quæ ad hoc vsque tempus etiam inter Mahumetanos Terræ sanctæ incolas perseuerat, vt mirum sit Hieronymum Romanum *lib. 2. rer. public. cap. 9.* id potuisse negare. Videantur Genebrardus *lib. 4. Chronolog. circa ann. 1180.* Ioannes Heroldus *in continuat. belli sacri lib. 5. c. 3.* & plures alij apud Michaelem Munozium *in propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 1. cap. 2. art. 10. n. 12.* fuisse autem præcipuam Prophetarum, & Ordinis Coloniam Carmelum etiam est certissimum, & affirmat Tirinus relatus *in 3. Reg. 17.* dicens: *Inter reliqua eorumdem Cœnobia principem locum tenuisse.* Idque non tantum *ob frequentiorem illic Eliæ & Elisæi præsentiam, & perillustriora ibi patrata miracula*, vt ipse dixit, sed quia Carmelus patrium solum Religiosæ normæ ab Elia institutæ, vt asserit Ioannes Ierosolymitanus *lib. de instit. Monachor. c. 19.* erat, & quod in ipso Elias sacellum, templum, seu Oratorium dedicasset, vt diximus *sub anno 3128. num. 2.* & 3. Sunt alij qui credant hanc Carmeli mansionem primitus à Samuele Propheta fundatam fuisse, & in ea per aliquod tempus Eliam habitasse, etiam antequam Achabi obtutibus repræsentaretur, dicës: *Viuit Dominus, &c. 3. Reg. 17.* quod probabile esse sub anno 3123. *n. 9. &* 10. diximus. An autem ibi Saul Altare extruxerit, quod postea Iezabel euerterit, vt tenet Coria *lib. 1. c. 8.* & referunt Lyranus, & Abulensis *3. Reg. 18.* ex Rabbi Salomone, res est valde incerta, & probabilius contrarium. Illud enim quod de Elia eo loco dicitur: *Curauit Altare Domini quod destructum fuerat*, solum denotat, prout Serarius, & Sanchez ibidem dicunt, Baalitas qui ad Sacrificium in monte Carmelo perficiendum ascenderant, insilijsse in Altare, quod Elias

Carmelus.

Patrium solũ Religionis.

[illegible]

Elias pro illo extrui fecerat, quod tamen ipse Elias iterum ædificandum curauit.

4 Post Carmeli Cœnobium primum locum, saltem ratione antiquitatis obtinere videntur illa, quæ tempore Samuelis comperiebantur, ex quibus vnum erat in colle Dei, seu Gabaa Saulis, vel Beniamin: de quo 1. *Reg.* 10. *v.* 8. Samuel dixit ad Saulem: *Post hæc venies in collem Dei*, qui erat locus *Prophetarum*, vt habent Glossa interlinealis, Lyranus, & Abulensis. Vnde subiunxit Samuel: *Et cum ingressus fueris ibi vrbem, obuiam habebis gregem Prophetarum*. Quod sic explicat Lyranus: *Eo quod manebant ibi Prophetæ, & vocantur hic Prophetæ homines deuoti & Religiosi, quos congregauerat Samuel ad laudandum Deum, & cum hoc habebant spiritum prophetiæ, saltem aliqui eorum.* Meminerũt autem huius Collegij Abulensis *in* 1. *Reg.* 19. *q.* 31. Sanchez *in* 1. *Reg.* 10. *num.* 31. Vvaldensis noster *in doctrinali fidei lib.* 3. *art.* 1. *cap.* 4. etsi ibi confundere videatur hoc Collegium de Gabaa cum illo de Galgalis; Coria *lib.* 1. *c.* 8. vbi illud dicit fuisse primum eorum, quæ Samuel fundauerat. Sed ibi etiam confundit hoc Collegium cum alio de Cariatharim, vbi reposita est arca Domini 1. *Reg.* 7. in domo Aminadab. Erat autem hæc Ciuitas Tribui Iuda assignata *Iosue* 15. Fuisse etiam in ea collem habetur ex 1. Paralipomen. 13. illis verbis: *Ascendit Dauid ad collem Cariatharim, qui est in Iuda*. & ita sentiunt Theodoretus *q.* 20. *in* 2. *Reg.* Abulensis *q.* 9. *in c.* 7. 1. *lib. Reg.* & alij. Propterea *Collem Dei*, de quo 1. *Reg.* 10. interpretantur *Cariatharim* Chaldæus Paraphrastes, R. Salomon, Vatablus, Dionysius, Sa, & Serarius. Licet alij melius cum Abulensi, & Saliano *sub anno* 2962. *n.* 97. & 98. per hunc *Collem Dei*, de quo 1. *Reg* 10. intelligant Gabaa Saulis, vel Beniamin, de quo diximus. In hoc verò Cariatharim loco fuisse Prophetarum aliud Collegium habet Coria *lib.* 1. *Chronic. Carmelitar. cap.* 8. Salianus relatus *n.* 100. Nec immerito creditur etiam appellatum *Collem Dei*, quia erat Collis, vbi erant arca Dei, & Prophetæ Dei circa illam canentes, & laudantes illum.

Collis Dei, seu Gabaa.

5 Alterum etiam Prophetarum Collegium tempore quoque Samuelis erat in Naioth in Ramatha, vbi cum cœtu Prophetarum, qui ibi erant sub eodem Samuele ipsis præsidente prophetasse, idest, Deo laudes decantasse dicuntur nuncij Saul tertiò missi ad comprehendendum Dauid, & ipse Saul 1. *Reg.* 19. De quo etiam Collegio agunt Vvaldensis, Abulensis, Sanchez, & Coria relati, & alij, & iterum ipse Sanchez 1. *Reg.* 19. *num.* 14. & Salianus, *vt supra* & *sub anno* 2973.

Naioth in Ramatha.

Aliud

6 Aliud quoque Prophetarum Collegium tempore etiam Samuelis in Masphat erat, iuxta Ierusalem in confinio Tribus Beniamin, & Iudæ secundum Hieronymum *in locis Hebraicis*, & Adricomium *in Theatro Terræ sanctæ*. Erat enim ibi domus Orationis, vt colligitur ex 1.*Reg.* 7. *&* 1. *Machabæorum* 3. *v.* 46. Ideo namque in ea ciuitate congregauit Samuel populum, vt oraret pro ipso, vt patet ex dicto 1.*Reg.* 7. & vt Regem Israëlis declararet Saulem 1.*Reg.* 10. vt tradit Sanchez *ibid.* vbi plura de huiusmodi Orationis domibus inter Iudæos agit ex Iosepho, Philone, & S Epiphanio. De hoc autem Masphat Collegio agunt Coria *in Chronic. lib.* 1. *c.* 8. Franciscus à Sancta Maria *in Histor. prophetica lib.* 2. *c.* 16. *n.* 8. vbi etiam de alio Prophetarum Collegio in alia Masphat Galaad, quem locum quoque fuisse orationis colligitur ex *Iudicum* 11. *v.* 11. De vtraque etiam Masphat agit Salianus *anno mundi* 2960. *n.* 0. & in hac posteriori Galaatide vixisse cum alijs Prophetis Eliam, antequam Achabi obtutibus objiceretur, rectè probat idem Franciscus à Sancta Maria loco relato, maximè ex illo 3. *Reg.* 17. *Dixit Elias de habitatoribus Galaad*, vt propterea sic appelletur, quia in isto Collegio vitam propheticam primitus egerit, quod sine dubio valde probabile est, & recipitur à Sanchez 3. *Reg.* 17. *n.* 7. nec dissentit Ægidius Camartus *de rebus gestis Eliæ cap.* 5. *sect.* 10. Fauetque illud Ieremiæ 8. *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* per quæ Eliæ, & discipulorum eius doctrina intelligitur, vt habent Rabbi Ionatha, & Camartus relatus. Quibus adstipulantur Lyra, & interlinealis, qui per *medicum* Prophetas intelligunt; maximeque Paraphrastes Chaldaicus sic locum vertens: *Desiderabam vtique doctrinam Eliæ Prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicina*. Fuisse etiam in Galaad Prophetarum ibi habitantium Institutum tenet Bouldućus *lib.* 1. *de Eccles. ante legem c.* 17. §. *Istud est*. Idque probat ex illo *Michææ* 7. *v.* 14. *Pascentur Basan, & Galaad iuxta dies antiquos*. Pro qua expositione vide dicenda *sub anno* 3310.

Masphat. Galaad.

7 De alijs tribus Collegijs, Galgalæ videlicet, Bethel, & Iericho diximus *sub anno* 3139. *n.* 3. ea autem fuisse sub Eliæ, & postea Elisæi disciplina constat ex ibi dictis. Qua enim de causa ab Elia ante raptum, & ab Elisæo post illum tam sedulò inuiserentur, nisi quia illi filij Prophetarum sub eorum cura & regimine essent? Vnde illorum Archimandritas fuisse Eliam, & postea Elisæum afferunt Bouldućus non solum *lib.* 3. *de Eccles. c.* 12. sed etiam *c.* 10. §. *Deus autem*, dicens ibi fuisse tabernacula Rechabitarum, seu filiorum Prophetarum tempore Eliæ, & Elisæi. Tirinus *in* 3. *Reg.* 17. cum alijs. De

Bethel, & Iericho

quo

quo etiam Bertius *in epistola relata*, & Grauina *in lib. de voce Turturis part. 2. cap. 15.*

Samaria. 8 Idem dicitur de alio Prophetarum cœtu, qui erat in Samaria, de quo *sub anno* 3147. *n. 2.* dictum manet. De his autem quatuor Prophetarum Cœnobijs Galgalæ, Bethel, Iericho, Samariæ noster Ioannes Ierosolymitan. *dicto lib. cap. 22.* affirmat extructa fuisse in suburbijs harum vrbium, vel villarum, & ibi instrui solitos in vitæ Religiosæ rudimentis eos, qui ad propheticam disciplinam veniebant, ac inde postea ad eremos translatos. Verba Ioannis sunt hæc: *Vnde in suburbanis quarumdam ciuitatum, & villarum Terræ promissionis, maximè autem in Galgala, & in Bethel, & in Iericho & in Samaria habuerunt cuneos Religiosorum virorum, filiorum Prophetarum (sicut legitur in libro Regnorum) apud quos manebant, dum ad ciuitates & villas veniebant. Et illos de populo, quos ad suam propheticam Religionem trahere poterant, primo quidem in his Conuentibus faciebant erudiri in disciplina prophetica, & in rudimentis Religiosæ vitæ monasticæ, vt eos paulatim à conuersatione vrbium distraherent, quos postmodum ad eremos transferebant.*

Iordanis. 9 De alio quoque filiorum Prophetarum eremitorio iuxta fluenta Iordanis ab ipsis, Elisæo adstante, & cooperante, extructo, constat ex dictis *sub anno* 3145. Illud autem, vt ibi dicere cœpimus, solemnissimum semper fuit in Religione, quia primitus à filijs Prophetarum, postea ab Essenis, deinde à Ioanne Baptista, ac tandem post multa secula, & Terram sanctam recuperatam à nostris Carmeli eremitis habitatum fuit. Hac enim benedictione locum illum ditare voluisse videtur Deus, eo quod à tam sancto Propheta prima ipsius fundamenta iacta fuerint. Vide dicta de eo *sub eo anno* 3145. *num. 3.*

Mons Ephraim. 10 In monte etiam Ephraim mansionem quoque filij Prophetarum fuisse dicta *sub anno* 3150. manifestant; & docet Vvaldensis loco relato, & maximè Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. c. 22.* rationem pariter subiungens, cur in illam solitudinem nutu etiam Elisæi secesserint his verbis: *Quidam autem dictorum Monachorum filiorum Prophetarum in monte Ephraim suam mansionem elegerunt. De his loquebatur Giezi famulus Elisæi, dum dicebat Naaman Syro: Dominus meus misit me ad te dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim ex filijs Prophetarum. Isti quidem segregantes se à turbis, quas videbāt colere vitulum aureum, quem Ierobam posuerat adorandum in Bethel, secesserunt nutu Elisæi in solitudinem montis Ephraim, ne possent exemplo populi infici Idololatria, sed vacarent in solitudine liberius*

dini-

diuino cultui. Hunc etiam montem Ephraim cum Samaria, Galgalis, Iordane, & Carmelo inter mansiones Elianorum numerat Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ tom. 6. verb. Religiosus Religio*, §.*Agnoscit hic Ordo*, dum de Ordine nostro sermonem facit.

11 Præterea in deserto montis postea *Quarantena* vocati prope fontem, cuius aquas steriles, & amaras Elisæus sanauit, in quo Seruator noster Christus quadraginta diebus, & totidem noctibus ieiunauit, habitasse Prophetarum filios videtur colligi ex Guillelmo de Sannico *in Chronic. de multiplicat Ordin. cap. 1.* Et saltem iuxta hoc desertum inhabitasse Essenos illorum posteros dicemus *sub anno* 4082. Quarantena.

12 In sancta quoque Ierosolymorum Vrbe, ac in Sarephta Sydoniorum eosdem filios Prophetarum habitationes habuisse tradit Vvaldensis *loco relato*. Quod quidem etsi de Ierosolymitana mansione pro comperto nobis sit, quis enim credet pios, & Religiosos viros cultui Dei addictissimos, & per totam fermè Terram sanctam dispersos in ea Ciuitate, in qua ob Salomonicum Templum Deus præcipuè, imò singulariter colebatur, locum non habuisse, vbi liberius, quàm in alijs locis Deo laudes, & Psalmos decantare possent? Accedit quod pijssimus Iosaphatus Rex, qui annis proximè præcedẽtibus Regni Iuda (cuius regia Ciuitas Ierusalem erat) clauum tenebat, Prophetisque sanctis Eliæ, Elisæo, & discipulis deuotissimus extiterat, nequaquam permitteret viris tam eximijs, ac de populo Dei benemeritis eam Ciuitatem carere, quæ toti Israëli Religionis & pietatis veluti norma, & exemplum habebatur; idque maximè cõfirmant, quæ inferiùs *sub anno* 3412. de Holda Prophetide habitante Ierosolymis in Collegio quodam, seu *Domo doctrinæ* appellata *secunda*. De Sarephta verò difficilius id creditur, cum ea Ciuitas extra Dei populum, & sub Gentilium ditione esset. Nihilominus quia celebre valde fuit miraculum ab Elia de suscitatione filij eiusdem vrbis fœminæ patratum, ipseque, qui à mortuis suscitatus fuerat, Ionas iure desiderare deberet illius gentis conuersionem, ideo credibile etiam fit eo in loco aliquorum ex Prophetarum filijs mansionem extitisse, quibus ipse Ionas Præfectus adfuisset. Neque enim Vvaldensis doctissimus Doctor sine graui fundamento id asserere posset. Vnde nobilis quidam Gallus auctor libri, cui titulus est: *Les estats, Empires, Royaumes & Principateuz du monde* in Tractatu *de origine Religionum* Ionam cum suis discipulis in Sarephta habitasse describit. Ierosolyma.

13 In his porrò locis, & alijs quæ ignoramus nostri illi prædecessores Prophetarum filij nominati manebant in cellulis quidem, & exi- Cellulæ, vel tabernacula.

exiguis casulis, tabernaculis, vel tentorijs. Ita enim affirmat S. Hieronymus, dum de illis, qui iuxta fluenta Iordanis mansionem elegerant, in *epist. ad Rusticum* affirmat *casulas sibi ædificasse, & in epist. ad Paulinum*, dum asserit in *tabernaculis habitasse*. Est autem tabernaculum (Calepino teste) *subitarium quoddam tectum frondibus stragulisque coopertum, aduersus solis, tempestatumque iniurias*. Quare huiusmodi tabernacula adinstar tuguriorum, quæ ex eadem materia conficiuntur, fabrefacta existimamus. Ea etiam *casulas* appellat S. Isidorus 2. *officior*. Habitabant quoque sæpius, in eremis videlicet & montibus, in cauernis, & speluncis terræ, quæ etiam antra vocantur, prout de illis inquit Apostolus *ad Hebr.* 11. *v.* 38. Inter quas celebrior est, & omni nationi mundi venerabilis, ac vsque ad hæc

Eliæ spelũca. nostra tempora perseuerans, quæ in Carmelo monte *spelunca Eliæ* dicitur, quæ ad partem occidentalem illius aliqualiter ad Caypham Ciuitatem respiciens cernitur, de qua præter dicenda *in 2. tom.* aliqua Beniaminus Hebræus *in suo Itinerario p.* 38. & alij, specialiter Brocardus Dominicanus *in Itinerario seu descriptione Terræ sanctæ p. 1. cap. 8. §. 2.* sic: *Ex Caypha ad leucam vnam via quæ ducit ad Castrum Peregrinorum, per ascensum montis Carmeli fere dimidia leuca est spelunca Eliæ*. Deficit in eo quod subiungit: *In qua latuit fugiens à facie Iezabel, in cuius ostio visionem grandem vidit spiritus, & ignis, vt legimus in 3. Reg. cap. 19*. Hoc enim non contigit Eliæ in Carmeli spelunca, sed in ea quæ erat in Horeb, vt vidimus *sub anno 3127. n. 2.* In eo tamen quod præterea addit, videlicet: *Illic est fons, vbi Prophetarum filij habitabant*, veritatem assequitur, multi etenim de hoc fonte Eliæ scribunt, specialiter Adrichomius *in Itinerario Terræ sanctæ in Isachar. n. 19.* (etsi non bene ipsum collocet ad partem orientalem montis) Ioannes Cotouicus *lib. 1. cap. 20.* & historici nostri communiter; maximè tamen Bartholomeus de Saligniaco Protonotarius Apostolicus *in Itinerar. Ierosolym. tom. 10. cap. 6.* dicens: *Horum* (scilicet Carmelitarum) *Cœnobium est in monte Carmelo, vbi fons scaturit, non quidem perpetuis aquis, sed temporaneis, nulla enim ibi est aquarum copia, nisi transeuntibus fratribus Christianis peregrinis, ita vt nunquam infideles bibant ex eo, vt verificetur illud Prophetæ: Deriuentur foris in plateis aqua eius, sed non bibat alienus ex eis*. Hæc ille. De his autem mansionibus nostrorum Philippus Ribboti *in speculo Ordinis lib. 3. cap. 6.* sic eruditè discurrit: *Mansiones in quibus prædicti Monachi Carmelitæ in solitudinibus Terræ sanctæ sigillatim residentes fuerunt, varijs sunt nuncupatæ nominibus. Quoniam dicta sunt antra, speluncæ, cauernæ, tabernacula, casulæ, & cellæ*. Antrum *est dictum, quasi*

atrum,

atrum, id est, obscurum, eo quod sit locus in densitate arborum, vel in profunditate terræ, seu rupium absconsus, & aliqualiter obscurus. Spelunca *verò est concauitas saxorum, seu rupium naturaliter, & nullo hominum artificio facta.* Cauerna *autem est locus concauus humano ingenio perfossus, vel perforatus.* Tabernaculum *est habitaculum à tabulis dictum, eo quod de tabulis construi soleat, vel quia tabulis interstantibus tentoria funibus distenta appendantur, ad euitandum solis ardores, imbriumque tempestates, & frigoris rigores.* Casa *autem est agreste habitaculum paleis, & virgultis, atque arundinibus contextum, quibus homo se possit tueri à vi frigoris, vel à caloris iniuria; & inde diminutiuè dicitur* casula, *id est parua casa. Quodlibet autem prædictorum habitaculorum communi nomine dicitur* cella, *quod celet, & abscondet manentem in se.* Plura de ijs in discursu Annalium. Mansiones Carmeli.

Annus mundi 3157. ante Christum 896.

1 ELEBRIS hic annus est inauguratione Ioas pueri in Regem Iuda opera & industria Ioiadæ summi Sacerdotis facta. Cum enim Athalia Achabi, & Iezabelis filia, & vxor Iorami filij Iosaphati, mortuo marito, & Ochozia filio, omne semen regium interfecisset, excepto Ioas, quem Iosaba Ochoziæ soror à nece liberauerat, & in Templo Domini absconditè nutrierat, Ioiadas Pontifex, re cum Deo communicata, militumque strenua manu collecta, Ioas septennem in medium produxit, Regem coronauit, Athaliam interfecit, & aras Baalis destruxit. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 11. & expositores *ibidem*. Ioas Rex.

2 Magna propterea lætitia affectos fuisse credimus Elisæum, & discipulos Prophetarum filios, tum quia Athaliam impiam fœminam de medio sublatam videbant, iuxta Dei verbum per Eliam factum 3. *Reg.* 21. *v.* 21. de quo *sub anno* 3136. diximus, tum quia Baalis ara Ierosolymis destructa erat, quod maximè desiderarent ij ex nostris Prophetarum filijs in ea sancta Ciuitate commorantes, iuxta dicta. Elisæi, & Prophetarum lætitia.

Annus mundi 3158. ante Christum 895.

Iehu inglorius. 1 EHV Rex Israel per id tempus inglorius regnabat in Samaria, contemptor enim & ipse numinis, Religionis, ac legum à maioribus per manus acceptarum Syrum Regem à populationibus arcere non potuit (inquit Iosephus *lib. 9. cap. 8.*) quod procul dubio Patri Elisæo, & filijs Prophetarum Samariæ & per totum Israëlis Regnum collegialiter viuentibus afflictionis causa fuit, præsertim cum ille ab Elia in Regem denunciatus, & à Iona nomine Elisæi inunctus fuerit, iuxta dicta in superioribus.

Annus mundi 3159. vsque ad 3165. ante Christum 894. vsque ad 888.

Rechabitæ clari. 1 ONADABI filij Rechabitæ nuncupati per id tempus clari erant in Israël Regno. Ipsi enim Parentis exempla secuti vitam quasi Religiosam ab Elisæo ipsis traditam amplexati fuerunt. Patri eorum semper obediebant, vinum non bibebant, domos non ædificabant, sementem non serebant, agros non possidebant, & vineas non plantabant, aut tenebant, sed in solitudinibus iuxta vrbes cunctis diebus in tabernaculis habitabant. Ita enim de ipsis traditur *Ierem. 35. v. 6.* & docet Ioannes Ierosolymitanus *lib. relato c. 25.*

Eliæ discipuli. 2 Hos autem Rechabitas inter Eliæ discipulos numerandos esse, ac per consequens Prophetici Ordinis ab eodem Elia propagati alumnos nominandos multa suadent. Primum auctoritas Ioannis Ierosolymitani *dicto lib. c. 25.* vbi id conceptis verbis expressit, dicens: *Ionadab in his omnibus plenè instructus ad maiorem perfectionis cumulum fuit Elisæum Prophetam in Monastica vita imitatus.* Et infra: *Cinæi itaque ab hoc Rechab descendentes, & cum Ionadab filio eius Religionem Elisæi eremiticam sequentes dicti fuerunt Rechabitæ, quorum pater scilicet Ionadab per Elisæum Prophetam in disciplina prophetica Monasticæ vitæ instructus iniunxit ipsis Rechabitis, & cunctis eiusdem propositi per affinitatem eis coniunctis cætera, præter continentiam in Institutione Eliæ consulta.* Ioannem porrò sequuntur Ordinis Historici, specialiter Ioannes de Malinis *in speculo historiali c. 3.* Secundum, S. Hieronymi auctoritas *in epistola ad Paulinum*, vbi loquens de antiquæ legis Monachis, postquam dixit: *Noster Princeps Elias, noster Eli-*

Elisæus, nostri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis, subiungit immediatè: *De his sunt, & illi filij Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, qui morabantur in tentorijs, qui Dei per Ieremiam voce laudantur, & promittitur eis quod non deficiet de stirpe eorum vir stans coram Domino.* Quibus verbis, siue illa *de his sunt* referantur ad Eliam, vel Elisæum, siue ad filios Prophetarum, manifestè conuincitur intentum, cum constet Elisæum, & filios Prophetarum Eliani Instituti alumnos, & discipulos extitisse. Tertium, nomen ipsum *Rechabitæ*, id enim, vt Iacobus Boulducus auctor doctissimus *in lib. 3. de Ecclesi. ante legem c. 16.* scripsit à voce Hebraica *Recheb*, idest, *currus* deriuatur, & ex eo filijs Ionadab concessum, quòd eo nominati fuerint Elias & Elisæus ipsorum Magistri, Elias quidem ab Elisæo, dum ipsum per aëra subleuari videns dicebat 4. *Reg. 2. v. 12. Pater mi, Pater mi currus Israël, &c.* Elisæus autem dum morti proximus à Ioas Rege Iuda eisdem verbis compellatus fuit 4. *Reg. 13. v. 14.* ex eo enim quod hoc nomen hisce clarissimis Prophetis tributum est, honorificum valde æstimabatur, vt propterea Ionadabo honoris gratia tributum, & inde ad posteros, qui primitus Cinæi, & filij Prophetarum dicebantur, vt Rechabitæ vocarentur, transmissum sit. Sed libeat ipsum Boulducum audire; omnia enim, quæ intendimus, verbis ipsius continentur: *Quinto constat ex libris Regum multa, ac frequentia filiorum Dei, qui postea filij Prophetarum sunt appellati, in illa aut circa illam Tribum extitisse cœnobia: nempe in Galgalis, Bethel, & Iericho, præter illud celebre Haberis in Querceto, quod dicebatur Sennim, iuxta Cedes, atque in illis maximam fuisse multitudinem vtriusque sexus (vt colligere est ex strenuâ illa Iahel vxore Haber Cinæi, quæ peremit Sisaram) quorum Archimandritam posterioribus seculis fuisse Eliam, cui successit Elisæus, ambigendi non datur locus. Eliæ autem & Elisæo successit in officio vir sapientia & sanctitate celeberrimus Ionadab, qui passim in Scriptura dicitur filius Rechab; non, vt multi putant, quod à quodam huius nominis viro (quem Scaliger militarem virum fuisse contra illa, quæ de eo habet Ieremias, audet asserere, propter Iehu ad eum verba, & quia in eius currum fecerit eum ascendere, nempe horreret Scaliger sanctum aliquem Monachum simili honore à Rege præueniri) secundum carnem genitus sit, cum talis non reperiatur, & tam illustris familiæ parentem, & caput non inueniri incongruum planè videatur, sed quia filius, idest, discipulus fuit eorum, qui primi hoc nomine Rechab honoris causa vocati sunt. Isti autem fuerunt Elias, & Elisæus; ille quidem ab isto quando sursum ferebatur per turbinem in cælum vidente, &*

Rechabitæ nomen vnde deriuatum.

Boulducí sententia.

clamante; Abi, abi, Recheb Iſraël, Vpharaſciau: *Pater mi, pater mi* Recheb *Iſraël, & equites eius, vel equitum eius: iſte verò, nempe Eliſeus, iiſdem prorſus terminis à Ioas Rege Iſraël, cum ægrotaret infirmitate, qua mortuus eſt, ad quam Rex deſcendit, & ſtans coram eo dicebat:* Pater mi Pater mi, currus (Recheb) Iſraël, & auriga eius. *Ab illo ergo die nomen* Recheb, *ſeu* Rechab *honorabile factum eſt, ita vt præcipuus filiorum Prophetarum Archimandrita, qui hoc munere ſucceſſit Eliſæo filius Rechab quaſi vtriuſque Rechab, nempe Eliæ, & Eliſæi diſcipulus appellatus ſit, et omnes illius ſodalitatis alumni, qui primo Enoſcæi, deinde Cinæi, poſtea Cenezæi, ad hæc Hebræi, Nazaræi, & filij Prophetarũ nuncupati fuerant, deinceps Rechabitæ ſunt appellati. Quod idem eſt ac ſi Eliaitæ, vel Eliſæitæ dicerentur. Quæcunque alia fabricari poſſet huius nominis etymologia, multiplici abſurditate ſcatere videbitur. Confirmat quæ dicimus nuper citatus Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus, qui docet dictum Ionadab fuiſſe Diſcipulum Eliſæi Prophetæ.* Huius ergo auctoris ſententiæ eatenus aſſentiendum, quatenus etſi nouam, valde tamen probabilem etymologiam nominis Rechabitarum rationem affert, (cui fauet Druſius *de tribus ſectis Iudæor. lib. 4. cap. 17.* & Euſebius Nierembergius Ieſuita *in Doctrin. Aſcetic. lib. 6. Doctrin. 8. c. 65.*) non quatenus communi DD. placito de Rechab vero homine Ionadabi progenitore aſſerendo contradicit. Expoſitio autem loci illius 1. *Paralippom. 2.* placuit etiam ex parte Ioanni noſtro Ieroſolymitano, vt ſupra, & propterea amplectenda, ſine præiudicio tamen illius, quæ admittit illo verbo *Calore*, verum aliquem hominem deſignari, prout indicatur à Sixto V. in Codicibus correctis, vbi littera maiuſcula deſcribitur, vt notat Sanchez *in 1. Paralippom. cap. 2. num. 8.* Admittendum porrò id quod pro certo Boulducus ſupponit, videlicet Rechabitas Eliæ, & Eliſæi diſcipulos fuiſſe. Vnde *lib. 2. de Eccleſ. ante leg. cap. 11. § ſine genealogia*, illos Patres *Rechabitarum ſocietatis* appellat.

3 Præcipuè tamen huiuſmodi Rechabitas Ionadabi poſteros, Eliæ, & Eliſæi diſcipulos fuiſſe, inter Prophetarum filios numerandos, & eiuſdem Prophetici Inſtituti alumnos cenſendos, prout Boulducus relatus *dicto c. 11. §. Neque initium*, confirmat, efficaciter comprobatur ex ſimili omnino viuendi ratione, quam hi omnes habebãt. Sicut enim filij Prophetarum Eliani Religioſi Inſtituti (iuxta modum ſanè quo illud in imperfectæ Legis ſtatu eſſe poterat, iuxta ſæpius inculcata) imitatores erant, vt omnes conſentiunt, & in ſuperioribus oſtenſum manet, ſic & Rechabitæ, vt ex teſtimonio Ioannis Ieroſolymitani vidimus. Vnde Albertus Magnus *in 4. diſt. 38. art. 13.* vota Rechabitarum commemorans, quod etiam facit Concilium Senonen-

Inſtitutum Rechabitarũ.

nonense *decreto* 9. supponere videntur aliqualis eos Religiosi Instituti alumnos existimasse. Concilij porrò verba inferius referimus. Deinde sicut obedientiam suis superioribus filij Prophetarum præstabant, vt in *Apparatu cap.4.n.7.* visum est, sic & Rechabitæ. Propterea enim *Ieremiæ 35.ver.8.* dixerunt: *Obediuimus voci Patris nostri in omnibus, quæ præcipit nobis.* Propterea etiam Ioannes Ierosolymitanus *dicto libro c.25.* inter præcepta illis à Ionadab imposita hoc recenset, *vt videlicet Patri eorum semper obedirent.* Hanc autem obedientiam veluti Religiosam fuisse, nec solùm communem illam, quam filij naturalibus parentibus exhibere debent, colligitur tum ex arduitate illorum, in quibus illi Parenti obsequebantur, tum ex eo quòd ipsi iam natu maiores, & emancipati erant. De quo Bellarminus *lib. 2. de Monach. cap. 21.* Cornelius *in Ierem. 35.* Bzouius *in Thesaur. Deiparæ sermon. 34.* Præterea sicut paupertatem seruasse eosdem filios Prophetarum eo loco ostendimus, sic eam amplexatos fuisse Rechabitas habetur ex Ieremiæ *cap.35.vers.7.* & Ioanne Ierosolymitano relatis, & clarissimè ex Abulensi 1.*Paralippom.2. q.21.* vbi istorum voluntariam paupertatem similem fuisse Apostolicæ affirmat. Quid enim est domos non ædificare, sementem non serere, vineas non plantare, nec habere, prout de illis ibidem dicitur, nisi veram paupertatem sectari? Vnde Theodoretus in eum locum: *Vitam curis vacuam, & prædijs carentem adamauerunt, & (quod maximè omnium superat opinionem) habentes liberos paruipendebant possessiones, toti quoad se, suaque à fiducia in Deum pendentes.* Pariter etiam quemadmodum Eliæ, & discipulis vini vsus prohibitus erat, vt colligitur ex dicto Ioanne *cap.7. & 9.* sic & Rechabitis, vt habetur ex locis relatis Ieremiæ *35. v.8.* & præfati Ioannis. Item quemadmodum filij Prophetarum Scribæ erãt, idest, sapientes, & Legis studiosi, vt diximus *in Apparatu cap. 7.* Deique contemplationi, laudibus, & hymnis ipsi decantandis vacabant, vt diximus *sub anno 3128. nu.2.* sic & Rechabitæ, vt expressè fatetur Cornelius *in c.35. Ierem. vers.2.* dicens: *Erant Scribæ, idest, sapientes, Legis studiosi, Deique contemplationi, laudibus, & hymnis vacabant. Vnde ab ijs scriptus dicitur Psal. 70. vt habet eius titulus. Ita Hebræi, & S. Hieronymus supra.* Hæc Cornelius. Ac tandem quemadmodum vitam Eremiticam extra vrbes in solitudinibus gerere præcipuè intimatum Eliæ à Domino fuit illis verbis 3. *Reg.17. Recede hinc & abscondere in Torrente Charith*, & ab ipso filijs Prophetarum, & alijs suis discipulis, vt habetur ex eodem Ioanne *dicto lib. sæpius*, sic & Rechabitis præceptum erat à Ionadabo Parente, quod in solitudine, & in tabernaculis

Obedientia.

Paupertas.

Vini vsus prohibitus.

Scribæ.

extra

extra vrbes ſemper habitarent, prout ex Ieremiæ, & Ioannis Ieroſolymitani locis relatis habetur.

Quid de Caſtitate dicendum.

4 Circa Caſtitatis obſeruantiam latum videtur interceſſiſſe diſcrimen inter filios Prophetarum, & Rechabitas, ita vt illi eidem ſeruandæ attenderent, vt *in Apparatu cap.4.num.9.* dictum fuit, iſti verò non niſi coniugio, & procreationi filiorum. Conſtat enim ex loco Ieremiæ adducto Rechabitas vxores habuiſſe, filios ac filias generaſſe. Quin ex *dicto lib.* Ioannis Ieroſolymitani *cap.25.* manifeſtè habetur Ionadab ipſorum patrem omnia quæcunque in Eliæ Inſtitutione continebantur, per Eliſæum Prophetam illi intimata acceptaſſe, poſteriſque obſeruanda tradidiſſe, præter continentiam. *Volebat enim* (inquit is auctor) *propter fragilitatem carnis tam ſe, quam ſuos coniugio vti, & prolem ad Dei cultum procreare.* Hæc tamen, etſi manifeſtè conuincant inter eos plures numero fuiſſe eos, qui coniugij legibus, quàm qui caſtitati obſeruandæ ſtuduiſſent, in quo à filijs Prophetarum diſcerni videbantur, quòd in iſtis pauciores coniugio, plures verò caſtimoniæ intenderent, neque aliud relatis teſtimonijs conuincatur, nihilominus etiam inter Rechabitas fuiſſe aliquos, qui matrimonij iura repudiantes virginali cælibatui attenderent, pluribus de cauſis nobis arridet. Primò quidem quia cum ipſi ex filijs Prophetarum eſſent, vt vidimus ex D.Hieronymo *in epiſt. ad Paulin.* valdè ſanè credibile eſt, quod aliqui eorum ad filiorum Prophetarum imitationem (inter quos plures virginitatem ſeruabant) caſtitatis, & virginitatis cultores eſſent. Secundò, & præcipuè, quia cum Rechabitæ Eſſenorum Principes, Duces, & Anteſignani eſſent, vt docent S.Nilus Chryſoſtomi diſcipulus *in ſermone aſcetico*, Cedrenus *in Caligula fol.163.* & alij iuxta dicenda *ſub anno 3545.* & modo ibi explicando, proculdubio quemadmodum inter Eſſenos plures erant, qui caſtitati colendæ ſtudioſè attenderent iuxta ibi dicenda, ita etiam inter Rechabitas. Tertiò, ex D.Gregorio Nazianzeno *in Poemate de vita ſua*, vbi de ſeipſo loquens, & qualiter de optimo viuendi modo ſecum deliberaret, cum iam à carnis illecebris abſtinendum decreuiſſet, ſic enim ait: *Qua carnis eſſent, iam diù decreueram reijcere*, ſubiungit: *Aliam viam quærebam commodiſſimam.* Illam verò aſſerit fuiſſe vitam Eliæ in Carmelo, Ioannis Baptiſtæ, & filiorum Ionadabi. *Animo* (inquit) *Elias occurrebat vates meo magnuſque Carmelus, nouaque nutritio, & ſolitudo Præcurſoris illius, & vita Ionadabi ſimplex liberorum.* Quo ſanè denotat Ionadabi filios, Rechabitas nempe (nonnullos ſaltem) caſtitatem coluiſſe, ſicut Eliam, & Baptiſtam. Si enim eos omnes crederet coniugio operam dediſſe,

Aliqui eam obſeruabant.

non

non erat cur illorum viuēdi modum sectari vellet, qui iam *quæ carnis essent*, decreuerat reijcere? Quartò, id etiam colligi videtur ex Abulensi 1. *Paralippom.* 2. *q.* 21. vbi de Rechabitis asserit: *Isti erant viri Religiosi in veteri testamento, sicut nunc sunt Monachi*, & inferius, ex eo, inquit, prohibitum illis fuisse à Patre ipsorum Ionadab bibere vinum, vt disponerentur *ad continentiam*. Quintò id suadetur ex auctoribus, qui tenent Rechabitas (nonnullos videlicet) à coniugio abstinuisse. Pro quo Gregorius de Valentia *secunda secundæ disput.* 10. *q.* 4. *puncto* 1. §. 1. hoc celebre dedit testimonium: *Inter omnes sine controuersia constat Rechabitas peculiari vitæ ratione præter communem obseruantiam legis diuino cultui seipsos addixisse. Vinum enim non bibebant, à coniugio abstinebant, exactam obedientiam suis Superioribus præstabant.* Expendendum enim illud est *inter omnes sine controuersia constat*, & illud *à coniugio abstinebant*. Id etiam clarè tuetur Serarius *in Tribæresio lib.* 3. *cap.* 9. §. *Alterum diuersa*, loquens de Essenis, quos eosdem credit cum Rechabitis fuisse. Et clarissimè vir doctissimus Aluarus Villegas Archiepiscopatus Toletani moderator *in serm. S. Theresiæ typis mandato Matriti* 1615. vbi non solùm Castitatem seruasse, sed id ex voto (intellige aliquali) egisse tuetur. Obedientiam etiam, Paupertatem, & Castitatem obseruasse non obscurè indicat Medina 1. 2. *quæst.* 108. *art.* 4. §. *Vt tamen*.

5 Has verò obseruantias, præsertim obedientiæ, paupertatis, & continentiæ voto aliquali, veteris scilicet Legis imperfectioni proportionato firmasse, etsi nihil de eo certi affirmari potest (cum id non constet ex sacra Scriptura, sicut nec de alijs) nihilominus congruè satis, de nonnullis saltem ipsorum, suadetur. Primò à simili de filijs Prophetarum, de quibus ipsos fuisse affirmat S. Hieronymus *in epist. ad Paulinum*, & quos ex simili quadantenus voto illa obseruasse diximus *in Apparatu cap.* 4. imò ex D. Augustino *in præfat. ad Psal.* 70. colligi videtur, cum de obedientia Rechabitarum loquens afferat ad propositum illud Psal. 55. *In me sunt Deus vota quæ reddam*, & illud *Psal.* 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*. Secundò etiam à simili de Essenis, qui ex ipsis originem duxerunt, & quos simili voto astrictos fuisse dicemus *sub anno* 3545. Tertiò, quia id supponitur in Concilio Senonensi *de Votis Monasticis, Decreto* 9. illis verbis: *Si quis votum aliquod huiusmodi vouerit Domino, etiam si perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum suum, sed Deiparæ Virginis, Annæ Samuelis matris, & Rechabitarum exemplo omne quod promiserit, implebit*. Vbi notandum, tam certum videri supponi à Concilio votum Rechabitarum, quàm votum Deiparæ, & Annæ; imò ipsum perpetuum

An vota emiserint.

fuisse,

fuisse, tum ex verbis relatis, tum ex exemplo eiusdem Deiparæ, & Annæ, sine præiudicio tamen Euangelicæ Legis, elici posse videtur. Vnde etiam Abraham Bzouius *in serm.* 34. *de Beata Virgine* vota Rechabitarum commemorat, *quod*, dicit, *apud Patres plusquam clarissimum est*. Quartò, quia ab Abulensi loco relato vocantur *viri Religiosi, sicut nunc sunt Monachi*, & à Dionysio Carthusiano *in cap.* 35. *Ieremiæ* appellatur Ionadab *vir Religiosus, mundanorum contemptor, qui Religiosæ vitæ modum posteris suis ostendit, præfixit, reliquit*. Lyranus etiam *in Ierem.* 35. sic: *Ab isto Ionadab incepit modus viuendi Religiosus*. Boulducus verò *lib.* 3. *de Ecclesia cap.* 16. eum vocat *filiorum Prophetarum Archimandritam*. Quo denotatur, nonnullos saltem eorum, vt diximus, tria Religionis ligamina non omnino respuisse. Quintò, quia vt colligitur ex Ieremiæ 35. toto tempore vitæ suæ obseruabant eas cerimonias, quas illis Pater ipsorum Ionadab præceperat. Ex hoc enim infertur ex aliqualis voti vinculo eas obseruasse. Vt enim S. Tomas *secunda secundæ q.* 186. *art.* 6. *ad* 2. ait: *Non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem*. Denique quia erant viri magnæ perfectionis, mortificationi, solitudini, & abstinentiæ addicti: quis ergo credat ijs non coniunxisse (aliquos eorum) vel aliquantulam promissionem obseruandi ea, quæ obseruabant? cum certum semper fuerit, opus bonum factum ex voti vinculo melius esse, & placere magis Deo? Vnde Aluarus Villegas relatus expressè fatetur ac probat ipsos castitatis votum emisisse, & illud *Ierem.* 35. *vers.* 8. *Et mulieres nostræ*, exponit ipse de fœminis, quæ sectabantur idem Institutum, sicut & illud, *filij, & filiæ nostræ*, de discipulis ipsorum. Illud autem *mulieres nostræ* non denotare veras vxores, sed fœminas eiusdem Instituti sectatrices colligit ex *Luc.* 24. *vers.* 22. vbi dicebant discipuli, *mulieres quædam ex nostris*, idest, nostri Instituti. An verò id catholicè, quantaue probabilitate asseratur, alio loco dicemus.

Ordinis Eliani alumni.

6 Vtcumque sit, siue dicatur ea obseruasse ex voto, siue sine illo, asserendum est omnes huiusmodi Rechabitas ad seriem, & Ordinem Instituti Eliani pertinere, ita vt proinde per illos Ordinis continuatio deriuata merito credatur. Nam si præfatas cerimonias ex voto obseruabant, cum in illis includantur obedientia, paupertas, & castitas, vt diximus, essent veri Religiosi veteris Legis, iuxta modum, quo Religio fuit ante omnium rerum complementum, quod est Christus. Si autem illa non obseruabant ex voto, sed ex consuetudine tantum, & deuotione, cum in illis instructi fuerint ab Elisæo, & adinstar filiorum Prophetarum, vt diximus, pertinebunt ad ipsorum

rum

rum Ordinem,& Institutum, solum indirectè ad modum,quo in Lege Euangelica Tertiarij Ordinum Mendicantium ad ipsos dicuntur pertinere. Atque ita quomodolibet de eis sentiamus, eorum gesta ad nostram historiam & Annales spectabunt.

7 Maximè præterea roborantur,quæ diximus, ex plurium tum Patrum,tum grauium Doctorum testimonijs,qui Rechabitas *Monachos* vocant, vel *Religiosos*, aut inter ipsos illos recensent. Hi sunt D.Hieronymus *in epist. 13. ad Paulinum*. Ioannes Ierosolymitanus *in lib. de instit. Monachor. c.27.* Lyranus, Dionysius, Valencia, Villegas, & Boulduceus relati, ac præcipuè Abulensis etiam relatus. Fauet Sanchez *in c.35. Ieremiæ* sæpius adductum, sancti Hieronymi auctoritati nixus.

Annus mundi 3166. vsque ad 3169. ante Christum 887. vsque ad 884.



1 HIC annus insignis valde habetur ob structionem eo tempore factam Carthaginis clarissimæ quondam Africæ vrbis, & Imperij Romani æmulæ, quam Dido ex Tyro profecta condidit. Sic enim ex Iosepho *lib. 1. aduersus Apionem Grammaticum* colligunt Torniellus, Salianus, & alij. Carthago extructa.

2 Legibus interim non tam condere quàm firmare, & solidare suum Carmelum, & sodales in eo habitantes curabat Elisæus. Ex quibus illa videtur præcipua, de qua Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. cap. 25.* quod scilicet nihil soliciti indebitè essent, quod manducarent, aut biberent, aut quo operirentur, & quod primùm quærerent Regnum Dei, & iustitiam eius, proijcientes omnes suas solicitudines in eum, cui cura est de omnibus, ex eo autem magis firmatur id quod in superioribus diximus, Rechabitas scilicet eiusdem Instituti fuisse cum filijs Prophetarum, & alijs discipulis Eliæ & Elisæi. Propterea enim Ionadab Parens ipsorum eis præcepisse videtur, ne domos ædificarent, sementem sererent, agros possiderent, vineas plantarent, aut haberent, quia scilicet isthæc omnia humanæ solicitudinis fructus esse solent. Carmeli leges

An-

Annus mundi 3170. 3171. 3172. ante Christum 883. 882. & 881.

Lycurgi modestia. 1 IHIL ferè de his annis tam in sacra quàm prophana historia. In hac autem celebris, & omnium memoria dignus per id tempus casus contigisse fertur. Lycurgus Lacedæmoniorum insignis legislator fratrem habebat Polydectem nomine, eius gentis Regem, quo defuncto Regnum Lycurgo omnium sententia delatum est; quod ille tantillum temporis gubernauit, donec fratris sui vxorem relictam in vtero prolem habere cognouit. Eo namque comperto ad conceptum fœtum, si masculus esset, regnum pertinere affirmauit, seque tutoris loco Regnum administraturum. At grauida fœmina quæ magis Regina, quàm Regis mater dici desiderabat, monuit Lycurgũ vt ipsi nuberet,ea namque curatura esset ad fœtum cõceptum extinguendum. Finxit Lycurgus se probare consilium, monuit tamen ne fœtum medicamentis extingueret, quin etiam curauit, vt parturienti adessent fidi custodes, qui natum infantem ad se illico deferrent. Allatus ergo infans recens est ad ipsum,dum cœnaret,quem acceptum in Regio solio collocauit dicens astantibus,eum Regem ipsorum esse. Quem omnes receperunt, animi eius magnitudinem, ac iustitiæ rectitudinem (O rarum exemplum!) admirantes. Salianus *sub hoc anno* 3170. *num.*2. *&* 3.ex alijs vetustioribus.

Elisæi gesta. 2 Quæ interea agerent Elisæus, filij Prophetarum, & alij discipuli, Scriptura non loquitur, quin per plurium annorum spatium nullam de ipsis mentionem facit, vel quia præsertim de Regibus agens, pauca de Prophetis proferat, nisi quatenus ad ipsos Reges spectat, vel quia peccata populi, Idololatria maximè, hæc pœna digna erant, vt sancti laterent, & ipsorum gesta non manifestarentur. Ex alijs ergo auctoribus res est mendicanda; & quidem si Abulensis consulatur, ille *in* 4.*Reg.* 2.*q.*31.hæc habet: *Elisæus fuit tota vita sua discurrendo per diuersa loca* (Collegia scilicet filiorum Prophetarum) *visitando viros Religiosos, quorum ipse Pater, & Princeps erat.* Ex quo elicitur eam fuisse Elisæi continuam his annis occupationem,vt propterea fixam sedem in aliquo loco non haberet. Cum quo stat etiam id quod in sequentibus dicemus, vt magnam temporis partem in Carmelo cum sodalibus commorans insumpserit.

Anni

Annus mundi 3173. vsque ad 3177. ante Christum 880. vsque ad 876.

1 E his annis pauca quoque Historici loquuntur. Mors tamen Ophratanis Regis Assyriorum, & successio Ocrazapas in Regnum hoc tempore accidisse creditur. Eusebius *in Chronic.* Torniellus *sub his annis.* Assyriorum Reges.

2 Nostrum Elisæum Carmeli montem circa hæc tempora sua præsentia incessanter decorasse, eo tamen excepto, quod in Collegiorum visitatione per varia loca discurrendo iuxta dicta occupabatur, simulque quæ cum socijs in eo sancto monte piè peragebat ex Ioanne Ierosolymitano *dicto lib. cap.* 21. sic habemus: *Elisæus, & ceteri Eliæ discipuli Religiosi viri Prophetarum filij, necnon eorum tam veteris quam nouæ legis successores, montem Carmeli in veneratione speciali semper habentes, ipsum alijs eremis, vt Religioni suæ magis congruum prætulerunt, & propterea in eremo dicti montis præcipuè ad exemplum & imitationem illius sancti viri, & solitarij Eliæ Prophetæ, prædicti Religiosi secundum formam per Deum Eliæ creditam in iustitia prophetica vitæ monasticæ Domino Deo Israël deuotè seruierunt. Vbi Religiosam vitam solitariam sigillatim in modicis tabernaculis, & cauernis, atque cellis continuè & incessanter duxerunt iuxta fontem Eliæ. Ob cuius sanctitatem, & loci deuotionem ad maiorem seruandæ vitæ eremiticæ opportunitatem, ibique passionibus animæ viriliter resistentes, peremerunt nequitiam, & bonorum actuum exercitatione secuti sunt cordis munditiam. Ad mysteria itaque diuina se disponentes, omnibus contentionibus, & certaminibus priuati, cum silentio, & vnanimitate, & communione animorum ad* Seunion *horis statutis conuenerunt, celebrantes in pace, cum timore & reuerentia Creatoris, quæ ad cultum pertinent diuinitatis & ad iustitiam Regni cælestis. Quemadmodum de eis, & de eorum loco dicto Isaias Propheta in persona Domini vaticinatus fuit dicens:* Habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit, & erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ, silentium, & securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. *Vbi vide quam pulchrè describit Propheta per ordinem bonam eorum vitam à posteris Monachis Carmelitis imitabilem. Primò quidem ipsi sigillatim habitantes soli in cellis montis Carmeli, citabant quotidie seipsos ad iudicium discernendi in propria mente, si cogitationes accusarent, vel defenderent eos de aliquo*

Carmelitarũ exercitia.

Oratio.

Soli

iniquo, id est, deuiante à rectitudine Iustitiæ. Ideo prædixit Propheta: Habitabit in solitudine. *Secundò dum testimonium non reddebat illis conscientia de quocunque iniquo, exercebant officium Monachi, quoniam sedebat super eos Iustitia in Carmelo, qua illud iniquum tristes, & soli puniebant per veram pœnitentiam, & emendabant illico. Ob hoc prædicit Propheta*: Et iustitia in Carmelo sedebit. *Tertiò, cum nihil iniquum reperiebant in viribus animæ expiandum, tunc opus, quo ipsi cæteras vires animę conseruabant in concordia perfectè cum rectâ ratione erat interna pax iustitię. Idcirco prędicit Propheta*: Et erit opus Iustitiæ pax. *Quartò, quia teste Sapiente*: In multiloquio non deerit peccatum: qui autem custodit os suum, custodit animam suam. *Ideo ipsi, vt essent securi à peccato, colebant assiduè iustitiam silentio. Propterea prędicit Propheta*: Et cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. *De his autem omnibus commendans eorum vitam Dominus prędixit*: Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, *scilicet internæ*: Et in tabernaculis fiduciæ, *de obtinenda scilicet iucunditate supernę glorię*: Et in requie, *mentis* opulenta *videlicet, ex gustu, & contemplatione deliciarum procedentium de Torrente voluptatis diuinę. Quia ergo dicti Monachi ad exemplum Elię coluerunt iugiter in Carmelo iustitiam vitę monasticę, propterea appellati sunt eremitę Carmeli, cuius fuerunt incolę secundum modum prędictum, residentes ibi in iustitia assiduè, sicut Propheta prędixit*: Iustitia in Carmelo sedebit. Discant hinc noui Carmelitæ Parentum suorum vestigia sequentes hæc sancta exercitia veluti sui Ordinis propria pro viribus imitari. Qui enim *Genitoris opera non facit, genus negat*, vt ait Chrysologus *serm.* 123.

Silentium.

Pax, & securitas.

Annus mundi 3178. ante Christum 875.

Mors Iehu.

1 BIIT hoc anno Iehu Rex Israël in occupando Regno fortis, in destruenda familia Achabi sacrilegi animosus, in Baalis Prophetis, cunctisque ipsius Sacerdotibus interficiendis, ipsaque Idoli effigie euertenda obediens, & veluti Religiosus, etsi postea ob vanam rationem status vitulos aureos non auferendo meticulosus, vt propterea à Syris fugatus, & magna Prouincia spoliatus, Deo sic prouidente, inglorius vitam finierit. *Audite hęc omnes gentes.*

Pius erga Elianos.

2 Qualiter is nihilominus circa Deum & Prophetici Ordinis alumnos pius extiterit, verbis Saliani sub anno 3204. num. 10. sic damus: *Iehu etsi in extinguendo vitulorum cultu parum animosus fuit, verumtamen Deum, a quo Regnum acceperat, & agnouit, & coluit; ideoque in*

in eius cultores minimè seuerus fuit, placidus potius, ac mitis, vt qui Ionadab filium Recbab valde Religiosum dilexerit, in currum suum leuarit, testem zeli sui pro Domino esse voluerit. Minimeque dubium est ab eo dilectum atque honoratum Elisæum, omnesque illius discipulos, à quorum vno illius iussu in regem fuerat inauguratus. Hæc ille.

Annus mundi 3179. ante Christum 874.

1 EGNARE cœpit Ioachaz filius Iehu hoc anno super Israël in Samaria. Qui tamen non recessit à peccatis Ieroboam, & impiorum Regum Israël, adorans videlicet vitulos aureos, qui in eo Regno petra scandali cunctis erant. Iratus propterea Dominus contra illum tradidit eum in manus Hazaelis, & Benadabi Regum Syriæ, qui Israëlis Regnum adeo contriuerunt, vt ex immensa bellatorum multitudine, quam prius habere solitum erat, non ipsi remanserint (mirum dictu!) nisi quinquaginta equites, decem currus, & decem millia peditum. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 13. Iosephus *lib.* 9. *cap.* 9. Torniellus *sub hoc anno*. Sic, sic Deus de improbis Regibus vindictam sumere solet. Rex Ioachaz.

2 Acceptum, & gratum nihilominus huic Ioachazo Regi fuisse Elisæum nostrum Salianus *sub* 3204. *num.* 10. sic describit: *Ioachaz quoque, etsi funestos illos vitulos retinuit, Deum tamen non contempsit, sed coluit quoque, & eius opem implorauit, atque obtinuit. Quis dubitet quin Elisæo, qui in magna erat opinione sanctitatis, annitente?* Elisæus Regi acceptus.

3 Credimus tamen non solum ob sanctitatem Elisæi, eum filiosque Prophetarum hunc Regem coluisse & dilexisse, sed etiam ex eo quod sui successionem in Regnum post patrem Iehu, vel ab ipso Elisæo, vel à Iona Eliæ discipulo, vel ab vtroque simul accepisset, vt *sub anno* 3152. diximus.. Causa huius.

Annus mundi 3180. 3181. 3182. ante Christum 873. 872. 871.

1 LOREBAT hoc tempore Regnum Iuda sub Ioiada Pontifice, & Ioa Rege, Templi instauratione, ornamentorum renouatione, Sacrificiorum, & Holocaustorum continuatione. Sacra Scriptura 2. *Paral.* 24. Cum enim Principes summo Sacerdoti obediunt, cuncta prosperè in Republica ipsorum eueniunt. Iuda floret.

Israël luget. 2 In Regno autem Israël cuncta fermè infeliciter contingebant ob peccata Ioachaz, quia tamen ipse deprecatus Dominum est, propterea misericordiam à Deo obtinuit. Dedit enim (inquit Sacra Pagina 4. *Reg.* 13. *v.* 5.) *Dominus Saluatorem Israël, & liberatus est de manu Regis Syriæ, habitaueruntque filij Israël in tabernaculis suis, sicut heri, & nudius tertius.* Quo autem tempore hoc acciderit, vel quis fuerit hic *Saluator*, valdè dubium est, & multi multa dicunt, nec satis congruè. Aptior autem expositio est hunc Saluatorem Israëli datum fuisse Elisæum nostrum, qui cum Hazaëli Regi Syriæ valde notus, & amicus esset, vtpoè quia eum in Regem vnxerat, mortem Benadabi prædixerat, & munera per ipsum Hazaëlem eidem missa acceptare noluerat, potuit apud ipsum, & alium Benadabum ipsius filium, & Regni successorem precibus & intercessione agere, ne Israëlem, & Ioachaz Regem omnino opprimeret, aut penitus euerteret, prout potuisset, & fecisset, si ab Elisæo impeditus non esset. Sic fermè Caietanus *in* 4. *Reg.* 13. Quod melius approbat Cornelius *ibid.* ex qua explicatione non incongruè elici potest Elisæum in Syriam, per id tempus venisse, vt pro Ioachaz & Israële apud Hazaëlem, vel filium eius intercederet. Nec improbabiliter etiam affirmari potest Elisæum dici *Saluatorem* Israëlis, quia eius precibus, & orationibus apud Deum factum est, ne hi Syriæ Reges Dei populum sic arctè vexarent, vt ad interitum iam proximè labentem penitus delerent. Piorum namque orationibus Regna fulciuntur.

Quis hic Saluator.

Elisæus.

Annus mundi 3183. ante Christum 870.

Lycurgi leges. 1 EMORABILIS est hic annus legibus à Lycurgo Lacedæmonijs hoc circiter tempore latis, à Ioue, vel Apolline, Oraculoue, vt aiunt, acceptis. Clemens Alexandrin. *lib.* 1. *Stromat. p.* 258. Salianus *sub hoc anno à num.* 2. Et sanè si verum est quod Aristoteles *lib.* 2. *de Republ. cap.* 9. dicit, impudicas videlicet, & libidini suffragantes aliquas ex illis fuisse, illæ non nisi ex impurissimo dæmone magistro oriri possent. Ad eas ergo castissimas, & sanctissimas, quas sub Elisæo nostri filij Prophetarum acceperant, gradiamur.

Elisæi documenta. 2 Quales autem illæ fuissent, ex eorum vitæ ratione, viuendi methodo, & pijs exercitijs à Ioanne Ierosolymitano *dicto lib. c.* 26. descriptis veluti ex effectibus causas demonstrare possumus. Primò enim quærebant (inquit) *ex totis præcordijs Regnum Dei.* Hoc enim veluti finis perfectionis eorum mentibus primò insitum esse debebat

bat. Deinde *terrenas*, ait, *diuitias, & carnales delitias respuebant*. Hæc enim cum ad obseruantiam paupertatis, & castitatis spectent, secundo loco tanquam præcipua media ad perfectionem acquirendam custodiri debebant. Subiungit, quod *humana consortia, & turbarum tumultus vitabant*. Exemplo enim primi ipsorum Parentis Eliæ didicerant communem hominum habitationem esse fugiendam, & solitudinem sectandam ab eo, qui ex toto corde adhærere Deo desiderat. Ex eo namque ipsi Eliæ 3. *Reg.* 17. *v.* 3. dixerat: *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in Torrente Carith*: quæ sic explicat *cap.* 2. eiusdem libri idem Ioannes: *Recede hinc, scilicet à rebus caducis mundi, & transitorijs, & vade contra Orientem, scilicet, contra originalem cupidinem tuæ carnis & abscondere in torrente Carith, ne in vrbibus moreris cum turbis*. Vnde etsi quandoque ciuitates, & villas frequentarent, imò in illis, vt diximus, collegia, & mansiones haberent, id erat (vt inquit idem Ioannes *cap.* 22.) *iubente Deo, proptèr vtilitatem sui populi*. Miraculis enim, futurorum prædictionibus, & bonis exemplis vitia reprimebant, homines ad Deum vocabant, & ad vitam, & disciplinam Propheticam sectandam inducebant. Qualiter etiam pacem ad inuicem seruarent, silentij obseruantiam custodirent, quieti etiam animæ & corporis sectandæ addicti essent, sic prosequitur *dicto cap.* 26. idem Ioannes: *Ita erant ad inuicem per pacem dispositi, quòd inter eos nullum erat bellum, & sic erant in ore per silentium muniti, quod inter eos nullum erat multiloquium, & ita erant in corde quieti, & securi, quod cor eorum non reprehendebat eos ante Deum*. Ex his ergo facilè elici potest, quæ, aut quales leges illis ab ipsorum primis Parentibus Elia, & Elisæo fuerint datæ, & quòd eæ, quas Lacedæmonij à Lycurgo acceperant, nullatenus ipsis comparari, aut conferri potuerint.

Solitudo.

Pax, & silentium.

3 Quæ etiam documenta ab eisdem Prophetis circa habitus & indumenta gestanda acceperint, ex vsu eorum manifestè colligi potest. Diuerso enim exterioris habitus ornatu ab eo, quo communis plebs vtebatur, discretos fuisse pro comperto est, vel ex eo quod Ochozias 4 *Reg.* 1. *vers.* 7. de qualitate vestis Eliæ ipsorum primi Patriarchæ interrogans nuncios suos, ab eis audiuit, quòd esset *vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus*. Estque rationi valde consentaneum, vt qui diuersæ vitæ rationem sectantur, diuerso quoque habitus ornatu ab alijs segregentur. Testante enim Ecclesiastico *cap.* 19. *v.* 27. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis denunciant de illo*. Quæ ergo hæc diuersitas habitus in nostris illis priscis Patribus fuerit, in præsentia inuestigamus.

Habitus.

Melotæ. 4 Et primò melotis vsos fuisse tum Eliam, tum Elisæum, & alios filios Prophetarum omnibus indubitatum est. De eis enim id Paulus asseuerat ad *Hebr.* 11.*v.* 37, dicens: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, &c.* quod de ipsis intelligendum esse *in Apparatu c.* 4. diximus. Constat id etiam ex eo quod Ioannes Baptista eximius ipsorum imitator, vt propterea *in spiritu Eliæ* venisse dicatur. *Luc.* 1. *ver.* 17. melote quoque in Lege noua indutus fuerit, vt testatur Euangelista Matthæus *cap.* 3. *v.* 4. dicens: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum*. Idcirco etiam de eo dixit *Matth.* 11. *v.* 8. Christus: *Quid existis videre, hominem mollibus vestitum?* &, *Luc.* 7. *v.* 25. sic: *Hominem mollibus vestimentis indutum*, ad denotandum videlicet, hispidis, & hirsutis vestibus, quales melotæ erant, vsum fuisse Ioannem. Melotes porrò nostrorum priscorum Patrum Prophetici, & Eliani Instituti habitum fuisse testantur Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. de instit. Monachor. cap.* 38. Ioannes de Malinis *in speculo historiali cap.* 9. & alij historici Ordinis.

Quæ vestis sit Melota. 5 Hanc verò melotem propriè loquendo vestem quandam fuisse valde hispidam ex pilis, vel pelle animalis, quod Melus, seu Taxus appellatur, tradunt prædicti Ioannes Ierosolymitanus & Ioannes de Malinis relati; indecisum tamen relinquunt, an fuerit ipsa pellis, an verò ex ipsius pilis ad modum panni, telæ, vel cilicij contexta. Credibilius tamen est Eliæ, & consequenter discipulorum ipsius melotam hoc posteriori modo fuisse, vt indicat Abulensis 4. *Reg.* 1. *q.* 15. & colligitur tum ex eo quòd S. Ioannes Baptista, qui omnimodè Eliæ viuendi rationem æmulabatur, adeo vt à Iudæis crederetur Elias, hanc vestem cilicinam gestare solitus esset, de *pilis nempe Camelorum*, vt *Matth.* 3. *v.* 4. habetur, non ex pelle animalium. Tum quia ipse Elias & Enoch *Apocal.* 11. *ver.* 3. eadem veste tempore Antichristi prædicaturi credantur, *amicti* videlicet *saccis*, vt sacer Textus loquitur. Tum quia cilicina hæc, seu saccina vestis propria Prophetarum erat, vt colligitur ex *Isai.* 20. *v.* 2. & *Zachar.* 13. *ver.* 4. cum Expositoribus ibidem, quorũ aliquos referemus *sub anno* 3322. Tum præcipue, quia si Eliæ melota pellis erat alicuius animalis, non diceretur 4. *Reg.* 1. ab Ochoziæ nuncijs *vir pilosus*, sed vir pelle, vel pelliceа veste indutus, sicut de zona dixerunt, *zona pellicea*, hoc enim pacto clarius, & manifestius illius indicium Regi darent. Imò ex eo quod zonam ipsius vocarunt pelliceam, non autem vestem, manifestè sequitur zonam ex pelle animalium factam fuisse, vestem autem, seu melotam ex pilis contextam. Dictus autem fuit *vir pilosus*, quia pili ex quibus melota contexta erat, grossiores erant, &

exte-

exterius prominentes. Possumus ergo illud Iuuenci Poetæ de Elia vsurpare, quia traditam doctrinam continet:

Texta camelorum fuerant velamina setis,
Et zona pellis medium cinxere Prophetam.

De illius figura proculdubio dicendũ est fuisse ad modum vestis oblõgæ, seu tunicæ totum corpus à collo, manibus, pedibusque exceptis coöperiens. Sic enim Hebræorum vsus, & traditio omnium docet. De colore etiam, quod fuerit natiuus, qualis est pilorum animalium griseus, subniger, vel ad nigredinem tendens tum ex Ioanne Ierosolymitano loco relato, tum ex vsu & traditione omnium ferme priscorum Monachorum ipsius Eliæ sectatorum habetur. Quod autem melota hæc diuersa vestis à pallio fuerit, dicemus *sub anno* 3204. significari verò per illam mortificationem, & compunctionem peccatorum iugem in Monacho futuram, mortificationem quidem per asperitatem, & compunctionem per colorem, colligitur ex præfatis Ioanne Ierosolymitano, Ioanne de Malinis, & alijs. Figura illius.

6 Superhumerali etiam (quod erat vestis sine manicis vsque ad renes descendens in vtroque latere aperta) vsos fuisse priscos nostræ Religionis Professores tradit præfatus Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. cap.* 39. quod sequi videtur Ioannes de Malinis *in speculo historiali cap.* 9. in symbolum videlicet obedientiæ, vt Ierosolymitanus vult, vel humilitatis, & simplicitatis, vt Malinensis describit. Verumtamen, quod attinet ad Eliam, hoc genere vestis vsum non fuisse probari videtur, tum quia illud Summi Pontificis solius ornamentum erat, vt colligitur ex *cap.* 28. & 39. *Exodi*, tum quia inter indicia, quæ nuncij Ochoziæ de ipso dederunt, hoc non assignarunt, prout debebant, cum esset res valde notabilis, & extraordinaria, tum quia Ioannes Baptista, qui expressissimè, vt vidimus, Eliam repræsentabat, hanc vestem non gestauit. Elisæum quoque, aut alios Prophetarum filios, seu successores hoc indumento caruisse exemplo Eliæ, & ex eo quod summi Sacerdotis proprium esset, sufficienter etiam videtur suaderi. Est tamen obseruandum ex Sanchez 1. *Reg.* 2. *num.* 59. duplex fuisse huiusmodi superhumerale, alterum pretiosum, varium, & multicolor, quod vni concessum est summo Sacerdoti *Exodi* 28. alterum est lineum, & commune, quod *Ephod* dicebatur, quo inferiores Sacerdotes Leuitæ, immo & quicunque Dei cultui dicati erant, vtebantur, saltem cum actualiter eidem muneri incumbebant. Sic enim octoginta quinque illi Sacerdotes Nobe per Doeg Idumæum iussu Saulis interfecti 1. *Reg.* 22. *v.* 19. dicuntur vestiti *Ephod lineo*. Sic etiam Samuel adhuc puerulus cum non esset con-

Superhumerale.

Superhumerale duplex.

Melotæ. 4 Et primò melotis vsos fuisse tum Eliam, tum Elisæum, & alios filios Prophetarum omnibus indubitatum est. De eis enim id Paulus asseuerat ad *Hebr. 11. v. 37*, dicens: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, &c.* quod de ipsis intelligendum esse *in Apparatu c. 4.* diximus. Constat id etiam ex eo quod Ioannes Baptista eximius ipsorum imitator, vt propterea *in spiritu Eliæ* venisse dicatur. *Luc. 1. ver. 17*, melote quoque in Lege noua indutus fuerit, vt testatur Euangelista Matthæus *cap. 3. v. 4.* dicens: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum*. Idcirco etiam de eo dixit *Matth. 11. v. 8.* Christus: *Quid existis videre, hominem mollibus vestitum?* &, *Luc. 7. v. 25.* sic: *Hominem mollibus vestimentis indutum*, ad denotandum videlicet, hispidis, & hirsutis vestibus, quales melotæ erant, vsum fuisse Ioannem. Melotes porrò nostrorum priscorum Pattum Prophetici, & Eliani Instituti habitum fuisse testantur Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. de instit. Monachor. cap. 38.* Ioannes de Malinis *in speculo historiali cap. 9.* & alij historici Ordinis.

Quæ vestis sit Melota. 5 Hanc verò melotem propriè loquendo vestem quandam fuisse valde hispidam ex pilis, vel pelle animalis, quod Melus, seu Taxus appellatur, tradunt prædicti Ioannes Ierosolymitanus & Ioannes de Malinis relati; indecisum tamen relinquunt, an fuerit ipsa pellis, an verò ex ipsius pilis ad modum panni, telæ, vel cilicij contexta. Credibilius tamen est Eliæ, & consequenter discipulorum ipsius melotam hoc posteriori modo fuisse, vt indicat Abulensis *4. Reg. 1. q. 15.* & colligitur tum ex eo quòd S. Ioannes Baptista, qui omnimodè Eliæ viuendi rationem æmulabatur, adeo vt à Iudæis crederetur Elias, hanc vestem cilicinam gestare solitus esset, de *pilis nempe Camelorum*, vt *Matth. 3. v. 4.* habetur, non ex pelle animalium. Tum quia ipse Elias & Enoch *Apocal. 11. ver. 3.* eadem veste tempore Antichristi prædicaturi credantur, *amicti* videlicet *saccis*, vt sacer Textus loquitur. Tum quia cilicina hæc, seu saccina vestis propria Prophetarum erat, vt colligitur ex *Isai. 20. v. 2.* & *Zachar. 13. ver. 4.* cum Expositoribus ibidem, quorũ aliquos referemus *sub anno 3322.* Tum præcipue, quia si Eliæ melota pellis erat alicuius animalis, non diceretur *4. Reg. 1.* ab Ochoziæ nuncijs *vir pilosus*, sed vir pelle, vel pellicea veste indutus, sicut de zona dixerunt, *zona pellicea*, hoc enim pacto clarius, & manifestius illius indicium Regi darent. Imò ex eo quod zonam ipsius vocarunt pelliceam, non autem vestem, manifestè sequitur zonam ex pelle animalium factam fuisse, vestem autem, seu melotam ex pilis contextam. Dictus autem fuit *vir pilosus*, quia pili ex quibus melota contexta erat, grossiores erant, &

exte-

exterius prominentes. Possumus ergo illud Iuuenci Poetæ de Elia vsurpare, quia traditam doctrinam continet:

Texta camelorum fuerant velamina setis,
Et zona pellis medium cinxere Prophetam.

De illius figura proculdubio dicendũ est fuisse ad modum vestis oblõgæ, seu tunicæ totum corpus à collo, manibus, pedibusque exceptis coöperiens. Sic enim Hebræorum vsus, & traditio omnium docet. De colore etiam, quod fuerit natiuus, qualis est pilorum animalium griseus, subniger, vel ad nigredinem tendens tum ex Ioanne Ierosolymitano loco relato, tum ex vsu & traditione omnium ferme priscorum Monachorum ipsius Eliæ sectatorum habetur. Quod autem melota hæc diuersa vestis à pallio fuerit, dicemus *sub anno* 3204. significari verò per illam mortificationem, & compunctionem peccatorum iugem in Monacho futuram, mortificationem quidem per asperitatem, & compunctionem per colorem, colligitur ex præfatis Ioanne Ierosolymitano, Ioanne de Malinis, & alijs. Figura illius.

6 Superhumerali etiam (quod erat vestis sine manicis vsque ad renes descendens in vtroque latere aperta) vsos fuisse priscos nostræ Religionis Professores tradit præfatus Ioannes Ierosolymitanus *dicto lib. cap.* 39. quod sequi videtur Ioannes de Malinis *in speculo historiali cap.* 9. in symbolum videlicet obedientiæ, vt Ierosolymitanus vult, vel humilitatis, & simplicitatis, vt Malinensis describit. Verumtamen, quod attinet ad Eliam, hoc genere vestis vsum non fuisse probari videtur, tum quia illud Summi Pontificis solius ornamentum erat, vt colligitur ex *cap.* 28. & 39. *Exodi*, tum quia inter indicia, quæ nuncij Ochoziæ de ipso dederunt, hoc non assignarunt, prout debebant, cum esset res valde notabilis, & extraordinaria, tum quia Ioannes Baptista, qui expressissimè, vt vidimus, Eliam repræsentabat, hanc vestem non gestauit. Elisæum quoque, aut alios Prophetarum filios, seu successores hoc indumento caruisse exemplo Eliæ, & ex eo quod summi Sacerdotis proprium esset, sufficienter etiam videtur suaderi. Est tamen obseruandum ex Sanchez 1. *Reg.* 2. *num.* 59. duplex fuisse huiusmodi superhumerale, alterum pretiosum, varium, & multicolor, quod vni concessum est summo Sacerdoti *Exodi* 28. alterum est lineum, & commune, quod *Ephod* dicebatur, quo inferiores Sacerdotes Leuitæ, immo & quicunque Dei cultui dicati erant, vtebantur, saltem cum actualiter eidem muneri incumbebant. Sic enim octoginta quinque illi Sacerdotes Nobe per Doeg Idumæum iussu Saulis interfecti 1. *Reg.* 22. *v.* 19. dicuntur vestiti *Ephod lineo*. Sic etiam Samuel adhuc puerulus cum non esset con-

Superhumerale.

Superhumerale duplex.

consecratus Sacerdos, nec Leuita 1. *Reg.* 2. *ver.* 18. dicitur *accinctus Ephod lineo*. Sic quoque Dauid cum merè secularis esset 2. *Reg.* 6. *v.* 14. etiam dicitur *accinctus Ephod lineo*. Erat enim huiusmodi *Ephod* veluti superpelliceum ecclesiasticum, & fermè eodem modo, & ex eadem materia; ac proinde quemadmodum eo vtuntur non solum priuati Sacerdotes, sed & quicunque alij diuinis officijs ministrantes, ita etiam *Ephod* lineo vtebantur tam Sacerdotes inferiores, quam alij Dei cultui dicati tempore saltem sui ministerij. Vbi obiter notādum, quòd licet Ephod istud lineæ materiæ fuerit, vestis tamen illa, qua nudum corpus tegebant, lanea fuit. Sic enim colligo ex libro *Constitutionum Ecclesiæ Orientalis cap.* 6. *sectione* 10. Arabicè conscripto, & per Abrahamum Ecchelensem Maronitam è Libano Philosophiæ, & S. Theologiæ professorem, ac in Almo Vrbis Gymnasio linguarum Orientalium publicum Lectorem mihi oblato, vbi inter decem ad Monachatum requisita, secundum sic refertur: *Secundum est induere lanam super nudum corpus, quo imitantur Eliam Prophetam, & Baptistam*. Ad intentum ergo nostrum ea quæ adduximus solùm probant Eliam, & eius successores vsos non fuisse superhumerali illo pretioso summi Sacerdotis proprio, non tamen eo communi, & lineo, quod *Ephod* dicebatur. Si enim ipso vti poterant, quicunque diuino cultui assistebant, cur id non gestarent hi Prophetæ, qui ex proprio munere, & officio ad canendum Dei laudes addicti erant? Meritò ergo Historia Ecclesiastica *in lib.* 1. *Reg. cap.* 4. Ephod istud lineum *Propheticum* appellat. Meritò etiam Ioannes Ierosolymitanus, & Ioannes Malinis superhumeralibus vsos fuisse hos Prophetas scripserunt, loquendo videlicet de illis, qui *Ephod* vocabantur, vt bene Coria *in Chronic. Carmelit. lib.* 1. *cap.* 7. vbi etiam eruditè animaduertit Eliam, & discipulos gestasse hoc Ephod non lineum, sed ex pellibus caprinis confectum iuxta illud ad *Hebr.* 11. *v.* 37. *in pellibus caprinis*. Quomodo autem superhumeralium vsus apud veteres monachos etiam post Christum inualuerit, lege Laurentium Landtmeter de *vet. cleric. monach. lib.* 1. *par.* 2. *cap.* 5. & de scapularibus *c.* 6. 8. & 20.

Ephod lineũ.

Zonæ.

7 Zonis autem pelliceis vsos fuisse antiquos Ordinis Prophetici professores, non solum exemplo Eliæ, de quo id supra vidimus, sed & Ioannis Baptistæ, de quo *Marc.* 1. *ver.* 6. habetur *Zona pellicea circa lumbos eius*, fuisse vestitum, sufficienter demonstratur. Idque expressè docet Ioannes Ierosolymitanus *lib. relato cap.* 37. & Cassianus *lib. de habitu Monachi cap.* 2. dicens: *Hoc habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento professionis huius fundauere primordia, Eliam sci-*

scilicet, & Elisæum diuinarum Scripturarum auctoritate monstratur. Item Iuuencus illis versibus vt supra:

Texta camelorum fuerant velamina setis,
Et zona pellis medium cinxere Prophetam:

Zonæ autem gestatione, per quam lumbi stringũtur, significari Monachi castitatem Patres docent. Legantur Basilius *Isai.* 15. Augustinus *serm.* 39. *de verb. Domini*. Ierosolymitanus *loco relato*. Dorotheus Abbas *doctrin.* 2. Gaudentius *in Homil.* Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 13. Imò ex eo quod primus hominum Elias zona præcinctus describatur, colligit idem Ierosolymitanus eum primum fuisse, qui monasticæ castitatis exemplum præbuit. Eam verò non fuisse simpliciter coriaceam, pilis videlicet, vel lana denudatam, sed illis coopertam probat Salianus *anno mundi* 3138. *num.* 49. lege Landtmeterum relatum *cap.* 21.

8 Quod aperto capite Elias, & sectatores in Lege veteri incesserint, constat ex vsu Hebræorum, qui nudum semper caput habere consueuerunt, nisi tempore luctus, aut mœstitiæ, vt multis probant Sanchez *in Acta Apostolor. cap.* 19. *num.* 7. & 2. *Reg.* 15. *num.* 35. Salianus *sub anno mundi* 2543. *Scholio* 4. Idque suadent veteres etiam Ecclesiæ picturæ, quæ nunquam huiusmodi Prophetas velato capite, sed aperto demonstrant. Estque id conforme illi Apostolico dogmati 1. *Corinth.* 11. *ver.* 7. *Vir non debet velare caput suum:* De quo Oecumenius, & Estius *ibid.* Nouitium autem inuentum esse laneum capitis tegmen, nec antiquis Latinis, Græcis, Gallis, seu Germanis in vsu ex Polydoro *de inuentor. rer. lib.* 3. *cap. vlt.* Lipsio *in Amphitheatro cap.* 19. & 20. & alijs habeat Lector. De quo & Laurentius Landtmeter. *de cleric. Monach. lib.* 1. *cap.* 3. & 4. Aperto capite

9 De pallio tum Eliæ, tum sui Instituti sectatorum dicemus *sub anno* 3204. An calceati, vel calceis nudati incesserint, *sub anno* 3322. discutiemus. Baculis autem vsos fuisse *sub anno* 3143. *nu.* 4. diximus. De pallio.

An-

Annus mundi 3184. vſque ad 3191. ante Chriſtum 869. vſque ad 862.

1  VDÆ Regnum his annis non exigua nec pauca tolerauit nocumenta: Ioiadas enim ſummus Sacerdos eo tempore vltimum diem clauſit *ſub anno* 3184. vt Salianus credit, vel *ſub anno* 3191. vt Torniellus. Mortuus autem fuit plenus dierum, & in ſenectute bona cum eſſet centum triginta annorum, vt habet ſacer Textus 2. *Paralipomen.* 24. *ver.* 15. ſubiungens: *Sepelieruntque eum in Ciuitate Dauid cum Regibus, eo quòd feciſſet bonum cum Iſraël, & cum domo eius*; vel *cum Deo, & domo eius*; vt Hebraica, & Græca lectio habent, quia ſcilicet Religiosè ſe erga Deum, & Templum eius geſſiſſet. *Cum Deo quidem* (inquit Hieronymus hìc) *quia Idola, quæ in contemptum Dei facta fuerant, ſubuertit; cum domo eius, quia ruinas, & ſciſſuras reſtaurauit*. Quemadmodum autem ſolis abſentia quantum boni ipſius præſentia afferat, demonſtratur, ſic mors Ioiadæ quantum commodi Iudæ Regno ipſius vita attulerit, clarè præoſtendit. Eo namque defuncto *ingreſſi ſunt* (inquit ſacra Scriptura) *Principes Iuda, & adorauerunt Ioam Regem*, (adulantes forſan) *qui delinitus obſequijs eorum acquieuit*, permittendo illorum Idololatriam, *& dereliquerunt Templum Domini Dei patrum ſuorum, ſeruieruntque lucis, & ſculptilibus*. Deus propterea *mittebat eis Prophetas, vt reuerterentur ad Dominum, quos proteſtantes illi audire nolebant*. Sacra Scriptura 2. *Paralipomen.* 24.

Ioiadæ mors.

2 Quantum triſtitiæ, & mœroris impudentiſſima hæc Principum Idololatria, Regiſque tolerantia S. Eliſæo, Prophetarum filijs, eis præſertim, qui in Ieroſolymis, iuxta dicta *ſub anno* 3154. *nu.* 12. manſionem habebant, alijſque Rechabitis pijs & Religioſis afferre potuerit, pro comperto cunctis erit. Et propterea nec dubitandum hos Prophetas à Deo ad Iudæ Principes miſſos ex Eliani Inſtituti Profeſſoribus, qui communi vocabulo *Prophetæ* vocabantur, fuiſſe, Eliſæum forſan, Ionam, aut alium quem ignoramus. Nec enim alia ratione ſolo Prophetarum titulo, ipſorum nomine non expreſſo, eos compellaſſe intelligere par eſt. Quia ergo res hæc ſæpius in noſtris Annalibus inculcanda occurret, ideo operæ pretium exiſtimamus in medium proferre huius aſſerti fundamenta, ſub compendio tamen, ea quæ fuſius in Apparatu diximus colligendo.

Prophetarum triſtitia.

3 Primum illud eſt, quod cum, vt *ibid. cap.* 2. *à num.* 3. latius exte-

ex testimonijs tum sacræ Paginæ, tum Doctorum, & Expositorum ostendimus, hoc nomen *Propheta* in sacris Literis sæpissimè vsurpatur non pro eo, qui futura prædicit, aut occulta pandit (quæ videtur vulgarior Prophetæ acceptio) sed pro homine iusto, sancto, vitam à mundo alienam agente, Dei cultui, vel laudibus decantandis specialiori modo, & cerimonijs addicto, ad modum quo in Lege noua sunt Religiosi, vel Monachi: ideo cum in eisdem sacris Literis aliqui appellantur *Prophetæ*, de quibus non constat futura aliqua, aut occulta prædixisse, existimandum est ibi sermonem esse de Prophetis in hac acceptione. Prophetæ nomen.

4 Secundum est, quia cum (vt in dicto *Apparatu cap.* 2. *à n.* 14. DD. etiam testimonijs probatum manet) in Lege veteri fuerit vna vera Congregatio, seu societas hominum, *Ordo Propheticus*, seu *Prophetalis* appellatus, ad quem omnes fermè, qui in sacra Pagina *Prophetæ* nuncupantur, spectabant, prout ibi *num.* 30. & 31. etiam ex eiusdem sacræ Paginæ testimonijs comprobauimus; proculdubio cum aliqui in ipsis sacris Literis *Prophetæ* appellantur, si non constet eos tales dici propterea, quòd futura aliqua occulta hominibus prænunciauerint, credendum est *Prophetas* nuncupari, quia huius Prophetici Ordinis alumni, & Professores fuerint, vtpotè homines specialiori modo, & ritu Dei obsequio, & cultui deuoti, & addicti. Prophetarum Congregatio.

5 Tertium est, quia cum (vt similiter in eodem *Apparatu c.* 3. & 4. ostensum manet) Samuel, & Elias primi auctores huius Ordinis Prophetici extiterint. Samuel quidem quatenus alumnos ipsius ad vitam veluti claustralem, Cœnobialem seu Collegialem reduxit, Elias verò quatenus illum & illos ad statum quasi Religionis Legis veteris per obseruantiam aliqualem trium votorum obedientiæ, paupertatis, & castitatis euexit, ita vt propterea ipsi Principes Prophetarum appellentur, habuerintque plures sui Instituti sectatores, qui modò *Prophetæ*, modò *Prophetarum filij*, modò *Rechabitæ*, *Assidæi*, aut *Esseni*, aut alio simili titulo, iuxta dicta in eodem *Apparatu cap.* 7. appellabantur, & quorum conuersatio iugiter & perenniter ad tempora vsque Christi Seruatoris (à quo omnia perfectionem, & complementum acceperunt) peruenit, iuxta adducta *cap.* 8. *eiusdem Apparatus*, absque dubio non leui fundamento (nisi aliud ex circumstantijs innotescat) affirmari debet eos, qui post ipsos *Prophetæ* in sacris Literis appellantur, tales vocari, quia Ordinis Prophetici ipsorum (respectiuè ad tempora) alumni, Professores, & successores extiterint. Samuel et Elias.

6 Accedit quartum, quòd cum constet ex dictis superius circa an-

Collegia Prophetarum. ca *annum* 1354. inter Israelitas, & Iudæos tum à tempore Samuelis, tum & maximè à tempore Eliæ, & Elisæi fuisse plura, ipsaque frequentia Collegia, & Asceteria Prophetarum, ex quibus crebrius diuino Spiritu afflati, & lumine illustrati ad futura populis prædicenda, secreta aperienda, vitia Principum arguenda, mala imminentia præmonenda, & legem ac voluntatem Dei populis prædicandam (quæ fuerunt præcipua ipsorum munia iuxta dicta in *Apparatu c. 2. num. 27. & 28.*) à Deo vocabantur, consecutiuè etiam valde probabile erit omnes, qui in sacra Pagina à tempore Samuelis, & Eliæ *Prophetæ* appellantur, & in quibus aliqua ex dictis Ordinis Prophetici signa concurrunt, nisi aliud ex circumstantijs colligatur, ex illorum Instituto fuisse, ac per consequens veros eiusdem Prophetalis Ordinis asseclas, & Professores.

Prophetæ isti qui fuerunt. 7 Elicitur ergo iam ex dictis, quanto cum fundamento, quotque congruentiæ rationibus dixerimus superius *n. 2.* Prophetas istos, qui post Ioiadæ summi Sacerdotis mortem ad Principes, qui ad Idololatriæ prauitatem declinauerant, coarguendos missi fuerunt, ex Prophetici Ordinis à Samuele instituti, ab Elia excitati, & promoti, ac Elisæo tunc superstite continuati Professoribus fuisse, eò vel præcipuè, quia Elisæo, Iona, & alijs, quorum ignoramus nomina, viuentibus, *Prophetarum* nomen pro ipsis, vel ipsorum discipulis supponere necessarium videtur, vel antonomasticè.

Annus mundi 3192. vsque ad 3196. ante Christum 861. vsque ad 857.

Zachariæ mors. 1 N hoc tempus vel circiter credimus incidisse Zachariæ filij Ioiadæ Pontificis mortem. Licet enim de anno, quo contigit, controuersia sit inter Doctores, circa id tamen tempus accidisse pro comperto est. Cum ergo pius hic Zacharias Sacerdos vidisset, quòd Principes Iuda, annuente Ioa Rege, ad Idololatriæ crimen diuertissent, populoque in scandalum essent, contra eos acriter exardescens diuinam vltionem comminatus est. A quibus propterea, Rege ingratissimo consentiente, qui à patre ipsius post Deum vitam & regnum susceperat, lapidibus obrutus est in atrio Templi Domini. Deus propterea ob tantum scelus indignatus contra Iudæ Regnum Syrorum exercitum venire permisit, qui cunctos Principes interfecerunt (digna sanè pœna improborum Consiliariorum) ipsumque Regem indignè tractauerunt, magnamque prædam Damascum reportarunt. Quin

Quin & paulo post ipse Rex à seruis suis in lectulo suo occisus interijt. Sic enim Deus innocentis Zachariæ sanguinem vindicauit. Sacra Scriptura 2. *Paralipom.* 24. Torniellus *sub anno* 3195. & 3196.

2 Cum autem Dominus nefarios illos Idololatriæ restauratores Syrorum gladio de medio sustulisset, credibile valde est Prophetici Ordinis cultorum, qui in Iudæa, ipsaque Solymorum Vrbe tunc erant, monitionibus, & prædicationibus actum esse, vt Rex ipse, ante mortem præsertim, quia in lecto doloribus angebatur, & populus ad meliorem frugem, Deique veri cultum, Idololatria relicta, redigerentur. Salianus *sub anno* 3194. Prophetarum monitiones.

3 An is Zacharias ad Ordinem Propheticum spectet, dubitari potest, cum communiter vt Propheta habeatur, & talem fuisse colligi videatur ex *Matth.* 23. *ver.* 35. vbi inter Prophetas à Christo recenseri creditur. Ille enim Zacharias, de quo in illo loco, idem est, ac de quo in præsenti locuti sumus, vt communior sententia tenet S. Hieronymi, S. Thomæ, Alberti, Maioris, Abulensis, Iansenij, Salmeronis, Barradij, & aliorum. Verumtamen, quia in sacra Scriptura *Paralipom.* 24. *ver.* 20. non vocatur nisi Sacerdos, nec videtur Prophetæ munus nisi ad horam exercuisse, & propterea eum Ægidius Camartus *in Elia Thesbite cap.* 1. *sect.* 2. ipsum *horarium Prophetam* appellet, ideo non videtur ad Ordinem Propheticum spectasse. Quis hic Zacharias.

4 Circa idem tempus alter Ioas filius Ioachaz Regni Israëlis gubernacula suscepit. Fuit hic Ioas nepos Iehu, quem (etsi aliàs improbum, cum à peccatis Ieroboam non recessisset) quia tamen Achab progeniem extinxit iuxta verba Eliæ, & illius Prophetæ discipuli Elisæi, Ionæ videlicet, qui eum in Regem vnxit, & beneplacitum Ionadab Rechabitarum patris, iuxta dicta in superioribus, hoc præmio donauit Deus, vt filij ipsius vsque ad quartam generationem sederent super thronum Israël 4. *Regum* 10. Videtur autem propterea Elisæum Prophetarum Coryphæum, & discipulos specialem curam habuisse istorum filiorum Iehu, vt colligitur ex eo quòd, vt diximus *sub anno* 3180. Elisæus vocetur *Saluator* Ioachaz, & à Ioas filio eius morti proximus appelletur Pater, *currus Israël, & auriga eius*, vt dicemus in sequentibus. Ioas Rex Israël.

Annus mundi 3197. vſque ad 3203. ante Chriſtum 856. vſque ad 850.

Amaſias Rex Iuda.

1 
IS annis regnare cœpit Amaſias in Iuda poſt mortem Ioas Regis patris ſui, laudabiliter ſanè in principio, ob iuſtitiam adminiſtratam contra parentis interfectores, & ob Religionem, quia fecit rectum coram Domino, etſi non vt Dauid prædeceſſor. Sacra Scriptura 4.*Reg.* 14. Expoſitores *ibidem*.

Amos Iſaiæ pater.

2 Claruit hoc tempore Amaſiæ Amos Propheta, non ille, qui inter Prophetas minores recenſetur, & ex armentario ſpiritu Prophetico illuminatus eſt, ſed alius nobilior valde Iſaiæ Prophetæ pater, & Amaſiæ Regis frater, vt aliqui volunt. Chronic. Hebræorum *c.* 20. Genebrardus *in Chronolog ſub Amaſia*. Hunc Amos fuiſſe Prophetam adeo clarum apparet, vt mirum ſit aliquos id negare potuiſſe. Suaderi poteſt primò ex illa generali regula apud quoſdã, quòd ſcilicet omnes, qui Prophetarum parentes in ſacra Pagina dicuntur, Prophetæ quoque fuerint, ad id enim inſinuandum, & quia hoc cedit in laudem ipſorum Prophetarum, quorum parentes ſunt, nominari videntur. Cum ergo Amos Pater Iſaiæ nominetur *Iſai.* 1. *v.* 1. illis verbis: *Viſio Iſaiæ filij Amos*, ideo comprobatum videtur Amos Prophetam fuiſſe. Hanc porrò regulam ex Hebræis referunt Lyranus *in princip. Ierem. Ezech. & Baruch. & in cap.* 1. *Iona*. Hugo Cardinal. *in cap.* 1. *Iſai*. Carthuſianus *ibidem*. Arias Montanus *in c.* 1. *Oſeæ, & Sophoniæ*. Vatablus *ibid.* & alij. Verumtamen hanc regulam incertam valde eſſe, nulloque ſtabili fundamento fixam comprobant doctiſſimi alij ex Hebræis, qui illam reſpuunt, videlicet Paulus Burgenſis *addit.* 1. *in c.* 1. *Ier.* R. Abraham filius Ezræ, qui vulgo dicitur Abenezra *in cap.* 1. *Oſeæ*, Dauid Kimchius *ibid.* & ex alijs plures, ſpecialiter Ribera, & Caſtrus in Prophetas, & Ægidius Camartus *in Elia Thesbite cap.* 1. *ſect.* 6. Nec enim credibile eſt, quòd ſi omnes Prophetarum parentes Prophetæ quoque eſſent, Scriptura id tacuiſſet, cum diligenter, ſi ſemel tantum aliquis prophetiæ dono illuminatus eſt, annotare id ſoleat. Fatendum ſane in hoc potuiſſe verum tenere Hebræorum illam regulam, quòd ſcilicet omnes, qui Prophetarum parentes dicuntur, viri fuerunt ſpecialiter Dei cultui dicati, in Collegijs Prophetalibus Samuelis, & Eliæ inſtructi, & ideo Prophetæ, quia Ordinis Prophetici, iuxta dicta *in Apparatu c.* 2. *& ſub anno* 3184. non tamen ſpiritu Prophetiæ decorati. Nihilominus

Hebræorum placitum.

Incertum.

Amos,

Amos, de quo in præsenti, verum Prophetam fuisse firmatur testimonijs PP. specialiter Clem. Alexan. *lib. 1. Stromat*, vbi loquens de tempore Oziæ inquit: *Eius tempore prophetarunt Amos, & Isaias eius filius*. Basilij *in cap. 1. Isaiæ* dicentis ideo Isaiam Patrem suum nominasse, *vt ostenderet donum prophetalis gratiæ patri prærogatum etiamnum ad se vel per manus peruenisse*. Hieron. *in illud Isaiæ 37. v. 2.* de Ezechia: *Misit seniores de Sacerdotibus ad Isaiam filium Amos Prophetam*, vbi ipse legit, *filium Amos Prophetæ*, non *Prophetam*; etsi enim vulgatæ editioni correctiori standum sit, non tamen propterea neganda auctoritas Hieronymi, quatenus credit hûc Amos fuisse etiam Prophetam. Quod etiam tenent Chronic. Hebræorum relatum, Cedrenus *in compend. Histor. pag. 88.* Genebrardus *vt supra*. Nec assentiendum Riberæ, qui *in præludio 4. comment. in Prophet.* asserere videtur Patres confudisse hunc Amos Isaiæ patrem cum alio Amos pastore, qui inter minores Prophetas numeratur. Hoc enim perperam dicitur, saltem de D. Hieron. & Basilio, ille enim *in Proœm. in Amos Prophetam*, & iste *in Isaiam* manifestè vtrumque distinguit, prout etiam faciunt plures alij recentiores. Amos Propheta.

3 Cum ergo istum Amos Isaiæ parentem Prophetam verum appellatum teneamus, nec extraordinarium, aut cui ex aliqua ratione, vel causa repugnet ex Prophetici Ordinis alumnis fuisse, constet, ideo inter ordinarios recensemus, ex illis tamen, qui ob coniugalem vitam solum indirectè ad eum spectasse diximus *in Apparatu cap. 2. nu. 3.* Accedit ad hoc id quod de ipso *sub anno 3208.* saltem ex aliorum sensu dicetur. An Prophetici Ordinis.

Annus mundi 3204. ante Christum 849.

1 NNVS iste, qui decimus erat Ioas Regis Israël, vltimus fuit vitæ sanctissimi Patris nostri Elisæi. Sic enim habetur ex Chronic. Hebræor. *cap. 19.* & Salia. no *sub hoc anno*. Eius autem pretiosissima mors hoc contigit modo, prout ex sacra Scriptura *4. Reg. 13. ver. 14.* elicitur: *Ægrotabat infirmitate qua mortuus est*. Textus Hebraicus, Græcus, & Chaldæus legunt: *Ægrotauit morbo, seu ægrotatione sua*; quo denotari videtur ipsum obnoxium fuisse alicui infirmitati, qua crebrò afflictaretur, & tandem moreretur. Credimus autem eò tempore fuisse in Samaria, in Collegiò scilicet Prophetarum, de quo *sub anno 3154.* diximus. Proinde *descendit ad eum Ioas Rex Israël*, ex palatio scilicet, vel arce; magno enim pretio apud eum habeba- Elisæi mors.

Ioas venit ad eum. bebatur, & credibile est, sicut de Ioanne & Herode dicitur, quòd audito eo multa bona faciebat. *Et flebat coram eo*, se & sui Regni iacturã, *dicebatque* ea, quæ ipse Elisæus Eliæ in raptu dixerat: *Pater mi, Pater mi, Currus Israël, & auriga eius.* Elisæus autem considerans ex eo Ioas Regem ipsius absentiam deplorasse, quòd timeret post illam Syrorum excursiones in Israël, consolari eum volens, ait ad eum: *Affer arcum, & sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum, & sagittas, dixit ad Regem Israël: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus Regis, & ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset, dixit Elisæus: Iace sagittam, & iecit, & ait Elisæus: Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutiesque in Aphec, donec consumas eam, & ait: Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: Percute iaculo terram. & cum percussisset tribus vicibus & stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait: Si percussisses quinquies aut sexies siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Ex eo autem Elisæus percutere terram Regi præcepit, quia diuinitus sciebat, quoties eam iaculo percussisset, toties etiam percussurum Syriam, & propterea tristatus est, quòd solùm ter id fecerit. Abulensis *hic q.* 16. & Expositores.

2 *Mortuus est ergo Elisæus* (inquit Scriptura) ipsique morienti Carmelitas, & alios eius discipulos cum pijs alijs viris, qui ab ipso benedictionem, & monita salutis obtenturi aduenerant, affuisse, per-

Qui affuerint morienti. doctus Salianus *sub hoc anno num.* 10. & 11. sic habet: *Rationi quoque consentaneum est, Elisæo morienti affuisse plerosque viros Religiosos tam Carmeli, quàm aliorum locorum cultores, quos ipse tot annis excoluerat, quibusque Dominus non leue incrementum dederat. Nam Achabi filius Ioramus cum appellabat Patrem; & mox extincta Achabi familia, Iehu, etsi in extinguendo vitulorum cultu parum animosus fuit, verumtamen Deum, à quo Regnum acceperat, & agnouit, & coluit; ideoque in eius cultores minimè seuerus fuit; placidus potius, ac mitis, vt qui Ionadab filium Rechab valde Religiosum dilexerit, in currum suum leuarit, testem zeli sui pro Domino esse voluerit. Minimèque dubium est ab eo dilectum, atque honoratum Elisæum, omnesque illius discipulos, à quorum vno illius iussu in Regnum fuerat inauguratus. Ioachaz quoque, etsi funestos illos vitulos retinuit, Deum tamen non contempsit, sed coluit quoque, & eius opem implorauit atque, obtinuit; quis dubitet quin Elisæo, qui in magna erat opinione sanctitatis, anniteute? Illum secutus est Ioas, qui Elisæum Patris instar veneratus est, & à quo certissimum oraculum de victorijs contra Syros obtinendis accepit. His ergo in*

Sama-

Samariæ regnantibus, facile toto Regno Eliæ discipuli multiplicati sunt, & hoc tempore illud inter sese vsurpabant: Nescis, quia hodie Dominus tollet Patrem nostrum à nobis? Morienti affuit Ionadab ille Rechabica, si tamen adhuc in viuis fuit, quem factum Elisæi discipulum, totiusque Instituti sectatorem, vnà cum filijs suis posterisque omnibus, auctor est Ioannes Patriarcha in libro suo de Institutione monachorum, vno tamen excepto coniugio. Affuerit & Amos Propheta Regis Amasiæ frater, & pater Isaiæ, vt tradunt Hebræi in Chronico suo, viditque sæpius Prophetarum Coryphæum toto Regno celeberrimum, & prodigijs, atque oraculis vehementer nobilitatum; & abeuntem ad Dominum debito honore prosecutus est. Idemque de Iona, quem certum est hoc tempore floruisse, dicendum videtur, & de Sedechia Pontifice, quamuis in Regno Iuda commorante. Ecquis enim piorum, qui aliquo numero esset, non magni beneficij loco acceperit sancti senis e viuis abeuntis consequi benedictionem, & eius ex ore veridico monita salutis postremum audire: vtique qualia olim Elias abiturus ab hominibus tradiderat suis, quibus adumbrandis nihil est necesse nos hoc loco iterum operam ponere. Hæc Salianus, quibus tam ea, quæ circa morientem Elisæum acciderunt, quàm alia, de quibus nos in præcedentibus, mirè elucidauit. Ionadab.

3 Qua porro ætate cursum sanctissimæ vitæ finierit, certum non est. Clemens enim Alexandrinus *lib. 1. Stromat.* prophetasse putat cum natus esset annos 40. quos inchoare videtur à raptu Eliæ. Cum autem Eliæ raptus anno 3139. contigerit, adiunctis illis 40. efficietur numerus ætatis Elisæi 105. annorum, non procul abest Salianus, qui *sub hoc anno* in Elisæi epitaphio eum supra centum annos vixisse scribit. Torniellus etiam *sub anno* 3198. eum ad ætatem centum, & duorum annorum peruenisse credit. Quia verò, vt ipse putat, quo tempore ab Elia vocatus est, ætatis annorum circiter 30. erat, cum id acciderit *sub anno* 3127. adiunctis annis, qui ab eo tempore præterierunt, numerari possunt pro Elisæi ætate 107. circiter anni. Qua ætate mortuus.

4 De die mortis constans videtur assertio. 18. Calen. Iulij, seu quod idem 14. Iunij contigisse. Sic enim habetur in Martyrologijs Romano, Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Græcorum, quo etiam die, vt inferius dicemus, à nostris Carmelitis ipsius natalitia celebrantur. Dies mortis.

5 Sepultus autem est, *sepulchro honoratus magnifico* (inquit Iosephus *lib. 9. cap. 9.*) *quale decuit hominem numini diuino acceptissimum.* Mausolæum fuisse scribit Hieronymus *in init. commentar. in Abdiam*: cui consonat Abulensis 4. *Reg.* 13. *q.* 17. dicens sepultum fuisse *hono-* Vbi sepultus.

rabiliter, vt totus Israël funeri eius magnum honorem impenderet. Nec dissentiunt Epiphanius, & Isidorus in eius vita.

Sepulturæ locus.

6 De loco autem quo sepulturæ traditus est (vt omittamus Adricomium, qui vult sepultum esse in Carmelo, & translatum in Samariam, quia solus pro hac parte est) communis sententia tenet, Samariam fuisse, quæ alio nomine *Sebaste*, & Latinè *Augusta* dicitur. Sic enim habet S. Hieronymus *in epist. 27. quæ est epitaphium Paulæ, & in Abdiam Prophetam*. S.Epiphanius *in eius vita*. Ioannes Ierosolymitanus *de instit. Monachor. cap. 13*. Isidorus & Dorotheus dum de ipso loquuntur, Martyrologium Romanum *die 14. Iunij*. Raphaël Volaterran. *in Geograph. lib. 11*. & alij. Ab ea tamen recedit Abulensis 4. *Reg. 13. q. 17*. affirmans sepultum esse Elisæum in propria patria, videlicet Abelmeula, quia veterum Patrum consuetudo erat in sepulchro patrum suorum recondi: verumtamen communi standum sententiæ. Regis enim deuotio in Elisæum, quem ægrotum inuisit, morientem luxit, patrem suum, currum Israël, & aurigam appellauit, non videtur permisisse, vt in patrio sepulchro conderetur, sed pro ipsius solatio Samariæ remaneret. Quia verò in ea ciuitate nostrorum Prophetarum Collegium erat, in suburbio videlicet, iuxta dicta *sub anno 3154*. ideo eo loco conditum esse existimandum, prout etiam tenuit Petrus Sarracenus *in vita S. Elisæi num. 24*.

In quo sepulchro.

7 Sepultum quoque fuisse iuxta sepulchrum Abdiæ Prophetæ noster Ioannes Ierosolymitanus loco relato testatur. Ex hoc autem magis confirmatur id, quod diximus *sub anno 3138. num. 5*. videlicet iampridem ante Elisæum Abdiam obijsse, immo ex eo quod Elisæus voluerit etiam mortuus Abdiæ ossibus associari, conijci datur noluisse in patrio solo Abelmeula, sed in Samaria, prout diximus, recondi; ne scilicet vel in morte à sibi dilecto condiscipulo, egregioque Propheta separaretur. Corpus autem Elisæi, & Abdiæ simul in veneratione Samariæ haberi tradũt sanctus Hieronymus *in initio Comment. in Abdiam, & in epist. 27. quæ est epitaphium Paulæ*: Comestor *in Histor. scholastic. super lib. Reg.* Martyrologium Romanum, & Volaterran. *vt supra*. Ad ipsorum quoque sepulchra mirabilia cerni ex eodem sancto Hieronymo, & Martyrologio Romano habetur. Qualiter etiam ipsorum, & S.Ioannis Baptistæ reliquiæ eo loco reconditæ ab impijssimis satellitibus immaniter, & sacrilegè tractatæ, combustæ, & cineres in aërem dispersæ fuerint Iuliani Apostatæ tempore, Tomo sequenti dicemus. Quia tamen ex Ruffino *lib. 1. histor. cap. 28*. habetur ea occasione Monachos quosdam sancta pietate no-

tos

tos inter ethnicos intrepidè, & cum magno capitis periculo irruentes magnam ipsarum partem surripuisse, ideo historiæ de ipsarum postea translatione, & qua asseritur S. Elisæi caput Rauennæ recondi, & ipsius Ioannis quoque cineres Ianuæ reseruari, locus datur; de quo alias.

8 Ad Elisæi porrò sepulchrum Epitaphium sequens, quod est veluti ipsius vitæ epitome, Iacobus Salianus *sub hoc anno nu.* 18. apposuit: *Hic situs est magni Præceptoris maior, si fas est dicere, discipulus Elisæus, qui humili loco in Abelmeula natus, ab aratri tractatione ad nobilem animorum curam, ad Prophetæ scientiam, ac dignitatem, ad prodigiorum effectionem euocatus, impios bellis, obsidionibus, septenni fame, cædibusque castigat: qui feras ad lacerationem puerorum in vindictam parentum vocat, turpisque lucri cupiditate sordidos fœdissima, perennique lepra contaminat. Hic est qui ad vnam Prophetæ voculam, aut pallij iniectionem ad Dei famulatum incaluit; & patri, matrique valedicens, omnia in prolusionem Euangelicæ paupertatis abdicauit à se, atque contempsit. Hic est qui Religiosæ paupertatis thesauro diues, egentes, obæratasque viduas, inopes Prophetarum cohortes, adeoque copiosos militum exercitus desertis in locis siti enectos diuina benignitate locupletat, qui innumerabilium Religiosorum Parens, atque propagator ea semina annis penè 80. iecit, quæ superueniens Euangelij gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit, qui vt populi sui clades præuidit, atque præluxit, ita eiusdem salutem ac libertatem moriens feliciter parturiuit. Vixitque ad annos C. atque eo amplius; in Religiosa Disciplina XXC. sex Regum temporibus, Achabi, Ochoziæ, Iorami, Iehu, Ioachaz, Ioas. Annis sex & LX. Prophetiæ munere functus; eoque vnà cum vita perfunctus est anno Ioasi X. Amasiæ VIII. ante Christi Ortum DCCC.XIX.* Corrige 849. Elisæi Epitaphium

9 An Elisæus ante mortem suis Carmelitis *communem aliquem Patrem suo loco præposuerit, qui omnibus Religiosæ vitæ Professoribus præesset*, quærit Salianus *num.* 11. & respondet: *Affirmare non possum.* Subiungit: *Non defuisse saltem singulis locis aliquem virum sapientem, qui familiam regeret, meritò credi potest.* Cæterum quidam ex Historicis nostris Abdiam Ordini Prophetico post Elisæi obitum præpositum existimant. Hoc tamen affirmare non possumus, cum iam à multo tempore diem clausisse extremum nobis credibilius videatur, vt *sub anno* 3138. diximus. Probabilius id asseri potest de Iona Propheta, quem superstitem hoc tempore fuisse ferè certum est, & cui, cum primus Eliæ discipulus fuerit, Ordinis regimen iure debitum videbatur. Sed nec hoc certum, cum neque in sacra Pagina, nec in Quis Præpositus post ipsu. Ionas forsan.

no-

Vel Ionadab. nostris historijs aliquid de hoc reperiatur. Propterea Iacobus Bouldecus *lib. 3. de Ecclesia c. 12.* non sine probabilitate affirmat Elisæo in munere, & Ordinis gubernio successisse Ionadabum, de quo *sub anno* 3143. est dictum. Vnde eum appellat *Prophetarum Archimandritam* post Eliam, & Elisæum; & sanè si eo tempore in viuis erat, id satis credibile est, propter viri sanctitatem, & auctoritatem; incertum tamen propter monumentorum eius æui inopiam: illud certius singulis Collegijs aliquem sapientiorem cæteris præpositum, qui *familiam regeret*, vt Salianus dicebat, quin de toto corpore Ordinis id affirmandum credimus: Quomodo enim vnum corpus esse, regi, & propagari posset sine vno præcipuo capite? Probabile etiam saltem ex mente Caietani *in 2. Paralipomen.* 28. est Elisæi successorem in Samaria fuisse Obed Prophetam, quem alij Oded appellant, de quo *sub anno* 3294. dicemus, eiusque gesta narrabimus. De eo enim inquit: *Mortuo Elisæo florebat Propheta iste in Regno Samariæ.*

De Eliæ pallio quid actū. 10 De pallio Eliæ, quod Elisæo contigerat, dubitari potest, quid actum fuerit post ipsius transitum, de quo aliqua nobis dicenda sunt. Primum illud ab Elisæo, & discipulis in veneratione semper habitum. Quis enim aliter credat de charissimi, & sanctissimi Parentis pretiosissimo pignore, plurium miraculorum instrumento, & cælestium, diuinarumque visionum comite inseparabili? Eo præsertim, quod cum eiusdem pallij iniectione Elias Elisæum Instituti Prophetalis, & instar Monastici contubernalem, & participem fecerit, iuxta dicta ex Sanchez supra *sub anno* 3127. *num.* 4. proculdubio instar magni thesauri illud habuisset, vt notat idem Sanchez 4. *Reg. 2. vers.* 13. Vnde illud eiusdem loci: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*, non denotat illud cecidisse Elisæo, vti negligenti, sed cecidisse Eliæ, non fortuitò, sed magno Dei consilio, vt pignus haberet Elisæus dati sibi muneris; prout non solum Sanchez ipse, sed & Salianus *sub ann. mund.* 3139. *n.* 46. exponunt. Deinde dicimus illud ab Elisæo, & discipulis ipsius etiam post illius obitum qua fieri potuit cura conseruatum; imò etsi Ioannes Hildesmensis Germanus *in lib. contra detractores sui Ordinis cap.* 1. dicat in captione vrbis Accon à Sarracenis facta ipsum vsque ad id tempus à nostris in Carmelo reseruatum incendio peijsse; contrarium verò sentiendum. Constat enim ex Sebastiano Salmanticensi Episcopo vetustissimo *in sua historia*, huius pallij partem in Arca Ouetensi in Hispanijs operà sancti Fulgentij conseruatam reseruari. Illud autem album fuisse constat

Album fuisse. ex Ioanne Ierosolymitano *lib. relato de instit. Monach. cap.* 40. & alijs Historicis Ordinis, præsertim Ioanne de Malinis *in speculo Histor. cap.* 9.

cap.9. Constat præterea ex visione illa albicantium virorum, qui Sobach Eliæ parenti ante eius ortum ostensi sunt, de qua *sub anno 3123. n.7.* diximus. Ea namque nihil aliud portendere videbatur, nisi tam Eliam, quàm ipsius alumnos pallijs albis induendos fore. Induebantur verò pallijs albis veri Dei Prophetę etiam ad differentiam Aruspicum, seu Pseudoprophetarum, quos nigris vestibus vsos fuisse colligi videtur ex *4.Reg.23.v.5.* illis verbis: *Aruspices, quos posuerant Reges Iuda*, vox enim *Chemarim*, quæ *aruspices* significat, etiam verti potest *atratos*, seu *pullatos*, id est, nigris vestibus indutos, vt habet Salianus *sub anno 3408. num. 2.* De albi porro coloris prærogatiua, pro veste præsertim Religiosa, non pauca Laurentius Landmeter *in lib. de vet. cleric. Monach par.1.c.19.* & *20.* pro festis, seu iucundis diebus, ex ethnicis scriptoribus, Ioannes Hieronymus Sopranis *Digress. 1. de re vestiaria Iudaor. cap.3. §.3.*

11 Quamuis autem Franciscus de sancta Maria *in Histor. Prophetica Hispanè lib.1.cap.7. à num.5.* dixerit Eliæ pallium idem fuisse cum melote, ex eo videlicet quod sæpius illud *melota* nuncupatur iuxta translationem Græcam, & septuaginta Interpretum, qui pro pallio, quod nostra vulgata dicit, vertunt ipsi *melotem*, (quo etiam sensu alij Patres, præsertim Nazianzenus *Orat. funebri pro Sancto Basilio*, & Isidorus *lib. de Patribus veteris Testamenti* pallium Eliæ melotem vocant) nihilominus fuisse diuersa constat nō solum ex Ioanne Ierosolymitano dicto *lib. cap.38* & *40.* vbi de illis tanquam diuersis indumentis loquitur, sed etiam ex Ioanne de Malinis *in Speculo Histor. cap.9.* & alijs Ordinis Historicis, qui id supponere videntur. Colligitur etiam ex illo ad *Hebr 11. v.37. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*, vbi melotæ & pallia vt diuersa describuntur: per pelles namque caprinas, pallia denotantur, quæ quia ex pellibus fiunt, vel pellibus conteguntur, pallia vocitantur, vt colligitur ex Isidoro *19. etymolog. cap. 24.* & sanè ne dicatur Eliam in Paradisum translatum nudum, quod indecorum videtur, dicendum est pallium, quod Elisæo reliquit, diuersum fuisse à melote, quam secum asportauit. Similter cum Iordanem cum Elisæo transiturus *4.Reg.2.v.8.* fluuium pallio inuoluto diuisit; proculdubio notatur ipsum diuersum à melote fuisse, ne dicamus ea mora nudum indecenter coram eo, & alijs quinquaginta, qui aderant ex discipulis, spectatoribus apparuisse. Quod autem pallium *melota* à pluribus, vt obijcebatur, nominetur, ideo est, quia, vt Ioannes Ierosolymitanus dicto *lib. c.38.* notauit, *qualibet vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta*, melota vulgariter dicitur. Quia ergo pallium Eliæ de pel-

An idem cū Melote.

pellibus istis erat contextum, caprinis videlicet, vt colligi videtur ex loco Apostoli adducto, vel ouinis, vt Theodoretus *in 4. lib. Reg.* & alij indicant, ideo lato modo *melota* nuncupatur, cum in rigore loquendo distincta sint. Quo sensu accipiendi non solum Patres relati, sed & Cornelius, Serarius, & alij 4. *Reg.* 2. Erat autem hoc pallium Eliæ, quemadmodum Ioannes Ierosolymitanus dicto *c.* 40. dixit: *Vestis rotunda à collo vsque ad medias tibias totum corpus operiens; anterius aperta, sed alibi vndique clausa, superius angusta, inferius amplitudine expansa.* Vt vel hinc discant nostri longiora pallia Elianum Institutum non redolere.

Lato modo melota.

Pallio albo vsos Eliæ discipulos.

12 Hoc etiam pallio albo vsos esse alios Eliæ discipulos ostendit ipse Ioannes loco relato, & confirmat ex visione illa candidatorum virorum ipsius parenti Sobach ante Eliæ natiuitatem facta, & per illud asserit denotari Monachum seruare debere puritatem mentis, & sanctimoniam carnis. Nec audiendi sunt aliqui ex nostris, videlicet Ioannes de Malinis *in speculo histor. c.* 9. Ioannes de Ciminetó *in parua opusculo speculum Ordinis nuncupato cap.* 6. & Generalis Grossus *in viridar. claui* 1. qui etsi admittant Eliam album pallium gestasse, eius tamen discipulos non nisi variegatis, seu barratis vsos fuisse credunt; eo quod Eliæ pallium cum de curru igneo ad Elisæum dimittebatur, transiens per ignem intra plicas, & extra colores varios, album scilicet & subnigrum veluti adustionis signa, recepit. Hæc enim assertio puerilis existimanda, & nullo nixa fundamento videtur, cum ille ignis verus non fuerit, sed Angeli igni speciem præ se ferentes, & esto quod ignis esset, sicut Eliæ nullum nocumentum attulit diuina virtute impeditus, sic nec pallio ipsius. Accedit quod alborum palliorum in barrata, & variegata mutatio in Ordine facta non fuit, nisi ob Sarracenorum violentiam tempore Homa Arabiæ Regis, vt suo loco dicemus. De palliorum porro vsu legatur Laurentius Landtmeter *de vet. cleric. monach lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 22. *&* 23.

Cultus sancti Elisæo debitus.

13 Id tandem circa Elisæum nostrum non prætermittendum, ei videlicet cultum sancti debitum esse. Id namque manifestè comprobant egregia ipsius facta, Prophetiæ, & miraculorum dona, quæ de ipso in sacra Scriptura, præsertim 3. *&* 4. *lib. Reg. & Ecclesiast.* 48. referuntur, & encomia, ac laudes quæ de illo Patres, & Doctores tum Catholici, tum Hebræi prædicant. Propterea Officium canonicum ipsius veluti Patroni, & Principis Religionis cum octaua approbatum est pro Ordine nostro à Summis Pontificibus, Gregorio Decimotertio, Sixto Quinto, & Sacra Congregatione Rituum sub Paulo Quinto, & Vrbano Octauo. Prætermittimus vetustiora alia

ra alia eiusdem officia in ordine anni 1462. & 1495. & quod in Capitulo generali Conuentus Syluarum in Prouincia Tusciæ sub anno Christi 1399. ordinatum fuit, quod de ipso sancto Elisæo singulis annis officium celebraretur.

Annus mundi 3205. ante Christum 848.

1  VRE in hunc annum refertur miraculum suscitati mortui ad sepulchrum Elisæi, de quo S. Scriptura 4. *Reg.* 13. etsi enim ibi dicatur contigisse ipso anno mortis Elisæi, quia tamen hoc congruè intelligitur de ambitu anni quo mortuus est, fateatque, quod in Hebræo dicatur *sequenti anno*, & apud 70. *vertente anno*, ideo hoc anno, initio scilicet ipsius, contigisse cum alijs sentimus. Salianus *hic num.* 1. Miraculum suscitati mortui.

2 Accidit ergo quòd cum latrunculi, idest, prædones quidam Moabitæ venissent versus Samariam, & aliqui mortui hominis cadauer ad sepeliendum deferentes, visa à longè militari turma, fugere cogerentur, cum essent iuxta sepulchrum Elisæi (quia, vt credimus, illud erat in Collegio Prophetarum in suburbio Ciuitatis, & ipsi volebant in agrum exire ad sepeliendum mortuū) *proiecerunt cadauer in sepulchro* illius. *Quod cum tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo, & stetit super pedes suos.* Hoc facto mirabili, & vsque ad illum diem inaudito manifestante Domino sui Prophetæ sanctitatem, simulque ostendente qualiter ipsius, & aliorum sanctorum reliquiæ cultu, & veneratione dignæ existimari debeant. Hanc enim ob causam Ecclesiasticus *cap.* 48. *ver.* 14. *&* 15. de eo scripsit: *In morte mirabilia operatus est, & mortuum prophetauit corpus eius*, idest, mortuum suscitauit. Verbum namque *Propheto*, sicut significat docere, diuinas laudes canere, futura prædicare, sic & mortuos suscitare, quia hæc olim aut propria fuerunt Prophetarum, aut cum paucis communia. Sanchez *hic num.* 17. Qualiter contigit.

3 Addunt Hebræi apud Abulensem *q.* 20. *in* 4. *Reg.* 13. hunc mortuum excitatum statim iterum obijsse, quia impius erat. Alij vero apud Eusebium Emissenum volunt diù postea vixisse, & *Sellum* fuisse vocatum, sed quidquid sit de nomine ipsius, hæc secunda opinio certior esse debet, vt optimè probat Abulensis relatus, præsertim quia subita illius mors suspectum redderet miraculum, & finem à Deo intentum exaltationis sanctitatis Elisæi infirmare posset. Torniellus *sub anno* 3198. *num.* 4. Hebræorum traditio.

Anni

Anni mundi 3206. & 3207. ante Christum 847. & 846.

Victoriæ Ioas.

1 IS duobus annis vel circiter contigisse videntur tres illæ victoriæ, quas Ioas Rex Israël de Syris Elisæo promittente, & coniectante ex trina terræ percussione reportauit. Sic enim habetur 4. *Reg.* 13. *v.* 25. *Porrò Ioas filius Ioachaz tulit vrbes de manu Benadab filij Hazaël, quas tulerat de manu Ioachaz Patris sui iure prælij, tribus vicibus percussit eum Ioas, & reddidit ciuitates Israel.* Iosephus *lib.* 9. *cap.* 8. sic habet: *Omnem eam Regionem abstulit, quæ vrbes, ac vicos de Patre ipsius captos complexa est, quod & ipsum Elisæus iam ante prædixerat.* Magna ergo proculdubio deuotio in Israël erga Elisæum proximè defunctum, & eius alumnos superstites harum victoriarum causa excitata est.

Annus mundi 3208. ante Christum 845.

Amasiæ victoria.

1 Ontigit hoc anno celebris valde victoria, quam Amasias Rex Iudæ de Idumæis reportauit. In hunc enim annum referendam colligitur ex Chronic. Hebræor. *cap.* 19. Iosepho *lib.* 9. *cap.* 10. & tenet Torniellus *sub hoc anno.*

Qualis fuit.

2 Res ipsa in sacra Scriptura 2. *Paralipom.* 25. *v.* 5. sic enarratur: *Congregauit igitur Amasias*, excitatus eo forsan quòd vidisset Regem Israël tribus vicibus Syros percussisse, *Iudam*, idest, Regnum suum, *& constituit*, hoc est, distribuit, vel diuisit eos *per familias, Tribunosque, & Centuriones in vniuerso Iuda, & Beniamin.* (hæ enim duæ Tribus erant sub Iudæ Regno) *& recensuit à viginti annis supra, inuenitque* 300. *millia iuuenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent hastam, & clypeum*, idest, aptos ad præliandum. *Mercede quoque conduxit de Israel centum millia robustorum centum talentis argenti. Venit autem homo Dei ad illum, & ait: O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel, non est enim Dominus cum Israel, & cunctis filijs Ephraim. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiuuare, & in fugam conuertere. Dixitque Amasias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel? & respondit ei homo Dei: Habet Dominus vnde tibi dare possit multo his plura. Separauit itaque Amasias exercitum, qui*

vene-

venerant ad eum ex Ephraim, vt reuerteretur in locum suum. At illi contra Iudam vehementer irati reuersi sunt in Regionem suam. Porro Amasias confidenter eduxit populum suum, & abijt in vallem salinarum, percussitque filios Seir decem millia, & alia decem millia virorũ ceperunt filij Iuda, adduxerunt ad praruptum cuiusdam petra, pracipitaueruntque eos de summo in praceps, qui vniuersi crepuerunt. At ille exercitus, quem remiserat Amasias, ne secum iret ad pralium, diffusus est in Ciuitatibus Iuda, à Samaria vsque in Betheron, & interfectis tribus millibus, diripuit magnam pradam.

3 Quis fuerit hic homo Dei appellatus in præsenti historia (quod ad nostros Annales propriùs spectat) inquirere debemus: & primò Chronicon Hebræorum *c.* 20. ex Hebræis refert fuisse Amos Prophetam, de quo *sub anno* 3197. fratrem ipsius Regis Amasiæ, & patrem Isaiæ. Quamuis autem hoc tempore vixisse, & prophetiæ dono claruisse hunc Amos credamus, iuxta ea quæ loco relato diximus; nihilominus quia incongruum apparet, vt virum tam eximiũ, & vt creditur, Regis fratrem Scriptura nomine proprio nõ vocaret, præsertim cum hoc valde cederet in ipsius, & legationis, pro qua mittebatur, auctoritatem, ideo alterum fuisse Prophetam probabilius autumamus. Propterea Gaspar Sanchez *in* 4. *Reg.* 14. *num.* 4. hæc habet: *Aduenit vir Dei, Propheta nimirum de numero illorum fortasse, quos in suis collegiis instituit Elisaus.* Quis hic homo Dei.

4 Quam sententiam amplectendam, ablata etiam particula *fortasse*, ex eo firmari potest, quòd quemadmodum Prophetæ nomen simpliciter dictum post tempora Samuelis virum aliquem Ordinis Prophetici à dicto Samuele instituti, & ab Elia propagati designat, iuxta dicta *in Apparatu cap.* 2 & *sub anno* 3184. sic etiam de his nominibus *Homo Dei*, & *Vir Dei* philosophandum videatur, vt cum absolutè proferuntur, sicut Prophetam quempiam denotant, sic quoque aliquem etiam eiusdem Ordinis Prophetici alumnum denuncient; vt benè Coria *in Chronic. Carmelit. lib.* 4. *cap.* 6. ex glossa interlineali 3. *Reg.* 12. cuius signum est, quod Samuel ipse 1. *Reg. nono v.* 6. 7. & 8. Semeias 3. *Reg.* 12. *v.* 22. Addo 3. *Reg.* 13. *v.* 1. Elias ipse 3. *Reg.* 17. *v.* 18. & 4. *Reg* 1. sæpius similiter Elisæus 4. *Reg.* 4. 5. 6. 7. & 8. & Michæas eiusdem Eliæ discipulus 3. *Reg.* 20. *v.* 28. iisdem nominibus appellentur, & sanè cum hæc nomina proculdubio significent homines Dei cultui, aut obsequio dicatos, quid enim aliud per virum Dei aut hominem Dei denotari potest? nihil congruentius dici posse videtur, quàm importare etiam huius Prophetici Ordinis asseclas, quorum ex professione munus erat Dei cultui, laudibus, & Ex Ordine Prophetico.

obſequijs aſſiduè vacare. Hinc Ægidius Camartus diligens auctor, cum in *lib.* cui titulus *Elias Thesbites cap. 1. ſect. 2.* ex profeſſo diſputaſſet, quinam illi cenſendi Prophetæ, qui in Scriptura ſuppreſſo nomine communi vocabulo *Homines Dei*, vel *Viri Dei* nũcupentur; reiecissetque quorundam ſententiam, qui eos Angelos exiſtimaſſe videntur; & magis ad veritatem accedere dixiſſet eos, qui putant tales dici illos, qui ſolùm pro breuiſſimo tempore munus prophetandi habebant; eam tamen opinionem, quam maximè veritati conformem credit, ſic refert: *Eſt tamen tertia aliorum ſententia, eos nimirum appellari viros Dei, quia ſolis rebus diuinis intenti, longeque ab vrbibus, populique contubernio ſemoti, rebus omnibus humanis, omnique politico cætui renunciarant, qui tamen extraordinariè aliquando aſſumebantur ad aliquod propheticum miniſterium, & nihilominus eam ſibi appellationem retinuere, quæ ex præcedentis vitæ inſtituto debebatur, fuiſſe enim quamplurimos, qui ab ipſis Ioſue temporibus, & deinceps ſeſe in ſolitudines receperunt, vt diuinis contemplationibus vacarent, conſtat tum ex ſacris Scripturis, tum ex Philone, Ioſepho, Euſebio, Hieronymo, alijſque probatis Auctoribus, quæ de re fuſius dicturi ſumus, cum inquiſitio fiet, quinam vocentur filij Prophetarum, qui in Bethel, Iericho, alijſque locis habitaſſe leguntur. Satis eſt in præſentiarum, ſi nouerimus eos communi appellatione viros Dei nominatos, ex hoc autem Collegio aſſumebantur vt plurimum eiuſmodi Prophetæ, qui ob ſpecialem aliquam cauſam populo deſtinabantur. Certum enim eſt aſſiduam rerum cæleſtium meditationem animum hominis præcipuè diſponere ad lumen propheticum; ea vero meditatio facilius in ſemotis, & ſolitarijs locis acquiritur, quam in hominum frequentia.* Ex quibus, adiunctis etiam ijs, quæ nos ſupra *in Apparatu cap. 2. & 7. & ſub anno 3184.* diximus, maximè veritati conforme eſſe elicitur hunc *hominem Dei*, de quo in præſenti, & alios quoque ſimili nomine notatos in ſacris Literis poſt Samuelem, & Eliam ad ipſorum Ordinem Prophetalem ſpectaſſe.

Homo Dei, ſeu Vir Dei.

Annus mundi 3209. ante Christum 844.

Amaſiæ ingratitudo.

1 
INGENTIS ingratitudinis exemplum in Amaſia Rege Iuda ſub hoc anno habemus. Cum enim ipſe Dei adiutorio magnam de Idumęis reportaſſet victoriam, decem millia ipſorum interficiendo, alia decem millia captorum præcipitando, & Deos ipſorum in captiuos afferendo iuxta dicta ſub anno præcedenti; in hanc tamen dementiam deuenit. *Statuit* (inquit Scriptura *2. Paralipom. 25. v. 14.*) *illos*

illos in Deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum. Sed qua causa in tam nefandum facinus Amasias incidit? Hebræi *in traditionibus* apud S. Hieronym. eam fuisse scribunt, *quòd cum præcipitarentur illa decem millia, illa Idola, quæ secum habebant, responsum dederunt, ideo illos interfectos, quia in cultu eorum negligentes fuissent. Videns ergo Amasias Idola responsa dare, & à ruina eripi, hoc errore deceptus adorauit ea.* Id putant alij Hebræorum figmentum, sed siue tale fuerit, siue ex eo solùm motus fuerit Amasias ad eos colendos, quòd responsa dare audiret, siue aliam ob causam, *iratus Dominus contra Amasiam* (inquit Scriptura) *misit ad illum Prophetam, qui diceret ei: Cur adorasti Deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua? Cumque hæc ille loqueretur, respondit ei: Num consiliarius Regis es? quiesce ne interficiam te. Discedensque Propheta: Scio, inquit, quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo.*

2 Quis fuerit Propheta, Expositores inquirunt. Chronicum Hebræorum *cap.* 20. tenet fuisse Amos Isaiæ patrem. Quod etiam sequitur Salianus *sub hoc anno num.* 2. Cum tamen ita acriter Rex indignatus ei responderit, præsertim quia plerique Græci habent dixisse illi: *Attende ne flagelleris*; Theodotus, *ne percutiam te*, ideo res est incerta, maximè si dicamus eum fuisse eiusdem Regis fratrem, vt plures volunt. Alij credunt fuisse Eliezer, siue Eleazar filium Dodau, seu Dodai auunculum eiusdem Amasiæ. Ita habent Hebræi *in traditionibus*, & Glossa interlinealis *super hunc locum*. Quod tamen Saliano non placet, quia iste prophetasse creditur Iosaphato Regi 2. *Paralipom.* 20. *ver.* 37. reprehendens eum propter fœdus initum cum Ochozia 70. annis ante hoc tempus, quòd incongruum videtur, aliàs tunc centenarius fuisset. Hoc tamen incongruum non est, Elisæus namque supercentenarius fuit, & Ioiadas 130. annorum, cum obijt, vt in superioribus diximus; quisquis verò hic Propheta fuerit, eum tamen Ordinis Prophetalis asseclam fuisse, quæ *in Apparatu cap.* 2. & *sub anno* 3184. diximus, sufficienter suadent. Quis hic Propheta.

Annus mundi 3210. ante Christum 845.

Amasias captus. 1 IX alia hoc anno, quod ad nostros Annales spectat, reperimus, nisi quòd Amasias Iuda Rex, eo quod Prophetam, de quo sub anno præcedenti, non audierit, captus sit à Ioas Rege Israëlis, in Ierusalem vinctus adductus, & coactus, vt in ea ciuitate admitteret hostem, qui eius murum à porta Ephraim vsque ad portam anguli 400. cubitis destruxit, omneque aurum, & argentum, & vniuersa vasa, quæ repererat in Domo Dei, in Samariam transportauit. Sacra Scriptura 2. *Paralipom.* 25. Iosephus *lib.* 9. *cap.* 10. & Expositores.

Annus mundi 3211. ante Christum 842.

Mors Ioas. 1 ORTVVS est circa id tempus Ioas Rex Israël. Postquam enim percussit Regem Syriæ, & Regem Iuda, vt virga & instrumentum diuinæ Iustitiæ, debuit & ille propter peccata sua puniri à Deo. Ita enim diuina prouidentia sæpius accidere solet, vt vnus Princeps à Deo puniatur mediante alio etiam nequiori; quem postea impunè Deus abire non permittit. Huius porrò Ioas successor in Israëlis Regnum fuit Ieroboam eius filius huius nominis secundus. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 14. & Expositores.

Ieroboami regnum. 2 Istius Ieroboam tempore, in initio videlicet Regni ipsius, vel paulo post prophetasse credimus Ionam Prophetam, illum nempè quem ordine temporis fuisse primum Eliæ discipulum diximus *sub anno* 3127. *num.* 12. In hunc autem annum, vel circiter prophetiam, & historiam missionis ipsius in Niniuem contigisse ex eo conijcimus, quòd diligentiores Annalistæ, Torniellus scilicet, & Salianus pro hoc anno, vel sequenti referunt ipsum prophetasse Ieroboamo isti Israëlis Regi. Prophetauit autem Ieroboamo post regressum e Niniue, vt testatur Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Instit. Monachor. cap.* 12. supponimus namque eundem Ionam fuisse, qui ad Niniuitas, & Ieroboamum prophetauit, vt communiter Expositores putant, & docet ipse Ioannes ibidem, imò & sacra Scriptura, cum 4. *Reg.* 14. *ver.* 25. Ionam, qui Ieroboamo prophetauit, filium Amathi appellet, quo etiam nomine Ionas inter Prophetas minores quinto loco relatus, qui in Niniue prophetauit, patrem suum vocat. Hunc (Ionæ Prophetia.)

etiam

etiam Ionam fuisse filium mulieris Sarephtanæ dicto loco ex antiquiorum consensu contra neotericos probauimus. Cum verò ad Ordinem Propheticum spectasse pro comperto est, cum, vt vidimus, primus Eliæ discipulus fuerit, & ab ipso in vitæ Monasticæ disciplina instructus. Vnde similiter Carolus Sigonius *de republ. Hebræor. lib. 5. cap. 9.* inter Collegij Prophetalis alumnos eum recenset.

3 *Factum est igitur verbum Domini* ad hunc Ionam dicens: *Surge, & vade in Niniuem Ciuitatem grandem* (adeo magnam, vt murorum ambitus 60. milliaria, seu 20. leucas contineret, vt ex Diodoro Siculo *lib. 2. cap. 1.* elicitur) *& prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me.* Timens autem Ionas ne in condemnationem Israëlis missio ipsius cederet, quod Niniuitis pœnitentibus, Israëlitæ in sua malitia perseuerarent, vel quod Deus exoratus Niniuitarum precibus illis parceret, & ipse Propheta mendax reputatus, irrisionibus & verberibus ipsorum subijceretur, & fortè dolens, quod alij Prophetæ Elias, Elisæus, & condiscipuli ad oues Israël mitterentur, ille autem ad Assyrios, *surrexit, vt fugeret in Tharsis* (Tharsum videlicet Ciliciæ, vt vult Iosephus *lib. 9. c. 11.* vel Carthaginem Africæ, vt colligitur ex 70. quos alij sequuntur; vel mare Mediterraneum, vt putat Sanctus Hieronymus *in 1. cap. Ionæ*; vel denique *Thartessum* Bœticæ in Hispania, vulgo *Tarifa*, vt autumat Pineda *lib. 4. de reb. Salom. cap. 4.*) *à facie Domini, & descendit in Ioppem.* (Syriæ portum, nunc Iapha) *& inuenit nauem euntem in Tharsis, & dedit naulum eius, & descendit in eam, vt iret cum eis in Tharsis à facie Domini: Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri, & timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum: & miserunt vasa, quæ erant in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis, & Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui, & accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? Surge, inuoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus, & dixit vir ad collegam suum: Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam, & dixerunt ad eum: Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, & quò vadis? vel ex quo populo es tu? & dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum Cæli ego timeo, qui fecit mare, & aridam, & timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cognouerunt enim viri, quod à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis) et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, et cessabit mare à nobis? quia mare ibat, et intumescebat, et dixit ad eos: Tollite me, et*

Mittitur Niniuem.

Quid Tharsis.

Quid actum de illo. *mittite in mare, et cessabit mare à vobis: scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. Et remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam, & non valebant, quia mare ibat, & intumescebat super eos, & clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine sicut voluisti fecisti. Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare; & stetit mare à feruore suo. Et timuerunt viri timore magno Dominum, et immolauerunt hostias Domino, et vouerunt vota.* Ionæ 1. & Expositores *ibid.*

Deglutitur à ceto. 4 Cum autem in mare proiectus esset, *præparauit Dominus piscem grandem*, de genere scilicet cetorum; *vt deglutiret Ionam*. Deglutiuit autem illum, in ventre miraculosè retinens *tribus diebus, & tribus noctibus*. Clamauit autem Ionas de ventre ceti ad Dominum misericordiam postulans. In fine verò orationis subiunxit: *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcunque voui, reddam pro salute Domino*. Quibus verbis, esto aliorum expositiones admitti possint, ad vitam Prophetalem rediturum promittere videtur. Illa enim in canendis Deo laudibus, & trium votorum aliquali obseruantia continebatur, vt diximus *in Apparatu cap.* 4. Exaudiuit ergo Dominus Ionæ preces, & præcepit pisci, & *euomuit Ionam in aridam*. Non quidem in aliquam partem terræ vicinam mari rubro, seu sinui Arabico (vt aliqui putant) sic enim oportuisset incredibili celeritate totam Mediterranei maris longitudinem, vniuersaque Africæ littora breui tempore peruolasse, quod sine miraculo non necessario affirmari non potest; sed in terram proximam ponto Euxino, vt Iosephus putat, sic enim vicinior esset Niniue, vel prope illum locum, vbi illum deglutierat, vt vult Castro. Tunc secunda vice factum est

Euomitur.

Iterum mittitur in Niniuê. verbum Domini ad eum dicens: *Surge, & vade in Niniuem Ciuitatem magnam, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te; & surrexit Ionas, & abijt in Niniuem iuxta verbum Domini. Et Niniue erat Ciuitas magna itinere trium dierum, & cœpit Ionas introire in Ciuitatem itinere diei vnius, et clamauit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, et prædicauerunt ieiunium, et vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem, & peruenit verbum ad Regem Niniue, et surrexit de solio suo, et abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, et sedit in cinere, & clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis, & Principum eius dicens:*

Conuersio Niniuitarum. *Homines, & iumenta, et boues, et pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant; & operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via*

sua

sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur, et ignoscat Deus, et reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus, & vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Ionæ 2. & Expositores.

5 Quis fuerit hic Rex Niniue, discutiunt Expositores. Torniellus enim *sub anno 3215.* Castro *in Chronolog. sacra, & super hunc locum Ionæ.* & Salianus *sub anno 3216. num. 24.* volunt fuisse Sardanapalum: sed cum Rex iste fuerit vehementer impius, ac sceleratus, paruo certè cum fundamento de ipso asseritur tam pia, & subitanea conuersio. Accedit quòd sub hoc tempore Ocrazapes apud Assyrios Imperium tenebat, nec vsque ad annum 3215. vel 3216. Sardanapalus regnare cœpit, vt Annalistæ approbant, & esto, imperare cœpisset, vix de iuuene Rege tam insigne humilitatis, & pœnitentiæ exemplum credi potest. Vnde ad istius Ocrazapis tempora Niniuitarum conuersionem refert Capellus sectarius *anno mundi 3161.* Quis hic Rex

6 Videns autem Ionas, quòd tam citò Deus ad misericordiam super Niniuitas conuersus esset, *afflictus est* (inquit sacer Textus) *afflictione magna, et iratus est,* id est, *confusus,* vt 70. legunt. Non quia Niniuitæ pœnitentiam egissent, sed quia timebat, quòd conuersio illorum in ruinam Hebræorum cederet, & quòd veluti mendax, & perturbator Ciuitatis à ciuibus tractaretur; cum id quod comminatus fuerat, non acciderat. *Et orabat ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, nunquid non est hoc verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens, & misericors, & patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia, & nunc Domine, tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors, quàm vita.* Deus verò consolari, & erudire volens discipulum (occasione accepta ex quadam hædera, vel cucurbita, quam super caput ipsius extra Ciuitatem existentis, & æstu laborantis ipsi præparauerat, & postea per vermem corrodi permiserat, de quo valde Propheta tristatus erat) dixit ad illum: *Tu doles super hæderam, in qua non laborasti, neque fecisti, vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt, & ego non parcam Niniue Ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam 120. millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, et iumenta multa?* Ionæ 3. cum Expositoribus. Ionæ afflictio.

7 Quid postea in patriam reuersus Ionas egerit, sequenti anno dicemus.

An-

Annus mundi 3212. vſque ad ann. 3214. ante Chriſtum 841. vſque ad 839.

Ieroboam Rex. 1  EGNABAT, vt diximus, in Iſraël Ieroboam Rex huius nominis ſecundus, eo præſertim felix quòd Ionam Prophetam conſultorem, & veluti protectorem Regni ſui habebat, ſicut Ioachaz auus, & Ioas parens Eliſæum. Quemadmodum enim Iehu eorum primus genitor ab Eliſæo, & eodem Iona vnctionem in Regem Iſraëlis acceperat, & à Deo promiſſionem de ſucceſſione in filijs vſque ad quartam generationem iuxta dicta *ſub anno* 3152. ſic tota ipſius progenies quaſi hereditario iure Ordini Prophetico amica & beneuola erat, vt propterea hic Ieroboamus Ionæ gratiam, & protectionem obtinere meruerit.

Ionæ timor. 2 Ionas ergo ex legatione Niniue in terram Iſraëlis regreſſus, cum in eo ſemper timore perſeueraret, quòd Niniuitarum conuerſio ruina Hebræorum futura eſſet, eo quod nouo titulo illos poſſet Deus omnino deſtruere, quos tot Prophetis pœnitentiam prædicantibus rebelles ſemper inuenerat, Niniuitis ad vnius peregrini incogniti, & ruſticani hominis vocem ad eum conuerſis, à Deo illuminatus agnouit tempus nouiſſimæ ruinæ populi Iſraël nondum aduenisſe, ſed potius Regni terminos ab introitu Emath (qui locus prope Damaſcum, & montem Libani Iſraeli ſeptentrionalis eſt) vſque ad mare ſolitudinis, ſeu mare mortuum dilatandum fore. Id propterea Ieroboamo prædixit futurum, vt eo oraculo excitatus ad arma capeſſenda pro ſui Regni ampliatione animoſior redderetur. Nec ſpes Regem fefellit, totos enim eos tractus ademptos Syris ſub ſua ditione poſuit, iuxta verbum Ionæ. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 14. Ioſephus *lib.* 9. *c.* 11. Ioannes Ieroſolymitanus *de Inſtitut. Monachor. c.* 11.

Annus mundi 3215. ante Chriſtum 838.

Sardanapali Regni initia. 1  N hunc annum, vel circiter referunt Torniellus, & Salianus, alios etiam auctores adducentes, Sardanapali Regni apud Aſſyrios initia, Regis ſanè infamis opinionis, & improbæ famæ, vt dicenda ſuo loco indicabunt. Propterea Niniue, quæ Regia Ciuitas erat, conuerſionem melius ſub prædeceſſore ſuo Ocrazape, qui minus infamis, & minus notus fuit, accidiſſe autumamus, vt ſuperius dictum.

An-

Annus mundi 3216. vsque ad 3219. ante Christum 837. vsque ad 834.

1 N Regno Israëlis perseuerabat per id tempus Ieroboamus, perpetuis bellis Syros atterendo, Damascum, & Emath regno suo restituendo, illudque vsque ad mare mortuum *solitudinis* nuncupatum, iuxta verbum Domini, quod illi per Ionam Prophetam intimatum erat, dilatando. Sacra Scriptura 4. *Regum* 14. Dilatatio Israëlis.

2 Sub hoc anno refert Salianus historiam conuersionis Niniue Ionæ prædicatione factæ. Congruentius tamen nos *sub anno* 3211. eam retulimus, cum iuxta doctrinam Ioannis Ierosolymitani *lib. de instit. Monachor. c.* 12. illa contigerit, antequam ipse Ionas Ieroboamo prænunciasset sui Regni ampliationem, quam tamen *sub anno* 3212. Salianus ipse recenset. Commodius sub hoc tempore eiusdem Ionæ mortem recensere possumus, ætas namque ipsius id manifestat, cum iam esset centum circiter annorum: nec propterea inhabilis, vt ad prædicandum Niniuem mitteretur, vt recentiores aliqui asserunt, propterea etiam immerito, vt *sub anno* 3127. *n.* 12. vidimus, negantes eum esse filium viduæ Sarephtanæ ab Elia suscitatum. Deus enim, qui sua gratia efficere potuit, vt hominem ignotum, peregrinum, rusticanum, & abiectum, ignotæ linguæ, & extraneæ Religionis Niniuitæ auscultarent, nec respuerent, aut verberibus exciperent, facere etiam potuit, vt homo prouectæ valde ætatis ad id munus aptus esset. Præsertim cum ex sacra Scriptura constet Ioiadam his temporibus ad 130. annorum ætatem peruenisse, & Elisæum multi credant centenario maiorem obijsse. Nec credi decet eos propterea ineptos redditos ad propria munera obeunda. Scripsisse etiam Ionam res gestas sui magistri Eliæ testatur Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap.* 10: *sect.* 1. Ionæ mors.

3 De loco vbi sepultus est, non eadem omnium sententia. Quidam enim, vt refert S. Hieron. *Præfat. in Ionam*, apud Diospolim, idest, Liddam, conditum esse volunt. Diocæsareæ etiam exiguo viculo eius sepulchrum, teste eodem Hieronymo, ostenditur. Ex Martyrologio Romano pro 21. Septembris in Geth sepultum fuisse habetur. Epiphanius autem *in libello de vita et interitu Prophetarum* sic de Iona scripsit: *Mœrore affectus Ionas natale solum repetit, nec domi permanendum ducebat, verùm assumpta parente sua in Sur peregrinatus est, regione alienigenarum*, id est, in Phœnicia, cuius ciuitas est Sarephta Vbi sepultus

rephta, vnde mater ipsius erat: vnde subiungit idem Epiphanius: *Cum frequentaret itaque terram Saar, vita ibidem functus est.* Quod & indicat Martyrologiũ Romanum. Licet ergo credere in Sarephta patria sua, vel prope in loco Geth nominata sepulturæ traditum, fortè in proprio Collegio Sarephtano, iuxta dicta *sub anno* 3154. sicut de Elisæo diximus.

Cultus illi debitus.

4 Cultum sancti illi tribuendum ex eo sufficienter conuincitur, quòd in Martyrologio Romano pro die 21. Septembris eius memoria habeatur: Omissis autem quæ de ipso apud Patres leguntur passim, ex quo pietas, & sanctitas ipsius demonstratur, ex eo etiam elicitur, quod expressissima Christi Domini figura fuerit (ipso testante *Matth.* 12. *ver.* 39. *&* 40.) præcipuè in resurrectione tertia die, descensu in profundum, prædicatione, & alijs, sed non in inobedientia.

Annus mundi 3220. vsque ad 3224. ante Christum 833. vsque ad 829.

Sardanapali gesta.

1 E hoc tempore altum silentium in diuinis, & humanis literis est. Sub eo tamen referunt aliqui ex Eusebio Sardanapalum Assyriorum Regem duas vrbes, Tharsum videlicet, & Anchialem in Cilicia fundasse. Verumtamen cum plures asserant Ionam ad hanc Ciliciæ Tharsum confugere voluisse, cum ad Niniue prædicationem mitteretur, multis etiam seculis ante conditam ab Argiuis habeat Strabo *lib.* 14. *&* 16. ideo solùm hoc tempore à Sardanapalo restauratam existimamus.

Annus mundi 3225. ante Christum 828.

Amasiæ mors

1 DIMPLETVS videtur sub hoc anno sermo Domini de Amasia Rege Iuda factus ad Prophetam illum, de quo sub anno 3209. diximus, quemque Ordinis Prophetici fuisse ibidem autumauimus. Cum enim Rex iste ab hoc Propheta corriperetur 2. *Paralipom.* 25. *v.* 16. quod post cædem Idumæorum, illorum Deos adorasset, ipseque acriter, & superbè contra Prophetam respondisset, tunc ille: *Scio* (inquit) *quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum.* Hoc igitur anno *facta est contra eum coniuratio in Ierusalem, at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi*

ibi. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 14. Hac enim pœna Deus iudicauit dignum Regem ingratum, & qui post insignem victoriam de Idumæis reportatam, eorum Deos, quasi illi dedissent talem victoriam, adorare non erubuerit. Torniellus, & Salianus *sub hoc anno*.

Annus mundi 3226. ante Christum 817.

1 OC anno regnare cœpit in Iuda Ozias, qui etiam Azarias, priori quidem nomine *in* 2. *Paralipom.* 26. *v.* 1. posteriori verò 4. *Reg.* 14. *v.* 21. nuncupatus, vtroque autem loco habetur ipsum fuisse sexdecim annorum, cum regnare cœpisset, & filium Amasiæ. Ozias Rex.

2 Ex hoc autem valde difficilis, nec planè ab aliquo expedita quæstio exoritur, cuius solutio non longè est à nostrorum Annalium scopo. Quomodo scilicet hic Ozias filius Amasiæ dici possit, cum in Genealogia Christi *Matthæi* 1. dicatur filius Ioram, ibi enim habetur: *Ioram autem genuit Oziam*. In cuius enodatione etsi omnes conueniant immediatum genitorem Oziæ fuisse Amasiam, & non Ioram, qui tantum mediatus, & remotus progenitor ipsius fuit, quatenus genuit Ochoziam, qui genuit Ioas, à quo genitus est Amasias, qui fuit parens Oziæ; ita enim expresse ex sacra Scriptura *in* 4. *Reg.* & 2. *Paralipom.* colligitur: restat tamen difficilis nodus soluendus, quare scilicet Matthæus tres illos Reges Oziæ progenitores, videlicet Ochoziam, Ioas, & Amasiam in Christi genealogia prætermiserit. Quidam cum sancto Hieronymo *in locum illum Matthæi* id factum dicunt, quia intentum Matthæi solum fuit tres tessaradecades Patriarcharum, Regum, & Sacerdotum referre, sed quid tanti mysterij in his tessaradecadibus est, vt propterea expungi debuerint hi Christi progenitores? Propterea alij errori vel scriptorum, vel librariorum id videntur tribuere. De quo Sanchez 4. *Reg.* 14. *à n.* 22. Sed cum in omnibus Biblijs ita reperiatur, & hoc ansam præbere posset alijs ad negandum vulgatæ auctoritatem, huic modo dicendi assentiri non libet. Nodus difficilis in Genealogia Christi. Quorumdam placitum.

3 Melior ergo omnium huiusmodi solutio est propter maledictionem Dei per Eliam nostrum Achabo Regi intimatam 3. *Reg.* 21. *v.* 21. de qua *sub anno* 3136. diximus, vbi illi minatus est Deus demessurum, hoc est, euersurum omnes posteros eius, factum esse, vt tres isti Reges, qui erant ex posteris Achab per filiam ipsius Athaliam, delerentur ex genealogia Christi. Deus enim, qui sicut propter zelum & obedientiam Iehu voluit, vt ex illius genere vsque ad Melior solutio.

quar-

quartam generationẽ essent Reges in Israël,iuxta dicta *sub anno* 3152. sic contra, quia, vt habetur *Exod.* 20.*v.*5. *visitat impietatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem*, voluit propter iniquitatem Achab, vt Athalia filia eius, in qua prima generatio fuit, Ochozias in quo secunda, Ioas in quo tertia, & Amasias in quo quarta, non recenserentur ab Euangelista in catalogo Regum progenitorum Christi, nec in eius genealogia. Habetur huiusmodi solutio ex pluribus eiusdem Eliæ parentis posteris. Illam enim habent Ioannes noster Ierosolymitanus *Opere in Matthaum* à Petro Vvastelio nouissimè sibi vendicato. Item Guido noster Elnensis & Maioricensis Episcopus in clarissimo illo opere *Quatuor vnũ* vocitato *in c.*1. *Matthai.* Thomas Beauxamis *in Harmonia Euangelica tomo* 1.*folio mihi* 75. & Ioannes Sylueira *lib.*1.*in Matthaum cap.*2.*q.*29. Quibus de exteris accedunt Abulensis, Iansenius, Caietanus, Maldonatus, & Cornelius. Quæ propterea à nobis libentius recipitur, quòd ex ipsa manifestè elicitur, quantum apud Deum valoris & virtutis Eliæ verbum fuit, vt propter ipsum firmandum, ipsiusque propheticam prædictionem implendam, Reges veros Christi progenitores à genealogia ipsius remoueri voluerit.

Ruperti sententia.

7 Adiungit Rupertus *lib* 1 *in Matth. cap.* 4. ideo tres hosce Reges ex linea hac nobilissima excidisse, quia Prophetas Domini audire noluerunt: Ioas etenim Zachariam occidit filium Ioiadæ, vt diximus *sub anno* 3192. Amasias verò Prophetam illum redarguentem minis excepit, vt diximus *sub anno* 3209. Quæ solutio etsi omnino difficultati non satisfaciat, omitti tamen à nobis non debuit, quia per ipsam denotatur, quanti pretij apud Deum Prophetæ, & Ordinis Prophetici cultores semper fuerint.

Annus mundi 3227. ante Christum 826.

Oziæ initia.

1 ZIÆ Regni sub hoc tempore optima initia sic describit sacra Scriptura 2. *Paralipom.*26.*v.*4. *Fecitque quod erat rectum in oculis Domini iuxta omnia, quæ fecerat Amasias pater eius, et exquisiuit Dominũ in diebus Zacharia intelligentis, et videntis Deum.* Quæ nobis difficultatem afferunt de hoc Zacharia *intelligente, et vidente*, quis fuerit, & an Ordinis Prophetici alumnus.

Quis hic Zacharias.

2 Quidam volunt esse Zachariam filium Ioiadæ, errant tamen, quia is iam fuerat occisus à Ioas, vt *sub anno* 3192. diximus. Alij apud Lyranum volunt esse eundem Oziam hoc etiam nomine nuncupa-

cupatum. Quo tamen fundamento id dicere possunt, cum Scriptura loquatur de illis, ac de distinctis hominibus? Communius ergo tenetur hunc Zachariam fuisse filium alterius Zachariæ Sacerdotis à Ioiada interfecti, ita habetur ex D. Hieronymo *in traditionibus*, Glossa interlineali *super illum locum*, & alijs.

2 Sed cur vocatus *intelligens*, & *videns*? Aliqui apud Hieronymum relatum dicunt vocari *intelligentem* propter Sacerdotium, *videntem* propter Prophetiam. Quia tamen Hebræi, & Græci legunt; *Intelligentis in visionibus Dei*, ideo congruentius apparet eum fuisse aliquem ex Prophetis: cui consonat, quod olim Prophetæ videntes vocarentur, vt patet de Samuele 1. *Reg*, 9. *v*. 9. 11. 18. *et* 19. de Sadoch. 2. *Reg* 15. *ver*. 27. de Gad 2. *Reg*. 24 *ver*. 11. de Asaph 2. *Paralipom*. 29. *v*. 30. & de Iehu Hanani filio 2. *Paralipom*. 19. *v*. 2. ex quibus probabili coniectura ducti hunc Zachariam inter Prophetici Ordinis alumnos numerandum autumamus. *Cur vocetur intelligens, & videns.*

Annus mundi 3228. & 3229. ante Christum 825. & 824.

1 FELIX erat hoc tempus Hebræis, non tam propter insignes victorias, quas illis Deus contra eorum hostes tribuebat, Ioroboamo scilicet Regi Israel contra Syros, & Oziæ Regi Iuda contra Idumæos, vt 2. *Paralipom*. 26. habetur, quàm propter Prophetas, quos ad illos conuertendos, & de malis futuris præueniendos, ea tempestate misericorditer præparabat. Cum enim aureorum vitulorum cultum, quem Ieroboamus primus Israëlis Rex erexerat, non derelinquerent per 170. circiter annos, nec prodigiosis signis, & miraculis Eliæ, Elisæi, Ionæ, & aliorum moti Deum verum solum adorarent, veluti pro vltimo remedio, post quod captiuitatis flagellum ipsis destinauerat, Prophetas, & Prædicatores ex eodem populo excitauit, qui eorum crimina, scelus præsertim Idololatriæ, reprehenderent, ingratitudinem exprobrarent, terræ desolationem, & transmigrationem prædicerent, & pro iustorum consolatione Messiam venturum, iuxta fidelem sui promissionem, denunciarent. Hoc enim quasi commune Prophetarum omnium huius temporis argumentum est, quorum aliqui Maiores vocantur, quia eorum libri, seu Prophetiæ maiores, & prolixiores sunt, alij verò Minores, quia breuiores, & pauciores eorum sermones, comparatiuè ad alios fuerunt. De quibus omnibus agere nostris Annalibus extraneum non *Prophetæ miss. ad Reges.* *Alij maiores, Alij minores.*

est, quia ad Ordinem Propheticum, cuius historiam teximus spectasse, quæ diximus *in Apparatu cap. 2. & circa ann. 3184.* sufficienter suadent, vel saltem suspicionis ansam tribuunt.

Oseas Propheta. 2 Inter eos autem, qui Minores dicuntur, primum locum obtinere censetur Oseas Propheta, qui cum in principio suæ Prophetiæ dicat verbum Domini ad ipsum factum *in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ Regum Iuda, & in diebus Ieroboam Regis Israël*, cum hoc tempore regnasset in Iuda Ozias & in Israëlis Regno Ieroboam, ideo tunc, vel aliquot annos postea (quod magis credimus) prophetare incepisse prudenter creditur. Fuit autem filius Beeri, vt ipsemet ait, quem Hebræi etiam Prophetam credunt, ex sua illa incerta valde regula, quod quando pater Prophetæ exprimitur, eum etiam Prophetam fuisse sit existimandũ. Fuisse etiam Oseam Ierosolymitanũ, ex alia quoque Hebræorum regula traditur: aiunt enim quoties nomen vrbis Prophetæ non declaratur in Prophetia, Ierosolymitanum fuisse tenendum. Hanc tamen traditionem valde etiam incertam esse tenet Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap. 1. sect. 3.* Alij idcirco cum Sancto Epiphanio *in eius vita*, Dorotheo *in Synopsi*, & chronico Alexandrino patriam ipsius *Belemoth* in tribu Isachar appellant. Quidam etiam Hebræi apud Lyranum, & Montanum, putant illum de tribu Ruben fuisse. Quidquid de hac re fuerit, certum est rebus potius, quàm verbis prophetare cœpisse. Dei namque iussu, & reuelatione (ex quo sanè intelligitur eum primitus cœlibatui cum alijs filijs Prophetarum in aliquo ipsorum collegio vacasse) accepit vxorem Gomer. Eam verò vocat *Vxorem fornicationum*, vel quia Gentilis, & Idololatra erat, vt aliqui putant, vel quia meretrix fuerat, vt communius habetur. Ex ea autem accepit primò vnum filium, quem iussu etiam Domini vocauit Iezrahel, *quoniam* (inquit) *adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu*. Quasi volens domum Iehu punire, quòd non plenè euertisset domum Achab propter sanguinẽ Naboth Iezrahelitæ, iuxta verbum Eliæ *3. Reg. 21. vers. 21.* In quo etiam obiter notatur ex Eliæ filijs in Prophetico Ordine fuisse Oseam, quem pro ipsius verbo exactè adimplendo prophetare Deus voluit. Habuit etiam ex ea filiam, de qua ei dixit Dominus: *Voca nomen eius absque misericordia, quia non addam vltra misereri domui Israël.* Peperit quoque & alium filium, quẽ vocari etiam iussit: *Non populus meus, quia vos* (inquit) *non populus meus.* Quibus sanè denunciabatur Israëlitici populi repudiatio. Reliqua autem ipsius Prophetiæ capita de eadem populi desertione, peccatis, & criminibus, vocatione gentium ad fidem Christi, & de ipso Christo

Hebræorum traditio.

Incerta.

Oseæ Prophetia.

ven-

venturo prænunciant. Longæuum satis fuisse ex eo conijcitur, quod ad tempora Ezechiæ Regis peruenerit, qui circa ann. 3309. regnare cœpit. Sepultus est in patria sua, & eius festiuitas veluti sancti ponitur pro quarta die Iulij in Martyrologio Romano, Bedæ, Adonis, & Vsuardi.

3 De Ioele & alijs, præter Ionam, & Abdiam, de quibus in superioribus, sub annis sequentibus dicemus. De alijs Prophetis.

Annus mundi 3230. vsque ad 3232. ante Christum 823. vsque ad 821.

1 IS annis totus erat Ozias Rex Iuda in sui Regni ampliatione curanda, Deo præsertim adiuuante. *Fuit autem* (inquit Scriptura *2. Paralipom. 26. v. 11.*) *exercitus bellatorum eius, qui procedebant ad prælia sub manu Iehiel Scribæ, Maasiæque Doctoris, & sub manu Hananiæ, qui erat de Ducibus Regis*. Quæ verba cogunt nos, vt enucleemus, an iste Iehiel, & alij, qui Scribæ nuncupantur, ad Ordinem propheticum aliquo modo spectarent, esto iam *in Apparatu cap. 7. nu. 7.* id tactum sit. Est verò aduertendum hoc nomen *Scriba* in diuinis Literis aliquando sumi pro ministro Regis, Cancellario scilicet, vel Secretario. Sic enim *2. Reg. 8. v. 17.* vocatur Saraias Scriba Regis Dauid, quia scilicet (vt Lyranus ibidem habet) habebat officium scribendi gesta temporum, vel literas Regis, & *2. Reg. 20. v. 25.* Siua etiam appellatur Scriba eiusdem Dauid. Aliquando etiam sumitur pro sapiente, seu doctore, vt *primo Paralipom. 2. v. 55.* & *1. Machabæorum 7. v. 12. & 13.* & *1. Corinth. 1. v. 20.* illis verbis: *Vbi sapiens, vbi scriba? &c.* in quo posteriori sensu loquimur in præsenti. Oziæ gesta. Scriba quid sit.

2 Erant *Scribæ* apud Hebræos viri docti, atque sapientes in doctrina Legis, seu Doctores Legis, sic appellati apud eos, sicut sapientes apud Græcos Philosophi, & apud Chaldæos Magi. Vocabantur autem *Scribæ* à scripturis, quia in sacris Scripturis sapientes erant, vt habet Abulensis *Matth. 17. q. 130. & Matthæi 23. q. 12.* Vnde erant apud Hebræos idem quod Theologi apud Christianos, vt habet Torniellus *sub anno 2545. n. 13. & 2993. n. 1.* Quorum præcipuum munus videbatur esse Legem populo proponere, & explicare. Propterea enim Christus *Matth. 23. v. 2.* dixit: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis, facite*. Vocantur etiam Lectores Esdræ *3. cap. 9.* vt notat Gaspar Sanchez *in Esdra lib. 1. c. 7. n. 5.* Quamuis autem aliqui cum Genebrardo *in Chronolog.* Scribarum officium.

l. 2. sub anno 3638. (contra id tamen quod *sub anno* 2727. dicit) existimauerint eos incepisse à tempore Esdræ, immerito tamen id asseritur, etsi enim Esdras fuerit principalior inter Scribas sui temporis, & Institutum illorum forsan excitauerit, vt dicemus *sub anno* 3608. *n.*9. primus tamen omnino inter Scribas appellari non potest, cum constet ante ipsum fieri mentionem de illis 1. *Paralipom.* 2. *ver.* 55. vbi dicitur: *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Iabes, canentes, atque resonantes, & in tabernaculis habitantes*: & 1. *Reg.* 10. & 19. vbi Prophetæ appellantur *Scribæ* iuxta Chaldaicam paraphrasim, vt iam dicemus. Fabulantur Hebræi, videlicet R. Salomon, & Chaldæus *in Genes.* 49. ac Talmudici, dum dicunt *Scribas* ex Simeonis tribu fuisse. Constat enim, vt alios omittamus, Esdram Scribarum sui temporis Principem ex Leuitica Tribu descendisse, cum esset Sacerdos, Ex hac ergo Tribu, vel quod verius est, ex quacunque poterant esse, vt habet Serarius *in Triharesio lib.* 2. *c.* 7.

An pertineāt ad Ordinem Prophetarum

3 De his igitur Scribis loquendo dicendum est pertinuisse (eorum saltem plures) ad Ordinem Propheticum. Colligitur id manifestè ex Chaldaica paraphrasi 1. *Reg.* 10. *v.* 5. *et* 19. *v.* 20. etenim 1. *Reg.* 10. *v.* 5. illis verbis nostræ Vulgatæ Samuelis ad Saulem: *Obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso*, Chaldæus legit: *Offendes cœtum Scribarum descendentium de domo consessus*, & infra *v.* 10. dum Vulgatus dixit: *Ecce cuneus Prophetarum*, Chaldæus habet: *Ecce cœtus Scribarum*; & inferius *v.* 11. illis verbis: *Quòd esset cum Prophetis*, legit Chaldæus, *inter Scribas*. Adhuc inferius, vbi Vulgatus dicit: *Num Saul inter Prophetas?* Chaldæus, *num etiam Saul in Scribis*. Similiter 1. *Reg.* 19. *v.* 20. vbi Vulgata habet: *Cuneum Prophetarum, & Samuelem stantem*; idem Chaldæus legit: *Turmam Scribarum laudantium, et Samuelem stantem, & docentem*. Et infra *ver.* 24. dum dicitur: *Num Saul inter Prophetas?* legit ipse vt superius: *Num Saul in Scribis*. Idem cernitur 4. *Reg.* 23 & Ieremiæ 26. & 29. Cum ergo, iuxta dicta in superioribus, præsertim *in Apparatu c.* 2. 3. & 4. Prophetæ illi alumni essent Prophetici Ordinis à Samuele instituti, & ab Elia excitati, propagati, & restituti, manifestè sequitur etiam Scribas ad eundem Ordinem spectasse. Vnde Galatinus *lib.* 1. *de Arcanis c.* 1. eos vocat discipulos & successores Prophetarum: *Eorum* (inquit) *doctrina à Prophetis ipsis, quorum ipsi & discipuli et successores fuerunt, eis immediatè tradita fuerit*. Cum autem iuxta dicta *sub anno* 3132. *filij Prophetarum* idem fuerint ac *discipuli Prophetarum*, rectè infertur Scribas inter filios Prophetarum numerandos. Id secundò suadetur ex eo, quòd *sub anno* 3159. diximus, Rechabitas videlicet ad Ordinem etiam Pro-

Propheticum pertinere, ex hoc enim etiã elicitur idem dicendum de huiusmodi Scribis: ij enim ex Rechabitis erant, vt colligitur ex illo *1. Paralip. m. 2. v. 55.* vbi postquam dictum est: *Cognationes quoque Scribarum habitantium in labes, canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes*: immediatè subiungitur: *Hi sunt Cinei, qui venerunt de calore Patris domus Rechab*: quo manifestè filios Rechab; seu Rechabitas *Scribas* appellat. Quod etiam facit sanctus Hieronymus *in traditionibus Hebraicis*, & Genebrardus *in Chronolog. lib. 1. sub anno mundi* 3272. vbi loquens de Rechabitis inquit: *Vocantur Scribae, siue Doctores*; & *sub anno* 2727. inquiens: *Scribae siue Doctores de genere Cin, siue Iethronis soceri Moysis per Hanmath Rechabitarum patrem inhabitarunt Iabes*. Quo non solum Scribas ex Rechabitis fuisse demonstrat, sed etiam eosdem homines fuisse, ac per consequens simul incepisse (quod credimus) ostendit. Tertiò specialiter ex vtrorumque munere id colligitur. Sicut enim Prophetarum munus diximus sæpius fuisse docere populum Legem Dei, eamque explicare, & exponere, sic & Scribarum, iuxta dicta superius. Similiter sicut *in Apparatu c. 2. et* 3. etiam scripsimus Prophetas destinatos fuisse ad diuinas laudes canendas, sic & istos Scribas idem munus exercuisse, colligitur manifestè ex illis verbis *1. Paralipom. 2. ver. 55.* adductis, *Canentes, et resonantes*. Ex Chaldaica Paraphrasi illis verbis etiam relatis: *Turmam Scribarum laudantium*, & ex D. Hieronymo relato. Et quemadmodum *in dicto Apparatu c. 2. 3. &* 4. asseruimus Prophetas omnes ordinarios post Samuelem, & Eliam ad vnũ Ordinem Prophetarum spectasse, sic etiam idem dicere possumus de huiusmodi Scribis, quia, vt vidimus ex Genebrardo, sunt idem cum Rechabitis. De quorum auctore (melius propagatore) Ionadab loquens *sub dicto anno* 3272. inquit: *Auctor fuit Ordinis, siue Instituti Rechabitarum*. & infra: *Hoc Religiosorum virorum Institutum durauit, &c.* & hoc etiam insinuatur in Scriptura *1 Machab. 7. ver. 12. &* 13. vbi vocantur *congregatio Scribarum*, & ijdem cum Assidæis (vt notat ibi Serarius) quos etiam ad Propheticum Ordinem spectasse dicemus *sub anno* 3847. & sequi videtur Torniellus *sub anno* 3993. appellans eos, *Ordinem Scribarum*.

Rechabitæ Scribæ.

Ordinis Prophetici alumni.

4 Illud tamẽ animaduersione dignum est hoc Scribarum Institutum circa tempora Christi valde à primæua sui Institutione declinasse, ac propter commixtionem cum Pharisæis, ipsorum prauos mores ebibisse, vt propterea à Christo Domino sæpius, præsertim *Matthei 23.* fere per totum caput de varijs criminibus increpari meruissent; & ab Epiphanio *heres 15. &* 16. inter hæreticos recenseri. Eorum

rum autem corruptio, quantum ex D.Hieronymo *in cap.8.Isaiæ* colligi potest, à duobus, qui inter ipsos Magistri, & veluti Principes fuerunt, scilicet Sammai, & Hillel, sumpsisse videtur exordium.; *Sammai igitur* (inquit Hieronymus) *& Hillel non multo prius quam Dominus nasceretur, orti sunt in Iudæa, quorum prior Dissipator interpretatur, sequens Prophanus, eo quod per traditiones, & deuterosets suas legis præcepta dissipauerint, atque maculauerint.* Rectè ergo Laurentius Landtmeter *de vet. cleric. Monach. vit. & discipl. l.2. c.107.* dixit de Scribis: *Christo agente in carne iam degenerarant, abusi potestate sua ad superbiam.* Quæ ideo dicta sint, ne dum Scribas Ordinis Prophetici soboles prædicamus, aliquam notam eidem sanctissimo Instituto impingi credatur, ob corruptissimos mores eorum, qui Seruatoris nostri æuo Scribæ cognominantur.

Scribarum Corruptio.

5 Nihilominus, vt ad intentum, ex quo paulisper discessimus, redeamus, quamuis iste Iehiel, de quo supra, *Scriba* nuncupetur, quia non constat an talis dictus fuerit, quia minister Regis, Cancellarius videlicet, vel Secretarius fuerit, an quia ex prædictis sapientibus, & Doctoribus, ideo sub dubio relinquimus, an ad Ordinem Propheticum pertinuerit, doctiorum placita desiderantes.

Quid de Iehiele.

Annus mundi 3233. vsque ad 3235. ante Christum 820. vsque ad 818.

Niniue obsidio.

1 
RES hi anni celebres sunt obsidione Niniue, ipsius direptione, Sardanapali Regis morte, & Assyriorum Regni in varios Principatus scissione. Rem compēdio ex varijs historicis Diodoro Siculo, Strabone, Iustino, & alijs sic narramus. Arbaces quidam Medus Sardanapali copijs Præfectus, eiusdem corruptissimos animaduertens mores, & auguris cuiusdam Belesi nomine vaticinijs excitatus, cum ipso pactum inijt coniurationis, promissa illi Babyloniæ præfectura, si res ex animo contigisset. Arbaces ergo Medos, Persas, & Arabas, Belesus verò Babylonios contra Regem concitarūt, qui 400. millium exercitu Niniuem obsederunt. Triplici eos prius prælio fugasse Sardanapalus dicitur, sed tandem eis adiunctis copijs Bactrianorum ipsum inuadentes, intra ciuitatem colligi coegerunt. Ad biēnium obsidio protrahitur incredibili murorum firmitate, & necessariorum abundantia. Tertio tandem anno, cum Tygris fluuius vrbem circundans nimium excresceret, mœnia quateret, & murum ad stadia 20. deijceret, hostes ingrediuntur, ciuitatem diripiunt, &

(Rege

(Rege cum concubinis, & eunuchis in pyra, quam sibi præparauerat, cumbustis) Imperium diuidunt, Arbaci Mediam, Beleso Babylonem, & Niniuem omnino quassatam Phul Assyrio concedentes. Quia ergo Arbaces Medus inter eos auctoritate pollebat, ideo Assyriorum Monarchia (etsi reuera omnino non defecerit, vt constabit ex dicendis in sequentibus) ad Medos translata dicitur. De quo Eusebius *in Chronic.* Torniellus, & Salianus *sub his annis.* Capitur.

Annus mundi 3236. vsque ad 3244. ante Christum 817. vsque ad 809.

1 IX his annis pro historicis sterilibus aliqua ex Diuinis, vel humanis scripturis reperiuntur, non tamen incongruum erit in id tempus referre, quæ sacra Scriptura *Paralipom. 26. à v. 9.* de Oziæ Regis Iuda gestis domesticis post ipsius insignes victorias recensuit. Oziæ gesta. *Ædificauit* (inquit) *Ozias turres in Ierusalem super portam Anguli, & super portam Vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmauitque eas. Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora tam in campestribus, quam in eremi vastitate. Vineas quoque habuit, & vinitores in montibus, & in Carmelo, &c.*

2 Quis hic Carmelus fuerit, inuestigandum est, vt obiter etiam de Carmelo nostri Ordinis primario & natiuo loco, Eliæque, & successorum habitaculo aliquid dicamus, prout *sub anno 3127. nu. 10.* promisimus. Quis hic Carmelus. Est autem in sacris Literis prout ex S. Hieronymo *in c. 1. Amos*, & alijs Expositoribus habetur, Carmelus mons duplex, alter in Tribu Iuda ad Australem plagam in deserto Maon iuxta vrbem eiusdem nominis, à quo Nabal Abigailis maritus *1. Reg. 25.* nomen accepit: & vbi Saul *1. Reg. 15. v. 12.* post percussum Amalech *fornicem triumphalem sibi erexit.* Carmelus duplex. Alter in Regno Israëlis inter Phœnicem, & Palæstinam circa Mediterraneum mare, vt propterea *Carmelus maris Iosue 19. v. 26.* appellatur, ad Tribum Aser, vt colligitur ex hoc loco Iosue & Abulensi ibidem spectans, vel ad Isachar, vt Adricomius existimat, vel ad Zabulon, vt alij credunt, vel ad omnes hos Tribus secundum diuersas montis partes, vt habetur ex Iosepho *l. 5. antiquitat. cap. 1.* Ipsius descriptio. Quod rectè explicuit Vvolffangus Vveisemburgius *in descript. Terra sanctæ* de Carmelo dicens: *Versus ortum extensus cantum, vt campum magnum, quem Esdrelon vocant, ab vno latere claudat, ideoque à Iosepho Tribui Isachar adscriptus, finisque Zabulonitarum ad mare Galilaea, sicut Asseritarum ad mare magnum.* Adest illi ad maris

maris oram versus Aquilonem nobilissima quondam Ptolemaidis, siue Acconis Vrbs, quatuor milliaribus, seu potius leucis, vt alij volunt, ab ipsa distans, inter Aquilonem & Ortum Damascum respicit ad sexdecim leucas, Libanum ad triginta circiter. Ad Austrum verò in eadem maris ora Cæsaream vrbem habet sex leucis procul, & ab Orientali plaga sanctam Ciuitatem Ierosolymam trium dierum itinere, sicut & in prospectu Ciuitatem Nazareth tribus milliaribus, vt quidam autumant, melius quatuor leucis, valle *Carmelon* nuncupata interiecta. Montis figura triangularis ferme, angulo vno Nazareth, alijs duobus occiduum mare, & austrum respiciens 18. milliarium longitudine extensus. Habet hic mons plurimum saltus, eremi & solitudinis, & ad radices profluentem fluuium Belum appellatum, & versus Acconem tendentem. Fertilis valde est pascuis, herbis, fructibus, & oleis, arbustis, vineisque condensus, ita vt per illum, frugum vbertas, atque rerum abundantia quasi prouerbialiter significetur *Ierem. 2. v. 7.* illis verbis: ***Induxit vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius***; terrestrium, & altilium animalium copia abundans, & adeo aspectu visuque mirabilis, vt iure de cælesti Sponsa *Cantic. 7. v. 5.* dicatur: ***Caput tuum, vt Carmelus***, quod celebri hac Paraphrasi nec nostræ historiæ indigna sic exponit Chaldæus: ***Rex qui constitutus est super te in Principem iustus est, sicut Elias Propheta, qui zelo zelatus est pro Domino Cæli, & occidit, Prophetas falsos in monte Carmeli.***

Eliæ, & Elisæi habitaculum.

3 Ex hoc verò testimonio, quin ex communi etiam Patrum, historicorumque consensu habetur huncCarmeli montem eum fuisse, qui Eliæ præsentia nobilis, Elisæi, & discipulorum memoria insignis, miraculorum ab ipsis factorum testis, Propheticæque, ac Carmelitanæ Religionis patrium solum est, & de quo sæpius in nostris Annalibus sermo erit.

An is de quo in præsenti.

4 Eum autem non fuisse illum Carmelum, in quo Ozias, vt vidimus, vineas, & vinitores habuisse dicitur, ex eo certo roboratur, quod Carmelus Eliæ in Israëlis Regno erat; Ozias autem Rex Iuda non Israëlis erat. Quare solùm de Carmelo Nabalis, de quo superius, qui ad Iudæ Regnum spectabat, id potuit verificari; nec audiendus est Salianus, qui *sub anno* 3241. *n.* 4. solum appellatiuè hoc loco Carmeli nomen vsurpandum scripsit: esto enim aliquando ita accipiatur in sacra Scriptura, cum tamen in præsenti testimonio manifestè sermo sit de montibus, cum dicatur *in montibus et in Carmelo*, manifestè quoque colligitur sermonem fieri de Carmelo monte, & cum non fuerit Eliæ Carmelus, vtpotè in Regno Israëlis existens, proculdubio Nabalis

balis

balis Carmelus erat, qui in ditione, & Tribu Iuda censebatur.

5 Quamuis autem ea, quæ adduximus circa Sancti Montis, & confinium locorum descriptionem, conformia sint communiori forsan scriptorum opinioni; nihilominus quia nouissimè Religiosus quidam noster natione Gallus Sacræ Patrum Discalceatorum Italicæ Congregationis Alumnus Syriam nauigauit, partesque illas Carmeli proximas, Carmelumque ipsum diligenter perlustrauit, operæ pretium duximus delineationem, ac descriptionem ab ipso in lucem editam, & verbis ipsius hic apponere, vt ex collatione cum alia, quam nos adduximus, quid verius, aut saltem veritati conformius sit, prudens Lector coniectari valeat.

Noua descriptio, & delineatio Sancti Montis Carmeli, & confinium.

6 Sanctus Mons Carmeli est principium Terræ sanctæ à parte Septentrionali maritima, est diuisus in plures colles, & valles sibi inuicem cohærentes. Pars Orientalis, & Septentrionalis est eminentior, Meridionalis verò, & Occidentalis demissior. Habet circiter tredecim leucas in circuitu. Est quasi in insula; separatus est enim ab alijs montibus, est valdè amœnus, totus viridis, plenus in vertice arboribus, vt pinis, quercubus, ad radices verò oliuis, lauris &c. abundat aquis. In monte, seu ad radices sunt plus quàm 40. oppida maiora, & minora. Distat ab Ierusalem circiter 15. leucis, à mare Galilææ, & Iordane septem, à monte Thabor quatuor, à Nazareth duabus, totidem à Ptolemaida, & Cæsarea. Angulus Occidentalis, qui respicit Septentrionem, dicitur *Promontorium Carmeli*, est valdè eminens, & prominet mari, estque sanctior pars ipsius montis, quia fuit ibi habitatio S. P. Nostri Eliæ. Ibi præuidit B. Virginem sub typo Nubeculæ, ibi attraxit ignem de Cælo ad comburendos duos quinquagenarios, & alia mirabilia operatus est. Ibi est eius cauerna longa circiter viginti passus, lata, & alta decem, quæ est maximæ deuotionis tum apud Christianos, tum Iudæos, tum Turcas; dicitur *el Kader*, & habitatur à Mahumetanis solitarijs. Intus ad læuam ingredientium est alia cauerna sex passus longa, & lata, ibi traditur fuisse multoties B. Virginem, & fuit cella S. P. N. Eliæ (nam in maiori congregabantur filij Prophetarum tanquam in Oratorio.) In hac cauerna est altare cum imagine B. V. Mariæ de Monte Carmelo cum lampade ardente, & est iurisdictionis Carmelitarum Discalceatorum. In summitate Promontorij sunt rui-

næ

næ Conuentus in tempore,quo S. Ludouicus attulit in Europam nostros Patres, vocatur ab incolis Turcis *S. Elias*. Adhuc extant aulæ, & cellæ integræ ex lapide quadrato. Retro ad Orientem est ædicula prima in toto Orbe ædificata in honorem B. V. Mariæ distans circiter ducentos passus à dicto Conuentu. Est figuræ quadrangularis perfectæ, fuit cooperta fornice innixa super quatuor arcus, quorum duo adhuc extant, subtus est cisterna. A parte eius Orientali est parua cauerna subterranea, in qua dicitur delituisse S. P. N. Elias, in qua PP. Carmelitæ Discalceati erexerunt Altare, ibique aliquando celebrant.

Alia quæ videntur in Carmelo, & prope.

7 Locus Sacrificij (vulgò dictus *Korban S. P. N. Eliæ*) coram Rege Achab, & toto populo, est maximæ venerationis apud Iudæos. Ibi adhuc visuntur 12. magni lapides in memoriam illorum, quos posuit S. P. N. Elias. Oppidum *Effra*. Oppidum *Nauabi*, vbi cernuntur habitationes Religiosorum. *Damon* magna ciuitas destructa. *Turtura* olim portus. Fons magnus, cuius aquæ per arcus pontis diuisæ sufficiant ad decem rotas molendini. Præter dicta oppida sunt alia supra montem, scilicet *Currituria*, *Dubel*, *Aain Gaal*, *Aain Hud*, duo alia destructa *Karaq*, *Monsura* prope fontem *Moenta*. Ad radices verò sunt plurima incipiendo à promontorio versus Nazareth, sic se consequuntur: *Casser*, *Saudi*, *Nasens*, *Beluderq*, *Iaiour*, *Nauassi*, *Naciumatia*, *Sceloq*, *Karcubi*, *Eliaiut*, *Saude*, *Telamon*, & prope *Schif* est alia maxima cauerna penetrans vnum collem, intra quam sunt aliæ cauernæ minores sufficientes pro centum Religiosis. Rusonia, & Lubri oppida. Celeberrimus fons S. P. N. Eliæ erumpens à monte in quadam valle peramœna à parte dextra, nunc duplici canali, olim multiplici, vt apparet, eius aquæ crystallinæ, ac dulcissimæ ad magnitudinem brachij exilientes ad sex passus in concham in ipso monte excisam recipiuntur; vnde iterum effluentes plurimam vallis partem percurrunt, plures arbores, & herbas irrigantes. Ruinæ Conuentus S. Brocardi. Ex alia parte vallis ad ducentos circiter passus supra fontem adhuc est ibi aula integra, Conuentus fuit valde magnus, nam ruinæ sunt diffusę ad centum quinquaginta passus longitudinis, non fuit valde latus, quia erat in decliui montis, in cuius summitate est campus plenus peponibus lapideis, qui miraculo S. Eliæ adscribuntur ex traditione, facto ob derisionem rustici S. Prophetæ peponem petente, respondentis

tis

tis se non habere nisi lapides. E regione Conuentus est stabulum excisum in ipso monte, vbi sunt etiam excisa præsepia pro duodecim animalibus, supra est alia cauerna ad fœnum & paleas. Est memorabilis locus, quem hactenus naturales vocant *Schifel Durehan*, idest *Cauerna Religiosorum*. Distat circiter quatuor milliarijs à fonte S. Eliæ, continet vallem multum diffusam, cui ex vtraque parte excelsæ prominent rupes quadringentis ferè perforatæ cauernis, vbi lecti & fenestræ excisæ in rupe, vbi fontes guttis iugiter manantibus pleni, licet in S Monte plusquam mille sint cauernæ habitatæ à SS. Religiosis olim, nullibi tamen tot vnitæ videntur. Oppidum nomine *Iyr*: castrum peregrinorum, vbi est portus, ad quem veniebant peregrini, qui tendebant Ierusalem. Oppidum *Bortan*, in quo est magna copia aquarum. Oppidum *Dali*: inter hoc oppidum & *Bustam* credunt esse saltum Carmeli, nam est locus pluribus irriguis fontibus, nemoribusque plenus, vbi sunt 24. cauernæ ita dispositæ, vt Ecclesiæ appareant, nam ex vtroque latere duæ sunt quasi Capellæ collaterales, & alia quasi maior Capella.

8 Hæc ex præfato Religioso accepimus, vtilia sanè pro dictis, & dicendis in his Annalibus.

Annus mundi 3245. vsque ad 3247. ante Christum 808. vsque ad 806.

1 HESIODI antiquissimi Græcorum Poetæ ætas his annis fuisse videtur, prout ex Eusebio, & alijs affert Salianus *sub hoc anno*. Clarissimi huius hominis opinionis celsitudo fecit, vt alij ab Atlante descendisse crederent, alij eius cadauer in mare proiectum à delphinorum grege exceptum fuisse dixerint, alij verò propter eius honestum funus hominum, & bestiarum pestilentiam ex Oraculi responso cessaturam autumauerint. De his Pausanias, Suidas, & Plutarchus. Hesiodi ætas.

2 Clarior, vtpotè Dei seruus, & sanctus, erat sub hoc tempore Ioel Propheta, quem sub Regibus Ozia & Ieroboamo prophetasse communior astruit opinio. Filius erat Phatuel, vt ipse in principio suæ Prophetiæ *c. 1.* testatur, & de Tribu Ruben, vt S. Hieronym. *in principio Ioëlis*, & post eum alij affirmant. Ipsius scopus is præcipuus videtur, vt plagas Dei populo venturas prænunciet, illis præsertim verbis: *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Quæ sic aliqui exponunt, vt per *erucam* Assyrij, per *locustam* Medi, per *bruchum* Græci, & per *rubigi-* Ioel Propheta.

biginem Romani intelligantur. Ad pœnitentiam propterea omnes excitat, conuersis magnam felicitatem pollicetur, qualis futura esset die Pentecostes in aduentu Spiritus sancti super credentes, ac omnibus iudicium vniuersale in valle Iosaphat comminatur. Ad Ordinem Propheticum spectasse, ea quæ *in Apparatu cap. 2. & sub anno* 2184. diximus, abundè suadent, & colligitur ex Sigonio *de Republ. Hebræor. lib. 5. cap. 9.* vbi inter Prophetarum alumnos ipsum recensere videtur; eius festum in Martyrologio Romano die 13. Iulij recensetur. Vbi Baronius de ipso nonnulla ex Epiphanio, Hieronymo, & Dorotheo.

Ordinis Prophetici.

Anni mundi 3248. & 3249. ante Christum 805. & 804.

Amos Propheta.

1 IS duobus annis ante celebrem illum terræmotum, qui *sub anno* 3250. contigit, Amos Propheta initium suæ Prophetiæ dedit, vt ipse testatur *c. 1. in principio.* Distinguitur autem hic Amos ab illo Isaiæ patre, de quo *sub ann.* 3197. diximus, ita vt mirũ sit oppositum asseruisse S. Epiphanium *in vita ipsius.* Nomine enim, & etymologia nominis diuersi sunt, vt plures notant; genere etiam, cum ille nobilis valde fuerit, & de sanguine Regio, prout Hebræi tradunt, hic autem humilis pastor in Thecue, armentarius, & vellicans sycomoros, vt ipse de se affirmat. Cum autem *c. 7. v.* 14. dixerit ad Amasiam Sacerdotem: *Non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ, sed armentarius, &c.* colligitur ex filijs Prophetarum non fuisse, nec in aliquo Prophetarum Collegio vitam egisse, ac perinde ad Ordinem Propheticum nullo modo spectasse. Quo enim alio sensu congruentius dicere potuit: *Non sum Propheta*, nisi isto? Si enim dicere voluisset: *Non sum Propheta*, idest non habeo spiritum futura prædicendi, falsum dixisset, & contra id quod actu agebat, & propter quod ab Amasia carpebatur. Si autem (vt alij putant) significare vellet se in eo instanti Prophetæ officium non exercere, nec futura præuidere, falsum quoque assereret, cum tunc temporis contra eundem Amasiam, cum quo loquebatur, quæ illi euentura erant, propheticè pronunciauerit. Pari etiam ratione dicere poterat, nec *sum armentarius*, siquidem actualiter armẽtarij officium tunc non exercebat, cum tamen oppositum affirmauerit, dicens: *Sed armentarius, &c.* si autem voluisset dicere: *Non sum Propheta*, idest, ex falsis Prophetis, hoc sanè responso non satisfaceret Amasiæ, qui eum pro Propheta vero æstimare videtur

Non spectat ad Ordinem Propheticum.

vide-

videbatur: alioquin non scripsisset de eo tanquam de re magni momenti ad Regem, prout scripserat *v. 10.* dicens: *Rebellauit contra te Amos in medio domus Israël, non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius. Hac enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam, & Israël captiuus migrabit de terra sua.* Nec tam Seriò & mansuetè ipsum admonuisset dicens: *Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi, & in Bethel non adijcies vltra, vt prophetes, quia sanctificatio Regis est, & domus Regni est.* Falsi enim Prophetæ in ludibrio omnibus erant, vt fatui, & insani habebantur, nec verbis, sed verberibus contra ipsos procedebat populus. Restat ergo eo solùm sensu affirmasse Amos se non esse Prophetam, nec Prophetæ filium, quia ex Ordine Prophetarum non erat, nec habitu prophetico indueretur, nec in Prophetarum Collegijs, vt alij, educatus esset, sed humilis solum pastor à Deo, qui *ludens in orbe terrarum,* vbi vult spirat suam gratiam, extraordinariè ad donum prophetiæ sublimatus. Tradit hanc expositionem Franciscus de sancta Maria *in histor. prophetica lib. 1. c. 21.* cui fauent ea, quæ adduximus *in Apparatu cap. 2. n. 30.* vbi consultò diximus ad Ordinem Propheticum *regulariter* spectasse *ferme* omnes Prophetas, verbo namque *regulariter*, & *ferme* denotamus extraordinarios aliquos Prophetas huius Ordinis alumnos non fuisse. Vnde Genebrardus *lib. 1. Chronolog. in seculo Samuelis* expresè ait hunc Amos non fuisse ex Instituto Prophetarum, sed extraordinariè à Deo ad munus Prophetiæ vocatum.

2 Ex quibus non solùm habetur hunc Amos Prophetam ad seriem Prophetici Ordinis non pertinere, sed econtra omnes alios, qui simpliciter *Prophetæ* post Samuelem, & Eliam dicebantur, ideo tales dici, quia præfati Prophetici Ordinis alumni erant, vt diximus sæpius. Finem nihilominus huius sancti Prophetæ, quia de eo cœpimus dicere, silentio inuoluere non decet. Postquam ergo Amasias Sacerdos, de quo diximus, eum flagellis cedi iussit, ab ipsius filio Ozia vecte per tempora transfixus, & semiuiuus in patriam delatus, sancto fine quieuit, sepultus cum Patribus suis. Ita enim habet Martyrologium Romanum *die 31. Martij.* ex S. Epiphanio Hieronymo, Isidoro, & Dorotheo id accipiens, & corrigens, quod in Isidoro per errorem intrusum erat; hunc scilicet Amasiam Regem fuisse, cum reuera non nisi Sacerdos esset.

Quid de alijs dicendum.

Amos mors

Annus mundi 3250. ante Christum 803.

Terræmotus ingens. 1 Nsignis valde hic annus fuit ob magnum terræmotum, qui eo tempore in Iudæorum Regno contigit, de quo Amos 1. & Zachariæ 14. mentio facta reperitur. Quem hoc anno, qui erat 25. Oziæ Regis Iuda, accidisse tradunt D. Hieronymus, & Procopius, secuti Hebræos in *Isaia* 7. quos sequuntur Torniellus, & Salianus post alios. Adeo ingens dicitur fuisse, teste Iosepho *lib.* 9. *c.* 11. vt terra concuteretur, fissoque supernè Templo, radius solis os Regis feriret, dimidium etiam montis ad Occidentē vergentis reuulsum, & per quatuor stadia volutum, obiectu Orientalis montis consisteret, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis Regijs. Portentosus hic terręmotus procul dubio grādiora mala illi populo imminentia intestinę discordiæ, captiuitatis, & deuastationis prænūciabat. Solet enim Deus his naturalibus prodigijs suæ vindictæ flagella proximè futura hominibus denunciare, vnde occasione illius Prophetici Ordinis alumnos, Rechabitas videlicet, & alios in Carmelo & Iudæę Collegijs commorantes ad prædicandum populo pœnitentiam excitatos fuisse non est ambigendum.

Annus mundi 3251. vsque ad 3259. ante Christum 802. vsque ad 894.

Mors Ieroboami. 1 IS annis pauca historiæ digna in Israëlis Regno contigere, præter mortem Ieroboami, qui primo, & quadragesimo anno sui Imperij huic anno mundi 3251. correspondente vitam finijt. Post cuius obitum interregnum fuit in Israële vndecim annorum ob intestinas Israëlitarum discordias. Salianus *sub anno* 3252. *n.* 1. Hac enim pœna dignum æstimauit Deus populum ingratum ab ipso, eiusque sanctissimis legibus iniquè discordantem.

Isaias Propheta. 2 In Iudæ autem Regno suscitauit Deus sub hoc tempore post Ieroboami Regis Israëlis mortem plurimis titulis clarissimū Isaiam Prophetam. Fuit hic sanctus Dei Propheta ex Tribu Iuda, filius Amos, non quidem illius ex armentario Prophetæ, de quo *sub anno* 3248. diximus, sed alterius Amos Prophetæ etiam, de quo *sub annis* 3197. *&* 3208. dictum manet. Genere quoque nobilissimus creditur, cum Amos parens ipsius frater Amasiæ Iudæ Regis, & patruus

truus Oziæ hoc tempore regnantis ab Hebræis, & alijs censeatur, vt ibidem diximus. Patria fuit Ierosolymitanus, vt S. Epiphanius *in libro de vitis Prophetar.* & alij affirmant. Quod etiam ipse affirmare visus est, cum *cap. 2. v. 3.* ait: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Ex hoc enim loco Hebræorum traditio (quam & approbat Vatablus *in cap. 1. Oseæ*) deprompta est, asserens Prophetas omnes, quorum patria non describitur, Ierosolymitanos fuisse. Quod etsi in alijs deficiat, vt probat Ægidius Camartus *de rebus Eliæ cap. 1. sect. 3.* in Isaia tamen, nullo, quem viderimus, discrepante, verum tenet. Omnes alios Prophetas in eo excedit, quòd ita Christi, & Euangelicæ Legis mysteria clarè, & enucleatè prosequatur, vt teste Hieron. *in Præfat. in Isaiam*) *non tam Propheta dicendus sit, quam Euãgelista.* Et infra: *Vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere.* Quod & approbat S. Augustinus 18. *de Ciuitate Dei c. 29.* & ipsis oculis cernent legentes singula fermè eius prophetiæ capita, specialiter *cap. 7. 9. 11. 34. 35. 53. &* 60. Patria fuit Ierosolymitanus.

3 Ad Ordinem Propheticum à Samuele inchoatum, & ab Elia excitatum spectare aliquo modo celeberrimum hunc Dei Prophetam Isaiam, præter allata *in Apparatu cap. 2. & sub anno* 3184. confirmat vestis ipsius quotidiana, quæ fuit *tunica cilicina*, vt Sanctus Isidorus *in eius vita* describit, qualem etiam Prophetarum habitum fuisse diximus *sub anno* 3183. *n. 4. &* 5. Confirmat etiam locus ille *ad Hebr.* 11. adductus, vbi in serie & ordine Prophetarum sub Samuele eorum Principe militantium etiam Isaias recensetur illis verbis, *secti sunt v.* 37. Fauet quoque ipsemet *cap. 56. v. 4. &* 5. eiusdem Ordinis alumnos, eos videlicet, qui castitatem ex aliquali voto obseruabant (quos Eunuchos appellat) valde commendans, præmijsque, & honoribus à Deo decorandos demonstrans, prout circa ann 3341. expendemus. Vnde Bouldacus *in lib. de Eccles. post Legem cap. 14. §. Patet etiam*, eum ex Enoscæorum Instituto fuisse scribit. Sigonius etiam *de Republ. Hebræor. l. 5. cap. 9.* Collegij Prophetarum alumnis eum annumerare videtur. Propterea ergo ipsius principaliora gesta nostris Annalibus extranea non erunt. An Ordinis Prophetici alumnus.

Anni mundi 3260. 3261. & 3262. ante Christum 793. 792. & 791.

Isaiæ Prophetia. 1  IS annis, qui ferme vltimi erant Regni Oziæ Regis Iudæ, creditur Isaias prophetasse, quę in primis quinque capitulis suæ prophetiæ continentur, nimirum multa de Iudæorum, ac Synagogæ exterminio; de Gentilium vocatione ad Christi fidem, sanctæque Ecclesiæ exortu, ac mirabili incremento. Ita enim colligitur ex D. Hieronymo *in cap. 14. Isaiæ*, Hectore Pinto *in principio cap. 7. Isaiæ*, & alijs. Et sanè cum illa, quæ *cap. 6.* vt constat ex eius initio, post mortem Oziæ ipse prædicauerit, manifestum videtur, ne sine causa historiæ Ordinem peruertamus, vt quæ in præcedentibus quinque capitibus enunciauit, ad Oziæ vitam pertinere dicantur. Quia verò *c. 1. v. 10.* appellat Hebræos *Principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ*; idcirco, referente S Hieronymo *in traditionibus Hebraic. & in cap. 1. Isaiæ*, asserunt ipsi occisum esse. Sed cum mors eius non contigerit, nisi ferme post octoginta annos, vt suo loco videbitur, quo tempore vix aliqui eorum, qui nunc viuebant, superstites esse possent, ideo parum probabilis hæc causa mortis inuenitur, nisi forsan velimus hæc verba illis, qui eo tempore in Iuda erant, accõmodari posse, & illis etiam prænunciata. Ex eo etiam quòd *cap. 3. v. 2.* eisdem comminatus fuerit Deum ablaturum ab eis *Iudicem et Prophetam*, quod Chaldæus vertit, *Iudicem & Scribam*, clariùs ostenditur id quod superiùs, *sub anno videlicet* 3230. diximus, Ordinem nempe Prophetarum & Scribarum eundem esse.

Causa mortis ipsius.

Annus mundi 3263. vsque ad 3273. ante Christum 790. vsque ad 780.

Regni Israëlis mutationes. 1  IX alia hoc decennio ex sacra Scriptura narranda habemus, præter Regum Israëlis varias mutationes, & ad impletionem Vaticinij Prophetarum nostri Prophetici Ordinis, Elisæi videlicet, vel Ionæ, vel forsan vtriusque, de quo *sub anno* 3152. diximus: quæ sic contigerunt. Cum post mortem Ieroboami Regis Israël, ob populi discordiam vndecim annorum interregnum fuisset, factus tandem Rex est in demortui patris locum Zacharias filius eius, non tam proprijs meritis, quàm propter diuinam promissionem à Deo per Eli-

Elisæum Prophetam, vt aliqui putant, vel per Ionam, vt alij dixerunt, vel per vtrumque, iuxta dicta *sub anno* præfato, Iehu Regi Israël factam in mercedem exterminationis domus Achab. Prædictum namque illi erat filios eius vsque ad quartam generationẽ super thronum Israël regnaturos, quod fidelissimè adimpletum constat. Post ipsius namque mortem regnauit Ioachaz, post Ioachaz Ioas, post Ioas Ieroboam, & post illum iste Zacharias. Quia tamen iniquè se gessit in Regno, vtpote *qui fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerunt patres eius*, sacra Pagina testante, ideo permisit Deus contra ipsum coniurari post sex menses Sellum quemdam potentem virum filium Iabes, qui eum palam interfecit, & regnauit pro eo. Hũc finem habuit familia Iehu, quæ centum, & duobus, vel tribus annis regnauit in Israël, ob ea quæ diximus. Quia tamen ipsa Dominum dereliquit, nec abstulit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & Dan, quos Ieroboam primus constituerat, ideo exterminata est, & à Regno deiecta iuxta verbum Domini per Oseam *cap. 1. v. 4.* vbi se promisit visitaturum *sanguinem Iezrael super domum Iehu*. Rex etiam seu potius Tyrannus Sellus breui tempore felicitate potitus est, à Manahen namque filio Gaddi de Thersa percussus eodem anno, & occisus, vitam & Regnum simul amisit. Manahen verò, quia malum quoque in conspectu Domini egit, nec recessit à peccatis Ieroboam, ea pœna à Deo puniri meruit, vt Phul Assyriorum Regi tributa magna soluere cogeretur. Sacra Scriptura *4. Reg. 15.* Iosephus *de antiquit. lib. 9. cap. 11.* Torniellus, & Salianus *sub his annis*. Expendat pius Lector in his Israëlis Regum varijs casibus, qualiter Deus in peccata Principum animaduertat, & quòd si sæpiùs vnum pro alio puniendo suæ Iustitiæ executorem facit, contra eum postea gladium sui furoris conuertit, nullum impunè abire permittens.

Finis familiæ Iehu.

Regum peccata valde puniuntur.

Annus mundi 3274. vsque ad 3277. ante Christum 779. vsque ad 776.

1 RÆSENTES anni quibusdam casibus, qui eo tempore contigerunt, solemnes inter historicos sunt. Solemnissimus eorum ille fuit de lepra à Deo miraculosè Oziæ Regi Iuda immissa, quem aliqui in hunc annum 3274. referendum censent. Accidit ergo quod occasione solemnitatis generalis, quæ Ierosolymis erat, vel natiuitatis, aut circumcisionis, seu oblationis in templo Achaz recens nati filij Ioachami, & nepotis Oziæ, voluerit ipse Ozias in solemniori

Oziæ lepra.

niori sacrificio adolere incensum in altari aureo Thymiamatis, quod intra Templum erat intra Sancta Sanctorum. *Ingressusque* (inquit Scriptura) *Templum Domini adolere voluit incensum super altare Thymiamatis*. Quæ verò egerint Azarias summus Sacerdos (qui etiam Ioel appellatur) alijque Sacerdotes, & quomodo à Deo lepra percussus fuerit Rex, ex huiusmodi sacræ Paginæ verbis 2.*Paralipom.* 26. elicere possumus: *Statimque ingressus est post eum Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium, egredere de sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusque Ozias tenens in manibus thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini super altare Thymiamatis. Cumque respexisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, et festinato expulerunt eum, sed & ipse perterritus accelerauit egredi, eo quòd sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini*. Ecce, religiose Lector, quanto supplicio Deus huius Regis temeritatem comprimit, vt exemplum Principibus seculi fieret, ne se in Ecclesiasticorum iura deinde intromittere auderent. Qui enim Sacerdotale munus inuaserat, Regia dignitate priuatur: qui Sacerdotum correptionem contempserat, Dei manu flagellatur; & qui in locum sanctum temerè ingredi præsumpserat, nec in communi, & prophano hominum habitaculo manere permittitur.

Quare ei inflicta à Deo.

In Principū exemplum.

Quid tunc Isaias.

2 Quid autem ea occasione Isaias Ierosolymis, & in Templo proculdubio præsens egerit, etsi Scriptura non exprimat, ex eodem met Propheta *cap.* 6. *v.* 4. non obscurè elicitur: *Væ mihi*, inquit, *quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum*. Tacuit ergo Isaias, nec sine culpa, Eliæ exemplum, qui liberrimè Reges arguebat, in hoc non secutus, vt propterea, eodem ibidem attestante, à Seraphino calculo, quem forcipe tulerat de altari, tangi indiguerit, & à peccato mundari. De quo egregiè S. Hieronymus Epistola 142. *ad Damasum, et in comment. in Isaiam* sic: *Quantum ego arbitror, Isaias, quia Oziam in Templum irreuerentem non corripuerat, nec iuxta Eliæ exemplum libera voce impium designarat, labia habebat immunda*.

Chrysostomi sententia.

3 Astruunt præterea Chrysost. *hom.* 5. *in cap.* 6. *Isai.* & Procopius *ibid.* ex eo quòd populus Oziam non à ciuitate expulisset, priuatum fuisse à Deo Prophetarum visionibus. Sed quo sensu hæc dicta sint,

nec

nec diuinare possumus, cum constet Isaiam, & alios Prophetas posteriores diuinis visionibus post hæc illuminatos fuisse, nec Ordinis Prophetici alumnos vnquam defuisse. Constat etiam ex Chaldæo & Iosepho *lib. 9. c. 11.* Oziam post hunc casum extra vrbem in domo separata vitæ suæ periodum consummasse.

4 Eodem etiam anno, quo mortuus est Rex Ozias, qui secundum Hieronymum *in 2. Paralipom. 6.* correspondet illi, quo lepra percussus est, & secundum alios anno 2277. celeberrimam illam visionem habuit Isaias Propheta, quam ipse *cap. 6.* suæ prophetiæ refert, in qua mysterium altissimæ Trinitatis adumbratur, & in cuius expositione vtiliter, & subtiliter SS. Patres, & Doctores mira dicunt. Isaiæ visio.

Annus mundi 3278. ante Christum 775.

1 VAMVIS hic annus nihil de nostri Prophetici Ordinis cultoribus afferat, omittendus tamen nobis non fuit, quòd ipse celeberrimus, & dignus valde memoria sit ob Olympiades (temporum notam accuratissimam, & certissimam) quæ eo anno inchoatæ in Græcia creduntur: quarum historiam sic breuiter narramus. Fuit olim apud Græcos in occidentali Peloponnesi Regio quædam *Elea* nominata, ab occidenti habens Zacinthum nobilem insulam. Erat in ea Ciuitas *Olympia* nomine prope Alpheum flumen, & Templum quoddam Iouis celeberrimum, quod propterea Iouis Olympij nuncupabatur. Hoc ergo loco in Iouis Olympij honorem instituta quondam fuerunt primitus ab Hercule quædam diuersi generis certamina, seu ludorum gymnicorum genera quarto quoque anno exacto totius Græciæ concursu celebranda: aliquoties postea intermissa, & à pluribus renouata, tandem sub hoc anno ab Eleorum Rege nomine Iphito adeo firmiter, solemniterque restituta fuere, & deinde ab ipso, posterisque continuata, vt exinde Olympiades appellari, & per easdem tempora metiri homines cœperint. Cum enim qui in huiuscemodi ludis, vel certaminibus victores euaserant, valde in populis commendari, ac honorari soliti essent, cœperunt quoque historiarum Scriptores ipsos in suis commētarijs referre, Olympiades numerare, annos ipsarum diuidere, & omnes orbis casus per ipsas computare, dicendo videlicet, Olympiade prima, decima, vel vigesima, & anno primo, secundo, tertio, aut quarto talis Olympiadis, hoc, vel illud actum est. Quia ergo pro Sacræ, & prophanæ historiæ intelligentia valde iuuat harum Olympiadum computatio, non de- Olympiadum exordia.

debuit a nobis silentio sepeliri. De ea re Onuphr. Panuin. auctor diligentissimus *in commentar. sup. 1. lib. fastor.* Tornielius *sub hoc anno*, & alij.

Annus mundi 3279. ante Christum 774.

Infaustus annus Israelitis.

1 NFAVSTVS valde, & luctuosus hic annus Israelis populo fuit. Cùm enim ipsius Reges in commune illud barathrum miseriæ, quod S. Scriptura solemni carmine vocat *facere malum coram Domino*, & non recedere *a peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Israel*, in vitulis aureis videlicet, incidissent, ijsque annis in deterius tenderet, mortuo namque Manahem, de quo sub anno 3263. diximus, succedenteque Phacea filio Romeliæ; is non minus impius quàm iniustus (vt Iosephus testatur) regni gubernacula teneret, Deus iustissimus seriò iam tam diuturnam Regum, & populi impietatem vlcisci volens, *suscitauit* (inquit Scriptura 1. *Paralipom.* 5. *v.* 26.) *spiritum Phul Regis Assyriorum, & spiritum Theglatphalasar Regis Assur, & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse; & adduxit eos in Labela, & in Habor, & Hara, & fluuium Gozam*. Id etiam sic narratur 4. *Reg.* 15. *v.* 29. *In diebus Phacæ Regis Israel venit Teglatphalasar Rex Assur, & cepit Aion, & Abel domum, Mahaca, & Ianoe, & Cedes, & Assor, & Galaad, & Galilaam, & vniuersam terram Nephtalim, & transtulit eos in Assyrios*. De qua clade Iosephus *lib.* 9. *c.* 11. D. Hieronymus *in c.* 1. *Oseæ*, & alij.

Captiuitas illius populi.

Quid de Collegijs Prophetarum.

2 Ex quibus (quod ad nostram principaliùs attinet historiam) elici potest communem hanc Israelitici populi miseriam, Ordinis etiam Prophetici alumnos tetigisse, ita vt eorum Collegia, quæ in Galaatide Regione Ruben, Gad, Nephtalim, & dimidia tribu Manasse sita erant, ab huiusmodi Assyriorum exercitibus omnino euersa essent, & eorum coloni Prophetæ cum alijs Israelitis in Regiones Ethnicorum translati. Nec credi difficile est in harum tribuum partibus aliquot ex prædictis Collegijs fuisse, si memoria repetantur dicta *sub anno* 3154. idque maximè verum esse videtur de Collegio illo Prophetarum, quod fuisse in Galaad, & in quo Eliam vitam propheticam professum fuisse ibidem diximus. Si ergo vt ex locis sacræ Scripturæ allatis habetur, Terræ Ruben, Gad, Manasse, Nephtalim, & Galaad habitatores captiui ad Assyriorum Regiones ducti sunt, sanè idem affirmandum credetur de Prophetis in Collegijs harum Prouinciarum commorantibus. Verumtamen cum Ioannes Ierosolymi-

lymitanus *lib. de instit. Monachor. cap. 26.* & nostri Historici, quos de exteris sequuntur Aubertus Miræus Bruxellensis *in tract. de orig. Carmelit.* & Aegidius Camartus *de rebus gestis Eliæ c. 5. sect.* 10. affirment Eliæ successores præseruatos esse a captiuitatibus, quas Deus Iudæorum populo miserat, eo quod Dei regnum ex totis præcordijs quærerent, humanaque consortia, & turbarum tumultus vitarent, ideo probabile fanè, & credibile est, eos vel saltem illorum plures speciali Dei prouidentia ab hac captiuitatis miseria exemptos fuisse iuxta dicenda sub annis 3314. & 3447. Verum quidem est Ioánem solùm videri locutum de habitatoribus Carmeli, sed quia quæ ibi affert, ad aliorum locorum incolas non incongruè referri possunt, & ita eum intellexisse videantur Camartus, & Miræus adducti, ideo diximus probabile id esse, & credibile, cùm tamen de ijs, qui Carmelum incolebant, certò credamus nihil tunc passos fuisse, Barbarorum namque gladius ad eorum partes, & tribum, vbi hic mons situs est, non peruenit.

3 Auberti porro verba, quibus tam ea, quæ in præsenti anno 3279. diximus, quàm quæ dicemus sub annis 3314. & 3447. & alia in sequentibus inculcanda mirificè comprobantur, hæc sunt: *Illi verò Prophetarum filij, Essenique Palæstinam incolentes (quemadmodum & Esseni postea in Aegyptum traducti) miris exemplis cœptam institutionem vsque ad Virginis partum produxerunt. Neque enim Chaldæorum, aut aliorum hostium feritas, quæ vindictam, spoliaque sitiebat, in homines innoxios, & nihil mortale curantes deseuijt, Deo sic agente, vt tanti Vatis eruditio ad eum, cuius typum prætulit, illæsa pertingeret.* Aubertus.

Annus mundi 3280. vsque ad 3289. ante Christum 773. vsque ad 764.

1 E his annis id vnum præcipuè prophanæ historiæ loquuntur, ortū videlicet Romuli, & Remi fratrū Romanæ maiestatis primorū parentū, quem sic breuiter describimus: Amulius Latinorū Rex post mortē Numitoris filij germani sui Numitoris, a quo sibi timebat, etiam Rheā Siluiā neptem ex eodē Numitore veluti ciuili morte interimere volens Vestæ sacerdotissā consecrauit, vt perpetuæ castitatis voto prolis habendæ impotem redderet, sed illa a Numine (vt fingebatur) grauida effecta, & geminā prolem enixa, vt mortis rea ob violatam pudicitiā a iudicibus ad mortem damnata est, & proles, vt in fluuiū abijceretur. Amulij tamen filiæ precibus, vt quidā afferunt, Romuli, & Remi ortus.

Rhea

Rhea post liberata est, & infantes, etsi in flumen proiecti, ac in cœno volutati, ad ripam casu expositi a lupa superueniente, vel fœmina Lupa cognominata educati mortem euaserunt, Deo sic prouidente, vt Romani populi primi conditores essent. Titus Liuius, Dionysius Halicarnasseus, & alij antiquitatis Romanæ scriptores.

Michæas Morasthites.

2 Circa idem tempus Michæas Morasthites inter minores Prophetas sextus numero relatus prophetare cœpit. Constat enim ex ipsius prophetia c. 1. cum sub Ioathan Rege Iuda, qui hoc tempore post Oziæ lepram Regni clauum tenuerat, suum munus inchoasse, ex quo etiam liquidò monstratur hunc Michæam diuersum esse ab illo Eliæ discipulo eiusdem nominis, de quo *sub anno* 3127. *& sequentibus* plura diximus, licet aliqui immeritò, nominis similitudine ducti, eundem fuisse affirmauerint. Sed nos Ioannis Patriarchæ in *lib. de instit. Monach. c.* 14. quem communiter recentiores sequuntur, testimonio edocti, diuersos fuisse pro comperto habemus. Alioquin, cum iste Michæas tempore etiam Ezechiæ Regis prophetauerit, prout ipse de se testatur, dicere cogeremur plusquam 170. annis superuixisse, si etiam sub Achabo Rege vaticinatus esset, prout de altero Michæa filio Iemla ibi diximus. *Morasthites* appellatus fuit a *Morasthi* paruo vico ad Orientem Eleuteropolis celebris vrbis in tribu Iuda, vt habet Hieron. *in loc. Hebraic. & in Epitaphio Paula, ac in Proœmio,* licet alij cum Vatablo, & Andrea Massio *in cap.* 15. *Iosue* credant fuisse Maresam nobilem Iudææ vrbem. Prophetat contra Samariam, & Iudam, captiuitates imminentes illis prædicens: vaticinatur etiam de Christo venturo, & in Bethleem nasciturо, gentium conuersione, & pluribus alijs ad Legem Euangelicam pertinentibus: quid etiam de Carmelo nostro, Ordineque Prophetico prædicauerit, *sub anno* 3303. dicemus: ex quo, ijs accedentibus, quæ *in Apparatu c.* 2. *sub anno* 3184. diximus, non incongruè elici potest, eum aliquo modo ad eundem Ordinem Propheticum spectasse, prout ex Sigonio de *Repub. Hebræor. l.* 5. *c.* 9. colligi videtur.

Prophetia ipsius.

Nahum Propheta.

3 Sub eodem quoque Ioathan Rege prophetasse Nahum Prophetam credit Iosephus *lib.* 9. *c.* 11. sed nos re meliùs perspecta, in annum 3315. eius prophetiam referemus.

Anni

Anni mundi 3290. 3291. & 3292. ante Christum 763. 762. & 761.

1 PROPHETABAT Isaias per id tempus populo Iuda, prænunçians ea, quæ c. 6. ab eo describuntur, videlicet: *Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere, excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et conuertatur, et sanem eum. Et dixi: vsquequo Domine? et dixit: Donec desolentur Ciuitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta. Et longè faciet Dominus homines, et multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ, et adhuc in ea decimatio, et conuertetur, et erit in ostensionem sicut terebynthus, et sicut quercus, quæ extendit ramos suos.* Sic enim habetur ex D. Hieronymo *in Isaiam*: ex quo etiam illud elici potest, quod etsi Ioathan Iuda Rex probus, & pius esset, in populo tamen ipsius occultè grassaretur Idololatria, vt propterea Deus illum impunè abire non permiserit, inter alias pœnas hanc ei infligendo, vt iniquum Achaz in Regem paulò post haberet, prout iam dicemus accidisse. Isaiæ prophetia.

Annus mundi 3293. ante Christum 760.

1 SVB hoc anno e vita decessit Ioathan Rex Iuda, & regnauit Achaz filius eius pro eo, cuius prauè gesta sacra Scriptura 4. *Reg.* 16. *v.* 2. sic enarrat: *Non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut Dauid pater eius, sed ambulauit in via Regum Israel: Insuper et filium suum consecrauit transferens per ignem secundum Idola gentium: quæ dissipauit Dominus coram filijs Israel. Immolabat quoque victimas, et adolebat incensum in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso.* Quomodo autem eum Deus impunè abire non permiserit, sed magnis bellis, & cladibus afflixerit, ea quæ dicemus in sequentibus, liquidò comprobabunt. Ioathani mors.

2 Pro eo etiam ad meliorem frugem conuertendo, si ipse vellet, prouiderat Deus Isaiam Prophetam, quia *cap.* 7. Prophetiæ ipsius multa de ipso habet, de quibus nos suis locis dicimus. Isaias.

Annus

Annus mundi 3294. ante Christum 759.

Achaz Regis peccata.

1 VNIEBAT acriter Deus sub hoc anno, vt diligentiores Annalistæ Torniellus, & Salianus referunt, peccata Achaz Regis Iuda. Tradidit enim Dominus exercitum ipsius in manus Regis Syriæ, qui percutiens eum, magnam ex ipso prædam transtulit in Damascum. Manibus quoque Phacee Regis Israel traditus est, qui adeo grandi plaga eum percussit, vt centum viginti millia bellatorum de Iuda die vno occiderit, & quidam vir potens de exercitu Israelis Zechri nomine Maasiam filium Regis, Ezricam ducem domus eius, & Elcanam secundum à Rege interfecerit, duxerintque Israelitæ captiuos ex Iudæis ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum, cum infinita præda in Samariam. Sacra Scriptura 2. *Paralipom.* 28. Chronicum Hebræorum, Iosephus *lib.9.c.*12. Quis iam ex Regibus non timebit Deum offendere, qui tam grauem vindictam de amico sibi populo, ob Regis præsertim malitiam, sumpsit.

Oded, seu Obed Propheta.

2 Accidit autem tunc (quod nostris Annalibus magis proprium est) vt Propheta quidam nomine *Oded*, alijs *Obed*, qui apud Iosephum *Obelas* dicitur, egressus fuerit obuiam exercitui Israelitarum venienti in Samariam, captiuosque ducenti Iudæos, dixeritque illis: *Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus vestris, et occidistis eos atrociter, ita vt ad cælum pertingeret vestra crudelitas. Insuper filios Iuda, et Ierusalem vultis vobis subijcere in seruos, et ancillas, quod nequaquam facto opus est, peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. Sed audite consilium meum, & reducite captiuos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis.* Sic habet S.Pagina 2. *Paralipom.*28.*à v.*9.

Quis fuerit.

3 Quis autem fuerit hic Oded Propheta, si ex Hebræis quæramus, ingens mendacium audiemus. Dicunt enim apud S.Hieron. *in traditionibus Hebraic.* fuisse patrem Azariæ, de quo 2.*Paralipom.*15. qui Asæ Regi prophetauit, aduenisseque ad prophetandum in Samariam, quia de Iuda erat, idcirco non dixisse: *Hæc dicit Dominus*, quia scilicet indigni erant Israëlitæ sermone Domini. Cum autem iste Asa ante annum mundi 3100. regnauerit, fanè Oded pater Azariæ, qui ipsi prophetauit, plusquamducentorum annorum hoc tempore esset, quod omnino fabulosum esse cordatus quisque iudicabit. Alius ergo ab illo Oded erat.

4 Dicendum ergo cum Caietano *in* 2.*Paralipom.*28. hunc *Oded seu*

seu Obed successorem Elisæi fuisse in Samaria. Sic enim habet: *Mortuo siquidem Elisæo florebat Propheta iste in Regno Samariæ.* Quod autem ille non aduenerit ex Iuda, vt Hebræi etiam fingunt, & tenet Lyranus, sed commoratus esset in Samaria, quò ducebantur Iudæi captiui, probat ipse Caietanus ex textu, vbi dicitur: *Ea tempestate erat ibi Propheta Domini nomine Obed, qui egressus obuiam exercitui venienti in Samariam.* Cum enim, vt ipse notat, nec ponatur aliqua limitatio temporis, nec dicatur, *quod aliunde venerit*, supponitur ex Samaria fuisse. Adde, quòd satis clarè ipse textus supponit ex Samaria esse, immediatè enim ante ea verba dixerat, *pertuleruntque eam in Samariam:* & postea, *ea tempestate erat, &c.* quæ si expendantur, eum ex Samaria fuisse, & in Samaria priùs vixisse demonstrant. Successor Elisæi.

5 Erat ergo proculdubio iste Propheta ex illis, quos *sub an. 3154.* diximus in Samariæ collegio habitationem habuisse. Quod, præter dicta ex doctrina Caietani, confirmant etiam, quæ adduximus *in Apparatu cap. 2. & sub anno 3184.* vbi ostendimus omnes, & quoscunque Israëlitici populi Prophetas ordinarios ad Ordinem Propheticum per Samuelem institutum, & per Eliam ad statum quodammodo Religiosum excitatum, & euectum regulariter spectasse. Ex Samariæ Collegio.

6 Non fuisse autem irritam, aut inanem eius orationem, seu exhortationem ad Israëlitas pro liberandis captiuis Iudæis fratribus, constat ex ijs, quæ acciderunt, eius namque vocibus excitati nobiles alij ex Israëlitis ipsis persuaserunt, vt modestè & benignè victoriæ gloria fruentes captos dimitterent, refectosque, & vestitos charitatiuè ad proprios lares adducerent, prout factum refert sacra Scriptura vt supra his verbis: *Steterunt itaque viri de Principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Iohanam, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, & Amasa filius Adali contra eos, qui veniebant de prælio, & dixerunt eis: Non introducetis huc captiuos, ne peccemus Domino. Quare vultis adijcere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta? Grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israël. Dimiseruntque viri bellatores prædam, & vniuersa, quæ ceperant, coram Principibus, & omni multitudine. Steteruntque viri, quos supra memorauimus, & apprehendentes captiuos, omnesque, qui nudi erant, vestierunt de spolijs. Cumque vestissent eos, & calceassent, & refecissent cibo, ac potu, vnxissentque propter laborem, & adhibuissent eis curam, quicunque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, imposuerunt eos iumentis, & adduxerunt Iericho Ciuitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reuersi sunt in Samariam.* Eius oratio vtilis. Quem fructũ habuit.

Annus mundi 3295. ante Christum 758.

Visio mirabilis. 1 IRABILIS illa, imò & diuinissima Isaiæ de conceptu Virgineo, & incarnatione Verbi Prophetia hoc anno in medium prodijt, prout ex ipso Propheta c. 7. (vbi huius etiam anni historia, cuius occasione tanti mysterij prædictio à Deo ipsi data est) sic elicitur. Cum anno præcedenti Rasim Rex Syriæ, & Phacee Rex Israel sigillatim, & seorsim Achaz Regem Iuda valde percussissent, præterita victoria erecti, & inuitati, contra eum simul venire decreuerunt hoc anno, ea intentione vtà Regno expellerent & quemdam filium Thabeel pro ipso in Ierusalem Regem collocarent. Commotum ergo est cor Achaz, & Iudæorum, sicut mouentur ligna siluarum à facie venti, ob tremorem videlicet, & animi concussionem, & meritò sanè, si enim singuli Reges paulò ante tam grauem cladem illis intulerant, quanto maiorem ab vtroque simul formidare poterant? Propterea de aduocando in auxilium sibi Assyriorum Rege deliberabat Achaz. Tunc Deus ad Isaiam: *Egredere in occursum Achaz tu, & qui derelictus est Iasub filius tuus ad extremum aquæductus piscinæ* Isaiæ Prophetia. *superioris in via Agri Fullonis, & dices ad eum: Vide vt sileas, noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasim Regis Syriæ, & filij Romeliæ.* Vocantur autem hi duo Reges *caudæ titionum fumigantium*, ad denotandum fumum solum, id est, rumorem causaturos, non autem flammam, aut aliquid amplius, quemadmodum titiones fumigantes. Sequitur Propheta: *Non stabit & non erit istud, sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasim; & adhuc sexaginta et quinque anni, & desinet Ephraim esse populus: et caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ.* Quod est dicere: Nō erit quod isti Reges desiderant, vt scilicet Ierosolymam occupent, sed Rasim solum erit Rex in Damasco, & Damascus caput Regni eius, & Phacee similiter solum erit Rex in Samaria, & Samaria caput Regni eius; imo ipsius Regnum adimpletis 65. annis iam inceptis omnino dissipabitur. Huiusmodi autem sexaginta quinque annos connumerandos esse à tempore Amos Pastoris, & Prophetæ communiter expositores adstruunt, ex S. Hieronymo, Hebræorum traditione, & alijs.

Incarnationis promissio. 2 Quia tamen adhuc Rex animo fluctuabat, & de liberatione sui ab hostibus in tam vrgenti periculo incertus erat, instat Propheta, & ad conuincendum ipsum maiora signa, & omnium maximum, de

de Incarnatione videlicet Verbi diuini ex Virgine incorrupta, illi offert dicens: *Peti tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus Dauid. Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, et eligere bonum*. Quæ sic explicat Hieronym. ibidem: *Quia tibi videtur esse difficile, quòd Regna potentissima breui tempore finienda sint, & tu cum populo tuo de magno periculo libereris, pete tibi signum, nequaquam ab Idolis, quorum errore retineris, sed à Domino tuo, qui tibi auxilium pollicetur, & ipsum signum optionis tuæ est, vnde postules, siue de profundo, siue de excelso, vt cum de inferno, siuè de excelso signum acceperis, credas futura quæ dixit. Vis vt scindatur terra, & grandi hiatu inferni pateant, qui in corde terræ esse dicuntur; an vt aperiantur cæli: quod vtrumque ad typum pertinet mortis Domini, & ascensionis*. Hæc Hieronymus, quæ est verissima & historica textus huius expositio. Eius expositio.

Annus mundi 3396. ante Christum 757.



1 Adimplebatur hoc anno illa Isaiæ Prophetia, de qua in præcedenti diximus. Cum enim Rasim Syriæ, & Phacee Israëlis Reges Ierosolymam obsidione premerent, & Achaz in sui auxilium Theglatphalasar Assyriorum Regem conuocasset, is ipsius precibus, & muneribus allectus ascendit in Damascum Regis Syriæ primatiam vrbem, eamque sic depopulando vastauit, vt propterea Rasim obsidionem soluere, & in patriam cum suis copijs redire coactus esset. Cum Assyriorum tamen Rege congressus ab eo occiditur, Damasco priuatur, eius habitatoribus in Cyrenem captiuis traductis. Phacee autem Israëlis Rex, siue quia desertus in obsidione ab Assyrijs esset, siue quia illi ipsius terras depopulabantur, plures Hebræorum in captiuitatem, & prædam deferendo, ad Regni sui defensionem Ierosolyma relicta properauit, vbi ab Osea filio Ela insidiosè percussus interijt. Sicque iuxta verbum Isaiæ duæ titionum fumigantium caudæ extinctæ sunt. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 16. & expositores ibid. Prophetiæ adimpletio.

2 Nouus alius Propheta Zacharias filius Barachiæ hoc tempore erat in Iudæ regno, quem Isaias c. 8. v. 2. inquit adhibuisse sibi in testem fidelem suæ Prophetiæ cum Vria Sacerdote. Fuit hic Propheta, Zacharias Propheta.

 vt ha-

vt habét S. Hieronymus, Paraphrastes Chaldæus, Glossa interlinealis, Procopius & alij ibidem, diuersus sanè ab eo, qui à Ioas Rege occisus est, cum hic à centum, & plus annis vitam finierit, vt diximus *sub anno* 3192. Alius quoque à Zacharia, qui vndecimus est inter Prophetas minores, cum certum sit, eodem testante *cap. 1.* suæ Prophetiæ, prophetasse in anno secundo Regis Darij, qui fuit post ducentos annos ab hoc tempore. Fuit ergo Propheta ab illis diuersus, vt habet Dionysius Carthusianus, eumque vocat S. Hieronymus *eruditum in timore Domini*. Refertur autem in margine ipsius Hieronymi *cap. 29. lib. 2. Paralipom.* vbi ponitur hic Zacharias inter filios Saphat cum alijs filijs Eman, & Idithum, qui omnes Cantores cum essent diuinarum laudum, vt colligitur ex *1. Paralipom. 25. & 2. Paralipom. 35.* excitati fuerunt ab Ezechia Rege ad renouandum cultum Domini, & ipsi laudes in canticis, cytharis, & musicis instrumentis decantandas. Ex quo elicitur hunc Zachariam inter Prophetici Ordinis alumnos connumerandum, tum propter nomen *Prophetæ*, quod iuxta dicta *in Apparatu cap. 2. & sub anno* 3184. huius Instituti Professorem significat, tum ex munere diuinas laudes canendi, ad quod destinatus erat, cum hoc Eliani Ordinis alumnorum proprium esset iuxta sæpius dicta.

Anni mundi 3397. vsque ad 3301. ante Christum 756. vsque ad 753.

Achaz impietas.

1 OC tempus plenum est sacrilegis impijssimi Achaz Regis Iuda sceleribus. Deo enim ingratissimus, qui eum ab hostibus suis liberauerat, contra ipsum insaniens ea, quæ Sacra Scriptura *2. Paralipom. 28.* refert, perpetrabat; quæ Isaiæ, Zachariæ, & alijs Ordinis Prophetici alumnis molestissimus fuit, vt in hoc etiam verum esset, quod de eo dixerat idem Isaias *cap. 7. v. 13.* fuisse videlicet molestum *Deo, & hominibus*. Eius porro scelera sic describuntur ibi: *Immolauit Dijs Damasci victimas percussoribus suis, & dixit; Dij Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostijs, & aderunt mihi.* & infra: *Direptis omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas Templi Dei, & fecit sibi Altaria in vniuersis angulis Ierusalem. In omnibus quoque vrbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus.*

Prophetissa.

2 Narrat Isaias *cap. 8. v. 3.* suæ Prophetiæ, quæ ad hoc tempus spectant, se accessisse *ad Prophetissam*, idest vxorem suam, prout relictis alijs expositionibus, plures recipiunt, specialiter Ricchardus Victori-

ctorinus *lib. 1. de Emmanuele cap.* 8. Chrysostomus, S. Thomas, Sixtus Senensis, Vatablus, Clarius, Forerius, & Montanus, & concepisse illi, ac peperisse filium.. Ex quo Prophetissæ nomine siue de vxore Isaiæ dicatur, siue de Deipara Virgine Beatissima, & accessu per contemplationem, vt Patres, videlicet Hieronymus, Cyrillus, Basilius, Augustinus, Ambrosius; & alij à recentioribus relati, & secuti volunt, occasio nobis datur ad inuestigandum, an in Ordine Prophetico à Samuele instituto, & ab Elia reformato, vt diximus in superioribus, fuerint præter viros aliquæ fœminæ eiusdem Instituti alumnæ. Affirmatiuam partem tueri videtur doctissimus Genebrardus *lib. 1. Chronolog. circa ann. mundi* 3066. postquam enim dixit Propheticam professionem seu Institutum Prophetarum à Samuelis tempore incepisse, subiunxit ex Hebræis *in Seder Olam c.* 20. *&* 21. fuisse quadraginta octo Prophetas celebratissimos partim viros, partim fœminas, inter quas reponit Saram, Mariam Moysis sororem, Deboram, Oldam, Annam Samuelis matrem, Abigailem, & Esther. Clarius Iacobus Boulducus *lib. 3. de Ecclesia c.* 16. tenet in Cœnobijs Prophetarum, de quibus in libris Regum fit mentio, qualia erant Galgalis, Bethel, & Iericho, fuisse Prophetarum vtriusque sexus multitudinem; primùm sub Eliæ, deinde sub Elisæi, & postea sub Ionadabi filij Rechabi regimine, & gubernio, his verbis: *Constat ex libris Regum multa ac frequentia filiorum Dei, qui postea filij Prophetarum sunt appellati in illa, aut circa illam tribum extitisse Cœnobia, nempe in Galgalis, in Bethel, & in Iericho, præter illud celebre Haberis in querceto, quod dicebatur* Sennim, *iuxta Cedes, atque in illis maximam fuisse multitudinem vtriusque sexus, quorum Archimandritam posterioribus seculis fuisse Eliam, cui successit Elisæus, ambigendi non datur locus. Eliæ autem, & Elisæo successit in officio vir sapientia, & sanctitate celeberrimus Ionadab, qui passim in Scriptura dicitur filius Rechab.* Ex illis etiam, eodem Boulduco *lib. 1. de Eccles. ante leg. cap. 5. §. Ad hanc*, testante, videntur esse illæ, quæ in *Ps. 67. v. 12.* iuxta Hebræam vocantur *Euangelizatrices*, & *Ierem. 9. v. 17.* dicuntur *Lamentatrices*, & *Sapientes*. Ex quo etiam videtur alio modo firmari intentum. Cum enim Rechabitæ huius Ionadabi filij inter Prophetarum filios numerentur, vt diximus ex S. Hieronymo, & Ioanne Ierosolymitano sub annis 3143. & 3151. ijque vxores habuerint, non videtur incongruum, eas etiam, sicut viros earum, eandem vitæ austeritatem, idemque Institutum obseruasse, & per consequens aliquo etiam pacto ad Propheticum Ordinem pertinuisse. Quod simili coniectura dici potest de vxoribus filiorum Prophetarum, de quibus mentio fit

Prophetissæ an fuerint.

4. *Reg.*4. Adde & dicenda sub 3545. de fœminis Institutum Essenorum sectantium. Quemadmodum enim illos ad Ordinem Propheticum pertinere eo loco dicemus, sic & de istiusmodi fœminis affirmandum videtur. Vnde huiusmodi Prophetissarum classem *Ordinem* vocat Boulducus relatus *lib.2. de Ecclesia cap.11. §. At dices*, item *lib.3. cap.16. §. secundò ex eo*, appellat *Societatem*.

Traditio Hebræorum de Prophetissis.

3 Nihilominus, vt ab illa Hebræorum traditione, quam Genebrardus superius relatus attulit, incipiamus, Sara, Maria soror Moysis, & Debora cum ante Samuelem, & Eliam fuerint, nullatenus ad Ordinem ipsorum, prout ab ipsis institutum, pertinere possunt. De Anna Samuelis matre, & Abigaile maiori fundamento id affirmari potest, cum illa Samuelis tempore fuerit, etsi senior, vtpotè mater ipsius; hæc vero ætate posterior, cum Dauidis vxor extiterit. Multò magis de Olda, & Esther, cum vtraque multis annis post Samuelem, & Eliam vixerit, illa sub Iosia Rege, hæc autem tempore post captiuitatem, vt suis locis dicemus. Addimus propterea *Prophetissas*, seu *Prophetides* eas appellari, quia spiritu Prophetiæ quandoque à Deo decorarentur; quod de Maria, Anna, Debora, & Olda certum est, & de Sara, quam propterea *Iescham* vocant, idest speculantem, quia prophetico spiritu illustrata, quæ longè aberant, intueretur, & de Abigail, & Esther ab aliquibus affirmatur. Vide Abulensem *in 1. Reg.25. q.12.* Salianum *sub anno mundi 2723. nu.4.* Torniellum *sub anno mundi 2545. n.14.* Sanchez 4. *Reg.22. à num.9.* Boulducum *lib.1. de Eccles. ante leg. cap.5. §. Iuxta hanc, & lib.2. cap.11.* vbi eas in alias mulieres auctoritatem exercuisse probat; & Ægidiū Camartum *de rebus gestis Eliæ cap.6. sect.7.* An autem propterea illæ, quæ post tempora Samuelis, & Eliæ vixerunt, ad Ordinem, & Institutum ipsorum pertineant, valde est incertum; cum sacra volumina nihil de hoc affirment. Nec propterea omnino improbabile propter adducta, præsertim quia illæ non sic debēt huius Instituti alumnæ vocari, quia verè fuerint Religiosæ, sed quia specialiter Dei cultui, & obsequio dicatæ instar Prophetarum eius temporis. Quod idē de hac Isaiæ vxore, de qua supra, affirmari potest, cum eam etiam apud Abulensem, & Salianum relatos *Prophetissam* appellent aliqui.

Aliæ veræ, aliæ falsæ.

Illud præterea animaduertendum, quod quemadmodum diabolus Dei simia pro veris Dei Prophetis viris in Israelitico populo degentibus falsos, & ementitos Prophetas suscitabat, sic etiam fœminis Dei Prophetissis pseudoprophetides mulieres opponebat. Constat enim ex *cap.13. vers.17. Ezechielis*, Prophetam vaticinari contra eas, quas vocat *filias populi, quæ prophetant de corde suo*, vetu-

las videlicet (vt Pradus interpretatur) maleficas collo consulentium appendentes amuleta, & antidota, brachijsque quasdam quasi bullas reticulatas, aliaque superstitiosa, & magica gestamina.

Annus mundi 3302. ante Christum 751.

1 ATALIS annus almæ Vrbis Romæ præsens reputatur, quòd ille primus fuerit Olympiadis septimæ, in quem Romæ fundatio ab auctoribus, præsertim Solino *cap.* 2. Polyb. Clem. Alexand. *lib.* 1. *Stromat.* & alijs refertur. Alij ante duos annos id accidisse credunt ex Marco Varrone. Illud certum hoc anno, vel paulo ante ædificari cœptam Vrbem. Dies communiter assignatur 21. Aprilis. Rei gestæ compendium, quantum ex Dionysio, Liuio, & Plutarcho colligi potest, sic ferme fuit. Pastoritiam exercebant artem Romulus, & Remus fratres iuuenes Rheæ Syluiæ filij, & Numitoris nepotes, cum audiunt à nutritio Faustulo suum genus, & casum, & ab auo Numitore Amulium Albanorum Regem eiusdem germanum filios, & Regnum abstulisse. Ira ergo accensi Amulium inuadunt, & obtruncant, & Numitorem Regem instaurant. Is illis pro noua Vrbe condenda in loco, vbi fuerant in pueritia educati, facultatem tribuit, & agros, qui ex magna plebis parte, Optimatibus non paucis, Troiani generis nobilissimis, & fugitiuis ac lare carentibus Ciuitatem construere cœpere. Sed cum inter fratres æmulatio orta esset, alijs Remo, alijs Romulo fauentibus, Romulus Remum occidit, totaque Romæ conditæ auctoritas penes eum veluti Regem mansit. Distribuit ergo in partes populum, lictores assumpsit, Tribunos, ac Curiones creauit, maximæque & potentissimæ omnium Monarchiæ principium dedit. Quæ primùm ex raptis, in ficto ludo, virginibus Sabinis, cùm vicini filias suas in coniuges illis negarent, propagari cœpit.

Natalis Romæ annus.

Rei gestæ compendium.

Annus mundi 3303. vſque ad 3308. ante Chriſtum 750. vſque ad 745.

Michæa Propheta. 1 IS annis, quibus regnabat in Iſraël Oſeas, & in Iuda Achaz, prophetauit etiam Michæas Moraſthites inter duodecim Prophetas numero ſexto relatus. Ipſe enim in principio *cap. primi* id teſtatur, dum ait factum eſſe ad ipſum verbum Domini *in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda*. Cum autem, vt ibi etiam affirmat, ipſius Prophetia ſuper Samariam, & Ieruſalem fuerit, ideo credimus Samariæ Regni deſtructionem, quæ non multos poſt annos contigit, ab ipſo prædictam fuiſſe. Eam ergo quam *cap. 7. v. 14.* ſcripſit, quia Carmeli noſtri hiſtoriam tangit, & præſeruationem Incolarum ipſius à captiuitate, hoc loco diſcutere debemus. Sic ergo habet: *Paſce populum tuum in virga tua gregem hereditatis tuæ habitantes ſolos in ſaltu, in medio Carmeli, paſcentur Baſan, & Galaad iuxta dies antiquos*. Quæ ſic exponit Chaldæus Paraphraſtes: *Paſce populum tuum verbo tuo, populum hereditatis tuæ in ſeculo, quod innouandum eſt, habitabunt ſoli qui erant deſerti, ſicut ſylua, & inhabitabunt in Carmelo, & paſcentur in terra Baſan, & Galaad iuxta dies priſtinos*. Pro quorum luce animaduertendum Prophetam in verbis præcedentibus egiſſe de deſolatione Iſraëlis propter captiuitatem. Propterea enim dixit: *In die illa, & vſque ad te veniet de Aſſur, & vſque ad Ciuitates munitas, & à Ciuitatibus munitis vſque ad flumen, & ad mare de mari, et ad montem de monte. Et terra erit in deſolationem propter habitatores ſuos, et propter fructum cogitationum ſuarum*. Ideſt, tunc terra à mari mortuo, quod eſt ad orientalem plagam vſque ad mare Mediterraneum, qui eſt ad occidentalem, & à monte Libano, qui eſt ad Septentrionem vſque ad montem Carmeli, qui vergit ad meridiem, erit in deſolationem. Poſtulat ergo pro Carmelo, & habitantibus in ipſo, vt hæc communis plaga ipſos non tangat, dicens: *Paſce populum tuum, etc. habitantes ſolos in ſaltu in medio Carmeli &c.* Ideſt, vt gloſſa moralis habet: *Virga Dei, ſeu hereditate paſcuntur, qui diuinis conſolationibus recreantur, quod contemplatiuis confertur*. Habitantes ſolos in ſaltu, *ideſt, in loco à tumultu negotiorum terreſtrium ſeparato in medio Carmeli paſcentur, in locis delectabilibus, nam cum Deo, et Angelis ſpiritibus eſt talium conuerſatio*. Fauet & Hugo Cardinalis dicens: *Paſce eos ſicut Eliam, & Ioannem, vitam eremiticam diligentes, & inſtar onagrorum multitudines contemnentes*.

De Carmelo.

De Carmeli Incolis.

rus. Admitti ergo debet hæc expositio inter alias, quas doctissimi alij expositores tradunt, tum quia conformis satis textui, tum quia eam tradunt Ioannes Carthagena *4. tom. hom. lib. 17. hom. 2.* & Franciscus à S. Maria *in histor. prophet. lib. 2. cap. 29. n. 5.* qui eam acceperunt ex Ioanne Ierosolymitano *in lib. de instit Monach c. 26.* dicente: *Quemadmodum Michaas Propheta concludendo terram Iudaorum fore propter peccata eorũ desolandam dicens:* Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorũ; *subdit aliter de ipsis Monachis, inquiens:* Pasce Domine populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ habitantes solos in saltu, in medio Carmeli pascentur Basan, & Galaad iuxta dies antiquos. *Vbi Propheta primò orat Deum, ne populus Monachorum montis Carmeli concludatur simili sententia desolationis cum Iudæis; sed pascatur, vt prius, doctrina Religionis per Deum sub* virga, *id est, regula sua directionis. Ideo ait:* Pasce Domine populum tuum in virga tua; *de qua Psalmista ait:* Virga directionis, virga Regni tui. *Ne autem Propheta videretur pro toto populo Iudaico orare; specificat hunc solum dicens:* Gregem hereditatis tuæ habitantes solos in saltu, *scilicet Carmeli. Secundò prauidens Michaas se esse exauditum, prophetauit venturum, quod orauerat dicens:* In medio Carmeli pascentur Basan, & Galaad; *intellexit autem per Basan & Galaad hos Monachos montis Carmeli: tum primo quia quamplures eorum erant tunc de regionibus Basan, & Galaad oriundi; tum secundò quia Basan interpretatur pinguis, & cætus horum Religiosorum fiebat in medio Carmeli, pinguis pascuis diuinis, scilicet doctrinis vera Religionis. Galaad quoque interpretatur aceruus testimonij, & Deus centum horum Monachorum aceruauit in monte Carmeli, in testimonium contra populum Iudæorum, vt intelligeret populus quod propter præuaricationem legis diuinæ fuit catenatus, & terra eorum desolata, cum hi Religiosi, quia seruauerunt legem Dei, remanserint liberi in terra illa in medio Carmeli. Deinde exponit Propheta qualiter* in medio Carmeli *pascerentur, dicens:* Iuxta dies antiquos, *in quibus virga scilicet directionis regni Dei pascebantur ab Elia in monte Carmeli doctrina Prophetica vitæ Monasticæ secundum formam institutionis per Deum creditam Eliæ.* Sequitur & hanc expositionem Iacobus Bouldúcus *de Ecclesia ante legem lib. 1. c. 17. §. Illud est sacrificium*, sic scribens: *Isti sunt, ad quos alludit Michaas loquens de Prophetis Eliæ sectatoribus:* Pasce populum tuum (*Familiam Prophetarum*) in virga tua, gregem hereditatis tuæ habitantes solos (*in solitudinibus*) in saltu in medio Carmeli pascentes (*sua doctrina*) Basan (*regionem Hus, in qua prisci Raphaim habitabant*) & Galaad iuxta dies antiquos, *hoc est, iuxta priscum olim* Boulduci expositio.

ibi

ibi habitantium Prophetarum Institutum. Hæc ille aptè satis ad nostrum intentum.

Annus mundi 3309. ante Christum 744.

Achaz mors. 1 IC fuit vltimus annus vitæ impij Achaz Regis Iuda, cui Deus pientissimus optimum successorem Ezechiam dedit, vt & in hoc verum esset, quod vbi abũdauit hominum delictum, superabundauit Dei gratuitum donum. Vnde quantum tristitiæ, & doloris improbi Achaz superstitio veris Dei cultoribus Prophetici Ordinis alumnis intulit, tantum gaudij, & lætitiæ religiosissimi Ezechiæ pietas eisdem afferre potuit. Quæ autem gessit, & dixit sanctus hic Rex, sacra Scriptura copiosè refert 4.*Reg.* 18. *&* 2.*Paralipom.*29.

Zacharias Propheta. 2 Inter eos autem, qui iuxta mandatum ipsius excitati sunt ad expiandam domum Domini, & cultum diuinum promouendum, fuit Zacharias Propheta, de quo sub anno 3296. diximus, vt patet illis verbis 2.*Paralipom.*29.*v.*13. *De filijs quoque Asaph Zacharias, & Mathanias.*

Visio Isaiæ. 3 Visionem eodem anno habuit Isaias, quam refert *c.*14.*à v.*28. dicens: *In anno quo mortuus est Achaz, factum est onus istud: ne læteris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui, de radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem.* Quod in gratiam Ezechiæ Regis exponit S.Hieronymus, & post eum alij, eo quod Philisthæi lętabantur de morte Achaz, quia eum timebant, & existimabant nihil mali accepturos ab Ezechia successore, quod contra euenturum prædicit Propheta, cum à nouo Rege percussi fuerint, vt constat ex 4.*Reg.*18.

Anni mundi 3310. vsque ad 3314. ante Christum 743. vsque ad 739.

Ezechias Rex optimus. 1 E his annis ante 3314. solùm habere possumus ex sacra Scriptura res egregiè gestas optimi Regis Ezechiæ, Philisthinorum nempe percussionem, & sui Regni ampliationem. Vt enim S.Scriptura 4. *Reg.* 18. *v.*5. affirmat: *In Domino Deo Israël sperauit*, & propterea *erat Deus cum eo, & in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se agebat*. Non sic infelix Oseas Rex Israël, qui Ægyptiorum auxilium requirens, spe frustratus Regnum & libertatem amisit.

Anno

2 Anno ergo 3314. qui decretorius & fatalis Israëlitico Regno fuit, cum per annos 255. vel circiter, ex quo per Ieroboam filium Nabath à Iuda Regno schismaticè separatum fuit, Idololatriæ sceleribus obstinata semper mente Reges, & populi dediti essent, Prophetarum minas, eorum videlicet, qui ex Instituto Samuelis, & Eliæ inter ipsos fuerant varijs Collegijs, mansionibus, & eremis Carmeli præsertim congregati, proteruè neglexissent, nec plaga ipsis inflicta per Theglatphalasar Assyriorum Regem, de qua *sub anno* 3279. diximus, meliorem vitæ frugem elegissent, iam seriò, & veluti ineuitabiliter contra ipsos iratus Dominus tradidit illos in manus Salmanasar Regis Assyriorum, qui decem tribus Israël (exceptis videlicet Iuda & Beniamin) ex suis sedibus eduxit, in Assyrios transtulit, & in Hala, & Habor ciuitates Medorum collocauit, & inde per vniuersum fermè orbem vagi, & profugi dispersi sunt. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 17. Iosephus *lib.* 9. *c.* 14. Genebrardus, & alij. Sic sic Deus lento gradu ad vindictam graditur, sed tarditatem supplicij grauitate compensat, vt ille dicebat. Israelis interitus.

3 Quid de nostris Prophetici Instituti alumnis, qui in Collegijs, & Cœnobijs harum decem tribuum morabantur, Samaria videlicet, Bethel, monte Ephraim & alijs, ac præcipuè de Carmeli habitatoribus, qui ad has tribus spectabant, actum sit, Scriptura non loquitur. Ioannes autem Ierosolymitanus *in lib. relato de Institut. Monacho. c.* 26. expresè asserit Dei benignissima prouidentia factum, vt Carmeli montis eremitæ ab hac, & alijs Hebræorum captiuitatibus præseruati fuerint. Idem sequitur Aubertus Miræus Bruxellensis *in tract. de Orig. Carmelit.* & Ægidius Camartus *de gestis Eliæ c.* 5. *sect.* 10. vbi non solùm de Carmeli, sed & de aliorum collegiorum Galaaditani, Bethelitæ, Ierichuntini, & Galgalitæ incolis id affirmat. Quod tamen de Ierichuntino, & Galgalita certum est, cum ea ad Regnum Iuda pertinerent, quod in hac Assyriorum inuasione nihil mali perpessum fuit, ad quod placuit eiusdem Ioannis verba referre ex *c.* 26. *libri relati*, quia ex ipsis plura historia nostra digna iuxta expositionē congruam ipsius (quem alij ex nostris sequuntur) ad loca Isaiæ, & Michææ, elici possunt. *Quoniam igitur prædicti Monachi dum regebantur per Elisæum, & etiam post eius decessum quærebant ex totis præcordijs Dei Regnum, pro quo facilius consequendo terrenas diuitias, & carnales delicias respuebant, humanaque consortia, & turbarum tumultus vitabant, ideo præseruauit eos Deus à captiuitatibus, ad quas ante Incarnationem Christi IESV induxit populum Iudæorum propter peccata eorum. Quod tamen ad maiorem Iudaici populi cessit confusionem, vt ipse infor-*

Quid de Prophetici Ordinis cultoribus

Ierosolymitani verba.

Præseruantur à captiuitate.

in fortissimis Ciuitatibus & munitis saluari non posset, cum Monachi in aperta montis Carmeli eremo, & non munita, ab insultibus Assyriorum & exercitus Chaldaici per Deum tunc protegerentur, sed causa huius diuersitatis fuit, ex parte quorumdam illius populi legis diuinæ præuaricatio: econtra verò ex parte dictorum Monachorum eiusdem legis obseruatie. Quod totum bene significauit Propheta Dei Isaias, dum in persona Domini captiuitatem, & terræ dissipationem populo Iudæorum venturam Isaiæ Prophetia. *vaticinaretur: ita inter cætera dicens*: Plangite super regione desiderabili, super vinea fertili, super humum populi mei spinæ & vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudij Ciuitatis exultantis. Domus enim dimissa est, multitudo vrbis relicta est. *Et paulo post de Monachis Carmelitis illius temporis contrariam sententiam subdens Propheta in persona Domini ait:* Et erit desertum in Carmelo, & Carmelus in saltum reputabitur. Et habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit, & erit opus iustitiæ, pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum, & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. *Licet namque temporibus Iudaicarum captiuitatum esset desertum in Carmelo, ita quod Carmelus non in munitionem, vel ædificium, vel in saltum verè reputabatur; populus tamen Monachorum illic commorantium faciebat in solitudine illa iudicium Dei, & seruabatur in Carmelo iustitia cælestis Regni, sicut Propheta prædixerat*: Habitabit, *inquit*, in solitudine iudicium, & in Carmelo iustitia sedebit. *Cuius iustitiæ opus erat pax, qua adinuicem perimebant bellum*, & cultus *prædictæ* iustitiæ *erat* silentium, *quo in ore vitabant multiloquium. Cuius quoque dictæ iustitiæ erat* securitas, *qua à corde fugabant inimicorum metum, quippe Monachi ita erant ad inuicem per pacem dispositi, quod inter eos nullum erat bellum: et sic erant in ore (per silentium) muniti, quòd inter eos nullum erat multiloquium, & ita erant in corde quieti, & securi, quod cor eorum non reprehendebat eos ante Deum. Ideo confidentes in Deo eos protegente, cuius beneplacita faciebant semper, nullum habebant de* Sapiens Prou. 16. v. 7. *inimicis metum: teste enim sapiente*, Cum placuerint Domino viæ eius (*scilicet hominis*) inimicos quoque eius conuertet ad pacem. *Quia ergo ipsi studebant Deo per iustitiam placere, ideo protexit eos Deus à timore, & insultibus inimicorum, & à captiuitatibus Iudæorum: sicut promiserat, dicens*: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, *scilicet virtutibus & pa-* Michæas c. 7. v. 14. *scuis doctrinæ veræ Religionis vberibus. Quemadmodum Michæas Propheta concludendo terram Iudæorum fore propter peccata eorum desolandā dicens:* Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter

pter fructum cogitationum eorum. *Subdit aliter de ipsis Monachis inquiens*: Pasce Domine populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli pascentur Basan, & Galaad iuxta dies antiquos. *Vbi Propheta primò orat Deum, ne populus Monachorum montis Carmeli concludatur simili sententia desolationis cum Iudæis; sed pascatur vt prius, doctrina Religionis per Deum sub* virga, *idest Regula suæ directionis. Ideo ait:* Pasce Domine populum tuum in virga tua, *de qua Psalmista ait:* Virga directionis, virga regni tui. *Ne autem Propheta videretur pro toto populo Iudaico orare, specificat hunc solum, dicens:* Gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, *scilicet Carmeli. Secundò præuidens Michæas se esse exauditum, prophetauit venturum, quod orauerat, dicens:* In medio Carmeli pascentur Basan, & Galaad, *Intellexit autem per Basan & Galaad hos Monachos montis Carmeli: tum primò quia quamplures eorum erant tunc de Regionibus Basan, & Galaad oriundi, tum secundò quia* Basan *interpretatur pinguis, & cœtus horum Religiosorum fiebat in medio Carmeli, pinguis pascuis diuinis, scilicet doctrinis veræ Religionis*. Galaad *quoque interpretatur aceruus testimonij, & Deus centum horum Monachorum aceruauit in monte Carmeli, in testimonium contra populum Iudæorum, vt intelligeret populus, quod propter præuaricationem legis diuinæ fuit catenatus, & terra eorum desolata, cum hi Religiosi, quia seruauerunt legem Dei, remanserint liberi in terra illa,* in medio Carmeli. *Deinde exponit Propheta, qualiter* in medio Carmeli *pascerentur, dicens:* Iuxta dies antiquos, *in quibus* virga *scilicet directionis regni Dei, pascebantur ab Elia in monte Carmeli doctrina Prophetica vitæ Monasticæ secundum formam institutionis per Deum* creditam Eliæ. Ioannis expositio ad Michææ verba recipitur etiam iuxta dicta supra sub anno 3303. à Boulduco *lib. 1. de Eccles. ante leg. c. 17. §. istud est,* & vtraque tam Isaiæ, quam Michææ aptè confirmatur à Vvastelio nostro *in vindic. lib. Ioann. Ierosolym. ar 5.*

Basan quid significet.

Galaad quid.

4 Ex eo autem quod Ioannes affirmet plures ex ijs, qui tunc in Carmelo erant, ex Galaad oriundos esse & centum illorum ibi à Deo aceruatos fuisse, colligi datur eos ex illis fuisse, qui in Galaaditano Collegio (vbi Elias olim fuerat iuxta dicta sub anno 3154. num. 6.) extiterant, & post deuastationem Galaad per Thelgatphalasar Assyriorum Regem factam, de qua *sub anno* 3279. diximus, relicti erant, remansisse. Nisi fortè placeat dicere non ex illa Assyriorum inuasione per Thelgatphalasar, sed ex ista per Salmanasar Assyriorum quoque Regem factam, residuos esse. Vtcumque tamen res fuerit, plures numero Carmeli eremitas hoc tempore fuisse, & per il-

Galaaditani Collegij.

los continuatum Ordinem Propheticum, ex testimonio Ioannis adducto comprobatur. Ipsius autem expositionem ad locum Isaiæ congruam valde esse ex Chaldæo Paraphraste, qui sic eum explanat, aptè colligitur: *Et erit desertum in Carmelo, & Carmelus Ciuitatibus multis habitabitur, & morabuntur in deserto facientes iudicium, & facientes iustitiam in Carmelo habitabunt, & erunt operantes iustitiam in pace, & colentes iustitiam quiescent, & habitabunt confidenter vsque in seculum.*

Anni mundi 3315. vsque ad 3321. ante Christum 738. vsque ad 732.

1 IS septem annis Israelitarum captiuitatis primis, cum Assyriorum Rex terras Israëlis reliquisset proprijs habitatoribus spoliatas, ne tantæ Regionis fertilitatis fructum aliquem non exciperet, ex varijs locis, videlicet de Babylone, Cutha, Anath, Emath, & Sepharuaim colonos eò misit & in Samaria collocauit: vocabantur autẽ hi Cuthæi à Cutha, Cumque ibi habitare cœpissét, nec Deum timerent, immisit Deus in eos leones, qui ipsos interficiebant. Quod Rex Assyriorum noscens præcepit illuc duci vnum de Sacerdotibus captiuis, qui eos doceret cultum Dei. Deum ergo verum colebant simul cum Dijs falsis. Sacra Scriptura 4. *Reg.* Abulensis ibid. Iosephus *lib. 9. c. vlt.*

Cuthæi, qui fuerint.

2 Viuebat inter captiuos Israelis eo tempore sanctus Tobias, qui cum captus esset ab exercitu Salmanasar Regis, in captiuitate tamen positus viam veritatis non deseruit, sed memor Domini in toto corde suo ea opera pietatis, & charitatis exercebat, quæ in libro ipsius, præsertim *c. 1. & 2.* describuntur, & de quibus nos aliqua *sub ann.* 3377.

Tobias.

3 Quoad nostram Prophetarum historiam, illud de hoc tempore superest notandum, eo videlicet prophetare cœpisse Nahum Prophetam, inter duodecim Prophetas septimum, quem propter dicta *in Apparatu c. 2. & sub anno* 3184. non extraneum ab Ordine Prophetico censemus, quod & indicare videtur Sigonius *de Repub. Hebræor. l. 5. c. 9.* Patria fuit Elcesæus, vt infra de se *c. 1.* suæ Prophetiæ testatur: erat autem Elcesæa vicus in Galilæa, vt habet S. Hieronymus *in Prologo ad hunc Prophetam.* Vnde ad tribum Nephthalim, sicut & Galilæa ipsa spectabat, non ad Simeonem, vt alij scibunt. Prophetauit autem contra Niniuem, & Assyrios, vt meritò propterea hoc tempore

Nahum Propheta.

pore, quo illi ob prædam captam de Iſraelitis gloriabantur, ad eos humiliandos ſpiritu prophetico à Deo illuminatus fuerit. Perueniſſe autem videtur ad tempora Manaſſes filij Ezechiæ, vt ex Chronic. Hebræor. c. 20. habetur.

Anni mundi 3322. vſque ad 3337. ante Chriſtum 731. vſque ad 716.

1 OTVM hoc tempus claram, & manifeſtam Dei prouidentiam erga ſanctum Regem Ezechiam, & Iudæorum plebem illi ſubiectam abundè ſuppeditat. Cum enim pius hic Rex poſt captiuitatem fratrum Iſraelitarum, de qua iam diximus, timore, & tremore prudenter premeretur ob horrendam Aſſyriorum Regum potentiam; cui reſiſtendo vires humanæ non ſatis eſſent, & illis propterea inuitus tributa ſoluere cogeretur; volens nihilominus Dei hereditatem ab hoc infami iugo vindicare, defectionem à tyrannis cogitabat, de bello gerendo occultè diſponebat, Ieroſolymam muniebat, aquarum copiam illi prouidebat, & vniuerſi generis arma pro ciuium defenſione præparabat. Rebellauit ergo contra Regem Aſſyriorum, nec ſolita tributa pendere voluit; in ſui etiam defenſionem Aegypti Regem neceſſitate coactus conuocauit. Senacherib ergo Rex, qui patri Salmanaſaro ſuccedens apud Aſſyrios regnabat, maximis inſtructus copijs ex toto penè Oriente collectis contra Ezechiam, & Regnum ipſius indignatus venit, Azotum vrbem munitiſſimam expugnauit, in Aegyptum etiam perrexit, Peluſium Aegypti robur obſedit; illius Regionis incolas, ac Aethiopes vicit; & in viles captiuos plures eorum abduxit. Cùm autem in Iudæa aliquot vrbes munitas oppugnare cœpiſſet, pecuniamque ab Ezechia oblatam accepiſſet, nihilominus Rabſacam cum ſocijs Ieroſolymam miſit, qui deditionem Ciuitatis minis, terroribus, & blaſphemijs ſuaderet. Quibus auditis Ezechias Deum, & Iſaiam Prophetam interpellans, ab eo meruit conſolationis prophetiam audire illis verbis 4. *Reg.* 19. *v.* 6. *Noli timere à facie ſermonum, quos audiſti, quibus blaſphemauerunt pueri Regis Aſſyriorum me. Ecce ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuncium, & reuertetur in terram ſuam, & deijciam eum gladio in terra ſua;* & poſt alia: *Non ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam, qua venit, reuertetur, & Ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. Protegamque vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid*

Victoria Ezechiæ contra Senacherib.

seruum meum. Qualiter etiam id contigerit, & quomodo Deus Senacherib superbiam fregerit, sic narrat sacer textus: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cùmque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abijt, & reuersus est Senacherib Rex Assyriorum, & mansit in Niniue. Cùmq; adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adramelech, & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit Asarbaddon filius eius pro eo.* sacra Scriptura. 4. *Reg.* 18. & 19. & expositores *ibidem.*

Isaiæ Prophetia.

2 Ex Prophetici Ordinis alumnis Isaias ea tempestate clarissimus, præter adducta, prophetiam quoque illam *c.* 22. quæ est de calamitate Ierosolymitana, Babylonica, siue Romana, iuxta diuersorum placita, prædixit: ea enim ad hoc tempus videtur pertinere, occasione videlicet bellici apparatus, qui Ierosolymis fiebat. Prophetia etiam illa *c.* 10. *de Virga Assur,* Senacherib videlicet Rege, ad idem tempus spectat. Mirabili etiam medicamento, massa videlicet ficorum Ezechiæ grauem ægritudinem curauit, & cum morbus lethifer esset, vt propterea illi dixisset: *Morieris tu, & non viues;* nihilominus Regi Deum deprecanti nunciauit ab eo liberandum, & quindecim annis vlterius superuicturum, & in prophetiæ robur, quod vmbra horologij per decem lineas esset descensura. Quod factum est, vel solum in radijs solaribus, qui horologium Aehaz tangebant, vt Burgensis, Vatablus, & alij affirmant, vel in ipso corpore solis per decem illas lineas, seu gradus retrocedentis, ita vt dies ille aliquot horis maior fuerit cæteris, vt communiter Patres, & Doctores intelligunt: magnum sanè prodigium diuinæ omnipotentiæ, & Isaiæ sanctitatis indicium. Cum verò postea aduenientibus legatis Babylonijs Ezechiæ gratulaturis de eius recuperata salute, vel de portentoso miraculo retrocessionis solis, eisdem ostendisset omnia, quæ habebat in sua potestate, elationis, & superbiæ spiritu ductus meruit in delicti pœnam audire à Propheta ea omnia auferenda ab eisdem Babylonijs, prout contigit in diebus Manasses, Ioachim, & Iechoniæ successorum ipsius. S. Scriptura 4. *Reg.* 20. Expositores *ibidem,* Torniellus, & Salianus *sub his annis,* &c.

Celebris alia.

3 Celebrior tamen visio Isaiæ Prophetæ sub hoc tempore ea fuit, de qua *cap.* 20. *v.* 2. sic scripsit ipsi à Deo dictum: *Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis.* Quod cum faceret Propheta: *vadens nudus, & discalceatus,* tunc dixit Dominus: *Sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum, & portentum erit super Aegyptum, & super Aethiopiam; sic*

mina-

minabit Rex Assyriorũ captiuitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ iuuenum, & senum, nudam, & discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti. Ergo Isaias trium dierum spatio nudus, & discalceatus incessit, nudus quidem à prophetali sacco, non ab ea tunica, quæ pudori, & modestiæ seruandis deseruiebat. Hoc autem factum est, vt notat ibi S. Hieronymus ad denotandum nuditatem, & spoliationem, quam passuri erant Ægyptij, populante Assyrio eorum Regiones.

4 Ex hac autem historia aliqua pro nostri Prophetici Ordinis notitia accipienda sunt. Primum ex eo quòd Deus Isaiæ dixerit: *Solue saccum de lumbis tuis*, inferri verum esse id, quod diximus sub anno 3183. videlicet, saccum, seu cilicium vestem fuisse indumentũ Prophetarum, quam *Melotem* appellari ibidem diximus. Vnde Glossa interlinealis, & Hugo ibi habent *Cilicium*; & Dionys. Carthusianus vestem *Cilicinam*; Procopius etiam eam Melotem existimasse videtur, & ad propositum affert illud Pauli: *Circuierunt in melotis*: deinde ex eo quòd hic Isaiæ saccus, quem deponere iubetur à Deo, vocetur à Doctoribus *vestis Prophetalis*, satis clarè denotari id, quod diximus *in Apparatu cap. 2. num. 26.* scilicet hanc fuisse communem vestem omnium Prophetarum, ac per consequens rectè ex eo inferri omnes regulariter ad eumdem Ordinem Propheticum à Samuele primitus institutum, & ab Elia reformatum, & in statum veluti Religiosum erectum spectasse, vtpote qui eodem habitu induebantur. Auctores porrò, qui hunc Isaiæ saccum *vestem Prophetalem* vocant, sunt Glossa interlinealis, & Hugo Cardinalis super verbum *saccum* dicentes: *Hic enim habitus Prophetæ plangentis peccata populi*. Dionysius Carthusianus ibidem sic: *Vestem tuam saccinam abiectam, & cilicinam, qua indutus es, exue, talibus enim vestibus vti solebant sancti Prophetæ peccata populi deplorantes, quemadmodum de Elia, atque Ioanne Baptista narrat historia*. Iacobus Salianus *sub anno 3322. n. 9.* sic: *Vestem prophetalem*. & infra: *Prophetali amictu*. Refert etiam ibi *num. 8.* ex D. Hieronymo hæc: *Præcipitur Isaiæ, vt deposita saccea tunica, hic enim erat habitus Prophetalis*. Sed nos in S. Hieronymo hæc non reperimus. Præterea tertiò ex eo quòd illi dictum sit, *solue saccum*, denotatur tertiò illum fuisse ligatum, vel præcinctum zona illa pellicea, qua *sub eo anno 3183.* diximus vsos fuisse Prophetas Eliani Instituti sectatores. Non enim solui dicitur nisi id quod ligatum, & præcinctum est. Vnde Hugo Cardinalis illud *solue* explicat, *laxa*, quod propriè dicitur de eo, quod prius erat strictè cinctum.

Saccum Prophetarum vestis.

Zona etiam.

5 Quartò etiam, eo quòd Isaiæ præcipiatur à Domino tollere

Calceamenta, seu sandalia. *calceamenta de pedibus* suis, seu, vt 70. habent, *sandalia*, elici potest, tam eum, quam alios quoscunque Eliani Instituti sectatores calceamentis in pedibus vsos fuisse. Vt enim notat Ioannes Hieronymus Sopranis *Digress. 1. de re vestiaria Iudaeorum c. 4. §. 5.* id praecepit Deus Isaiae in signum veluti, & portentum, ac vt omnium oculos in se conuerteret ob insolitam nouitatem. Erat namque communis Hebraeorum vsus tam apud diuites, quam apud pauperes calceatos incedere, prout ibidem ex Ecclesiastic. 46. *v.* 22. Isaiae 5. *vers.* 27. Amos 6. *vers.* 8. & ex hac Isaiae Prophetia ostendit. Imo ea coriacea fuisse ex D. Hieronymo, & Glossa huius loci infertur, dicunt enim ex eo dictum Isaiae fuisse, vt calceamenta tolleret, quia *opertis pelle pedibus stare non poterat in terra sancta*. Accedit quod Eliam ipsum calceamentis vsum fuisse ex eo colligi datur, quod cum Ochozias 4. *Reg.* 1. à nuncijs suis peteret, *cuius figurae, & habitus esset*, illi responderunt; *Vir pilosus, & zona pellicea praecinctus, &c.* Si autem discalceatus incederet Elias, optimum signum illius esset hoc, & ita id dixissent. Fauet quod discalceatum esse, vel incedere, ignominiosum valde erat apud Hebraeos, propterea enim *Deuteron.* 25. *v.* 10. domus illius, qui nubere nolebat viduae fratris sui, vocabatur *Domus discalceati*, in opprobrium scilicet, & ignominiam, vt notat ibi Abulensis *q.* 8. Fauet quoque quod effigies Prophetarum, quae apud Cornelium *Comment. in Prophetas* conspiciuntur, calceatos demonstrant sandalijs Isaiam, Ieremiam, & Ezechielem, calceis verò Danielem. Notat autem ibi Cornelius illas extractas fuisse ex ipsorum iconibus in S. & Apostol. Bibliotheca Vaticana repertis. Vnde Pharisaei, qui rigidissimi erant in huiusmodi exterioritatibus, calceamenta gestabant, prout colligitur ex S. Epiphanio haeres 16. dicente: *In crepidis, & calceamentorum ligulis procedentes, &c.* Esseni etiam, qui à Prophetis originem trahebant, calceis vtebantur. Testatur enim Iosephus *lib. 2. de bello c. 7.* quod nec vestitum, neque *calceos* mutarent, *nisi aut omnino conscissis prioribus, aut longi temporis vsu consumptis*. Ex his autem elici videtur veteris Legis Prophetas calceatos incessisse, sandalijs saltē pedibus opertos, prout de Christo Domino, Apostolis, & viris Apostolicis docet plurium sententia: de qua Sopranis relatus post alios. Nec propterea, qui in Lege noua, siue ex eiusdē Ordinis Prophetici sectatoribus, siue ex alijs nudipedes ambulant, vllatenus reprehendendi, sed magis laudandi, quòd supererogatoriè id faciant, ex maioris perfectionis studio, quale conueniens est Legi Euangelicae, quę valde superior perfectione est Legi antiquae, & Synagogae Iudaeorum. Praesertim cum apud veteres seueriores isti nudipedes commendati appareant,

Illis vtebātur Prophetae.

de

de quo, & alijs ad hoc spectantibus Laurentius Landtmeter in opere *de veter. cleric. monach. lib. 1 par. 1. c. 15. 16. 17 & 18. & part. 2. c. 25.*

6 Non incongruè prætereà hoc etiam tempore, quo Senacherib Rex Palæstinæ Regiones inuadebat, aliquod damnum Carmeli nostris cultoribus intulisse coniectari possumus. Ipse namque, vt constat 4. *Reg.* 19. *v.* 23. & 24. referente ibi Isaia Propheta, inter alia, quæ sibi superbè arrogabat, sic dicebat: *In multitudine curruum meorũ ascendi excelsa montium in summitate Libani, & succidi sublimes cedros Dei, et electas abietes illius, et ingressus sum vsque ad terminos eius, et saltum Carmeli eius ego succidi*. Etsi enim Theodoretus, & alij *ibidem*, quibus subscribit Sãchez *eo loco*, ad figuras confugiant, per *saltum Carmeli* Israëlem, vel Ierosolymam intelligentes, quod Carmelus Galilææ, & Israëlis pars esset, & alij verbum *succidi* de præterito minùs propriè pro *succidam* de futuro vsurpent cum Lyrano; aptè tamen, & propriùs ijs verbis significari videtur hunc Regem in hac inuasione Israëlis, hos duos montes, Libanum videlicet, & Carmelum exercitu suo penetrasse (quemadmodum de Vespasiano narrat gessisse Iosephus *lib. 3. belli c. 5.* & de Annibale refert tentasse in Alpibus Iuuenalis *Satyra* 10.) & penetrando, eorum arbores succidisse, vel combussisse. Idque indicant 70. dicentes: *Ascendi in celsitudinem partis Libani, et succidi magnitudinem cedri eius, electas cupressos eius, et veni in partem siluæ Carmeli*. Quid enim inconuenit affirmare, quod dum traduceret Senacherib copias potentissimi exercitus, ex quo 185. millia hominum vna nocte cæsa sunt, Ægyptum versus, & Iudæam per hos montes transilierit, arbores succiderit, & viam sibi planam per ardua hæc loca complanauerit? Nec longe abest ab hac expositione Abulensis 4. *Reg.* 19. *q.* 15. dum inquit hæc nomine prædecessorum suorum dixisse Senacheribum. Vtcunque tamen res contigerit, Carmeli eremitas intactos, & incolumes ab huiusmodi inuasionibus, Deo sic prouidente, fuisse, quæ diximus *sub anno* 3310. sufficienter suadent. Saltum porrò esse in Carmelo ea, quæ adduximus *sub anno* 3236. satis ostendunt. Carmeli incõmoda.

Anni

Anni mundi 3338. & 3339. ante Christum 715. & 714.

Manasses Rex impius.

1 IISSIMVM Principem Ezechiam, qui hoc tempore vitæ cursum fecit, impiissimus Rex Manasses eius filius in Regno secutus est, à patre taliter diuersus, vt vix duo dissimiliores reperiri possint. Rectè gesta Ezechiæ in superioribus descripsimus; praua autem opera Manasses sacra pag 4. *Reg.* 21. sic refert: *Duodecim annorum erat Manasses, cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Haphsiba. Fecitque malum in conspectu Domini, iuxta idola gentium, quas deleuit Dominus à facie filiorum Israël. Conuersusque est, et ædificauit excelsa, quæ dissipauerat Ezechias pater eius, et erexit aras Baal, et fecit lucos, sicut fecerat Achab Rex Israël, et adorauit omnem militiam cæli, et coluit eam, extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Ierusalem ponam nomen meum, et extruxit altaria vniuersæ militiæ cæli in duobus atrijs templi Domini, et traduxit filium suum per ignem, et ariolatus est, obseruauit auguria, et fecit Pythones, et aruspices multiplicauit, vt faceret malum coram Domino, et irritaret eum. Posuit quoque idolum luci, quem fecerat in templo Domini; super quod locutus est Dominus ad Dauid, et ad Salomonem filium eius: In Templo hoc, et In Ierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israël, ponam nomen meum in sempiternum.*

Isaias Propheta. Nahum Propheta.

2 Prouidit tamen Deus contra improbissimum hunc Regem plures Instituti Prophetici cultores in Iudæa eo tempore commorantes, ex quibus clarissimus fuit Isaias, de quo multa in superioribus, & alia in sequentibus. Item Nahum Prophetam, de quo *sub anno* 3315. diximus, quem etiam Manasses tempore prophetasse tradunt Hebræi *in chronic. c.* 20. & Genebrardus *lib.* 1. *chronolog.* non tamen videtur verum, quod Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *stromat.* affirmat Nahum post Ezechielem prophetasse, sicut neque quod Iosephus *lib.* 9. *c.* 11. dicit Ioathan Regis Iuda tempore id accidisse. Vterque enim a vera chronologia deuiasse videtur. Obijt autem in pace apud Begabar, vt S. Epiphanius scribit, quam fuisse ipsius patriam putat. Eius festum pro prima die Decembris in Martyrologio Romano ponitur: vbi nonnulla de ipso Baronius ex Epiphanio, Hieronymo, & Dorotheo.

Habacuc Propheta.

3 Inter Prophetas etiam, qui huius Regis tempore prophetasse dicuntur, Habacuc numeratur, ex minoribus numero octauus. Sic enim

enim habent chronolog. Hebræor. *c.* 20. Ribera *in prælud. 2. in fine.* Castro *l. 4. de Prophet. c.* 8. Tornielius *sub anno mundi* 3351. & alij. Refert autem præfatum chronicon ideo in initio prophetiæ suæ subticuisse Regis nomen, quia valde improbus erat. Hoc autem verum esse ex eo facilè suadetur, quod *cap.* 1. *v.* 4. scripsit dicens: *Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium, quia impius* (videlicet Manasses) *præualet aduersus iustum*, idest, iustos, Prophetas scilicet sanctos, quos occidebat. Prophetauit contra Iudæam, & Ierusalem. Siquidem Chaldæos contra eam venturos prædixit *c.* 1. vnde non post captiuitatem duarum tribuum, vt sanctus Hieronymus, & alij crediderunt, id fecit, aliàs non tam Propheta, quàm Historicus dici deberet. Sed ante illam, vt habet Ribera *prælud.* 2. ex sancto Epiphanio *in vit. Prophetar.* Dorotheo *in Synopsi*, & Theophil. *in Prolog. prophetiæ eiusdem*, imò tempore Ezechiæ prophetasse tenent Ribera, vt supra, & Salianus *sub anno* 3327. *num.* 7. fuisse diuersum ab eo alio Habacuc, qui tempore Danielis vixit, communiter tenent recentiores, & verè si ratione ducimur, ita affirmare debemus, propter distantiam temporum. Quamuis Patrum quorundam auctoritas oppositum astruat. De ipso refert sanctus Epiphanius fuisse ex agro Bezzachar, & tribu Simeonis oriundum, & quod cum ante expugnationem Ierosolymæ eam prospexisset, appropinquante Nabuchodonosor ad Ciuitatem, vt eam destrueret, fugam arripuerit in Ostracinam, & terram Ismaelis, ibique incolam permansisse, donec Chaldæi ex Ierosolyma remearent. Reliqua autem, quæ de eo affert, potius ad alterum Habacuc, quam ad istum pertinere existimamus; vix enim possibile fuit tanto tempore superuixisse. Ad Ordinis Prophetici alumnos hũc etiam Prophetam spectare ea, quæ adduximus *in Apparatu c.* 2. *et sub anno* 3184. sufficienter suadent. Quibus etiam consonare videtur Carolus Sigonius *de Repub. Hebræor. l.* 5. *c.* 9. vbi eũ Prophetico Collegio aggregandum insinuat. Accedit quod ipse c. 1. *Prophetam* se vocat (quod præter Aggæum, & Zachariam alij nouem minores Prophetæ non faciunt) quo non incongruè dici potest denotasse, se ex illorũ numero, & Ordine esse, qui tunc *Prophetæ* vocabantur; maximè id fieret credibile, si id quod habet paraphrasis quædam Chaldaica Compluti in codice manuscripto reseruata (prout refert Franciscus à sancta Maria in Historia prophetica *lib.* 2. *c.* 30. *num.* 5.) verum esset, hunc scilicet Habacuc filium fuisse mulieris Sunamitidis, quem à mortuis Pater Elisæus suscitauit, de quo *sub anno* 3143. diximus, sed hoc videtur omnino à veritate deuium, aliàs dicendum esset eum ferme 200. annorum spatio superuixisse. Sanctè tandem vixisse, & obijsse

Diuersus ab alio Habacuc.

Ordinis Prophetici cultor

ex

ex eo firmatur, quod eius festum die 15. Ianuarij in Martyrologio Romano ponitur, vbi nonnulla de ipso Baronius.

De alijs. 4 De alijs verò Prophetici Instituti cultoribus, qui sub hoc Manasse Rege vixerunt, & contra eum prædicantes, ab ipso interempti sunt, in sequentibus dicemus, & primùm sub anno sequenti de Isaiæ morte ab eodem patrata.

Annus mundi 3340. ante Christum 713.

Prophetæ cōtra Manassem. 1 LAMOR peccatorum Manasses sub hoc tempore in Cælum ascendebat, & ad ipsorum vindictam Dei iram irritabat. Medijs ergo seruis suis Prophetis hæc 4. *Reg. 21. v. 11.* illi intimabatur: *Quia fecit Manasses Rex Iuda abominationes istas pessimas super omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, et peccare fecit etiam Iudam in immunditijs suis, propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Ierusalem, et Iudam, vt quicunque audierit, tinniant ambæ aures eius, et extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Achab: et delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulæ, et delens vertam, et ducam crebrius stylum super faciem eius. Dimittam verò reliquias hereditatis meæ, et tradam eas in manus inimicorum eius, eruntque in vastitatem, et in rapinam cunctis aduersarijs suis.*

2 Hæc prædicabant Prophetæ; sed Rex nihilo melior effectus;

Sed ipse surdis auribus. surdis auribus ea excipiebat, & conuersus in arcum prauum eos crudelissimè lacerari præcipiebat. *Sanguinem enim*, inquit sacer textus *v. 6. innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem vsque ad os*, idest, *de latere ad latus*, vt Chaldæus vertit, vel *à porta vsque ad portam*, vt Pagninus.

Occidit Isai. 3 Inter eos autem sanctos Prophetas, quos impius Rex occidi fecit, Isaias Propheta vnus fuit. Cùm enim ille vitæ sanctitate clarissimus esset, Regio sanguine illustrissimus, vtpote ipsius Manasses valde propinquus, vt colligi potest ex dictis *sub anno 3225* (alij apud Hieronym. *in c. 20. Isaiæ, et 2. Paralipom.* minus probabiliter eum faciunt socerum, & auum ipsius) ætate prouectissimus, centenario videlicet maior, & Prophetiæ singulari dono dignissimus, nec ferre posset adolescentis Regis scelerata gesta, Regem, Principes, & populum obiurgabat, ingratitudinem exprobrabat, vitia redarguebat, eosque precibus, minis, verborumque acerbitate ad viam rectam trahere contendebat. Sed illi tam molestum interpellatorem & obtrectatorem sustinere nolentes, de medio tollendum curarunt. Aliam

eius-

eiusdem mortis causam tradunt Hebræi apud S. Hieronym. *in traditionibus & c.1. Isaia*, videlicet, quòd eos appellasset *Principes Sodomorum, & Gomorrha*. Sed cum hoc videatur illis annunciatum à multis retro annis (illud etenim habetur *cap.1.* eiusdem Prophetiæ) non videtur ex eo proximam, vel principalem causam desumendam. Probabilior ergo, sicut communior ea est, quam assignauimus; nec negamus ex parte ipsius Isaiæ aliam quoque fuisse, præoptasse nimirum ipsum crudelissima morte interimi, vt clariùs, & expressiùs quæ Christus passurus erat, mundo explicaret. Ita enim colligitur ex Origene *in cap.10. epist. ad Rom.* Chrysost. *ibid.* Tertulliano *lib. de patientia cap.14.* Causa mortis.

4 Quo tamen mortis genere occisus sit, etsi Scriptura non referat, communis traditio tenet serra lignea in duas partes crudeliter sectum occubuisse. Ita enim habet S. Hieronym. *in cap.57. Isaia*, quam vocat certissimam Hebræorum traditionem. Epiphanius *in vita Isaia*, Dorotheus *in Synopsi Prophetar.* Isidor. *c.37. de vita, et morte Sanctorum*, Eusebius *in Chronic.* Historia Scholastica *4. Reg.32.* & communiter alij, vno excepto Abulensi *4. Reg.21 q.18.* qui leui ductus fundamento id negauit. Hinc plurimi, ipso Hieronymo referente, illud quod ad *Hebr.11.v.3.* Paulus dixit, *secti sunt*, ad Isaiam referunt, & meritò, cum de nullo alio in serie Prophetarum, nisi de ipso hoc constet. Illud verò quod Thalmudistæ scribunt de Isaia, quod cum fugeret, in cedrum se abdiderit, & ibi vnà cum arbore serratum esse, pro fabula habetur. Quo genere mortis.

5 Illud etiam in ipsius morte contigit prodigium, quod Epiphanius, Dorotheus, historia scholastica, & alij narrant. Cum esset in agone, & aquam postulasset, nec ipsi data esset, diuinitus prouisum est, vt illi confestim daretur de sublimi in eius os missa, vt quidam putant, vel de fonte proximo erumpens, vt alij credunt. Propterea fons ille *Siloe*, idest, *missus* appellatus. Alia de hoc fonte, & Isaiæ sepulchro sub quercu Progel idem Epiphanius. Cuius etiam meminit Martyrologium Romanum die 6. Iulij, qua eius festum, vtpotè sanctissimi viri recolitur. Vide Baronium ibid. Prodigium in morte Isaiæ.

Anni mundi 3341. 3342. 3343. ante Christum 712. 711. 710.

Insaniebat Manasses in Prophetas.

1 RVDENTI coniectura credimus his tribus annis immediatè præcedentibus captiuitatem Manasses, id tempus fuisse, quo insanijsse scribitur in Dei Prophetas, plurimos eorum crudeliter interimendo. Ipsorum enim sanguis est ille, quem sacra Scriptura 4.*Reg.* 21. *v.* 16. *innoxium* appellat, vt vidimus sub anno præcedenti, & tradit Iosephus *lib.* 10. *antiquitat. c.*4. Abulensis *q.*16 *et* 17. quos alij Expositores sequuntur. Vnde Sanchez ibidem: *Licet quinam hi fuerint, quorum sanguinem Manasses effudit, ex Scriptura non constet, est tamen verisimile, illorum fuisse Prophetarum, per quos Deus Regis impij peccata reprehendit, aut qui sequi noluerunt illius mores, & institutum, aut qui illius intemperantiam liberius exprobrarunt.* De causa autem propter quam eos occiderit, sic habet Torniellus *sub anno* 3338.*n.*3.

Quam ob causam.

Causa autem cur etiam Prophetas interimeret, erat, quia ipsum, & cum eo populum pariter arguebant de tot, tantisque sceleribus, quæ quotidie, ipso Rege in primis auctore, committi videbant, & pro his multa eademque grauissima eisdem à Deo imminentia mala prænunciantes comminabantur. Quot autem ij Prophetæ à Manasse occidi iussi fuerint, sic describit Iosephus relatus: *In omnes quotquot erant in Hebræis, iustos grassabatur cædibus, ne à Prophetis quidem cruentas manus abstinens; Nam & ex horũ numero per singulos dies aliquem afficiebat supplicio, vt Ierosolyma sanguinibus inundaretur.* Quo sane habetur magnã horum Prophetarum, qui ab ipso occisi sunt, multitudinem fuisse. Vnde illud Ierem. 2. *Deuorauit gladius vester Prophetas vestros,* ad hanc quotidianam Prophetarum internecionem refert Cornelius *ibid.* ex Hugone, Lyrano, & Dionysio sic dicens: *Manasses enim quotidie Prophetam aliquem perimebat, ait Iosephus* 10. *Antiq.* 4.

Quot fuerint occisi.

An fuerint ex Ordine Prophetico.

2 Fuisse autem huiusmodi Prophetarum ingentem cohortem ex Ordine Prophetico Samuelis, & Eliæ, præter adducta *in Apparatu cap.* 2. & *sub anno* 3184. etiam confirmat sequens ratio. Vel enim omnes isti appellantur *Prophetæ*, quia spiritu Prophetico illustrati omnes futura prædicerent, vel quia essent personæ Deo deuotæ Dei cultui specialiter dicatæ, & populum vita, doctrina, & prædicationibus admonentes. Primum sane nullus prudens affirmabit, quorsum enim tam magnus Prophetarum futura præuidentium numerus, vt per singulos dies aliquis eorum (vt Iosephus dicebat) suppli-

cio

cio traderetur, in pusillo Iudææ Regno esset? quis talia finxit? Vix vnus Nahum, Abacuc, vel alius ex illis erat, qui tamen (vno excepto Isaia) occisi à Manasse non scribuntur. Necesse ergo dicere est hos appellatos *Prophetas* posteriori sensu, quia scilicet gens erat Deo deuota, ipsius cultui specialiter addicta, & talis vitæ, & doctrinæ, quod posset Regis, & populi peccata redarguere, vt propterea neci traderetur. Cum autem Samuelis, & Eliæ discipuli tales essent, manifestè sequitur hos vocatos *Prophetas* ex eorum numero fuisse. Quod etiam ex nostris tenet Franciscus à sancta Maria *in histor. Prophet. Hispanè l.2. c.28. num.3.* Probabilior sententia.

3 Nec solum existimamus Prophetas huiusmodi ex eorum serie esse, quos non simpliciter, sed aliquo duntaxat modo ad Ordinem Propheticum spectare diximus *in Apparatu dicto c.2. nu. 31.* eo quod matrimonio iuncti vxores ducerent, & filios procrearent, vt proinde veri Religiosi esse non possent. Putamus enim plures, vel saltem aliquos eorum ex illis fuisse, qui in Collegio illo Prophetali Ierosolymitano, de quo *sub anno 3154. n. 12.* diximus, viuebant. Ij namque inter alios præcipuè Dei cultui deuoti, & astricti erant, & in populis legis diuinæ obseruantiam prædicabant, ac proinde primi essent, quos Manasses exosos haberet, & crudeliter tractari, ac trucidari præciperet. Inter quos (aliquos saltem) fuisse, qui trium votorum aliquali obseruantia constricti, ad vitæ Religiosæ normam aspirarent, ex ijs, quæ etiam diximus *in Apparatu c.4.* colligi satis potest. Qui tales fuerint.

4 Nec temerè affirmamus de eis prædixisse Isaiam ante hoc tempus ea, quæ de Eunuchis *cap.56. à v.3.* scripsit dicens: *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerunt, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Hoc enim loco loquitur Propheta de Eunuchis spiritualibus, illis scilicet, qui continentiam voluntariam, vel ex voto aliquali obseruant, vt docent Hieronymus, & Cyrillus *ibidem*; Augustinus *de S. virginitate cap. 24.* Basilius *in lib. de vera virginit.* Ambrosius *in exhortat. ad virgines*, & Gregorius *3. p. pastor. c.29.* quos refert & sequitur Bellarminus *lib. 2. de Monachis c.9.* contra Petrum Martyrem, & alios Sectarios, & communiter alij, specialiter Mendoza *in quodlib. quodlib. 4. exposit. num. 5.* Suarez *3. to. de Relig. lib. 3. c. 1. n. 3. & l. 9. c. 1. n. 17.* (id doctè colligens ex Tertulliano *lib. 1. ad vxorem cap. 6.*) Basilius de Leone *lib. 1. de matrim. c. 19. n. 2.* & Spinellus *lib. de Deipara c. 32.* & ratio est, quia vt docet Michael Medina *de sacror. homin. continentia lib. 3. c. 32.* communis Eunuchi spirituales.

sensus Patrum est Isaiam de eisdem Eunuchis locutum fuisse, de quibus Christus *Matth.* 19. dicens: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Quem locum de eunuchis spiritualibus, eis videlicet, qui voto aliquo castitatis ligati sunt, intelligendum probat idem Bellarminus *d. lib. c.* 23. contra eosdem Sectarios, ex Epiphanio *hæres.* 58. Hieron. *ibid.* Augustino *de sancta virginit. c.* 30. & Fulgentio *lib. de fide ad Petrum c.* 3. pro quo etiam refert Suarez Tertullianum *lib. de patientia c.* 13. Clem. Alexandrin. *lib.* 3. *stromat. circa princip.* Fulgentium *epist.* 3. *ad Probam c.* 6. & alios, quatenus asserunt hos spadones esse illos, qui perpetuam castitatem profitentur: Vnde Epiphanius *dicta hæres.* 58. & Anastasius Sinaita *in quæstionib. S. Script. q.* 66. Monachos appellant eunuchos. De quo sub anno mundi 4086. iterum loquemur. Imò, vt ipse Bellarminus ibidem dixit: *Ipsa eunuchorum appellatio perspicuè indicat votum, non enim est eunuchus, qui solum continet, sed qui non potest non continere.* Quemadmodum enim eunuchus corporalis est ille, qui in carne habet aliquod impedimentum ad coniunctionem carnalem, sic eunuchus spiritualis erit ille, qui in spiritu, & voluntate habet illud, nempe votum. Legatur Pamelius in Tertullianum *in scholijs ad c.* 9. *lib. de cult. fœmin.* 1. *&* *ad c.* 6. *lib.* 1. *ad vxorem.* Loqui autem Euangelistam non solum de Lege Euangelica, sed etiam de Lege scripta optimè docet Salianus *tom.* 3. *Annal. sub anno* 3021. *in scholio* 1. dicens: *Videtur Dominus non de re tantum futura, sed iam tum vsitata loqui, nam octingentis, & amplius annis dixerat Isaias c.* 56. *Et non dicat eunuchus, &c.* Similiter & Prophetam nō solum de eunuchis spiritualibus Legis Euangelicæ propheticè loqui (vt non rectè quidam putarunt) sed & de illis, qui tempore Legis scriptæ erant, clarè colligitur ex Augustino *in lib. contra Adamantum Manichæum c.* 3. vbi cum hæreticus affirmasset vetus Testamentum nouo esse contrarium, ex eo quod in veteri commendatur matrimonium, in nouo autem cælibatus, respondet Augustinus inter alia, etiam in veteri Testamento laudari cælibes, illis verbis ex Isaia relatis: *In veteri* (inquit) *Testamento habent apud Isaiam, quanta promittantur spadonibus, ne in nouo solo arbitrentur esse laudatos à Domino, vbi dicit esse quosdam, qui se castrauerunt propter Regnum cælorum. Nam & Isaias ita dicit:* Hæc dicit Dominus spadonibus, &c. Hæc Augustinus. Esse autem conforme Prophetæ, ex eo deducitur, quia vt intuenti patebit, intentum ipsius eo capite est omnes homines cuiuscunque legis, status, & conditionis ad bene agendum excitare, & promouere. Imò de Legis scriptæ eunuchis spiritualibus intelligēdum ex eo probatur, quod illi præcipuè erant, quos consolari intendebat propter captiuitatem

Qui tales Eunuchi.

Fuerunt in lege veteri aliqui ex illis.

tatem, & alia flagella ipsis imminentia ex ipsis etiam verbis promissionis illis factæ, quæ ferme similia sunt ijs, quæ de Rechabitis refert Ieremias *c.35.* & nos expendemus *sub anno* 3435. infertur tum de hominibus illius temporis loqui Isaiam, tum de illis, qui ex filijs Prophetarum trahebant originem, quales fuisse Rechabitas diximus *sub anno* 3159. Tales autem Eunuchos spirituales fuisse etiam in veteri Testamento, præter dicta de Elia, Elisæo, & filijs Prophetarum *in Apparatu c.* 4. confirmat, & illud 1. *Paralipom.*28. *v.*1. vbi in Concilio à Dauide coacto ante suam mortem recensentur etiam *Eunuchi*; qui erant nutritores, instructores, & doctores filiorum Regis, viri casti, & honesti, vt habent Lyranus, & Dionysius *super hunc locum*, & Salianus superiùs relatus dicens, eos vitam Religiosam & continentem duxisse. Adde Epiphanium, & Anastasium Sinaitam relatos, qui Eliã inter hos Eunuchos recensent, prout & faciunt Robertus Arboricensis *tom.*1. *de Cœlibatu*, & Franciscus Somnius *in demonstrationibus tract.*12. *c.*5. dum ipsum Eliam, & Elisæum inter præfatos Eunuchos numerant. His quoque iungitur Bouldducus *in lib. de Eccles. post legem c.*12. §. *Nihil igitur*, vbi hos Eunuchos ab Isaia commemoratos dicit fuisse Enoscænos, & Rechabitas.

4. Nec incongruè etiam ex huiusmodi Rechabitis aliquos à Manasse occisos fuisse suspicari possumus, ipsi namque eo tempore in Regno Iuda erant, viri Deo deuoti, ipsius cultui addicti, & Legis obseruantissimi, vt propterea non immerito in eis quoque de medio tollendis insudasse credi fas sit. An ex Rechabitis aliqui occisi.

Annus mundi 3344. ante Christum 709.

1 PRÆSENS annus, qui septimus erat Regni Manasses, eatenus memoria nostra dignus erit, quatenus tempore isto captus credatur à Rege Assyriorum, & catenis, compedibusque vinctus in Babylonem abductus. Captum hunc Regem ab Assyrijs certa fide tenendum est, etsi enim in historia Regum non habeatur, in *secundo tamen lib. Paralipom. c.*33. expressè dicitur *v.*11. post relata eius, & habitatorum Ierusalem scelera: *Idcirco superinduxit eis Principes Regis Assyriorum, ceperuntque Manassem, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem.* Hoc autem anno id accidisse probat Salianus *hic n.*13. Qua verò de causa captus fuerit ab Assyrijs, quaue occasione contra illum bellum mouerint, nec ipse nec alius certi aliquid affirmare possunt, sacra Scriptura, Iosepho, & Patribus nihil Manasses captus. Qua ex causa

 de

de hoc dicentibus, ex quo meritò elicere possumus, propterea Deũ id celare voluisse, vt certo crederemus solum ipsius iniquissima scelera,& Prophetarum admonitionũ contemptum tanti supplicij causam extitisse. Quod non obscurè indicat Scriptura, quæ post relata eius crimina, & Prophetarum contemptum confestim subiunxit; *Idcirco, &c.* Alij etiam ex populi Principibus cum eo captiui abducti creduntur, quamuis Scriptura id non exprimat. Regem autem adeo inhumaniter, & crudeliter Assyrij vexarunt, vt non solùm catenis, & compedibus Babylonem vinctum ducerent, sed & in carcere ferro onustum (adeo vt caput sursum attollere non posset) detinerent. Dura ergo vexatio, seuera custodia, & præteritorum peccatorum recordatio ex scelerato adolescente virum fecit pœnitenté, Miser namque malo suo doctus, commissa delicta agnouit, Deum exorauit, orationemque composuit, quæ in Biblijs extra seriem canonicorum librorum seposita est, & olim inter canonicas scripturas à quibusdam censebatur. Exaudiuit ergo Deus clementissimus peccatoris preces, pœnitentiam admisit, à captiuitate liberauit, saluumque in Ierosolymam reduxit, prout anno sequenti, quo id creditur contigisse, referemus. Sacra Scriptura 2.*Paralipom.* 33. Expositores *ibidem*; specialiter Sanchez *in lib.4. Reg.c.21. nu.16.* Iosephus *lib.10.cap.4.*

Alij etiã Principes.

Conuertitur ad Deum Manasses.

Peccati Manasses enormitas.

2 Hoc tam acerbum Regis Manassis supplicium manifestè cõuincit, quam enorme crimen commiserit, Isaiam, & alios Dei Prophetas sacrilegè interficiendo; vt propterea etiam meritò cẽseamus, eos, qui ex illis residui erant, simul cum Rechabitis benigniùs toto tempore vitæ suæ in Ierosolymam reuersum dilexisse, & tractasse.

Annus mundi 3345. ante Christum 708.

Restituitur in Regnum.

1 REDITVR hoc anno Manasses in Regnum suum restitutus, & merito sanè. Etsi enim Scriptura nihil referat de tempore, quo in captiuitate fuit detentus, cum solum 2.*Paralipom.* 33.*v.*13, dicat: *Reduxitque eum Ierusalem in Regnum suum.* Nihilominus communiter asseritur breui tempore captiuum mansisse, alioquin Iudæi alium Regem eius loco creassent. Sed quo pacto liberatus fuerit, res est incerta. Hebræi apud D.Hieronym. *in traditionibus Hebraic.* asserunt in vas æneum perforatum igni applicatum immissum fuisse, ibique inuocasse nomina Idolorum, quæ coluerat, & cum ab illis non exaudiretur, ad Deum clamasse, eumque exaudisse, & in Regnum

Quo pacto.

gnum

gnum suum veluti Habacuc Prophetam reduxisse. Hoc tamen figmentum existimatur Hebræorum. Auctor imperfecti *in Matth. hom.* 1. *c.* 1. affirmat, quòd cum in carcere detineretur, & solo pane hordeacco, & aqua aceto admixta aleretur, Deum orasse, factaque circa eum flamma ignis vincula ipsius liquefacta esse, & sic liberum reuersum in Ierosolymam: sed hoc etiam, cum multa miracula inuoluat, non magnam facit fidem & Rabbinorum figmenta sapit. Probabilior ergo modus libertatis Manassis ille creditur, quòd Nabuchodonosor (Merodachus nuncupatus) qui eum in vinculis tenebat, in iuuenem Regem mitiùs inclinatus, ætati, & fortunæ indulgens, & quod plus est, à Deo motus, qui pœnitentis Regis orationem feruentissimam exaudierat, liberum dimiserit, sub fide vectigalis annui ipsi tribuendi. Sic Saul Agag; Achab Benadab; Achilles Priamum; & Carolus Quintus Fräciscum Regem Gallorum sub hac, vel alijs conditionibus liberos dimiserunt. Salianus *sub hoc anno.*

Anni mundi 3346. vsque ad 3349. ante Christum 707. vsque ad 704.

1 TSI variæ, multumque diuersæ de tempore, quo historia Iudithæ contigit, sententiæ Doctorum reperiātur, alij enim ad Xerxis, vel Cambysis tempora post Babylonicam captiuitatem eam referunt cum Eusebio *in Chronic.* August. 18. *de Ciuitate Dei*, Beda *l. de sex ætatibus*, & Ribera *in c.* 2. *Nahum*, alij verò, etsi ante captiuitatem eam accidisse dicant, ad Sedechiæ tamen, vel Iosiæ ætatem pertinere existimant. Nos tamen, vt probabiliorem supponimus sententiam aliorum affirmantium hanc historiam ad hæc tempora Manassis spectare: ita enim probant Bellarminus *lib.* 1. *de verbo Dei c.* 12. Pererius *lib.* 1. *in Danielem*, Serarius *in cap.* 1. *Iudith*, & alij, quos sequitur Salianus *sub anno* 3344. *n.* 7. & 8. Hoc ergo tempore cum Nabuchodonosor Merodachus cognomine Assyriorum Rex nimis exaltatus corde esset ob victoriam, quam contra Arphaxad Medorū Regem obtinuerat, & quod Manassem Iudæorum Regem captiuum tenuisset, voluit omnem terram suo subiugare imperio. Missis ergo nuncijs, ijsque à Principibus Ciuitatum reiectis, Holofernem militiæ Principem cum magna potentia, copijsque instructis destinauit, vt quod voluntariè iugum acceptare nequiuerant, inuiti recipere cogerentur. Is multis vrbibus, castellis, arcibusque expugnatis, alijsque Assyriorum dominio adiunctis à solis Israëlis filijs, qui ieiu-

Iudith histor.

Circa hæc tépora.

nijs, & orationibus intenti Deo fidebant, contemptus, & à fœmina vidua Iudith virtutum donis famosissima, quæ fugam e Bethulia simulauerat, dum in oculis eius captus est, capite truncatus miserè periijt, toto ipsius exercitu fugam arripiente, & populo Hebræorum, Deum, & Iuditham gloriosè magnificante. Sacra Scriptura *in libro Iudith*, & expositores *ibid.*

2 Vnum tantum pro nostris Annalibus historia hæc suppeditat non prætermittendum, misisse videlicet Nabuchodonosor Assyriorum Regem ante huiusmodi expeditionem sub Holoferne Duce destinatam nuncios ad omnes (inquit Scriptura *Iudith. 1. v. 8.*) *qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano, & ad gentes quæ sunt in Carmelo, & inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon, & ad omnes, qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem vsque ad Ierusalem, & omnem terram Iesse, quousque perueniatur ad terminos Æthiopiæ*, vt scilicet eius subiecti essent Imperio. Quæri enim potest, quis sit hic Carmelus, & quænam gentes in illo habitasse dicantur? Sed ad primum facile responderi potest, eum fuisse Carmelum Eliæ nostrorum Prophetarum commune & vulgatum habitaculum, non illum Carmelum Laban, quem in Tribu Iuda situm esse *sub anno 3236. n. 2.* diximus. Hoc enim suadetur ex eo, quòd immediatè *inhabitantes Galilæam* recenseantur, hic enim noster Carmelus Galilææ adhæret, vt propterea Nazareth Galilææ ciuitati proximus sit. Accedit quòd cum Carmelus hic longè nobilior, clarior & celebrior, quàm Carmelus Nabalis fuerit, de eo semper intelligi debet Scriptura, cum indistinctè de Carmelo loquitur. Et ita de hoc Eliano Carmelo hunc locum intelligit Celada *in Iudith c. 1.* Sed quænam hæ gentes, quæ in Carmelo esse describuntur? Sanè in hoc nostro Carmeli monte gentes, aut populos extitisse non constat, nisi solum apud Plinium *lib. 5. c. 19.* qui in Carmelo fuisse oppidum *Carmelum* etiam appellatum, primitus *Ecbatanam* refert. Ergo dici posset cum Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 2. c. 13.* gentes inhabitantes Carmelum, eas appellari, quæ in circumuicinis oppidis vel vrbibus degebant. Nicolaus Serarius *in Iudith cap. 1.* has gentes *Carmelitas* vocat, & Hugo Cardinalis ibid. *Religiosos*. Quod procul dubio nostris eremitis ibi commorantibus, iuxta dicta *sub anno 3236.* iure applicari posset: nisi obstaret, pauperes, & humano auxilio destitutos viros non potuisse contradicere potentissimo Regi ipsos volēti subiugare, quemadmodum accidisse Scriptura commemorat. Sed nec hoc multum vrget, cum prudenter existimari possit, eos diuino auxilio & aliorum populorum confinium Galilææ, & Samariæ consortio fretos tyranni imperium repel-

Nuncij missi ad Carmelum

Qui habitantes Carmelũ

repellere debuisse. Sicque in re dubia, & quam nullus alius tetigit, respondendum censemus. Accedit, quod si nouissimis Carmeli descriptionibus, quas *sub anno 3236.* retulimus, fidem, vt par est, adhibeamus, in ipso Carmelo plura hoc etiam tempore oppida cernuntur, videlicet *Esfia*, *Curritaria*, *Dubel*, *Aain*, *Gaul*, *Aain hud*, præter alia quoque, quæ in decliuio & versus Nazareth etiam recensentur, in quibus, & alijs, quæ euersa fuerunt, quæ S. Scriptura hic commemorat, de gentibus Carmeli incolis verificari iure possunt.

Anni mundi 3350. vsque ad 3376. ante Christum 703. vsque ad 677.

1 OTVM ferme hoc tempus quasi vacuum est in diuinis, & humanis litteris. Hæ namque nihil ad nostrũ intentum suppeditant, cum solùm ex illis principaliora & notabiliora hominum gesta, casusque referre decreuerimus. Ex sacris autẽ Litteris id duntaxat habemus, Manassem Regem, postquam ex captiuitate liber euaserat, mutatum in virum alterum, piè, religioseque vixisse. Vnde de ipso *2. Paralipom. 33. v. 13.* sic dicitur: *Et cognouit Manasses* (post captiuitatem videlicet) *quod Dominus ipse esset Deus. Post hæc ædificauit murum extra Ciuitatem Dauid, ad occidentem Gihon in conualle ab introitu portæ piscium per circuitum vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer: constituitque Principes exercitus in cunctis Ciuitatibus Iuda munitis, & abstulit Deos alienos, & simulachrum de domo Domini; aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & in Ierusalem, & proiecit omnia extra vrbem. Porrò instaurauit Altare Domini, & immolauit super illud victimas, & pacifica, & laudem: præcepitque Iudæ, vt seruiret Domino Deo Israël.* Eius quoque post conuersionem res bene gestas auctor imperfecti oper. *in Matth. hom. 1.* sic explicat: *Seruiuit soli Domino Deo in toto corde suo & in tota anima sua omnibus diebus vitæ suæ, & reputatus est iustus.* & Iosephus *lib. 10. antiquit. c. 4.* sic: *Adeoque in melius mutatus est, vt ex quo Deum colere cæpit, toto vitæ tempore prædicatus sit beatissimus.* Lege Cyrillum *lib. 5. in Ioannem c. 17.* & Comestorem *in histor. scholastica.*

Manasses pius factus.

Quæ gesta ipsius.

2 Subiungitur præterea in *dicto 2. Paralipom. 33. v. 18.* sic: *Verba quoque videntium, qui loquebãtur ad eum in nomine Domini Dei Israël, continentur in sermonibus Regum Israel.* Cum autem *videntium* nomen iuxta dicta *in Apparatu c. 7. n. 3. Prophetas* indicet, ideo certum est plures Prophetas eius tempore non solùm ante captiuitatem ipsius, sed & post

Videntes qui dicantur.

& post illam ipsi prophetasse, gestaque eius scripsisse, ac perinde non omnes Prophetici Ordinis alumnos, sed plures duntaxat ab eo interfectos fuisse. De isto autem libro *sermonum Regum Israel*, seu Iuda (quoniam ex quo deletum fuit Regnum decem Tribuum, nomen Israel in Iuda commutatum est) nulla extat memoria, sicut nec de alio, de quo in dicto *cap. 33. v. 29.* fit mentio, libro scilicet *sermonum Hozai*. Quod enim aliqui dicunt per Hozai intelligi Isaiam, difficile creditu est, cùm Isaias nihil de Manasse scripserit. Apud 70. legitur pro Hozaï *Videntium*, ex quo roboratur id quod diximus, Prophetici videlicet Ordinis cultores, qui hoc etiam nomine vocabantur, & qui à Manasse multa mala pertulerant, tam eorum, quàm bonorum, quæ gessit post conuersionem, historiographos fuisse.

Anni mundi 3377. vsque ad 3386. ante Christum 676. vsque ad 667.

Tobiæ obitus 1 X sacris Litteris id vnum præcipuè hoc tempore habemus, obitum videlicet Sancti Tobiæ senioris, eximiæ sāctitatis viri. Genus ipsius fuit ex tribu nephtali, patria Galilæa superior, oppidum natiuum, prout in Græca editione habetur, Thisbe, ex qua etiā Elias noster oriundus putatur ab aliquibus, etsi immeritò, vt *sub anno 3123 n. 4.* diximus. Maturè à Deo probatus rebus aduersis fuit: vtroque namque parente puer orbatus, & iuuenis captiuus Niniuem ductus, multa mala perpessus est. Viam tamen veritatis non deseruit, sed religione erga Deum, misericordia & beneficientia erga proximos sic eluxit, vt Deo acceptissimus, & Salmanassari Regi Assyriorum gratus propterea effectus esset. Defunctorum cadauera, quos Senacherib Rex à Iudæa reuersus indignatus occidebat, ipse sepelienda non sine vitæ periculo sedulò curabat. Hinc cum à mortuorum sepultura quadam die fatigatus venisset, & iuxta parietem paululum somni capturus sese iactasset, Deo sic prouidente, vt patientiæ ipsius haberetur exemplum, hirundinis stercore excæcatus fuit. Ludibrijs quoque, & opprobrijs consanguineorum, quæ humilibus deprecationibus superabat, piè exercebatur. Vxori, filio, Tobiæ quoque nomine, monitis, & consilijs adiuuandis non deerat; eiusque meritis factum est, vt Raphael Angelus filio comes esset vsque in Rages ciuitatem Medorum, à piscis deuoratione erueret, à dæmonis insultu liberaret, & incolumem ad patriam reduceret. Vita tandem longæuus, centum videlicet, & duorum annorum, monitis, & præceptis

Gesta ipsius.

ceptis salutaribus suos instruens obdormiuit in pace. Prophetauit morti proximus de interitu Niniue, reditu Iudæorum in terram suã, & vocatione gentium ad veri Dei cognitionem. Sacra Scriptura *in lib. Tobiæ*. Expositores *ibidem*.

2 Non tamen propterea eum inter Ordinis Prophetici alumnos recensemus, etsi enim Propheta fuerit, fuit tamen talis non ex instituto, aut ordinarius, sed extraordinarius solùm, & ex speciali Dei gratia, vt Amos pastor, & alij. Vt enim sæpe diximus, illi Prophetæ tantùm ad Propheticum Ordinem spectasse cẽsendi, qui ex instituto tales erant, Dei scilicet cultui, & laudibus canendis dicati, & in aliquo ipsorum Collegio instructi, quod de Tobia, qui merè secularis fuit (etsi vitæ sanctissimæ) prorsus sine fundamento diceretur. Non fuit Ordinis Prophetici.

3 Hoc tempore sub anno videlicet 3382. mortuus est Numa Pompilius secundus Romanorum Rex, cum 43. annos regnasset, prout ex Dionysio Halicarnaff. & Liuio colligit Salianus *sub eo anno num. 2.* successorem habens Tullium Hostilium in Regno, non sic in pietate, & religione. Qui tamen & Cælium montem Vrbi adiecit, & Romanos sibi beneficientia nouit conciliare. Dionysius, & alij. Numa Pompilius.

Anni mundi 3387. vsque ad 3391. ante Christum 666. vsque ad 662.

1 IS quatuor annis vix aliud (quod ad nostrum possit spectare institutum) historiæ suppeditant, præter ortum Iosiæ Regis, qui sub anno 3387. quinquagesimo videlicet Manassis Regis contigit, prænunciatus iam pridem à multis annis à viro quodam Dei Ordinis Prophetici Samuelis cultore (etsi non Eliani, cum Eliæ tempora antecesserit) cuius propterea historia nostris Annalibus extranea non est, & proinde illis inserenda. Iosiæ Regis ortus.

2 Accidit ergo anno mundi 3061. ante Christum 992. vt cum Ieroboam Rex Israël appellatus coniurasset aduersum Roboam filiũ Salomonis, ipsique decem Tribuum Regnum abstulisset, cum solum Roboamo Iudæ Regnum relictum esset, veritusque ne Israëlitarum populus, qui eum in Regem admiserat, occasione sacrificandi Domino in Ierosolymitano Templo, quod sub ditione Roboami erat, Ierosolymam ascenderet, ipsumque interficeret, vel derelinqueret, pessimum illud consilium inijsset, duos vitulos aureos conficiendi, & consecrandi, vt loco veri Dei in Dan, & Bethel à populo colerentur, Sacerdotes etiam pro suo arbitrio eis in locis constituisset, Historia de viro Dei.

ſet, vt idolis miniſtrarent, ipſeque veluti Summus Pontifex ſuper Altare Bethel coram vitulo incenſum oblaturus aſcendiſſet, vt quidam vir Dei de Iudæ Regno in Bethel veniret, & contra Altare ex mandato Domini ſic exclamaret: *Altare, Altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domus Dauid Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet. Deditque in illa die ſignum dicens: Hoc erit ſignum quod locutus eſt Dominus: Ecce Altare ſcindetur & effundetur cinis, qui eſt in eo.* Sacra Scriptura 3. *Reg.* 12. & 13. Expoſitores *ibidem* Ioſephus *lib.* 8. *cap.* 3.

Quiſnam fuerit.

3 Diſſentiunt autem valde Doctores circa hũc Prophetam, quiſnam videlicet fuerit. Ioſephus enim omnium antiquior *lib.* 8. *cap.* 8. eum vocat Iadon; Tertullianus *lib. de ieiunijs cap.* 16. Semiam; S. Hieronymus 2. *Paralip.* 10. Iaddo: Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromat. c.* 11. vocat Sameam filium Amame: S. Epiphanius *in lib. de Prophet. vita & interitu* appellat Ioam, atque à Samaria oriundum: communius autem tenetur vocatum Abdo, vel Addo, ſic enim habent Lyranus, Hugo, Dionyſius, & Sanchez, qui credit eum Addo fuiſſe, de quo 2. *Paralipom.* 9. *v.* 29. dicitur ſcripſiſſe geſta Salomonis *in viſione contra Ieroboam filium Nabath.* Hoc tamen meritò diſplicet Saliano *ſub anno mundi* 3061. *n.* 17. cum enim iſte Propheta occiſus ſit à leone hoc ipſo tempore, quod erat initium Regni Ieroboam, non apparet, quando potuerit ſcribere viſionem contra ipſum. Sed ſiue hoc ſiue alio nomine vocetur, ſiue fuerit Propheta aliquis incognitus, vt Abulenſis *q.* 17. tenet, illud certius ex Ordine Prophetico Samuelis fuiſſe, ſicut omnes alij eius ætatis, iuxta dicta *in Apparatu c.* 2. & *ſub anno* 3184. Addit Coria *in Chronic. Carmelitarum lib.* 4. *cap.* 8. diſcipulum fuiſſe Nathan, & ex Collegio collis Domini.

4 Proſequitur ſacra Scriptura 3. *Reg.* 13. huius Prophetæ hiſtoriam, iucundam ſanè, Deique prouidentia dignam, nec à noſtro inſtituto prorſus alienam. Poſtquam enim verba illa contra Altare comminatoria, & Regis Ioſiæ (cuius cauſa de eo agimus) ortum prædicentia, de quibus ſupra, ſubiungit S. Textus: *Cumque audiſſet Rex ſermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra Altare in Bethel, extendit manum ſuam de Altari dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad ſe; Altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de Altari iuxta ſignum, quod prædixerat vir Dei in ſermone Domini, & ait Rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea mihi; orauitque vir Dei faciem Domini, & reuerſa eſt manus Regis*

Regis geſta.

ad

ad eum, & facta est, sicut prius fuerat. Locutus est autem Rex ad virum Dei, veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera. Respondit que vir Dei ad Regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti. Abijt ergo per aliam viam, & non est reuersus per iter, quo venerat in Bethel. Propheta autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filij sui, & narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel, & verba quæ locutus fuerat ad Regem, narrauerunt patri suo, & dixit eis pater eorum; Per quam viam abijt? Ostenderunt ei filij sui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Iuda, & ait filijs suis: Sternite mihi asinum, qui cum strauissent, ascendit, & abijt post virum Dei, & inuenit eum sedentem subtus terebynthum, & ait illi: Tune es vir Dei, qui venisti de Iuda? Respondit ille: Ego sum. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, vt comedas panem. Qui ait: Non possum reuerti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto, quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reuerteris per viam qua ieris. Qui ait illi: Et ego Propheta sum similis tui: & Angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens; Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam. Fefellit eum, & reduxit secum: comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum, & exclamauit ad virum Dei, qui venerat de Iuda dicens; Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes panem neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Cumque comedisset, & bibisset, strauit asinum suum Propheta, quem reduxerat. Qui cum abijsset, inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer, & ecce viri transeuntes viderunt cadauer proiectum in via, & leonem stantem iuxta cadauer, & venerunt, & diuulgauerunt in ciuitate, in qua Prophetes ille senex habitabat. Quod cum audisset Propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit iuxta verbum Domini, quod locutus est ei, dixitque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cum strauissent, & ille abijsset, inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum & leonem stantes iuxta cadauer: non comedit

Inuitat Prophetam.

Propheta Senex.

Decipit ipsum

Occiditur à Leone.

leo

leo de cadauere, nec læsit asinum. Tulit ergo Prophetes cadauer viri Dei, & posuit illud super asinum, & reuersus intulit in ciuitatem Prophetæ senis, vt plangeret eum, & posuit cadauer eius in sepulchro suo, & planxerunt eum, heu heu mi frater. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est; iuxta ossa eius ponite ossa mea. Profectò enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra Altare, quod est in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in vrbibus Samariæ.

Sepelitur cũ honore.

Quis hic Propheta Bethelita.

5 Circa quæ cum perspicua sint, nec obscura, vnum solum inquirendum de hoc Propheta sene, qui habitabat in Bethel, & alium ad se ad prandium inuitauit, ipsius mortem prædixit, & cum eo sepeliri elegit, eiusque Prophetiam confirmauit, quis videlicet, qualisue homo, seu Propheta fuerit. Nec de nomine tantum quærimus, supponimus enim cum Paraphraste Chaldæo vocatum fuisse *Michal*, sed de re disputamus, an verus, vel falsus Propheta fuisset, bonus, vel prauus. Plerique namque eum falsum, mendacem, pseudoprophetam, vel fallacem vocant, vel esto Prophetam verum dicant, malum tamen, vel sceleratum hominem credunt: Sic fermè Iosephus relatus, Paraphrastes Chaldæus 3. *Reg.* 13. Rupertus *lib. 5. c. 6.* Comestor *lib. 3. c. 29.* Lyranus, Dionysius, Hugo, Caietanus, Vatablus, Sa, Sanchez & alij; vix alio fundamento, nisi quia Prophetam illum decepit, ei dicens: *Angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam.* Quis tamen non videat fundamentum hoc leue esse, nec propter ipsum impietatis condemnandum, quem sacra Scriptura non condemnat, quin potius plura de ipso laude digna refert? Primò enim mendacium illud officiosum potuit esse, vt habet Tornielius *sub anno 3060. n. 5.* Quorsum ergo propter ipsum impius, sceleratus aut pseudopropheta appellari debet? Deinde, etiamsi admittatur grauiter in hoc mendacio peccasse, huius tamen peccati malitia ex eo minuitur, quòd fine hospitalitatis, humanitatis, beneficientiæ, vel commiserationis erga eum, quod ieiunus ex Bethel, quo venerat recessisset, illud commisit. Non ergo tam grauiter, & enormiter peccauit, vt nulla excusatione dignus censeri debeat. Accedit tertiò, quod Theodoretus *in 3. lib. Regum q. 42.* eo fine falsis illis verbis vsum fuisse expressè dicat, vt *benedictionem ab eo acciperet*. Non ergo omnino peruersus erat. Maximè quartò, quia eum virum Dei, & Prophetam fuisse colligitur ex Sancto Augustino *in lib. de cura pro mortuis gerenda c. 7.* Theodoreto *vt supra*, imò ex D. Hieronymo *in cap. 3. Sophoniæ* qui piè satis, non nisi ex ore Iosephi, eum pseudopro-

Pseudopropheta creditur.

Impugnatur.

phe-

phetam appellare ausus est. Vnde eum verum Dei Prophetam vocat Sanchez relatus, & perdoctè probat Salianus *sub anno 3061.* contra Iosephum, qui in hoc Propheta deceptus, deceptionis causa alijs fuit. Vide Abulensem, & Serarium *in 3. Reg. 13.*

6 Nostra ergo cogitatio, imò vt credimus, veritas est, hunc senem fuisse verum Dei Prophetam, prout ex Patribus, & Auctoribus relatis habetur, & constat ex ipso Sacræ Scripturæ textu, vbi non semel, sed bis verum prædixisse conuincitur. Primò cum dixit: *Hac dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod praecepit tibi Dominus Deus tuus, & reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam, in loco in quo praecepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrũ patrum tuorum.* Secundò, cum in confirmationem prophetiæ illius, quam prædixerat in conspectu Ieroboam, adiunxit ipse: *Profectò veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra Altare, quod est in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in vrbibus Samariæ.* Tertiò quia tam *tertio Regum* 13. quàm 4. *Reg.* 23. *v.* 18. vbi iterum de ipso fit sermo, appellatur *Propheta* simpliciter, & non cum addito *Idolorum, falsus*, vel simili. Credimus etiam, quod etsi peccauerit mentiendo (nunquam enim mentiri licitum est, etiam ob quemcunque bonum finem) nihilominus non fuisse Idololatram, aut Idolorum cultorem, sed fidelem, vt probat Salianus loco relato haec dicens: *Quem ergo Scriptura impietatis non condemnauit, nec ego condemnabo, nec ero Augustino, vel Hieronymo sapientior. Nec fas esse duco Scripturam in seueriorem partem interpretari, cum possis in mitiorem. Nec credibile est pseudoprophetam, qui in eorum classe esset, qui Domini Prophetas capitali odio prosequebantur, hoc laborioso charitatis, & humanitatis officio erga eum vsurum fuisse, vt semel atque iterum ad eum proficisceretur, eique iusta religiosè dolenterque persolueret, aut etiam sibi sepulturam ad eius corpus electurum; quin id potius execratus, cadauer in flammas dedisset, & ventos. Denique neque impij neque infidelis dæmonum aut vitulorum cultoris videntur illa verba*: Profecto veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra Altare; *sed Deum potius agnoscentis, & credentis summam, quæ falli non possit, aut fallere, veritatem.* Quod optimè confirmat Theodoretus dicens: *Ostendit autem eum esse Prophetam, & non pseudoprophetam, quod & Deus per ipsum prædixerit homini Dei id, quod erat euenturum, & quod crediderit ea, quæ prædicta fuerant de Iosia, & quod filijs suis mandauerit, vt cum decessisset se cum eius corpore sepelirent.* Suaderi etiam potest, quia si Idololatra esset, aut Idolorum Propheta; procul dubio non abfuisset

Verus Propheta fuit.

Fidelis.

Confirmatur

 à so-

à solemnissimo sacrificio Idolorum, quod Rex Ieroboam in Regni sui principio tunc Bethel instituerat, non interfuisse autem certò colligitur ex sacra Scriptura loco relato, vbi dicitur, ex relatione filiorum suorum nouisse ea, quæ gesserat ille vir Dei coram Rege. Demum cum post plures annos Rex Iosias 4.*Reg.*23. sepulchrum istius hominis Dei reperisset, & in eo etiam ossa huius Prophetæ senis, ea ibi intacta reliquit, cum tamen si Idololatra, aut Idolorum Propheta fuisset, separari facere à sancti Prophetæ cadauere deberet, maximè si verum esset, quod R.Salomon refert, videlicet quòd in eo sepulchro ea parte, qua hominis Dei ossa continebat, herbæ pulchræ, & suauiter olentes cernerentur, qua parte verò senis Prophetæ cadauer claudebatur, spinæ nascerentur, & fœtentes herbæ. Si enim hoc ita contigisset, iure pius Rex Iosias cadauera separare deberet, quæ Deus signis adeo diuersis distincta esse voluit.

Rex Iosias.

7 Nec prædictis obstat, quod hic senex Propheta dicatur in præfato loco 4.*Reg.*23. venisse ex Samaria, & quòd tunc esset in Bethel, quæ erant Idololatrarum vrbes. Cum enim tunc esset initium schismatis Ieroboam, vix tempus fuerat, vt ex eis locis recessissent veri Dei cultores. Præsertim quia quemadmodũ post plures annos Elias, Elisæus, Michæas filius Iemla, Ionas, & alij plures Prophetæ Dei erant inter Israëlitas Idololatras, siquidem maxima eorum pars à Iezabele Israëlis Regina interfecta est 3.*Reg.*18. *&* 19. nam Deo sic prouidente, erant isti Prophetæ inter eos, vt illos verbo, & opere ad veri Dei cultum reuocare studerent, sic de isto sene Propheta dici potest. Multo minus obstat, quòd ipse dixerit ad virum Dei: *Quia non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, &c.* non autem *Dominus Deus noster*. Ex quo infert Caietanus, quòd ipse esset cultor Idolorum; sed non rectè. Primò (vt inquit Salianus) quia illa verba ipse non protulit ex seipso, sed Deus per os eius locutus est. Secundò quia ea videtur Hebræorum phrasis, sic enim Thecuites dicebat ad Dauid 2.*Reg.*14.*v.*17. *Dominus Deus tuus est tecum*: sic etiam Moyses passim loquens ad populum dicebat: *Dominus Deus tuus, &c.* vel similia.

Potuit esse in Samaria.

8 Iungimus præterea hunc Prophetam senem non solùm Dei Prophetam verum, nec cultorem Idolorum fuisse, sed magno cum fundamento affirmari posse, fuisse eiusdem Ordinis Prophetici à Samuele instituti, sicut & illum virum Dei, qui ex Bethel venerat: quod multis suadetur. Primò, ex nomine ipso *Prophetæ*, quod vt diximus est nomen Ordinis, vel Instituti Samuelis, iuxta dicta *in Apparatu cap.*2. *& sub anno* 3184. Secundò, ex eo quod esset in Bethel, constat enim

An Ordinis Prophetici asseclæ.

enim certissimè ex 4. *Reg.* 2. in Bethel fuisse collegium horum Prophetarum, qui ibidem *filij Prophetarum* appellantur, eosque propterea inuisere voluisse Eliam ipsorum Patrem ante raptum. Tertiò, ex illis verbis, quæ dixit ad virum Dei: *Et ego Propheta sum similis tui*, quibus denotari videtur eiusdem Professionis Propheticæ fuisse. Quartò, ex eo quod huiusmodi verbis assensum præbuerit vir Dei, quo etiam indicari videtur ex vestibus ipsius, vel alio signo cognouisse esse eiusdem Instituti. Quintò, ex eo quòd tanta cura, & solicitudine eum sepeliri fecerit, plangens & dicens: *Heu, heu mi frater*, ac voluerit cum eo sepeliri. Vnde consequenter asserendum videtur eos, qui ibi appellantur ipsius filij, fuisse illius discipulos, quorum ipse Pater, idest, magister, seu superior erat: constat enim ex dictis *sub anno* 3132. & ex 4. *Reg.* 2. discipulos Prophetarum appellatos esse *filios* eorum, eo quòd magister, seu superior ipsorum appellaretur *Pater*.

9 Illud tandem animaduertendum, quasi communiter teneri hunc virum Dei à leone occisum, sanctum, & saluum fuisse. Sic enim docet Sanctus Augustinus superius relatus, D. Gregorius *lib* 4. *Dialog. cap.* 24. Theodoretus *q.* 42. Cassian *collat.* 7. Rabanus, Angelomus, Eucherius, Sanchez, & alij, & colligitur ex eo quòd Iosias 4. *Reg.* 23. reperiens in eius sepulchro sanctitatis signa, intactum reliquerit, vel ergo eius peccatum tantum fuit veniale, leuis credulitatis videlicet, & ita propterea condemnari non meruit; vel esto fuisset mortale (quod non est credendum) contritione perfecta ante mortem expiatum putandum. Multa autem peccata, quæ solum venialia fuerunt, morte corporis punita à Deo fuisse probat Sanchez 3. *Reg.* 13. *num.* 17. — Propheta occisus à leone sanctus.

Anni mundi 3392. vsque ad 3394. ante Christum 661. vsque ad 659.

1 IS tribus annis finis impositus est vitæ, & Regno Manassis Regis Iuda, principium etiam & finem habuit Regnum Amon eiusdem successoris. Mortuo namque Manasse regnauit Amon solum duobus annis: De quo sic sacra Scriptura 4. *Reg.* 21: *verf.* 20. *Fecitque malum in conspectu Domini; sicut fecerat Manasses pater eius, & ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius: seruiuitque immunditijs; quibus seruierat pater eius, & adorauit eas, & dereliquit Dominum Deum patrum suorum, & non ambulauit in via Domini. Te-* — Amon Rex post Manassé

tenderuntque ei insidias serui sui, & interfecerunt Regem in domo sua. Imitatus itaque videtur patrem peccantem, sed non pœnitentem.

Ozai Propheta. 2 De huius Amonis Regis tẽpore scribens Chronicon Hebræorum affirmat prophetasse tunc Ozai. Verumtamen si hic Ozai, seu Hozai idem sit cum Isaia, vt aliqui etiam ex Hebræis existimant, procul dubio non prophetauit sub Amon, sed sub Regibus prædecessoribus, cum à Manasse Amonis patre occisus fuerit, vt diximus in superioribus. Si autem sit alius ab Isaia (cum paucissima inueniantur apud auctores) iudicare non possumus, an Ordinis Prophetici fuerit, sicut alij, an non; ideoque aliorum iudicio id remittimus.

Anni mundi 3395. vsque ad 3405. ante Christum 658. vsque ad 648.

Iosias Rex. 1 I decem anni primordia sunt optimi Regis Iudæorum Iosiæ. Cum enim Amon parens ipsius ob eiusdem scelera à seruis interfectus esset, constituerunt sibi Regem Iosiam filium eius octo tantum annorum pro ipso: qui *fecit quod placitum erat in conspectu Domini, & ambulauit per omnes vias David patris sui, non declinauit ad dexteram, siue ad sinistram*. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 21. *et* 22.

Ieremias Propheta. Meruit propterea adiutorem à Deo illi missum, Ieremiam videlicet Prophetam, qui sub ipso, eiusque filijs multa prophetauit, Idololatriam reprehendens, imminens exitium captiuitatis prædicens, & alia faciens, quæ suis locis dicemus. Huius enim clarissimi Prophetæ gesta extranea non sunt Annalibus nostris, cum putemus ipsum ad Ordinem communem Prophetalem spectasse, iuxta dicta *in Apparatu c.* 2. *& sub anno* 3184. Ad quod accedit, quod cœlibem, vel virginalem vitam egisse habetur S. Ignatius *in epistol. ad Philadelph.* Athanasius *orat.* 4. *contra Arrian.* Hieronym. *in prologo super Ieremiam, & lib.* 1. *contra Iouinianum*, Isidorus *de vita, & morte Prophetar. c.* 38. *et lib.* 2. *de officijs cap.* 16. Cassianus *lib.* 6. *de spiritu fornicat. cap.* 4. Glossa ordinar. *in c.* 35. *Ieremiæ*, quos communiter Expositores moderni sequuntur; præcipue Serarius, qui in *Triharesio lib.* 3. *c.* 9. eum fatetur *tota vita* sicut Eliam, & Elisæum castitatem seruasse: item Claudius Espinceus *lib.* 1. *de continentia c.* 1. eum cum Elia referens inter spirituales Eunuchos; maximè ex eo quod *cap.* 16. illi præceperit Deus; *Non accipies vxorem*, quod præceptum sine dubio S. Propheta adimpleuit. Vnde quod Chaldæus Paraphrastes *Ierem.* 37. *vers.* 12. eum filios habuisse dicit, exponendum est de discipulis, vt enim sæpius diximus

An Ordinis Prophetici.

ximus Prophetæ maximè illustriores discipulos habebant, qui eorum filij nuncupabantur. Ex eo autem quòd virginalem, vel cœlibem vitam Ieremias gesserit, ad Ordinem Propheticum spectasse elicitur, nam res tam ardua, & parum in populo Israëlis vsitata, vix apud alios, quam apud Eliæ sectatores reperiebatur. Elias enim, vt testatur Dorotheus *in synopsi Prophetar.* primus ex hominibus fuit, qui *vnam Angelorum, & hominum viam ostendit*. Hoc etiam non incongruè suspicari possumus ex eo quod *Ierem.* 13. *v.* 1. dicatur vsum fuisse lumbari, quod 70. appellant *cinctorium*, & Chaldæus *cingulum*, quod idem videtur esse cum zona, quam in vsu Eliæ, & discipulorum fuisse *sub anno* 3185. visum est. Vnde Bouldurus *in lib. de Ecclesi. post legem c.* 7. *§. Prioris generis*, eum vocat *Essæum*, id est, *Essenum*. Sigonius quoque *de Republ. Hebræor. lib.* 5. *c.* 9. Collegij Prophetarum alumnum eum existimare videtur.

2 Excitauit etiam Deus eiusdem Regis tempore alium Prophetam, Sophoniam videlicet, nonum inter Prophetas minores. Ipse enim in principio suæ prophetiæ testatur se prophetasse *in diebus Iosiæ filij Amon Regis Iuda*. Imo videtur ijs primis annis Iosiæ prophetare cœpisse, cum ea, quæ *cap.* 1. prænunciat de destructione reliquiarum Baal, post aliquot annos adimpleta fuerint. Huius etiam Prophetæ gestorum narratio nostræ historiæ & professioni Propheticæ competit propter generalem regulam sæpius assignatam; cui occinit Sigonius relatus. Sophonias Propheta. An Ordinis Prophetici.

Anni mundi 3406. vsque ad 3409. ante Christum 647. vsque ad 644.

1 AXIME his quatuor annis egregia facta Iosiæ Regis Iuda annumerare debemus, iam enim ad eam ætatē peruenerat, qua congruenter existimandum honoris Dei zelo feruentiori incaluisse, præsertim quia Sacra Scriptura 2. *Paralipom.* 34. *v.* 3. loquens de annis Regni sui, qui correspondent huic 3406. hæc habet: *Octauo autem anno Regni sui cum adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui Dauid, & duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundauit Iudam, & Ierusalem ab excelsis, & lucis, simulachrisque, & sculptilibus. Destruxeruntque coram eo aras Baalim, & simulachra, quæ superposita fuerant, demoliti sunt. Lucos etiam, & sculptilia succidit atque comminuit, & super tumulos eorum, qui eis immolare consueuerant, fragmenta dispersit. Ossa præterea Sacerdotum combussit in Altaribus Idolorum, mundauitque* Egregia facta Iosiæ.

uitque Iudam & Ierusalem. Sed & in vrbibus Manasse & Ephraim, et Simeon vsque Nephtali cuncta subuertit. Cumque Altaria dissipasset, & lucos & sculptilia contriuisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de vniuersa terra Israël, reuersus est in Ierusalem.

Iucunda pijs, & sanctis Prophetis.

2 Hæc porrò egregia facta Iosiæ Regis iucunda valde omnibus pijs, & iustis, qui erant in Israëlis Regno, iucundiora sanè fuerunt Prophetici Ordinis alumnis, tam ijs, qui Ierosolymis manebant, Rechabitis præsertim, quos semper permansisse constabit ex dicendis *sub anno* 3431. eis quoque, qui in aliarum Tribuum vrbibus, Collegijs, eremis, vel desertis, & Carmelo ipso morabantur. Cum enim ipsi supra commune populi vulgus, Dei cultui, & obsequijs dicati essent, maiori procul dubio voluptate, & lætitia affici deberent ob insignem hanc diuini cultus restaurationem, Iosiæ pietate factam. Ne autem lector offendat in id, quod S. Scriptura loco relato dicit de subuersione cultus Idolorum in vrbibus Manasse, Ephraim, & Simeonis, animaduertere oportet, quod etsi iuxta dicta *sub anno* 3310. à Salmanasaro Assyriorum Rege captiui ducti fuerint Israëlitæ decē Tribuum, nihilominus quia plures antea diuersa in loca fuga delapsi erant, postea cum hostes in sua regna se recepissent, ad proprias sedes remigrarunt, vt habet Sanchez 3. *Reg.* 23. *n.* 20. Quia ergo ij qui reuersi in suas sedes fuerunt, idololatriæ crimine infecti vsque ad hæc tempora permanebant, ideo Iosiæ zelo eorum aræ euersæ sunt.

Ieremias Propheta.

3 Dignus propterea pius Rex fuit, vt tempore ipsius, iuxta superius dicta, excitaretur à Deo Ieremias Propheta. Anno enim 13. Regni ipsius, qui correspondet anno mundi 3407. audiuit à Domino verba illa *cap.* 1. videlicet: *Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere puer sum; quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis; & vniuersa quæcunque mandauero tibi, loqueris: Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo; Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.*

Ieremiæ destinatio.

4 Circa quæ ad intentum nostræ Propheticæ historiæ duo animaduertenda, alterum illis verbis; *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum,* denotari *externam consecrationem, vel dedicationem externam* Prophetæ, vt ait Salianus *sub anno* 3407. *n.* 6. cui congruit illud Ecclesiastic. 49. v. 9. vbi dicitur, *à ventre matris consecratus Propheta*

pheta. Ex quo magis roboratur id quod iuxta quorundam placitum diximus *in Apparatu c.2.n.26.* omnes videlicet Prophetas vngi solitos in veteri Testamento; hæc enim consecratio, vel dedicatio Ieremiæ, quædam veluti externa vnctio illius fuit. Alterum est illud *v.17. Accinge lumbos tuos*, denotare etiam zonam Prophetalem, qua Prophetas vsos fuisse diximus *sub anno 3183*. Illa autem verba *v.5. Sanctificaui te*, esto alias expositiones admittant, illam non excludunt, qua dicitur, illis denotari Ieremiam in vtero matris a peccato originali, velut Baptistam emũdatum fuisse. Huic enim opinioni subscribunt Athanasius, Hieronym. Leo, Nazianzen. Origen. Ambros. Petrus Damian. S. Bernard. & communiter Expositores huius loci, & S. Th. *3. part. q.27. ar.6.* Vnctio. Zona.

Anni mundi 3410. & 3411. ante Christum 643. & 642.

1 CCIDIT circa hæc tempora historia illa de inuentione ossium Viri Dei, qui venerat ex Iuda Bethel, & prædixerat circa Altare ea, quæ Iosias hoc tempore adimplebat, de quo *sub anno 3387.* diximus ad Ordinem propheticum Samuelis spectasse. Cùm enim sanctus hic Rex alacriter vrgeret Idololatriæ euersionem, & Altare, quod erat in Bethel à Ieroboamo erectum penitus destruxisset, sepulchraque, quæ erant in eo monte, aperiri fecisset, & ossa, quæ in eis erant extraxisset, ac combussisset (iuxta eiusdem Viri Dei prophetiam) inuenissetque sepulchrum eiusdem Viri Dei, ac dixisset: *Quis est titulus ille, quem video?* Erat enim signum aliquod, statua videlicet, vel quid simile ab illo Propheta sene, de quo eo anno diximus, eo loco positum. *Responderunt ei ciues vrbis illius: Sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel.* Tunc ait Rex: *Dimittite eum, nemo commoueat ossa eius, & intacta manserunt ossa illius cum ossibus Prophetæ, qui venerat de Samaria.* S. Scriptura 4. *Regum* 23. Expositores *ibidem*. Hic Hebræi adiungunt id, quod loco relato diximus de herbis odoriferis, & suauè olentibus ex ea parte repertis, vbi viri Dei ossa iacebant, & ex fœtidis, & spinosis, quæ ex altera parte, vbi positum erat cadauer alterius Prophetæ senis, cernebantur, sed hæc videntur multis Iudæorum figmenta, esto vera esse possint. Inuentio ossium ViriDei.

2 His ipsis annis prophetasse perhibetur Sophonias, de quo *sub anno 3395.* dicere cœpimus. Nam ad 16. annum Iosiæ ipsius prophe-

phetiam refert *Castro in c. 1. Sophoniæ, & lib. 4. de Prophet. c. 8.* Ex ea autem ad nostræ historiæ Propheticæ notitiam spectare videtur illud *c. 3. v. 12. Et derelinquam in medio tui populum pauperem, & egenum, & sperabunt in nomine Domini.* Per quod non incongruè intelligi possunt ij, qui ex Ordine Prophetico ex captiuitate Babylonica futura in Ierusalem relinquendi erant, Rechabitæ videlicet, & alij de quibus dicemus *sub anno* 3431. Si enim iuxta sanctum Augustinum 18. *de Ciuitate c. 32.* quem refert Ribera hic locus iste intelligitur de illis, qui alijs pereuntibus relicti sunt, procul dubio non incongruè de ipsis accipiendus, vt etiam habet Franciscus a sancta Maria *in histor. Prophetica lib. 2. c. 30. n. 7.* non tamen propterea discedendum est à communi expositione, quæ hunc locum intelligit de Apostolis tempore Legis Euangelicæ, sed vtraque admittenda. De hoc Propheta S. Epiphanius *de vit. Prophet.* sic: *Vitam morte commutauit in Apocalypsi Domini, et in aruo suo solitarius funeratus est.* De eo agitur in Martyrolog. Romano die 3. Decembris.

Rechabitæ.

Anni mundi 3412. vsque ad 3421. ante Christum 641. vsque ad 632.

1 NCIDIT hoc tempore, anno videlicet 3412. qui erat 18. Regni Iosiæ, quod S. Scriptura 4. *Reg. 22.* refert nostræ historiæ non extraneum. Incumbente Rege Templi instaurationi, & pecuniæ, quæ erat in eo, collectioni, casu accidit vt reperiretur liber Legis, seu Deuteronomium, quod forsan Regum prædecessorum incuria perierat, vel latebat. Delatus ergo liber ad Regem fuit, & coram ipso lectus: qui animaduertens horribilia, quæ in eo comminabatur Deus Legis transgressoribus, populumque ea perpetrasse crimina, quæ Deus ibi punienda promiserat, diuinæ vindictæ timore perculsus, *scidit vestimenta sua, & præcepit Helciæ sacerdoti, & Haican filio Saphan, & Achobor filio Micha, et Saphan Scribæ, et Asaiæ seruo Regis dicens: Ite, et consulite Dominum super me, et super populo, et super omni Iuda de verbis voluminis istius, quod inuentum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius vt facerent omne, quod scriptum est nobis. Ierunt itaque Helcias sacerdos, et Haican, et Achobor, et Saphan, et Asaia ad Holdam Prophetidem vxorem Sellum, filij Thesuæ, filij Araas custodis vestium, quæ habitabat in Ierusalem in secunda, locutique sunt ad eam, et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dicite viro qui misit vos ad me: Hæc dicit Dominus.*

Liber Legis repertus.

Quid gesserit Rex.

Consulitur Holda Prophetissa.

nus: Ecce ego adducam mala super locum istum, et super habitatores eius, omnia verba Legis, quæ legit Rex Iuda, quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt Dijs alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum, & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. Regi autem Iuda, qui misit vos, vt consuleretis Dominum sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in stuporem, & in maledictum, & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me, & ego audiui, ait Dominus, idcirco colligam te ad patres tuos, et colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.

2 Circa quæ duo præcipuè nobis expendenda supersunt. Primum, quare non iuerint isti ad Ieremiam Prophetam in Iuda, & Ierusalem satis notum; vtpote qui iam prophetare cœperat; ad Sophoniam, aut Baruc, qui forsan tunc in viuis erant, vel ad aliquem virum ex Prophetis, & non ad fœminam? Abulensis *hic q.* 14. putat Ieremiam ab vrbe ea occasione abfuisse (quod idem de Sophonia, Baruc, & alijs dicere posset.) Quia tamen non satis credibile est, vel vnum ex illis Ierosolymis tunc non fuisse, ideo videtur dicendum tantæ auctoritatis hãc fœminam Prophetidẽ fuisse, vt alijs prætermissis, ad eam solam recurrendam existimauerint. Sic enim colligitur ex historia scholast. *super hunc locũ*, & fauet S. Hieronym. li. 2. cõtra Pelag. & clarissimè Caietanus dicens: *Deuotus Rex mittit ad mulierem solemnes valde nuncios. Quamuis enim Ieremias Propheta per quinquennium ante incepisset habere visiones Dei, non erat in auctoritate apud Regem, et Principes, et populum sicut ista mulier. Qualitas enim personarum missarum à Rege ad eam testatur fuisse eam tunc in maxima auctoritate sanctitatis, et Prophetiæ.*

Cur non Ieremias.

Magnæ auctoritatis hæc fœmina.

3 Secundum verò nobis inuestigandum est de hac Prophetissa, an ad Ordinem Propheticum, sicut de veris Prophetis diximus, spectauerit, & sanè in re incerta & obscura, & de qua nullus quidquam dixit, pars affirmatiua satis suadibilis videtur, non solum propter dicta *sub anno* 3297. sed etiam specialiter ex eo quòd Sacra Scriptura in loco relato ex 4. *Reg.* 22. *v.* 14. dicat eam habitasse in Ierusalem *in Secunda*: est enim *Secunda*, vt Paraphrastes Chaldaicus habet, *domus doctrinæ*, seu vt glossa, *scholæ*, quod etiam sequitur Pagninus, & Caietanus explicat, dicens *fuisse domum, in qua priuatim instruebat alios*; Vnde Genebrardus lib. 1. Chronolog. circa ann. mundi 3526. inquit: *Holda Prophetissa floret, scholas Ierosolymitanas moderatur.* De quo doctè

An Ordinis Prophetici.

Boul-

Boulducus *de Ecclesia ante legem l. 3. c. 18. §. Porro honorificum*. Rectè etiam nobilis quidā Gallus auctor libri, cui titulus: *Les Estats, Empires, Royaumes, & Principauteuz du monde*, in Tractatu *de Origine Religionum* dicit hanc Holdam fuisse veluti Abbatissam quandam alicuius Monasterij, & resedisse in secundo claustro Ierusalem vocato *domus doctrinæ*. Nec contraria est hæc expositio illi, qui asserit, quod *Secunda* esset quædam vrbis pars sic cognominata, prout habet sanctus Hieronymus *lib. 2. contra Pelagianos, & in traditionibus Hebraic. in 2. Paralipom. et in c. 1. Sophoniæ*, quem alij sequuntur; etsi diuersimodè assignent hanc partem ciuitatis, quæ vocatur *Secunda*: facile enim vtraque sententia conciliari potest, si dicamus hanc Prophetidem Holdam habitasse in parte ciuitatis, quæ dicebatur *Secunda*, & in domo doctrinæ, seu scholæ, quæ etiam *Secunda* sumpta denominatione ab ea parte ciuitatis vocabatur. Et sanè cum expresè notetur hic Holdam habitasse in *Secunda*, credēdum est hanc *Secundam* denotare aliquid singulare, & egregium (propterea enim in vulgata ponitur cum littera maiuscula) quod non videtur esse posse aliud, nisi quod hæc *Secunda* fuerit domus, in qua homines docebantur sapientiam, & doctrinam Legis. Quod confirmat traditio quædam Hebræorum asserēs, Ieremiam prophetasse cum Sophonia, & Holda, sed Ieremiā in vicis, ac plateis, Sophoniā in Synagogis, Holdam in cœtu mulierum. Nec mirum id doctis sit, huiusmodi enim fœminas Prophetides fuisse pastores, magistras, seu matres spirituales aliorum, eruditè probat Iacobus Boulducus *lib. 2. de Ecclesia c. 11.* Maximè id confirmat, quod pro *Secunda* Vatablus *locum dignitatis secundæ* à Tēplo intelligit, quia scilicet, vt habet Cornelius hìc *eo loco dabatur opera eruditioni & doctrinæ, quia in eo habitabant Prophetæ, & Doctores, ac inter eos Rechabitæ.* Hinc & Thalmud diuiditur in Misnam, & Gemaram. *Misna* enim secundam significat, quasi prima sit Lex Moysis, secunda sit Legis Thalmudica repetitio, & explicatio, imò & propter hæc forsan dum Vulgatus legit *vxorem Sellum*, septuaginta Sixtini habent *matrem*, eo scilicet quod quemadmodum Prophetæ Doctores, vt sæpius diximus, vocabantur *Patres* respectu discipulorum, qui vocabantur *filij*; sic & ista Prophetides doctrix *mater* vocaretur respectu discipulorum, quos instruebat.

Quid sit Secunda.

4 Ex hoc autem inferri eam fuisse Ordinis Prophetici Samuelis alumnam constat, quia ea Prophetarum Collegia, quæ primitus sub Samuele instituta sunt, & postea sub Eliæ, Elisæi, & aliorum præcipuorum Prophetarum regimine manserunt (de quibus nos sub anno 3154. diximus) etiam vocabantur *domus doctrinæ*, seu *scholæ*, & in

Collegia Prophetarum domus doctrinæ.

in illis is, qui præerat alijs, eos instruebat; Collegium enim, seu Cœnobium collis Dei, de quo Samuel monebat Saulem 1. *Reg.* 10. v. 10. & in quo dicitur ibidem fuisse *cuneum Prophetarum*, appellatur *schola ipsorum*, sic enim eū vocat Sanchez *ibid. n.* 26. & consonat Chaldæus Paraphrastes, illud appellans *Domum consessus*, similiter & aliud Collegium Naioth Ramatha *Domus doctrinæ* vocatur à Chaldæo Paraphraste; vnde Glossa ibidem ait ibi fuisse Samuelem docentem: & Salianus *sub anno* 2973. *n.* 31. subiungit: *Vt facile sit intelligere hoc loco institutos fuisse adolescentes, qui in Lege Domini erudirentur, totam rem moderante Samuele*. Item & aliud Collegium Masphat, prout colligitur ex Glossa 1. *Reg.* 7. Dicit enim, quod *Masphat* interpretatur *speculatio, contemplatio vel intentio*. Quod sic vlterius explicat: *Quia Doctor eos maximè docet, quos in intentióne contemplationis, & ad amorem patriæ calestis intentos esse perspexerit*. Clariùs Abulensis 1. *Reg.* 19. q. 31. de his & alijs Collegijs Prophetarum, quæ erant in Israel dicens: *In quolibet eorum erant multi viri, qui specialiter vacabant contemplationi, in comparatione ad alios homines, sicut nunc sunt Religiosi in comparatione ad populares, & isti in illis Collegijs vacabant studijs sapientiæ, & doctrinæ, & disciplinæ legis, & addiscebant facere cantica diuina laudis, & illa faciebant*. Rectè ergo poterant ista Collegia appellari *Domus doctrinæ*, *schola*, &c. ac per consequens incongruum non erit hanc Holdam Prophetissam, de qua in præsenti in eo Collegio vicē magistri, seu Doctoris exercuisse, & in eo Prophetas, & Rechabitas instruxisse, vt Cornelius hìc ex Vatablo inquit, ac per consequens ad Ordinem Propheticum aliquo modo spectasse. Holda Magistra, seu Doctrix.

5 Pius ergo Rex Iosias verbis Holdæ Prophetidis excitatus, cōuocato populo, accinxit se ad Dei causam promouendam. Irritamenta enim superstitionis impiæ aboleuit, Dei cultum renouauit, fœdusque, & pactum cum Deo inijt, vt ambularent post ipsum, præcepta eius custodirent, testimonia, & cerimonias toto corde, & tota anima obseruarent. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 23. Inter eos autem, qui cum Rege ad tam sanctam cerimoniam Templum Domini ascēderunt, *Prophetæ* numerantur v. 2. quos Chaldæus *Scribas* interpretatur, sed siue vnum, siue alterum dicatur, necesse est ex Prophetici Ordinis cultoribus eorum plures cum Rege fuisse. Vnde Salianus *sub anno* 3412 *nu.* 16: in eis recenset Ieremiam cum suo Baruch, Sophoniam, & Vriam, & Holdam Prophetissam. Sed cur non aliquos ex filijs Rechab, qui eo tempore in Iudæa erant, & pro filijs Prophetarum habebantur, imò ex discipulis Holdæ, vt ex Cornelio vidimus, & alios ex Propheticis Collegijs? Iosiæ gesta. Prophetæ Scribæ.

Anni

Anni mundi 3422. vſque ad 3425. ante Chriſtum 631. vſque ad 628.

Floret pietas, & Religio ſub Ioſia.

1 LOREBANT hoc tempore pietas & religio, & veri Dei cultus in Iudæa, & Ieruſalem, annitente Ioſia Rege, & coadiuuantibus Ieremia, Holda, & alijs pietatis columnis, Prophetis videlicet. In priuatis tamen familijs Idololatriam adhuc viguiſſe ex *c.7.8.9. & 11. Ierem. conſtat* vbi conqueritur Deus per Prophetã de obſtinata populi nequitia, qua viſis tot tantiſque ſupplicijs, quibus in eorum prædeceſſores animaduerterat, in eadem Idololatriæ peruerſitate, ſaltem in priuatis domicilijs, pertinaciter perſiſtebant. Adeo vt Ieremiam ipſum, qui eos ad pœnitentiam excitabat, & futura mala, niſi reſipiſcerent, prædicebat, occidere voluiſſent, prout aliqui inferunt ex illis verbis *Ieremiæ 11. v. 18. Demonſtraſti mihi, & cognoui; tunc oſtendiſti mihi ſtudia eorum. Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuſtè, & probas renes et corda, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui cauſam meam. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus noſtris.* Caſtro, & Sanchez ibidem.

Occulta Idololatria.

Holdæ Prophetidis prædictio impleta.

2 Adimpleta etiam eſt eodem tempore, anno videlicet 3425. iuxta computum Tornielli, & Saliani Holdæ Prophetidis prædictio de morte Ioſiæ Regis 4. *Reg. 22. v. 20.* illis verbis: *Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.* Quod ſic contigit. Pharao Nechao Rex Ægypti volens cõtra Regem Aſſyriorum procedere, cum valido exercitu per ditionem Ioſiæ Regis pertranſire tẽtabat. Ioſias autem proprij Regni periculum pertimeſcens, & forſan ne Aſſyrios contra ſe prouocaret, iter Ægyptio impedire conatus, abijt cum exercitu in occurſum ipſius, vt cum ipſo dimicaret in campo Mageddo. Ibi ergo à ſagittarijs vulneratus, funeſtiſſima cum Dei populo cæde vitam finiuit, ſepultuſque eſt in Mauſolæo patrum ſuorum, vniuerſo Iuda, & Ieruſalem ipſum plangentibus. Sacra Scriptura 4. *Reg. 23. & 2. Paralipom. 35.*

3 Additur in eodem loco *Paralipomenon* Ieremiam maximè Ioſiam

sam luxisse, *cui usque omnes cantores, atque cantatrices vsque in praesentem diem lamentationes super Iosiam recitant*. Ob quam causam plures, nec indocti, lamentationes Ieremiae, quae incipiunt: *Quomodo sedet sola Ciuitas, &c.* in funere Iosiae decantatas putant; quibus fauet Iosephus *lib. 10. c. 6.* Verior tamen sententia est eas lamentationes non nisi in totius Reipublicae Iudaeorum euersione, tempore Sedeciae Regis factas esse à Ieremia, de quo aliàs. Aliae ergo Ieremiae lamentationes pro Iosiae obitu factae sunt, quae non extant. Qui autem sint illi cantores, & cantatrices eas recitantes incertum est, maximè cum 70. legant *Principes, & dominatrices*, quae nullatenus cantoribus, & cantatricibus vulgaribus applicari possunt, forsan erunt illi qui in sacra Scriptura vocantur Prophetantes, & quorum capita erāt Asaph, Hemman, & Idithum, iuxta dicta *sub anno 3129. n. 3.* Cantores, & Cantatrices.

4 Post mortem Iosiae constitutus est Rex pro eo filius eius Ioachaz, qui malum fecit in conspectu Domini, & propterea tribus tantùm mensibus regnauit in Ierusalem. Tradidit enim illum Deus in manus Pharaonis Nichao Regis Ægypti, qui confecto bello in patriam rediens eum duxit in Ægyptum, Eliakim fratrem eius, mutato nomine in Ioachim, Regem constituens. Sacra Scriptura 4. *Reg. 23. et 2. Paralipom. 36.* Extat etiam insignis Prophetia Ieremiae *c. 22. v. 10.* de hoc Ioachaz in Ægyptū abducto illis verbis: *Nolite flere mortuum*, idest, Iosiam, *neque lugeatis super eum fletu, plangite eum, qui egreditur*, scilicet Ioachaz, *quia non reuertetur vltra, nec videbit terram natiuitatis suae. Quia haec dicit Dominus ad Sellum*, idest Ioachaz, *filium Iosiae Regem Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto: Non reuertetur huc amplius, sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur, & terram istam non videbit amplius*. Sicque adimpletum est, nec constat quamdiū superuixerit. Ioachaz Rex. Ducitur in Aegyptum.

Annus mundi 3426. ante Christum 627.

1 MPIETAS Ioachim Regis Iuda, qui hoc tempore regnabat, in causa fuit, vt quidam Propheta Dei eximius Vrias occideretur, & Ieremias in magno discrimine positus de vita periclitaretur. Quae sub hoc anno, qui primus erat Regni Ioachim, accidisse colligitur ex Ierem. 26. vbi casus illius dicitur contigisse *in principio Regni Ioachim filij Iosiae Regis Iuda*: Simulque refertur alter casus Vriae. Ioachim impius.

2 Vriae ergo casum refert sacra Scriptura *Ierem. 26. v. 20.* his verbis: *Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini Vrias filius Semei de* Vriae casus.

Cariathiarim: & prophetauit aduersus Ciuitatem istam, & aduersus terram hanc, iuxta omnia verba Ieremiæ; & audiuit Rex Ioachim, & omnes potentes, & Principes eius verba hæc; & quæsiuit Rex interficere eum: & audiuit Vrias, & timuit, fugitque & ingressus est Ægyptum, et misit Rex Ioachim viros in Ægyptum, Elnathan filium Achobor, et viros cum eo in Ægyptum, & eduxerunt Vriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Ioachim, & percussit eum gladio, & proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis.

An Ordinis Prophetici cultor.

3 Hunc verò Vriam ex Ordinis Prophetici alumnis fuisse, vt propterea eius historiam non prætermittere debuerimus, non solum dicta *in Apparatu c.2. & sub anno 3184.* suadent, sed etiam quod dicatur *de Cariathiarim*, quo loco Prophetarum Samuelis discipulorũ Collegium extitisse *sub anno 3154. n.4.* diximus. Vnde hunc Prophetam inter Propheticæ Professionis sectatores refert Coria *in Chronico Carmelitarum lib.6. c.22.*

Ieremiæ periculum.

4 De Ieremiæ porro casu, quomodo scilicet ob ea, quæ prædixerat contra Templum Domini, occidere eum vellent Sacerdotes, & Prophetæ, & qualiter ipse prudenter se excusasset, & mortis periculum effugisset, ex eodemmet Propheta c.26. sic habemus: *In principio Regni Ioachim filij Iosiæ Regis Iuda factum est verbum istud à Domino dicens: Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, & loqueris ad omnes Ciuitates Iuda, de quibus veniunt, vt adorent in domo Domini, vniuersos sermones, quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos: noli subtrahere verbum, si forte audiant, & conuertantur vnusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, vt ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, vt audiatis sermones seruorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis: dabo domum istam sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ. Et audierunt Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini. Cumque complesset Ieremias loquens omnia, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuersum populum, apprehenderunt eum Sacerdotes, et Prophetæ, & omnis populus dicens: Morte moriatur; quare prophetauit in nomine Domini dicens: Sicut Silo erit domus hæc: & vrbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator. Et congregatus est omnis populus aduersus Ieremiam in domo Domini; & audierunt Principes Iuda verba hæc, & ascenderunt de domo Regis in domum Domini, & sederunt in introitu portæ domus Domini nouæ. Et locuti sunt Sacerdotes, & Prophetæ ad Principes & ad omnem populum dicentes: Iudicium mortis est viro huic, quia*

Prophetia ipsius.

Conspiratio populi contra eum.

pro-

prophetauit aduersus Ciuitatem istam, sicut audistis auribus vestris, et ait Ieremias ad omnes Principes, & ad vniuersum populum, dicens: Dominus misit me, vt prophetarem ad domum istam, & ad Ciuitatem hanc omnia verba qua audistis. Nunc ergo bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersum vos, ego autem ecce in manibus vestris sum, facite mihi quod bonum & rectum est in oculis vestris. Verumtamen scitote, & cognoscite, quòd si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra Ciuitatem istam, & habitatores eius. In veritate enim misit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus vestris omnia verba hac, & dixerunt Principes, & omnis populus ad Sacerdotes, & Prophetas: Non est viro huic iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos. Surrexerunt ergo viri de senioribus Terra, & dixerunt ad omnem cœtum populi loquentes: Michaeas de Morasthi fuit Propheta in diebus Ezechia Regis Iuda, & ait ad omnem populum Iuda dicens: Hac dicit Dominus Deus exercituum: Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelsa siluarum. Nunquid morte condemnauit eum Ezechias Rex Iuda, & omnis Iuda? nunquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduersum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras: Subiungitur postea qualiter Ahicam filius Saphan vir inter Iudæos primariæ auctoritatis salutis Ieremiæ curam suscipiens, operam dedit, ne à populo interficeretur.

Excusat se.

Defenditur.

Ahicam.

5 Dubitatio tamen hoc loco existit, quinam fuerint hi *Propheta*, qui contra Ieremiæ vitam adeo sæuè coniurarant, vt eum morti tradendum iudicarent. Ex vna enim parte videtur Dei Prophetas fuisse, sicut & Sacerdotes etiam, qui eiusdem coniurationis consortes erant; nec enim in sacro Textu aliquod verbum est, quo denotetur illos fuisse falsos, aut Idolorum Prophetas, præsertim cum cultus Idololatriæ, saltem publicus non esset tunc in Ierusalem. Ad quod accedit, quod Chaldæus Paraphrastes eos appellet *Scribas*, quo nomine veros Dei Prophetas denotari diximus *sub anno* 3230. Ex alia verò parte communior videtur sententia hos fuisse pseudoprophetas, sic enim eos appellat septuaginta Interpretum versio, quod idem faciunt Glossa, Hugo Cardinalis, Dionysius, & alij. Addit Glossa eos fuisse, *qui videbantur esse Religiosi*; quo denotatur veros Prophetas Religiosos fuisse, & istos habitu, & gestu illis assimilari, non autem factis. Quodcunque tamen horum dicatur, sufficiētèr suadet id quod sæpiùs (vtpotè valde nobis necessarium) sedulò inculcamus; no-

Quinam hi Prophetæ.

men videlicet *Propheta* crebrius in S. Pagina non futura præsagientem, sed peculiaris cuiusdam Instituti, seu Ordinis hominem prænotare.

Annus mundi 3427. ante Christum 626.

Ieremiæ comminatio.

1 OC tempore Ioachimo Rege Iuda tyrannicè regnante, vtpote qui Vriam Prophetam, vt vidimus, de medio tulerit, crudelitate etiam, impietate, & idololatria Deo, & hominibus abominabili facto ad eum Ieremias c.22.v.18. & 19. inter alia hæc Dei nomine comminabatur: *Hæc dicit Dominus ad Ioachim filium Iosiæ Regem Iuda: Non plangent eum: va frater, & va soror; non concrepabunt ei: va domine, & va inclyte, sepultura asini sepelietur putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Quæ illi contigisse in sequentibus dicemus. Castro & alij Expositores *in hunc locum*.

Annus mundi 3428. ante Christum 625.

Nabuchodonosor venit Ierusalem.

1 ERTIO hoc anno impij Ioachimi Regis Iuda *venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioachim Regem Iuda, & partem vasorum domus Dei, et asportauit ea in terram Sennaar in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui.* Sacra Scriptura *Danielis* 1. Expositores *ibidem*. Causa autem huius primæ inuasionis in Iudæos à Babylonijs, præter diuinam vltionem impietatis, & scelerum Ioachimi, ea fuit, quòd confœderatus esset Regi Ægyptiorum, qui Babylonijs hostis erat. Salianus *sub hoc anno n.* 8. Casus sanè timendus Principibus fidelibus, qui cum infidelibus fœdera ineunt.

Captiui ducuntur Daniel, & socij.

2 Captiui cum Ioachimo Rege ducti sunt Babylonem Daniel Propheta, & socij Ananias, Azarias, & Misael: non enim videtur aliam fuisse causam præter istam, quare in initio suæ Prophetiæ verbis allatis meminerit captiuitatis huius Regis. Ita etiam habent Eusebius *in Chronicis*, D. Hieron. *in init. Danielis*, licet ibi ex aliorum sententia hunc Ioachimum Iechoniam appellet. Torniellus *sub hoc anno n.* 4 & alij contra quosdam oppositum sentientes. Erat tunc Daniel puerulus, pusio, & paucorum annorum, duorum videlicet vel trium infantulus, vt colligitur ex Epiphanio *in vit. Prophetar.* & Sulpitio *init. lib. 2. sacræ historiæ*, vel saltem decem annorum, vt putat Pererius

rius. Quod enim Cornelius *in proœmio in Danielem* inquit, fuisse tunc viginti annorum, vix stare potest cum historia Susannæ, quæ post non paucos annos ab hoc tempore contigit: non solum quia, vt plures Patres asserunt, ille casus accidit anno duodecimo Danielis, sed etiam, quia in narratione historiæ *Daniel. 13. v. 45.* vocatur *puer iunior.* quod non esset, si tunc fuisset viginti annorum. Infans ergo, vel puer delatus est in Babylonem cum alijs tribus pueris (quorum ætas ignoratur) eo quòd essent de *semine Regio*, vt patet ex *Daniel. 1. v. 3.* & tradunt ex Hebræis S. Hieron. *in c. 39. Isai.* & *1. lib. contra Iouinian.* Gregorius Nazianzenus *orat. 47.* & ante eos Origenes *tract. 7. in Matth.* qui propterea eos appellant *filios*, idest, posteros Ezechiæ Regis: Danielis pater creditur *Sabaa* vocatus, patria verò fuit *Bethoron* superior, vt habent Dorotheus, & Epiphanius. Dicitur esse in sorte Ephraim iuxta Emaus, distareque nouem miliaribus à Ierosolyma. Cum quo nihilominus stare potest, quòd fuerit ex Tribu Iuda, vt colligitur ex *Dan. 1. v. 3.* & Patribus relatis, vel quia *Bethoron* vnitum fuerit huic Tribui, vel quia Iudæ Reges illic dominabantur. Infantes, vel pueri.

3 Quòd sancti huius Danielis, & sociorum historia nostris debeat Annalibus inseri, vtpotè Ordinis Prophetici professorum, suadetur, tum ex dictis *in Apparatu c. 2.* & *sub anno 3184.* tum (inter alia, quæ afferemus) ex modo, rituque viuendi illorum, vt expendemus *sub anno 3431.* Abstinebant enim à vino, vt dicitur *Dan. 1. v. 8.* & *12.* quæ erat propria obseruantia Rechabitarum, & Ordinis Prophetici cultorum, iuxta dicta *sub anno 3159. n. 3.* Propterea enim hunc viuendi modum suasisse Danielem Nabuchodonosor, postquam è bestiæ statu ad hominum redijt consortium (vt Epiphanius, & Dorotheus sentiunt) coniectari possumus: tum etiam, quia virginitatem coluisse Patrum sententia est. Id enim de Daniele docent S. Augustin. *in Psal. 132.* Isidor *lib. 2. de offic. c. 16.* Cassianus *de spirit. fornicat. lib. 6. c. 4.* Adelmus, seu Aldelmus *lib. 1. de laud. Virgin. in to. 8. nouæ Bibliothecæ*, & de ipso, & alijs socijs affirmant Damascenus *lib. 4. de fide c. 25.* Vnde quod non solùm Iosephus, sed & Origenes *Homil. 4. super Ezechiel.* Zonaras *tom. 1. Annal.* & S. Hieronym. *lib. 1. contra Iouinian.* asserunt eos fuisse Eunuchos, intelligendũ de Eunuchis spiritualibus, illis scilicet, qui spontaneam castitatem obseruãt, de quibus Isaiæ *56. v. 3.* iuxta dicta *sub anno 3341.* vt habet Lyra *in c. 1. Dan.* & fauet S. Tho. *in c. 39. Isaiæ*, ac sequitur Claudius Espinceus *lib. 1. de continentia c. 1.* Item fauet S. Epiphanius *in vita Danielis* dicens, eum propter modestiam, & probitatem iudicatum fuisse spadonem à Iudæis, indicans talem reuera non fuisse; prout etiam facit Dorotheus *in Synopsi* affirmans An Prophetici Ordinis asseclæ.

Ii 3 eum

eum fuiſſe virum caſtum, ita vt propterea Iudæis ſpado, ſeu caſtratus videretur. Tum præterea teſtimonio D.Ambroſij in *epiſt.82. ad Vercellenſes, verſus medium*; vbi eos Teſtamenti veteris *Monachos* appellare videtur, veluti Eliam, & Eliſæum. Poſtquam enim dixerat: *Duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo Monaſterij, continentia, & diſciplina Eccleſia*, ſubiungit paucis interpoſitis: *Hinc illi præceſſerunt Viri, Elias, Eliſæus, & Ioannes, & Eliſabet, qui pelliceis tunicis, et caprinis exuuijs induti inopes, atque egentes anguſtijs, & doloribus afflicti in ſolitudinibus errabant, &c.* Et poſtea: *Hinc illi Daniel, Ananias, Azarias, Miſael, qui in aula regia paſcebantur.* Accedit quòd Daniel, vt conſtat ex *c.6.* eius prophetiæ, tribus temporibus in die orabat de more. Huiuſmodi autem trina in die oratio propria Inſtituti Eliæ, & diſcipulorum ipſius erat, iuxta dicta ex Ioanne Ieroſolymit. *lib. de Inſtit. Monachor. c.19 & 21, ſub anno 3128.* Accedit item Adelmus, ſeu Aldelmus relatus grauis, & vetuſtus auctor, qui de Daniele loquens ſic canit:

Quòd Daniel ſemper Virgo floreſceret almus,
Qui nobis normam ſacratæ virginitatis
Imbuit, & ſpeculum vitæ monſtrauit alumnis, &c.

Quibus nedum virginem, ſed & ſacratum virginem, & virginitatis Monaſticæ ſpeculum ipſum appellare videtur. Conſtat id denique ex quadam reuelatione eiuſdem Danielis cuidam Presbytero Gallo Ioanni de Boſco ſub anno Chriſti 1478. facta, quam refert Nicolaus Beltrandus aduocatus, & Iuris Profeſſor Toloſæ *in Opere de geſtis Toloſanor. in Tractatu de inuentione B. Suſannæ Babylonicæ ac ipſius eleuatione*, Toloſæ impreſſis vetuſtiſſimo charactere anno 1515 vbi ſic ad verbum, eademque retenta ſimplicitate verborum: *Reſpiciens vidi ſpecioſum iuuenem, &c. habitu tamen Carmeli, ſeu Eliæ à ſummo vſque ad deorſum eum circumdante. Præ timore autem territus fui, vt ſubito euerſus prope caderem; poſtpoſito tamen pede non cecidi, ſed eumdem aſpexi, nomineque IESV prius inuocato, ac ſigno Crucis in me celeriter facto, eidem ſermones meos dirigendo dixi: Adiuro te ex parte omnipotentis Dei, vt ſi tu es malignus ſpiritus, ſubito abeas ab hoc loco, & ipſe hilari vultu reſpexit me, & iterum ego: Adiuro te ex parte omnipotentis Dei, vt dicas quis es. Subridenſque ait: Veni huc, reuertere ad locum, vnde ſurrexiſti, & dicam tibi quiſnam ſum. Et ego illi: Verè non reuertar, neque lectum ingrediar, donec mihi dixeritis, cuiuſmodi ſpiritus eſtis. Veni, inquit ille, hùc, quia patieris frigus, ego enim ſum Daniel. Cui ego: Alienum eſt mihi credere, quòd ſis Daniel: cum videam te habitu Carmeli indutum, & nihil de tali habitu in Daniele reperitur. Et ille: Veni ad lectum, quia*

patie-

patieris frigus, & deinde dicam tibi, ad quid veni. *At ego illi: Miror inquam vos habitu Carmeli vestitum. Et ille inquit: Ego accepi hunc habitum tempore, quo fui captiuatus in Babylone, & certissimè sum Daniel. Scias inquit me directum à Domino, quem dulciter reclamasti ad te auxiliandum in tribulatione tua, propter quam fero in Ecclesia innocasti Susannam. Et hæc ad inuicem discutientibus, per mediam horam seu circa, ibidem mansimus*. Reuelationē porrò hanc inter humana fide dignas, cum nihil orthodoxæ doctrinæ, bonisue moribus contrarium contineat, plures ex nostris, & aliqui de exteris recipiunt, eamque specialiter Franciscus à S.Maria *in histor. Prophet. Hispan. lib. 2. cap. 42. à n. 6.* latè refert, nec reijcit. Quin potius ad ea, quæ ipsi aduersari possunt, respondet. Illis addendum: cum Daniel Nazareni Instituti assecla videatur, prout ea, quæ de abstinentia ipsius à vino *sub anno 3431.* dicemus, sanè indigitant mirum non esse, quòd indumenta ipsius Carmelicolarum vestibus similia essent. Nazaræi namque albi, & subrufi, seu camelini coloris vestibus vtebantur. Propterea enim *Thren. 4. v. 7.* vocantur *Candidiores niue*, in quo albus color, & *rubicundiores ebore antiquo*, in quo subrufus, camelinusque denotantur. De quo Iacobus Boulducus *de Eccles. post legem c. 14. §. Secundò dicimus*, egregium hoc dedit testimonium: *Alij videntur subrufis illis pellibus apposuisse albas, laneasque vestes, eo modo quo Patres Carmelitæ induuntur, vt illis sub nomine Nazaræorum rectè conueniat illud dictum*: Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, *qui subrufi, camelinique coloris est*. In margine verò sic habet: *Forma & color habitus Carmelitarum à Nazaræis deriuari videtur*. Hæc Boulducus. Ex his autem non incongruè elicimus Danielem, & socios Ordinis Prophetici alumnos fuisse, ad modum, quo de alijs Prophetis in superioribus diximus, vt propterea *Danielis 3. vers. 90.* ijdem tres pueri in fornacem missi, suo, Danielis, & aliorum Prophetici Ordinis cultorum nomine dicere iure potuerint: *Benedicite omnes Religiosi Domino Deo Deorum, laudate & confitemini ei*: meritò etiam S. Paulus *ad Hebr. 11. v. 33.* illos sub Samuele Prophetarum Principe recensuerit, Danielem quidem illis verbis: *Obturauerunt ora leonum*: socios verò illis immediatè sequentibus (vt vel in hoc denotetur de illis loqui) *extinxerunt impetum ignis*, vt habet Ambrosius supra. Vnde relatus Boulducus *de Ecclesia post legem c. 7. §. Prioris generis*, Danielem vocat *Enoscæum*, idest, *Essenum*; cuius Instituti homines Heliades Prophetas æmulatos fuisse *sub anno 3545.* comprobabitur.

An-

Annus mundi 3429. ante Christum 624.

Ioachimus reuertitur in Iudæam. 1 ERMISSVS est sub hoc anno Ioachimus Rex Iudæ Babylone captiuus in Iudæam regredi, obsidibus manentibus Daniele, & socijs, & sub conditione soluendi tributi. Salianus *sub hoc anno n. 1.*

Ieremias prophetat. 2 Hoc eodem anno, qui quartus erat Regni Ioachim, prophetabat Ieremias ea omnia, quæ de nouo aduentu Nabuchodonosor Regis Babylonis contra Iudæos, & finitima Regna, Iudæorum captiuitatem, & Ierosolymæ desolationem annis 70. duraturam habentur *c. 25.* eiusdem Prophetiæ. Iussus est etiam scribere sermones, quos ad hanc diem Dominus per eum locutus fuerat *Ierem. 36.* Cum autem eos scriberet, Baruch ipsius famulus veritus est; ne excitato tumultu populari contra eum, comprehenderetur, vel occideretur vt Vrias: propterea ipsum reprehēdit Ieremias nomine Domini, monens, ne salutem suam saluti spirituali eorum, quibus vtiles futuri erant tales sermones, præponeret. *Ieremiæ 45.* Tornielius, & Salianus *sub hoc anno.*

Rechabitarū commigratio. 3 Credunt aliqui hoc tempore turbulentissimo in Iuda ob captiuitatem Ioachimi Regis, & voces Ieremiæ comminantis desolationem Regni Iudæorum, & sanctæ Ciuitatis futuram, Rechabitas Prophetici Ordinis Professores, de quibus *sub annis 3151. & 3159.* diximus, e campestri in tabernaculis commoratione in vrbanam Ierosolymorum habitationem commigrasse. Tornielius enim sub anno præcedenti, & Salianus sub hoc anno id credunt contigisse. Verumtamen cum Ioachim Iudæorum Rex hoc anno in Iudæ regnum reuersus fuisset, essetque spes, quòd Nabuchodonosor contentus esset tributo, quod illi soluere decreuerat Ioachimus, non erat cur aliam inuasionem Chaldæorum hoc tempore pertimescerent, præsertim quia ex ore Ieremiæ audire poterant Ierosolymæ vastationem futurā non tam citò imminere. Aliquot ergo post annis hæc Rechabitarum commigratio contigit, vt innuunt Castro, & Cornelius *in c. 35. Ieremiæ.* de qua nos *sub anno 3431.* dicemus.

Baruch Propheta. 4 Sub hoc tempore notus esse cœpit in Iudæa Baruch Propheta Ieremiæ assecla, socius, & discipulus, ac veluti famulus, qualiter Elisæus, & Ionas Eliæ comites & discipuli fuerunt. Vir fuit nobilis familiæ, vt habet Iosephus *lib. 10. antiquit. c. 11.* colligitque hoc Cornelius *in proœmio Baruch,* eo quòd fuerit frater Saraiæ, qui *Ierem. 51. v. 59.* vocatur Princeps, sed etsi credamus fuisse fratrem istius Saraiæ,

cum

eum habuerint eumdem patrem, & auum, vt colligitur *ex Baruch c. 1.* quia tamen Saraias non vocatur dicto loco Ieremiæ simpliciter Princeps, sed *Princeps Prophetia*, ideo ex hoc non conuincitur magna ipsius nobilitas. Tradunt Hebræi non tantum Baruch fuisse Prophetam, sed & eius patrem Neriam, auum Maasiam, proauum Sedeciam, abauum Sedei. Ex hoc autem magis roboratur id, quod sæpius diximus, præsertim *in Apparatu c. 2. & sub anno* 3184. videlicet hoc nomen *Propheta* in sacris Litteris non denotare semper eum, qui futura præuidet, aut prædicit, sed illum, qui Propheticam vitam profitetur. Quis enim credit hos omnes futurorum prædictores fuisse, aut quo fundamento id asseritur? Accedit quod de eodem Baruch nihil constet Prophetice prænunciasse. Liber enim Baruch, qui in Biblijs reperitur, & vt canonicus approbatus est a Concilijs Florentino, & Tridentino, auctorem habet Ieremiam, & solùm Scriptorem ipsum Baruch, vt colligitur ex ipso *c. 1* primis illis verbis: *Et hac verba libri, qua scripsit Baruch*, & sic passim Patres citant, & vocant hunc librum Ieremiæ, vt videre est in Maldonato *in proœmio Baruch*, Castro *in c. 1.* & Cornelius etiam *in proœmio*. Imò ipsorum Hebræorum, quos sequitur Vatablus, traditio est Baruch conquestum esse apud Dominum, quòd spiritu Prophetiæ donatus non esset: quod etsi admittendum non sit, cum viri sancti huiusmodi Dei dona ambire non soleant, eatenus tamen credendum, quatenus asseritur eum futura non præuidisse. Ergo Propheta appellandus erit, quia Propheticæ sectator extitit professionis à Samuele institutæ. Vnde de ipso veluti Ordinis Prophetici cultore scribunt Coria *in Chronic. Carmelit. lib. 6. cap. 23.* Franciscus à sancta Maria *in historia Prophetica lib. 2. cap. 38.* Michael Munozius *in propugnaculo Elia lib. 2. titul. 1. cap. 3. art. 2.*

Genus ipsius.

An Ordinis Prophetici.

Annus mundi 3430. ante Christum 623.

1 ONTIGIT hoc anno, qui quintus erat Regis Ioachim, id quod Ieremias *c. 36.* suæ Prophetiæ sibi, & Barucho discipulo accidisse refert, videlicet, quod cum ipsi iussisset, vt vaticinia, quæ eo dictante scripserat, populo in Templo notificaret, idque Baruch fecisset, nuntiatumque hoc esset Principibus, qui sedebant in domo Regis, miserunt ad eum, qui statim venit ad eos cum libro, quem cum iterum illis petentibus legisset coram eis, obstupescebant omnes, & cum interrogassent, audissentque Baruch referentem qualiter,

Casus Ieremiæ, & Baruch.

ter, & quomodo cuncta dictante Ieremia ipse descripsisset, suadentes ei vt cum Ieremia pariter abscondi curaret, decreuerunt, deposito volumine in quodam Gazophylacio domus Regiæ denunciare omnino Regi. Quod vt factum est, iussit Rex afferri sibi librum, ac denuo coram se ac Principibus alijs legi. Cum autem lectæ essent tres, vel quatuor pagellæ, non sustinens impius Rex talia audire, neque quibusdam ex Principibus reclamantibus acquiescens, scidit illico, combussitque librum in arula prunis plena ante eum existente, quia hyems erat, neque his contentus præcepit comprehendi Ieremiam Prophetam, & Baruch eius scribam: sed Dominus abscondit eos. Dominus etiam rursus præcepit Ieremiæ, vt in alio volumine conscribi faceret omnia, quæ in priori continebantur, & vt prophetaret contra Regem Ioachim, prædiceretque ei, quòd quia combusserat librum, propterea cadauer eius proijciendum foret insepultum ad æstum per diem, & gelu per noctem. Sacra Scriptura *Ierem. 36.* Expositores *ibidem*. Torniellus, & Salianus *sub hoc anno*.

Comprehendi iubentur.

2 Quæ postea acciderunt, in sequentibus commodius referemus.

Anni mundi 3431. vsque ad 3435. ante Christum 622. vsque ad 618.

1 ONFVSIO, & turbulentia rerum Iudæorum hoc tépore confusam reddit historiam, & ideo sub his annis aliqua simul coniungere licitum nobis erit. Persoluit per aliquod tempus Ioachim Rex tributũ Nabuchodonosor promissum pro libertate; quia tamen Deus voluit eius peccata punire, permisit etiam, quòd vana spe Ægyptiacæ expeditionis inductus illud vlteriùs exsoluere nollet, à Chaldæorum iugo deficere tentans. Ioseph. *lib. 10. antiquit. cap. 7.* Salianus *sub anno 3433. num. 1.*

Ioachim deficere tentat.

2 Ex hac porro Ioachimi defectione à Chaldæis, cum ex illa prudenter valde timeri posset Nabuchodonosoris indignatio, & irruptio in Iudæam, & Ierusalem, & quòd agros, & vrbes plus solito depopularetur, proculdubio excitati Rechabitæ Prophetici Ordinis Professores, qui vsque ad hæc tempora, vt diximus *sub anno 3159.* in agris, eremis, & solitudinibus tabernacula habebant, in Ierosolymam commigrarunt, suæ saluti, & sanctæ Ciuitatis præsidio non defuturi, vel cum alijs perituri. Ita enim habetur ex *Ierem. 35. v. 6.* vbi illi sic dixerunt Ieremiæ: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster*

Rechabitæ translati.

noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum, et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab patris nostri in omnibus, quæ præcepit nobis, ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, & filij & filiæ nostræ: & non ædificaremus domos ad habitandum, & vineam & agrum, & sementem non habuimus, sed habitauimus in tabernaculis, & obedientes fuimus, iuxta omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noster. Cum autem ascendisset Nabuchodonosor Rex Babylonis ad terram nostram, diximus: Venite, & ingrediamur Ierusalem à facie exercitus Chaldæorum, & à facie exercitus Syriæ; & mansimus in Ierusalem. Ita etiam tradunt communiter doctores, etsi aliquantulum differant circa annum, quo commigratio in Ierosolymitanam vrbem contigit. Nos autem commodius, vt credimus, tempus designamus. Addit sanctus Hieronym. *in Epist. ad Paulin.* propter hanc causam vocatos fuisse captiuos Rechabitas in titulo *Ps. 70.* qui est *filiorum Ionadab, & priorum captiuorum*; quia scilicet *post solitudinis libertatem vrbe quasi carcere reclusi sunt*. Sed nos alio præsertim sensu dictos fuisse captiuos in prædicto titulo dicemus *sub anno 3447.*

Verba ipsorū ad Ieremiam

Quomodo dicantur captiui.

3. Sumpta ergo occasione ex eo quòd intra vrbem commorantes præcepta patris sui Ionadab de non bibendo vino, domibus non ædificandis, semente non serenda, vineis non plantandis neque habendis, sed in tabernaculis habitandi rigidissimè obseruarent, & vt inde exprobrari meliùs posset Iudæorum inobedientia, qua Deum ipsum spernentes, mandatis ipsius obtemperare nolebant, dixit Deus ad Ieremiam Prophetam *Ierem. 35. v. 2. Vade ad Domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in vnam exedram* (cellam scilicet, vel cubiculum, seu locum aptum ad sedendum) *thesaurorum; & dabis eis bibere vinum*. Fecit hoc Ieremias, & posuit coram eis scyphos plenos vino, & calices, & dixit ad eos: *Bibite vinum*; illi autem responderunt ea, quæ superius adduximus; excusantes se à vini potatione. Deus verò ex eorum strictissima obedientia Iudæorum peruicaciam confundere volens, hæc dixit Ieremiæ *v. 13. Vade, & dic viris Iuda, & habitatoribus Ierusalem: Nunquid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Præualuerunt sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs suis, vt non biberent vinum, & non biberunt vsque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: Ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens & loquens, & non obe-*

Ieremiæ prophetæ de illis

distis

Cariathiarim: & prophetauit aduersus Ciuitatem istam, & aduersus terram hanc, iuxta omnia verba Ieremiæ; & audiuit Rex Ioachim, & omnes potentes, & Principes eius verba hæc; & quæsiuit Rex interficere eum: & audiuit Vrias, & timuit, fugitque & ingressus est Ægyptum, et misit Rex Ioachim viros in Ægyptum, Elnathan filium Achobor, et viros cum eo in Ægyptum, & eduxerunt Vriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Ioachim, & percussit eum gladio, & proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis.

An Ordinis Prophetici cultor.

3 Hunc verò Vriam ex Ordinis Prophetici alumnis fuisse, vt propterea eius historiam non prætermittere debuerimus, non solum dicta *in Apparatu c.2. & sub anno 3184.* suadent, sed etiam quod dicatur *de Cariathiarim*, quo loco Prophetarum Samuelis discipulorũ Collegium extitisse *sub anno 3154.n.4.* diximus. Vnde hunc Prophetam inter Propheticæ Professionis sectatores refert Coria *in Chronico Carmelitarum lib.6.c.22.*

Ieremiæ periculum.

4 De Ieremiæ porro casu, quomodo scilicet ob ea, quæ prædixerat contra Templum Domini, occidere eum vellent Sacerdotes, & Prophetæ, & qualiter ipse prudenter se excusasset, & mortis periculum effugisset, ex eodemmet Propheta c.26. sic habemus: *In principio Regni Ioachim filij Iosiæ Regis Iuda factum est verbum istud à Domino dicens: Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, & loqueris ad omnes Ciuitates Iuda, de quibus veniunt, vt adorent in domo Domini, vniuersos sermones, quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos: noli subtrahere verbum, si forte audiant, & conuertantur vnusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, vt ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, vt audiatis sermones seruorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis: dabo domum istam sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ. Et audierunt Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini. Cumque compleisset Ieremias loquens omnia, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuersum populum, apprehenderunt eum Sacerdotes, et Prophetæ, & omnis populus dicens: Morte moriatur; quare prophetauit in nomine Domini dicens: Sicut Silo erit domus hæc: & vrbs ista desolabitur, eo quod non sit habitator. Et congregatus est omnis populus aduersus Ieremiam in domo Domini; & audierunt Principes Iuda verba hæc, & ascenderunt de domo Regis in domum Domini, & sederunt in introitu portæ domus Domini nouæ. Et locuti sunt Sacerdotes, & Prophetæ ad Principes & ad omnem populum dicentes: Iudicium mortis est viro huic, quia*

Prophetia ipsius.

Conspiratio populi contra eum.

pro-

prophetauit aduersus Ciuitatem istam, sicut audistis auribus vestris, et ait Ieremias ad omnes Principes, & ad vniuersum populum, dicens: Dominus misit me, vt prophetarem ad domum istam, & ad Ciuitatem hanc omnia verba quæ audistis. Nunc ergo bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersum vos, ego autem ecce in manibus vestris sum; facite mihi quod bonum & rectum est in oculis vestris. Verumtamen scitote, & cognoscite, quòd si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra Ciuitatem istam, & habitatores eius. In veritate enim misit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus vestris omnia verba hæc, & dixerunt Principes, & omnis populus ad Sacerdotes, & Prophetas: Non est viro huic iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos. Surrexerunt ergo viri de senioribus Terræ, & dixerunt ad omnem cœtum populi loquentes: Michæas de Morasthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Iuda, & ait ad omnem populum Iuda dicens: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelsa siluarum. Nunquid morte condemnauit eum Ezechias Rex Iuda, & omnis Iuda? nunquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduersum eos? Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras: Subiungitur postea qualiter Ahicam filius Saphan vir inter Iudæos primariæ auctoritatis salutis Ieremiæ curam suscipiens, operam dedit, ne à populo interficeretur.

Excusat se. — Defenditur. — Ahicam.

5 Dubitatio tamen hoc loco existit, quinam fuerint hi *Prophetæ*, qui contra Ieremiæ vitam adeo sæuè coniurarant, vt eum morti tradendum iudicarent. Ex vna enim parte videtur Dei Prophetas fuisse, sicut & Sacerdotes etiam, qui eiusdem coniurationis consortes erant; nec enim in sacro Textu aliquod verbum est, quo denotetur illos fuisse falsos, aut Idolorum Prophetas, præsertim cum cultus Idololatriæ, saltem publicus non esset tunc in Ierusalem. Ad quod accedit, quod Chaldæus Paraphrastes eos appellet *Scribas*, quo nomine veros Dei Prophetas denotari diximus *sub anno* 3230. Ex alia verò parte communior videtur sententia hos fuisse pseudoprophetas, sic enim eos appellat septuaginta Interpretum versio, quod idem faciunt Glossa, Hugo Cardinalis, Dionysius, & alij. Addit Glossa eos fuisse, *qui videbantur esse Religiosi*; quo denotatur veros Prophetas Religiosos fuisse, & istos habitu, & gestu illis assimilari, non autem factis. Quodcunque tamen horum dicatur, sufficiēter suadet id quod sæpiùs (vtpotè valde nobis necessarium) sedulò inculcamus; no-

Quinam hi Prophetæ.

men videlicet *Prophetæ* crebrius in S. Pagina non futura præsagientem, sed peculiaris cuiusdam Instituti, seu Ordinis hominem prænotare.

Annus mundi 3427. ante Christum 626.

Ieremiæ comminatio.

1 OC tempore Ioachimo Rege Iuda tyrannicè regnante, vtpote qui Vriam Prophetam, vt vidimus, de medio tulerit, crudelitate etiam, impietate, & idololatria Deo, & hominibus abominabili facto ad eum Ieremias c.22. v.18. & 19. inter alia hæc Dei nomine comminabatur: *Hæc dicit Dominus ad Ioachim filium Iosiæ Regem Iuda: Non plangent eum: va frater, & va soror; non concrepabunt ei: va domine, & va inclyte, sepultura asini sepelietur putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Quæ illi contigisse in sequentibus dicemus. Castro & alij Expositores *in hunc locum*.

Annus mundi 3428. ante Christum 625.

Nabuchodonosor venit Ierusalem.

1 ERTIO hoc anno impij Ioachimi Regis Iuda *venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioachim Regem Iuda, & partem vasorum domus Dei, et asportauit eá in terram Senaar in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui*. Sacra Scriptura *Danielis* 1. Expositores *ibidem*. Causa autem huius primæ inuasionis in Iudæos à Babylonijs, præter diuinam vltionem impietatis, & scelerum Ioachimi, ea fuit, quòd confœderatus esset Regi Ægyptiorum, qui Babylonijs hostis erat. Salianus *sub hoc anno n.* 8. Casus sanè timendus Principibus fidelibus, qui cum infidelibus fœdera ineunt.

Captiui ducuntur Daniel, & socij.

2 Captiui cum Ioachimo Rege ducti sunt Babylonem Daniel Propheta, & socij Ananias, Azarias, & Misael: non enim videtur aliam fuisse causam præter istam, quare in initio suæ Prophetiæ verbis allatis meminerit captiuitatis huius Regis. Ita etiam habent Eusebius *in Chronicis*, D. Hieron. *in init. Danielis*, licet ibi ex aliorum sententia hunc Ioachimum Iechoniam appellet. Torniellus *sub hoc anno n.* 4 & alij contra quosdam oppositum sentientes. Erat tunc Daniel puerulus, pusio, & paucorum annorum, duorum videlicet vel trium, infantulus, vt colligitur ex Epiphanio *in vit. Prophetar.* & Sulpitio *init. lib. 2. sacræ historiæ*, vel saltem decem annorum, vt putat Pererius

rius. Quod enim Cornelius *in proœmio in Danielem* inquit, fuisse tunc viginti annorum, vix stare potest cum historia Susannæ, quæ post non paucos annos ab hoc tempore contigit: non solum quia, vt plures Patres asserunt, ille casus accidit anno duodecimo Danielis, sed etiam, quia in narratione historiæ *Daniel.* 13.*v.*45. vocatur *puer iunior*, quod non esset, si tunc fuisset viginti annorum. Infans ergo, vel puer delatus est in Babylonem cum alijs tribus pueris (quorum ætas ignoratur) eo quòd essent de *semine Regio*, vt patet ex *Daniel.* 1.*v.*3. & tradunt ex Hebræis S. Hieron. *in c.* 39. *Isai.* & 1. *lib. contra Iouinian.* Gregorius Nazianzenus *orat.* 47. & ante eos Origenes *tract.* 7. *in Matth.* qui propterea eos appellant *filios*, idest, posteros Ezechiæ Regis. Danielis pater creditur *Sabaa* vocatus, patria verò fuit *Bethoron* superior, vt habent Dorotheus, & Epiphanius. Dicitur esse in sorte Ephraim iuxta Emaus, distareque nouem miliaribus à Ierosolyma. Cum quo nihilominus stare potest, quòd fuerit ex Tribu Iuda, vt colligitur ex *Dan.* 1.*v.*3. & Patribus relatis, vel quia *Bethoron* vnitum fuerit huic Tribui, vel quia Iudæ Reges illic dominabantur. Infantes, vel pueri.

3 Quòd sancti huius Danielis, & sociorum historia nostris debeat Annalibus inseri, vtpotè Ordinis Prophetici professorum, suadetur, tum ex dictis *in Apparatu c.* 2. & *sub anno* 3184. tum (inter alia, quæ afferemus) ex modo, rituque viuendi illorum, vt expendemus *sub anno* 3431. Abstinebant enim à vino, vt dicitur *Dan.* 1.*v.*8. & 12. quæ erat propria obseruantia Rechabitarum, & Ordinis Prophetici cultorum, iuxta dicta *sub anno* 3159.*n.*3. Propterea enim hunc viuendi modum suasisse Danielem Nabuchodonosor, postquam è bestiæ statu ad hominum rediit consortium (vt Epiphanius, & Dorotheus sentiunt) coniectari possumus: tum etiam, quia virginitatem coluisse Patrum sententia est. Id enim de Daniele docent S. Augustin. *in Psal.* 132. Isidor *lib.* 2. *de offic. c.* 16. Cassianus *de spirit. fornicat. lib.* 6. *c.* 4. Adelmus, seu Aldelmus *lib.* 1. *de laud. Virgin. in to.* 8. *noua Bibliotheca*, & de ipso, & alijs socijs affirmant Damascenus *lib.* 4. *de fide c.* 25. Vnde quod non solùm Iosephus, sed & Origenes *Homil.* 4. *super Ezechiel.* Zonaras *tom.* 1. *Annal.* & S. Hieronym. *lib.* 1. *contra Iouinian.* asserunt eos fuisse Eunuchos, intelligendū de Eunuchis spiritualibus, illis scilicet, qui spontaneam castitatem obseruāt, de quibus Isaiæ 56.*v.* 3. iuxta dicta *sub anno* 3341. vt habet Lyra *in c.* 1. *Dan.* & fauet S. Tho. *in c.* 39. *Isaie*, ac sequitur Claudius Espinceus *lib.* 1. *de continentia c.* 1. Item fauet S. Epiphanius *in vita Danielis* dicens, eum propter modestiam, & probitatem iudicatum fuisse spadonem à Iudæis, indicans talem reuera non fuisse; prout etiam facit Dorotheus *in Synopsi* affirmans An Prophetici Ordinis asseclæ.

eum fuisse virum castum, ita vt propterea Iudæis spado, seu castratus videretur. Tum præterea testimonio D.Ambrosij in *epist.82. ad Vercellenses, versus medium*; vbi eos Testamenti veteris *Monachos* appellare videtur, veluti Eliam, & Elisæum. Postquam enim dixerat: *Duo pariter exigi videntur ab Episcopo Monasterij, continentia, & disciplina Ecclesiæ*, subiungit paucis interpositis: *Hinc illi præcesserunt Viri, Elias, Elisæus, & Ioannes, & Elisabet, qui pelliceis tunicis, et caprinis exuuijs induti inopes, atque egentes angustijs, & doloribus afflicti in solitudinibus errabant, &c.* Et postea: *Hinc illi Daniel, Ananias, Azarias, Misael, qui in aula regia pascebantur.* Accedit quòd Daniel, vt constat ex *c.6.* eius prophetiæ, tribus temporibus in die orabat de more. Huiusmodi autem trina in die oratio propria Instituti Eliæ, & discipulorum ipsius erat, iuxta dicta ex Ioanne Ierosolymit. *lib.de Instit.Monachor.c.19 & 21, sub anno 3128.* Accedit item Adelmus, seu Aldelmus relatus grauis, & vetustus auctor, qui de Daniele loquens sic canit:

Quòd Daniel semper Virgo floresceret almus,
Qui nobis normam sacratæ virginitatis
Imbuit, & speculum vitæ monstrauit alumnis, &c.

Quibus nedum virginem, sed & sacratum virginem, & virginitatis Monasticæ speculum ipsum appellare videtur. Constat id denique ex quadam reuelatione eiusdem Danielis cuidam Presbytero Gallo Ioanni de Bosco sub anno Christi 1478. facta, quam refert Nicolaus Beltrandus aduocatus, & Iuris Professor Tolosæ *in Opere de gestis Tolosanor.in Tractatu de inuentione B.Susannæ Babylonicæ ac ipsius eleuatione*, Tolosæ impressis vetustissimo charactere anno 1515 vbi sic ad verbum, eademque retenta simplicitate verborum: *Respiciens vidi speciosum iuuenem, &c. habitu tamen Carmeli, seu Eliæ à summo vsque ad deorsum eum circumdante. Præ timore autem territus fui, vt subito euersus prope caderem; postposito tamen pede non cecidi, sed eumdem aspexi, nomineque IESV priùs inuocato, ac signo Crucis in me celeriter facto, eidem sermones meos dirigendo dixi: Adiuro te ex parte omnipotentis Dei, vt si tu es malignus spiritus, subito abeas ab hoc loco, & ipse hilari vultu respexit me, & iterum ego: Adiuro te ex parte omnipotentis Dei, vt dicas quis es. Subridensque ait: Veni huc, reuertere ad locum, vnde surrexisti, & dicam tibi quisnam sum. Et ego illi: Verè non reuertar, neque lectum ingrediar, donec mihi dixeritis, cuiusmodi spiritus estis. Veni, inquit ille, hùc, quia patieris frigus, ego enim sum Daniel. Cui ego: Alienum est mihi credere, quòd sis Daniel: cum videam te habitu Carmeli indutum, & nihil de tali habitu in Daniele reperitur. Et ille: Veni ad lectum, quia patie-*

patieris frigus, & deinde dicam tibi, ad quid veni. *At ego illi: Miror inquam vos habitu Carmeli vestitum. Et ille inquit: Ego accepi hunc habitum tempore, quo fui captiuatus in Babylone, & certissimè sum Daniel. Sciat inquit me directum à Domino, quem dulciter reclamasti ad te auxiliandum in tribulatione tua, propter quam sero in Ecclesia inuocasti Susannam. Et hæc ad inuicem discutientibus, per mediam horam seu circa, ibidem mansimus.* Reuelationẽ porrò hanc inter humana fide dignas, cum nihil orthodoxæ doctrinæ, bonisue moribus contrarium contineat, plures ex nostris, & aliqui de exteris recipiunt, eamque specialiter Franciscus à S. Maria *in histor. Prophet. Hispan. lib. 2. cap. 42. à n. 6.* latè refert, nec reijcit. Quin potius ad ea, quæ ipsi aduersari possunt, respondet. Illis addendum: cum Daniel Nazareni Instituti assecla videatur, prout ea, quæ de abstinentia ipsius à vino *sub anno 3431.* dicemus, sanè indigitant mirum non esse, quòd indumenta ipsius Carmelicolarum vestibus similia essent. Nazaræi namque albi, & subrufi, seu camelini coloris vestibus vtebantur. Propterea enim *Thren. 4. v. 7.* vocantur *Candidiores niue*, in quo albus color, & *rubicundiores ebore antiquo*, in quo subrufus, camelinusque denotantur. De quo Iacobus Bouldueus *de Eccles. post legem c. 14. §. Secundò dicimus*, egregium hoc dedit testimonium: *Alij videntur subrufis illis pellibus apposuisse albas, laneasque vestes, eo modo quo Patres Carmelitæ induuntur, vt illis sub nomine Nazaræorum rectè conueniat illud dictum*: Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, *qui subrufi, camelinique coloris est*, In margine verò sic habet: *Forma & color habitus Carmelitarum à Nazaræis deriuari videtur.* Hæc Bouldueus. Ex his autem non incongruè elicimus Danielem, & socios Ordinis Prophetici alumnos fuisse, ad modum, quo de alijs Prophetis in superioribus diximus, vt propterea *Danielis 3. vers. 90.* ijdem tres pueri in fornacem missi, suo, Danielis, & aliorum Prophetici Ordinis cultorum nomine dicere iure potuerint: *Benedicite omnes Religiosi Domino Deo Deorum, laudate & confitemini ei*: meritò etiam S. Paulus *ad Hebr. 11. v. 33.* illos sub Samuele Prophetarum Principe recensuerit, Danielem quidem illis verbis: *Obturauerunt ora leonum*: socios verò illis immediatè sequentibus (vt vel in hoc denotetur de illis loqui) *extinxerunt impetum ignis*, vt habet Ambrosius supra. Vnde relatus Bouldueus *de Ecclesia post legem c. 7. §. Prioris generis*, Danielem vocat *Enosæum*, idest, *Essenum*; cuius Instituti homines Heliades Prophetas æmulatos fuisse *sub anno 3545.* comprobabitur.

An-

Annus mundi 3429. ante Christum 624.

Ioachimus reuertitur in Iudæam.

1 ERMISSVS est sub hoc anno Ioachimus Rex Iudæ Babylone captiuus in Iudęam regredi, obsidibus manentibus Daniele, & socijs, & sub conditione soluendi tributi. Salianus *sub hoc anno n. 1.*

Ieremias prophetat.

2 Hoc eodem anno, qui quartus erat Regni Ioachim, prophetabat Ieremias ea omnia, quæ de nouo aduentu Nabuchodonosor Regis Babylonis contra Iudæos, & finitima Regna, Iudæorum captiuitatem, & Ierosolymæ desolationem annis 70. duraturam habentur *c. 25.* eiusdem Prophetiæ. Iussus est etiam scribere sermones, quos ad hanc diem Dominus per eum locutus fuerat *Ierem. 36.* Cum autem eos scriberet, Baruch ipsius famulus veritus est; ne excitato tumultu populari contra eum, comprehenderetur, vel occideretur vt Vrias: propterea ipsum reprehēdit Ieremias nomine Domini, monens, ne salutem suam saluti spirituali eorum, quibus vtiles futuri erant tales sermones, præponeret. *Ieremiæ 45.* Torniellus, & Salianus *sub hoc anno.*

Rechabitarū commigratio.

3 Credunt aliqui hoc tempore turbulentissimo in Iuda ob captiuitatem Ioachimi Regis, & voces Ieremiæ comminantis desolationem Regni Iudæorum, & sanctæ Ciuitatis futuram, Rechabitas Prophetici Ordinis Professores, de quibus *sub annis 3151. & 3159.* diximus, e campestri in tabernaculis commoratione in vrbanam Ierosolymorum habitationem commigrasse: Torniellus enim sub anno præcedenti, & Salianus sub hoc anno id credunt contigisse. Verumtamen cum Ioachim Iudæorum Rex hoc anno in Iudæ regnum reuersus fuisset, essetque spes, quòd Nabuchodonosor contentus esset tributo, quod illi soluere decreuerat Ioachimus, non erat cur aliam inuasionem Chaldæorum hoc tempore pertimescerent, præsertim quia ex ore Ieremiæ audire poterant Ierosolymæ vastationem futurā non tam citò imminere. Aliquot ergo post annis hæc Rechabitarum commigratio contigit, vt innuunt Castro, & Cornelius *in c. 35. Ieremiæ.* de qua nos *sub anno 3431.* dicemus.

Baruch Propheta.

4 Sub hoc tempore notus esse cœpit in Iudæa Baruch Propheta Ieremiæ assecla, socius, & discipulus, ac veluti famulus, qualiter Elisæus, & Ionas Eliæ comites & discipuli fuerunt. Vir fuit nobilis familiæ, vt habet Iosephus *lib. 10. antiquit. c. 11.* colligitque hoc Cornelius *in proœmio Baruch,* eo quòd fuerit frater Saraiæ, qui *Ierem. 51. v. 59.* vocatur Princeps, sed etsi credamus fuisse fratrem istius Saraiæ,

cum

cum habuerint eumdem patrem, & auum, vt colligitur *ex Baruch c.1.* quia tamen Saraias non vocatur dicto loco Ieremiæ simpliciter Princeps, sed *Princeps Prophetiæ*, ideo ex hoc non conuincitur magna ipsius nobilitas. Tradunt Hebræi non tantum Baruch fuisse Prophetam, sed & eius patrem Neriam, auum Maasiam, proauum Sedeciam, abauum Sedei. Ex hoc autem magis roboratur id, quod sæpius diximus, præsertim *in Apparatu c.2. & sub anno 3184.* videlicet hoc nomen *Propheta* in sacris Litteris non denotare semper eum, qui futura præuidet, aut prædicit, sed illum, qui Propheticam vitam profitetur. Quis enim credit hos omnes futurorum prædictores fuisse, aut quo fundamento id asseritur? Accedit quod de eodem Baruch nihil constet Prophetice prænunciasse. Liber enim Baruch, qui in Biblijs reperitur, & vt canonicus approbatus est a Concilijs Florentino, & Tridentino, auctorem habet Ieremiam, & solum Scriptorem ipsum Baruch, vt colligitur ex ipso *c.1* primis illis verbis: *Et hæc verba libri, quæ scripsit Baruch*, & sic passim Patres citant, & vocant hunc librum Ieremiæ, vt videre est in Maldonato *in proœmio Baruch*, Castro *in c.1.* & Cornelius etiam *in proœmio*. Imò ipsorum Hebræorum, quos sequitur Varablus, traditio est Baruch conquestum esse apud Dominum, quòd spiritu Prophetiæ donatus non esset: quod etsi admittendum non sit, cum viri sancti huiusmodi Dei dona ambire non soleant, eatenus tamen credendum, quatenus asseritur eum futura non præuidisse. Ergo Propheta appellandus erit, quia Propheticæ sectator extitit professionis à Samuele institutæ. Vnde de ipso veluti Ordinis Prophetici cultore scribunt Coria *in Chronic. Carmelit. lib.6. cap.23.* Franciscus à sancta Maria *in historia Prophetica lib.2. cap.38.* Michael Munozius *in propugnaculo Eliæ lib.2. titul.1. cap.3. art.2.*

Genus ipsius.

An Ordinis Prophetici.

Annus mundi 3430. ante Christum 623.

Casus Ieremiæ, & Baruch.

1 ONTIGIT hoc anno, qui quintus erat Regis Ioachim, id quod Ieremias *c.36.* suæ Prophetiæ sibi, & Barucho discipulo accidisse refert, videlicet, quod cum ipsi iussisset, vt vaticinia, quæ eo dictante scripserat, populo in Templo notificaret, idque Baruch fecisset, nunciatumque hoc esset Principibus, qui sedebant in domo Regis; miserunt ad eum, qui statim venit ad eos cum libro, quem cum iterum illis petentibus legisset coram eis, obstupescebant omnes, & cum interrogassent, audissentque Baruch referentem qualiter,

ter, & quomodo cuncta dictante Ieremia ipse descripsisset, suadentes ei vt cum Ieremia pariter abscondi curaret, decreuerunt, deposito volumine in quodam Gazophylacio domus Regiæ denunciare omnino Regi. Quod vt factum est, iussit Rex afferri sibi librum, ac denuo coram se ac Principibus alijs legi. Cum autem lectæ essent tres, vel quatuor pagellæ, non sustinens impius Rex talia audire, neque quibusdam ex Principibus reclamantibus acquiescens, scidit illico, combussitque librum in arula prunis plena ante eum existente, quia hyems erat, neque his contentus præcepit comprehendi Ieremiam Prophetam, & Baruch eius scribam: sed Dominus abscondit eos. Dominus etiam rursus præcepit Ieremiæ, vt in alio volumine conscribi faceret omnia, quæ in priori continebantur, & vt propheraret contra Regem Ioachim, prædiceretque ei, quòd quia combusserat librum, propterea cadauer eius proijciendum foret insepultum ad æstum per diem, & gelu per noctem. Sacra Scriptura *Ierem.* 36. Expositores *ibidem*. Torniellus, & Salianus *sub hoc anno*.

Comprehendi iubentur.

2 Quæ postea acciderunt, in sequentibus commodius referemus.

Anni mundi 3431. vsque ad 3435. ante Christum 622. vsque ad 618.

1 ONFVSIO, & turbulentia rerum Iudæorum hoc tẽpore confusam reddit historiam, & ideo sub his annis aliqua simul coniungere licitum nobis erit. Persoluit per aliquod tempus Ioachim Rex tributũ Nabuchodonosor promissum pro libertate; quia tamen Deus voluit eius peccata punire, permisit etiam, quòd vana spe Ægyptiacæ expeditionis inductus illud vlteriùs exsoluere nollet, à Chaldæorum iugo deficere tentans. Ioseph. *lib.* 10. *antiquit. cap.* 7. Salianus *sub anno* 3433. *num.* 1.

Ioachim deficere tentat.

2 Ex hac porro Ioachimi defectione à Chaldæis, cum ex illa prudenter valde timeri posset Nabuchodonosoris indignatio, & irruptio in Iudæam, & Ierusalem, & quòd agros, & vrbes plus solito depopularetur, proculdubio excitati Rechabitæ Prophetici Ordinis Professores, qui vsque ad hæc tempora, vt diximus *sub anno* 3159. in agris, eremis, & solitudinibus tabernacula habebant, in Ierosolymam commigrarunt, suæ saluti, & sanctæ Ciuitatis præsidio non defuturi, vel cum alijs perituri. Ita enim habetur ex *Ierem.* 35. *v.* 6. vbi illi sic dixerunt Ieremiæ: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster*

Rechabitæ translati.

noster precepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum, et domum non ædificabitis, & sementem non feretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab patris nostri in omnibus, quæ præcepit nobis, ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, & filij & filiæ nostræ: & non ædificaremus domos ad habitandum, & vineam & agrum, & sementem non habuimus, sed habitauimus in tabernaculis, & obedientes fuimus, iuxta omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noster. Cum autem ascendisset Nabuchadonosor Rex Babylonis ad terram nostram, diximus: Venite, & ingrediamur Ierusalem à facie exercitus Chaldæorum, & à facie exercitus Syriæ; & mansimus in Ierusalem. Ita etiam tradunt communiter doctores, etsi aliquantulum differant circa annum, quo commigratio in Ierosolymitanam vrbem contigit. Nos autem commodius, vt credimus, tempus designamus. Addit sanctus Hieronym. *in Epist. ad Paulin.* propter hanc causam vocatos fuisse captiuos Rechabitas in titulo *Ps. 70.* qui est *filiorum Ionadab, & priorum captiuorum*; quia scilicet *post solitudinis libertatem vrbe quasi carcere reclusi sunt*. Sed nos alio præsertim sensu dictos fuisse captiuos in prædicto titulo dicemus *sub anno 3447.*

Verba ipsorũ ad Ieremiam

Quomodo dicantur captiui.

3 Sumpta ergo occasione ex eo quòd intra vrbem commorantes præcepta patris sui Ionadab de non bibendo vino, domibus non ædificandis, semente non serenda, vineis non plantandis neque habendis, sed in tabernaculis habitandi rigidissimè obseruarent, & vt inde exprobrari meliùs posset Iudæorum inobedientia, qua Deum ipsum spernentes, mandatis ipsius obtemperare nolebant, dixit Deus ad Ieremiam Prophetam *Ierem. 35. v. 2. Vade ad Domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in vnam exedram* (cellam scilicet, vel cubiculum, seu locum aptum ad sedendum) *thesaurorum; & dabis eis bibere vinum*. Fecit hoc Ieremias, & posuit coram eis scyphos plenos vino, & calices, & dixit ad eos: *Bibite vinum*; illi autem responderunt ea, quæ superius adduximus, excusantes se à vini potatione. Deus verò ex eorum strictissima obedientia Iudæorum peruicaciam confundere volens, hæc dixit Ieremiæ *v. 13. Vade, & dic viris Iuda, & habitatoribus Ierusalem: Nunquid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Præualuerunt sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs suis, vt non biberent vinum, & non biberunt vsque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: Ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens & loquens, & non obedistis*

Ieremiæ prophetæ de illis

dictis mibi. Misique ad vos omnes seruos meos Prophetas consurgens diluculo, mittensque & dicens: Conuertimini vnusquisque à via sua pessima, & bona facite studia vestra, & nolite sequi Deos alienos, neque colatis eos, & habitabitis in terra, quam dedi vobis, & patribus vestris, & non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. Firmauerunt igitur filij Ionadab filij Rechab praeceptum patris sui, quod praeceperat eis: populus autem iste non obediuit mihi: idcirco hac dicit Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego adducam super Iuda, & super omnes habitatores Ierusalem vniuersa afflictionem, quam locutus sum aduersum illos, eo quòd locutus sum ad illos, & non audierunt, vocaui illos, & non responderunt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: *Hae dicit Dominus exercituum Deus Israël: Pro eo quòd obedistis praecepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quae praecepit vobis; propterea hac dicit Dominus exercituum Deus Israël: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Contigisse hoc hisce annis aliquo tempore post ingressum Rechabitarum in sanctam Ciuitatem concors est Doctorum sententia. Differunt tamen in explicatione illius, *non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Alij enim credunt ex Rechabitis electos fuisse Iudices populi, ex vi sanè huius promissionis. Sed neque id constare potest, & esto quod ita saepius contigerit propter virorum auctoritatem, non est tamen fundamentum ad asserendum hunc morem perseuerasse semper inter Iudaeos. Secundò Theodoretus, & Hugo putant ea verba verificari de filijs Rechab, non generatione, sed imitatione, scilicet Christianis, qui Rechabitarum abstinentiam, obedientiam, & Religionem imitentur. At isti Doctores communi aliorum sensui contradicunt, & sine causa verba generalia solùm ad sensum allegoricum, vel moralem trahunt. Tertiò, alij cum Dionysio putant hìc promitti Rechabitis liberationem ab exercitu Chaldaeorum, & communi clade Iudaeorum. Horum verò placitum, licet verum supponat de Rechabitarum liberatione in deuastatione Ierosolymitana, vt dicemus suo loco, diminutè tamen, & contra proprietatem verborum relatam promissionem accipiunt.

Praemium Rechabitarũ.

Perpetuitas illis promissa.

4 Aliorum tamen placita, etsi diuersa videantur, ad verum tamen sensũ trahi possunt, si dicamus ex singulis seorsum, & omnibus simul germanã huius loci expositionem desumendam esse. Primò ergo credimus his verbis denotari cõtinuam posteritatem carnalem Rechabitarum. Ita enim supponit Ioannes Ierosolymitanus *in lib. de Instit. Monach. c. 27.* etsi dicat non fuisse hoc principaliter intentum in promis-

Posteritas cõtinua.

missione. Fauet Cornelius in hunc locum Ieremiæ, & colligitur ex dicendis, non enim ea verificari possunt, si non admittatur hæc doctrina. Dicimus secundò, his verbis promitti à Deo nunquam defuturum aliquem ex stirpe Ionadab, & Rechabitarum, qui assisteret ministerio Tēpli Domini Ierosolymitani. Ita enim intelligit hūc locum Serarius *in Minerual. lib. 5. c. 21.* referens ex Rabbinis R. Iuda, & R. Dauid Kimhi, & ex sectarijs Scaligerum, quamuis illud non ad Templum Ierosolymitanum materiale tantum, sed ad Christianā, & Catholicam Ecclesiam meritò referat. Id autem dupliciter intelligi potest, primo de ministerio Sacerdotali; secundò de alio ministerio, vtputa Cantorum, vel simili. Primo modo ea intelligere videntur Hebræi, vnde Chaldæus sic vertit: *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab ministrans coram me*: & fauet Salianus *sub anno mundi 3431. n. 3.* Secundo autem modo ea intelligit Sanchez in hunc locum Ieremiæ, nec dissentit Cornelius relatus, & colligitur ex illo *primo Paralipom. 2. v. 55.* vbi hoc esse eorum officium denotatur, dum dicitur: *Cognationes quoque Scribarum habitantium in Iabes, canentes, atque resonantes, et in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab*: quæ de Rechabitis intelligi diximus *sub anno mundi 3151. n. 4.* Colligitur etiam ex eo quòd, vt diximus *sub anno 3159.* Rechabitæ erant ex filijs Prophetarum, quorum munus erat Dei laudibus canendis, & hymnis resonandis vacare, Vnde hoc etiam fuisse munus Rechabitarum habet Cornelius relatus. Quamuis autem hoc Rechabitarum ministerium in Templo perenne, & perpetuum à Deo hoc loco promissum præsertim intelligi debeat hoc secundo modo propter allata: nihilominus etiam probabiliter primo modo potest intelligi, tum propter relata, tum propter auctoritatem Hegesippi apud Eusebiū *lib. 2. histor. c. 22.* vbi loquens de morte sancti Iacobi Apostoli vocati fratris Domini inquit: *Cum eum lapidarent, vnus ex Sacerdotibus de filijs Rechab, qui sunt Ieremiæ testimonio commendati, dixit, quid agitis? Iustus pro vobis Deum deprecatur*: ex quo constat etiam vsque ad tempora Christi fuisse aliquem ex Rechabitis Sacerdotem, quod & indicat Ioannes Ierosolymitanus loco relato. Nec obstat, quòd Rechabitæ ad tribum Leui non pertinerent, nisi forsan per affinitatem, ac perinde quod non potuerint esse Leuitæ, neque Sacerdotes. Potest enim dici cum Saliano *vt supra* potuisse nihilominus addici cultui diuino, vt Leuitas videlicet vel Sacerdotes, propter eorum sanctitatem & exemplarem vitam, sicut contigit Samueli, qui licet ad tribum Ephraim spectasset, ob eius tamen eximiam sanctitatem Sacerdos saltem extraordinarius factus

Assistentia ad templum.

Ministerium in templo.

ctus est, vel dicito, esto Rechabitæ non possent fieri Sacerdotes, & Leuitæ, saltem Sacerdotes, & Leuitæ obseruare possent Institutum Rechabitarum,& fieri Rechabitæ,& ita saluari poterit, quod Rechabitæ hæc munera exercerent, ita Franciscus à sancta Maria *in Histor. Prophet.lib.2.c.20.n* 10.Quod & in hoc Sacerdote Rechabita contigisse affirmat Serarius in Trihæresio *lib.3.c.9.* inquiens: *Non quòd is genere ac sanguine à Rechab oriretur, sed quòd in Rechabitarum sese disciplinam, sectamque contulisset, ita vt quemadmodum Rechabita, sic et Essenus vocari potuisset*. Idque tuetur contra Scaligerum in Minerruali *lib.5.c.22.* & maximè fauet Theodoretus in Ierem.35 affirmãs *omnem eum vocari filium Ionadab filij Rechab, qui leges illas obseruabat*, siue scilicet ex eius semine esset, siue non.

5 Est tandem alius modus explanandi locum Ieremiæ allatum, & promissionem per illum Rechabitis à Deo factam,clarior,& forsan verior, si dicamus ibi sermonem esse de continuatione, & perpetuitate Instituti Rechabitarum, vel in seipso, vel in alijs pijs, & Religiosis Institutis, Essenorum videlicet, Assidæorum, Monachorum, Legis nouæ, & Carmelitarum, quæ ab eo postea emanarunt, vt suis locis dicemus. Ita enim exposuit hunc locum noster Ioannes Ierosolymitanus *lib.relato c.27.* illis verbis: *Intellexerit autem Deus per virum de stirpe Ionadab non quidem principaliter carnalem ipsius Ionadab generationem, sed potius nostræ Religionis eremiticæ genus: neque enim filij carnales ipsius Ionadab, aut ab eis geniti, sed solum monachi in hac Religione eremitica eis succedentes steterunt in conspectu Dei cunctis diebus, quamuis carnalis stirps Rechabitarum perdurauerit vsque ad ruinã Ciuitatis Ierusalem à Tito, & Vespasiano patratam*. Fauet valde huic expositioni Thomas Vvaldensis *tom.1 doctrinal.fidei l.1.ar.1.c.6.* piè satis & doctè de hac Rechabitis promissa perpetuitate loquens. Ita etiam eum locum exposuit Serarius in Trihæresio loco relato, illud enim *stans in conspectu meo cunctis diebus* sic exponit: *Mihi piè, religioseque famulans, & obsequens*. Item Franciscus à sancta Maria *in historia Prophetiæ. Hispane lib.2.c.20.n.11.* & maximè fauet Cornelius *loco relato*, ad modum (inquit) quo sancti Benedictus, Franciscus, & Ignatius audierunt à Domino, *quòd Ordo eorũ non deficiet, quodque Deus semper viros insignes ei suggereret, qui disciplinam, et sanctitatem Ordinis tuerentur, fulcirent, restaurarent, & perficerent*: Ad modum etiam (subiungimus & nos) quo historiæ nostræ tradunt Beatissimam Virginem Mariam Beato Petro Thomæ Patriarchæ Constantinopolitano Ordinis perpetuitatem vsque in finem mundi prædixisse. De quo in sequentibus Tomis dicemus; accedente maximè approbatione Sa-

Instituti Rechabitici perpetuitas.

Instar quarundam Religionum.

cræ

cræ Congregationis Rituum in officio eiusdem B Petri Thomę. Porrò hanc eius loci expositionem etiã admittit Iosephus Scaliger *Elencho Trihæresij c. 24.* dicens: *Filij Ionadab sunt ij, qui Assidæi postea vocati, neque à Templo recedebant, & alia, quæ supra diximus de Assidæis, faciebant, vt meritò dictum sit:* Nõ deficiet vir de stirpe Ionadab stans coram me. *Stare coram Deo nihil aliud est, quàm ministrare, & offerre Deo, & sanctimoniæ operari in Templo, vt faciebat illa Anna Prophetissa apud Lucam, quæ expectabat Regnum Dei.*

6 Ex dictis autem infertur non bene Cardinalem Baronium *tom. 1. Annal. sub anno 64.* dixisse Rechabitarum Institutum cessasse hoc tempore, quo Ierosolyma à Chaldæis obsidebatur, quod ex D. Hieronymo elicere videtur. Primò etenim quod ad Hieronymum attinet, nihil ipse de cessatione Instituti Rechabitarum ea epistola ad Paulinum dixit, vbi solum hæc: *Propter irruptionem Chaldaici exercitus Ierosolymam intrare compulsi hanc primi captiuitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem vrbe quasi carcere reclusi sunt.* Vbi nec verbum habet de Rechabitici Instituti cessatione: nec ex ijs verbis id colligi potest. Qui enim Eremiticam vitam ex professione agunt, non censentur Instituti transgressores, si mortis metu, prout tempore belli contingit, ad vrbes confugiant. Deinde, quod ad rem ipsam spectat, cum Rechabitarum Institutum per Essenos, & Assidæos, qui ipsorum soboles, & posteri sunt, iuxta dicenda *sub anno 3545.* semper continuatum fuerit, nullatenus extinctum dici poterit. Ea namque familia, Religiosa præsertim, quæ, etsi mutato nomine, & aliquibus ritibus in aliam transit, cum illa durat, non perit. Ad hæc, cum ipso Baronio fatente, tempore mortis S. Iacobi Apostoli vnus adfuerit *Rechabita* cognominatus ab Hegesippo, & Eusebio, satis elicitur Rechabiticam professionem nec Christi tempore defecisse. Cum enim iste Sacerdos fuerit, potius credere debuisset Baronius, Instituto potius quàm genere talem extitisse; siquidem Rechabitæ genere Iudæi erant, Sacerdotes autem non nisi de tribu Leui. Quinimo etiam seculis post Christum in Regione Seba Semaan confine repertos fuisse Iudæos, qui *Rechab filij appellantur*, testatur Beniamin Iudæus *in suo Itinerario*. In sacra Scriptura etiam *2. Esdræ 3. vers. 14.* quidam Melchias *filius Rechab* nominatur post regressum Iudæorum ex captiuitate Babylonica, quem Rechabitici Instituti fuisse ex Villalpando, & Saliano, alijsque fundamentis *sub anno 3608.* ostendemus.

Baronius non placet.

7 Existimant aliqui (etsi alij post plures annos id referant) hoc circiter tempore contigisse ea, quæ *Daniel. 1.* habentur de abstinen-

De Danielis historia.

tia ipsius Danielis, & sociorum, nolentium de cibis Regis, aut vino potus eius vti, quamuis Rex præceperit hæc illis apponi. Ex quibus maximè ad nostrum intentum expendere possumus illud v. 8. *Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius*. Et infra: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum*. Ex ijs enim colligi videtur Danielem, & socios imitari voluisse Institutum Rechabitarum. Propterea enim vinum bibere, & cibos delicatos sumere recusabant, *ne pollurerentur* (inquit Daniel suo, & sociorum nomine) *de mensa Regis*; id est, ne essent transgressores obseruantiæ Rechabiticæ, quæ vinum prohibebat, & cibos delicatos non admittebat, sed tantum aquam ad potandum, & legumina ad vescendum. Quod enim aliqui intelligunt hæc verba de transgressione Legis Iudaicæ, quæ prohibebat carnem porcinam, & quædam alia manducare, non planè satisfacit; cum certissimum sit vinum hac Lege non esse eis prohibitum, & æquè certum, quòd in mensa Regis essent cibi multi Lege non prohibiti, quibus vti possent sine peccato. Item quod alij dicunt, propterea Danielem ita fecisse, quia cibi Regis Idolis essent oblati, & eorum nomine benedicti; præterquam quod hoc est incertum, ad minus, vt hoc effugerent scandalum, poterant Daniel, & socij alijs cibis communibus vti, & eos à Præposito postulare, quos ille libentiùs concederet, quàm aquam, & legumina, cum inde minus timere posset, ne facies eorum macilentiores apparerent præ cæteris coæuis, & adolescentibus. Pariter quòd alij dicunt ideo sic fecisse Danielem, & socios, quia in cibis delicatis regijs essent aliqui, qui gulam, & venerem excitare poterant, etiam infirmatur; quia possent hos cibos specialiter respuere, vel in tam exigua quantitate sumere, vt nihil ipsis spiritualis damni afferrent. Quæ omnia clariùs roborantur ex eo, quòd ipse Daniel c. 14. vers. 1. suæ Prophetiæ vocetur *conuiua Regis*, quia scilicet adeo charus ipsi erat, vt sæpiùs vel crebriùs cum ipso in mensa manducaret. Quemadmodum ergo tunc non manducauit, vt omnes admittent, cibos Lege prohibitos, Idolis oblatos, aut qui gulæ, vel luxuriæ irritamenta essent, pariter in præsenti dicendum esset. Maneat ergo vt probabilis expositio à nobis tradita, quam ex nostris etiam recipiunt Franciscus à Sancta Maria *lib. 2. c. 42. num. 4.* & Michael Muñozius *in Propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 1. c. 3. art. 2. n. 13.* fietque probabilior, si aduertantur ea, quæ *sub anno* 3428. diximus, & quæ *sub anno* 3463. dicemus, videlicet ipsum Danielem Nabuchodonosori post adimpletionem septennij (quo vt bestia ex hominibus abiectus, fœnum vt bos comedit, & inter feras agri conuersatus est) ad suum Regnum,

Quo pacto intelligenda.

resti-

restituto consuluisse, vt leguminibus, & aqua solis pro cibo, & potu vteretur, vt habent Dorotheus *in Synopsi*, & Epiphanius *in vita Danielis*. Ex hoc enim infertur hanc vitæ rationem obseruatam à Daniele fuisse, & ab ipso Regi ad pœnitentiam peragendam procliui ad imitandum proposita.

Anni mundi 3436. 3437. & 3438. ante Christum 617. 616. & 615.

1 OACHIM Iudæ Regis impietas, & nequitia in causa fuerunt, quòd Nabuchodonosor Rex Babylonis, à quo in tributis reddendis iam defecerat, contra eum veniret, Ierosolymam obsidione premeret, fide data in Ciuitatem intraret, eumque cum flore iuuentutis Ierosolymitanæ miserè occideret, insepultum, putrefactum, & proiectum veluti asinum, iuxta Ieremiæ Prophetias, relinquens, & in ipsius locum Ioachimum eius filium Iechoniam nũcupatum Regem constituens. Quia tamen ipse malum in conspectu Domini sicut pater eius fecit, nec Ieremiæ vocibus auditum præstare voluit; post tres menses de solio Regni deiectus est, ab eodem Nabuchodonosore captus, & cum matre, vxoribus, eunuchis, & thesauri Templi, ac domus Regiæ, alijsque Principibus, & potentibus in Babylonem translatus, Rege constituto in Iudæa, & Ierusalem Sedecia patruo ipsius, qui prius Mathanias vocabatur. Sacra Scriptura 4. *Reg.* 24. *&* 2. *Paralipom.* 36. Iosephus *de antiquitat. lib.* 10. *cap.* 8. *&* 9. Sanchez in *c.* 21. *Ierem.* Pererius *lib.* 1. *in Danielem* initio. Salianus *sub anno* 3436. *&* *alij*.

Nabuchodonosor Ierosolymam occupat.

In Babylonẽ transfert Iudæos.

2 Abducti etiam sunt cum Iechonia Babylonem Prophetæ plures. Ita enim habetur ex Ieremiæ *c.* 29. *v.* 1. *in principio*, in epistola, quam pro transmigratorum consolatione scribit *ad Sacerdotes, & ad Prophetas, & ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Ierusalem in Babylonem, postquam egressus est Iechonias Rex*. Cum autem *Propheta* isti non essent, vel Ieremias ipse, qui Ierosolymis Dei prouidentia permansit, nec Daniel, aut socij, qui iam à tempore primæ captiuitatis alterius Ioachim patris istius, qui modò captiuus ductus est, & fratris Sedeciæ, qui Rex manebat in Ierosolymis, eò abducti erant, nec Rechabitæ, quia etiam isti ab hac clade liberati sunt; vt colligitur, tum ex promissione Dei *Ierem.* 35: de qua *sub anno* 3431: diximus, tum ex Ioanne Ierosolymitano *lib. de Instit. Monachor. c.* 27. nec illi, qui in Carmelo tunc erant, propter dicta *sub*

Plures quoque Prophetæ.

annis 3279. & 3310. & dicenda in sequentibus, ideo necesse est nomen *Prophetas* hoc loco, sicut sæpius notauimus, non significare illos, qui futura prænunciant, sed Ordinis Prophetici alumnos, qui illi populo concionatorum officio fungentes viam veritatis prædicabant, Dei laudibus decantandis assistebant, diuinoque cultui specialiter dicati erant. Cui consonat Chaldæus vertens *ad Scribas*: hoc enim titulo vocari solitos filios Prophetarum Samuelis, & Eliæ discipulos ex dictis *sub anno* 3250. constat. Fatendum sanè est Ezechielem Prophetam inter eos vnum fuisse, vt habet Iosephus *lib.* 10. *c.* 8. sed cum ipse vnus, & singularis esset, nec prophetare cœpisset vsque ad annũ quintum transmigrationis Ioachim, vt ipse ait in initio suæ Prophetiæ, ideo verbum *Prophetas* non pro ipso solùm, sed pro alijs etiã, quos diximus sumendum esse existimãdum. Neque obstat, quod 70. legant *ad Pseudoprophetas*, tum quia Vulgatæ præsertim stare debemus, tum quod ex hoc solum habetur inter transmigrantes, & veros Dei Prophetas fuisse etiam falsò diuinantes aliquos, à quibus cauendum monet Ieremias *eodem c.* 29. *v.* 8. ab illis verbis: *Non vos seducãt Prophetæ vestri*, &c. & contra quos, præsertim contra Achab filium Coliæ, & Sedeciam filium Maasiæ, ibidem prophetat eorum ruinã. Existimant autem Hebræi, S. Hieronymus, Origenes, Rabanus, D. Thom. Lyranus, Castro, Torniellus & alij, quos sequitur Salianus *sub anno* 3436. *à n.* 46. hos duos fuisse illos senes, qui à Daniele falsi testimonij contra Susannam (cuius historia circa id tempus accidit) conuicti morti adiudicati sunt. Alijs vero, videlicet Maldonato, Sanctio, & Cornelio *in c.* 29. *Ieremiæ* oppositum placet. Nos illis hãc quæstionem remittentes, ad alia properemus.

Qui illi essent

Ezechiel vnus.

An pseudoprophetæ.

Anni mundi 3439. vsque ad 3446. ante Christum 614. vsque ad 607.

Huius temporis historia.

1 Iocto anni ante totalem Ierosolymę, & Regni Iudæorum desolationem vltimi, coniungendi nobis sub vno tempore erunt, quia res, quæ tunc euenere, facili compendio concludi possunt, nec multum ad nostros Annales spectant.

Sedecias Rex.

2 Quod enim attinet ad Regni Iudæ statum, Sedecias Rex à Nabuchodonosore constitutus in Babylonem perrexit. *Ieremiæ* 51. vt Iechoniam nepotem suum vinculis detentum, & reliquam transmigratorum multitudinem inuiseret, cõsolaretur, et si fieri posset, apud Chaldæorum Regem adiuuaret. Iuit autem cum eo Saraias, quem

quem vulgatus v. 59. vocat *Principem Prophetiæ*, quia (vt inquit Castro) cantor erat egregius, qui hymnos, psalmosque componeret, & eleganter interpretaretur. Ex quo Prophetici Ordinis cultorem fuisse non incongruè elicitur, cum & *Prophetæ* nomen, & hymnos, psalmosque componendi, & canendi officium, quæ propria erant discipulorum Samuelis, & Eliæ, id suadeant. Hebraicè vocatur *Princeps quietis*, quod & congruit intento, nam istis vocatis Prophetis Deus in somnis, & quiete futura, & arcana reuelabat, iuxta illud *numerorum* 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnum loquar ad illum*. Nec contradicunt 70. Interpretes, dum eum vocant *Principem donorum, & munerum*: quod etsi aliqui eo sensu intelligant, quia iste erat Præpositus muneribus, quæ Regi offerebantur, vel quæ Sedecias Regi Chaldæorum offerebat, aptiùs tamen forsan erit, si dicamus ideo appellatum fuisse hoc nomine, quia Princeps erat, seu caput horum Cantorum, qui *Prophetæ* dicebantur, & quibus sæpius dona, vel munera Prophetiæ, seu prædictionis futurorum Deus concedebat, iuxta dicta *sub anno* 3132. ex Ioanne Ierosolymitano *lib. de Instit. Monachor. c.* 11. Pariter quòd Vatablus, & Montanus hunc Saraiam vocent Principem *quietis, vel recreationis*; quod eius commercio vteretur Rex, quoties animum recreare volebat, non contrariatur nostræ expositioni, rectè enim psalmorum, & hymnorum concentu, & musica Regem recreare poterat.

Saraias.

Quis ille.

3 Plura interea Ieremias Ierosolymis manens de futuris euentibus prophetabat contra Babylonios, Ammonitas, & Moabitas, ipsumque Sedeciam, & reliquias captiuitatis, contra Pseudoprophetas, specialiter vnum ex ipsis Hananiam nomine, qui ipsi contradicebat, & de horribili Ierosolymorum clade futura; vt propterea Phassur Sacerdos eum percusserit, & in neruum miserit, licet postea inde eductus etiam contra ipsum Phassur prophetare non desierit; iterum in carcerem missus, & à Principibus cæsus, ab ipso Rege liberatus est. In profundum præterea, & cœnosum puteum, seu lacum, vel foueam per funem demissus, nisi inde ab Abdemelech Eunucho, qui apud Regem intercessoris vicem egit, extraheretur, vitam miserè finijsset, de quibus omnibus in toto Ieremiæ libro, & Expositoribus illius.

Ieremias plura prophetat.

Patitur multa

4 Nobilitatur etiam hoc tempus multis sancti Prophetæ Ezechielis prophetijs, tunc clarescere incipientis. Natus creditur anno mundi 3411. ante Christum 642. & Iosiæ Regis Iudę 16. vt ex Diuo Hieronymo, Origene, Gregorio, & alijs elicit Salianus *sub eo anno*, & se-

Ezechielis prophetiæ.

& sequitur Franciscus à sancta Maria *in historia Prophet. lib. 2. cap. 39.* Eum fuisse Pythagoram illum Philosophum clarissimum putarunt quidam apud Clement. *lib. 1. Stromat.* sed esto illi similis Pythagoras fuerit, symbolis, & ænigmatibus, quia tamen synchroni non fuerunt, sed Ezechiel tempore prior, Pythagoras posterior, ille Hebræus, iste ex parte saltem parentum Græcus; ille fidelis, alter ethnicus, non est cur vnus idem cum alio putetur. Erroris forsan ansam præbuit, quòd Pythagoras in Carmelo philosophatus fuerit, vt dicemus ex Iamblico, Lypomano, & Eugubino *sub anno 3515.* ideo etiam forsan Ezechieli similis, qui ferme eodem tempore floruit, æstimatus fuit.

Ipsius excellentia. 5 Dignior tamen Ezechiel Pythagora, quem S. Hieronymus *in c. 47.* appellat *Scripturarum Oceanum, & mysteriorum Dei laberynthum.* Sacerdos fuit ex tribu Leui, vt testatur idem Hieron. *in cap. 14. ipsius Prophetiæ.* Patria ei fuit Sarara, ait Epiphanius *in eius vita:* fuit filius Buzi. Ad Ordinem Propheticum spectasse non solum suadent generaliter dicta *sub anno 3184. & in Apparatu c. 2.* & quod Sigonius *de Republ. Hebraeor. l. 5. c. 9.* eum annumerare videatur Collegij Prophetalis alumnis; sed etiam quod discipulus fuerit Ieremiæ Prophetæ, de quo idem diximus in superioribus. Hoc enim sensu intelligendi sunt Hebræi, qui eum vocant filium Ieremiæ, quos non rectè impugnant aliqui, non animaduertentes nomen filij inter Prophetas sumi pro discipulo, vt omnibus notum est, præsertim ex ijs quæ diximus de filijs Prophetarum *sub anno 3132.* vbi ostendimus tales fuisse ipsorum discipulos. Hoc etiam sensu intelligendus est Nazianzenus *orat. 47.* dicens: *Ferunt Ezechielem seruum Ieremiæ prius extitisse.* Nomen etenim serui etiam tribuitur discipulis Prophetarum. Sic enim de Elisæo verissimo Eliæ discipulo dicitur *3. Reg. 19. v. 21.* quòd *ministrabat ei;* & *4. Reg. 2.* vocatur Elias dominus ipsius: *Hodie Dominus tollet dominum tuum à te.* Quin & Baruch Ieremiæ discipulus, etiam seruus dicitur. Ad quod accedit, quòd Ezechiel non solùm Ieremiam in prophetando imitetur, adeo vt eadem plerumque & ijsdem sententijs prænunciet, sed meritò datus à Deo credatur, vt Ieremiæ prophetiam de vrbis & Iudæorum excidio confirmaret contra Hananiam, & Semeiam, ac alios Pseudoprophetas, qui Ieremiam falsitatis arguebant. *Ierem. 28. et 29.* Vide S. Hieronym. *in præfatione super Ezechielem,* & Cornelium *in prologomenis super ipsum.* Addit Munozius *in Propugnaculo Eliæ lib. 2 tit. 1. c. 3. art. 2.* ex illis verbis eiusdem Ezechielis *c. 8. v. 1. Ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me;* credi fuisse Ordinis Prophetici cultorum Præpositum, sicut ex illo *4. Reg. 6. v. 32. Elisæus sedebat in domo sua, & senes*

An Ordinis Prophetici.

sede-

sedebant coram eo, colligitur idem de Elisæo, iuxta dicta *sub anno* 3147. Cui fauet Liranus ibi dicens: *Venerant ad interrogandum eum de statu Ierusalem*. Quo denotatur eum fuisse magistrum, & domum eius veluti *Scholam*, iuxta modum, quo Samuel dicebatur *Princeps*, vel *Præfectus* cœtus Prophetarum 1. *Reg.* 19. in Naioth Ramatha, & colligitur ex afferendis infra ex *c.* 20. eiusdem Ezechielis. Propterea Boulducus *in lib. de Eccles. post legem c.* 11. §. *Alio modo*, Ezechielem vocat Enoscæum, id est, Essenum instituto, quo clariùs ipsum ad Prophetale Institutum pertinuisse demonstrat.

An fuerit Præfectus cœtus Prophetarum

6 Sub hoc tempore, anno videlicet 3440. qui erat quintus transmigrationis, nobilissimam illam visionem habuit quatuor animalium, de qua *c.* 1. suæ Prophetiæ, Christum mysticè denotantem, & historicè proximum excidium Ierosolymæ, prout Patres, specialiter Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, & alij post ipsos exposuerunt. Habuit & illas sub hoc tempore, de quibus *c.* 2. *& sequentibus*, vbi tam verbis, quàm factis transmigrationi Israëliticæ denunciat, quæ Deus illi præceperat. Maximè anno septimo, qui correspondet anno 3442. cum venissent viri de senioribus Israël, *vt quærerent doctrinam à facie Domini* (inquit Chaldæus) noluit illis aliquid respondere, propter eorum impietates.

Nobilissima ipsius visio.

Annus mundi 3447. ante Christum 606.

1 Nnus iste luctuosissimus est, & lugubris valde; Regni Iudæorum desolationis initium, & omnium Prophetiarum, quæ illam prædixerunt, finis, & complementum. Constitutus erat, vt vidimus in superioribus, Sedecias in Iudę Regem à Nabuchodonosore pro Iechonia nepote in Babylonem abducto. Quia tamen durum illi videbatur clientem se, & vectigalem Chaldæorum esse, Ægyptiorum, quos immortales ipsorum hostes nouerat, auxilio fretus, pseudoprophetarum promissis excitatus, & quod præcipuum est, à Deo in pœnam peccatorum illius populi excæcari permissus, defectionem intentauit, & perfecit. Ea autem à Chaldæo cognita celeriter instructus copijs, in Iudæam armatus intrauit, Ierosolymam obsidione cinxit, sed mox Ægyptijs aduentantibus liberam ad tempus reliquit; illis tamen facilè repulsis, iterum reuersus, Ciuitatem oppugnauit, planè expugnauit, miserrimè oppressit. Sedeciæ namque filios coram eo occidit, eum excæcauit, Babylonem vinctum abduxit, Templum Domini, domum Regis, omnesque domos igni combussit,

Iudæorum desolatio.

Sedecias vinctus.

popu-

populum, & ea quæ in Templo erant, secum tulit, & pauperibus relictis in terra Principem Godoliam præfecit. S. Scriptura 4. *Reg.* 25. & 2. *Paralipom.* 36. Expositores *ibid.*

Ieremias refertur. 2 Ad nostrorum tamen Prophetarum historiam propius accedentes, primus Ieremias à nobis inuisendus. Is enim; consentiente Nabuchodonosor & Nabuzardan Principe militiæ ipsius, in terra Iuda mansit, Godoliæ gubernatori commendatus, secum etiam habens Baruchum socium, quem à Nabuzardano sibi dati postulauerat, quo adiutore, & scriba ad solatium, & monitionem captiuorum epistolam eis scripsit, quæ habetur *Baruch* 6. Scripsit etiã Threnos, *Ieremiæ Lamentationes* appellatos. Cum autem Ismael quidam de semine Regali Godoliam Iudææ gubernatorem fraudulenter occidisset, & alios amicos ipsius, fugit populus in Ægyptum, Ieremiam & Baruch secum vi abducens. Ieremiæ 39. 40. 41. 42. & 43. Expositores *ibidem*; Salianus *sub hoc anno*.

Item Rechabitæ. 3 De nostris autem Rechabitis quid actum sit, Scriptura non loquitur. Ioannes tamen Ierosolymitanus in relato *lib. de Instit. Monach.* c. 27. expresse habet dimissos fuisse in Ierusalem cum Ieremia à Nabuzardan Principe militiæ Chaldæorum; quod colligit ex verbis Ieremiæ c. 35. quæ nos adduximus *sub anno* 3431. Tenet etiam S. Augustinus inferiùs referendus, & fauet Dionysius *eo anno* relatus ita locum exponens. Contextus etiam ipse Prophetæ id postulat: sicut enim Iudæis propter eorum inobedientiam, & peruicaciam eo loco minatur Deus captiuitatis plagam, sic econtra humilibus, & obedientibus Rechabitis immunitas ab hac communi clade promittitur. Non ergo cum alijs Iudæis Babylonis captiuitatem subierunt, sed iuxta Dei promissionem, & dicta *sub eo anno* Ierosolymis manserunt in seruitio Templi talis, quale post combustionem manere potuit; nec credimus in hac fuga Iudæorum cum Ieremia & Baruch, de qua *Ierem.* 43. agitur, comprehensos fuisse Rechabitas, sed adhuc persistere voluisse in sancta Ciuitate: tum quia ita infertur ex promissione illis à Deo facta de perenni, & perpetua assistentia in conspectu Dei, idest, in Templo Dei, vel loco vbi fuerat Templum: tum quia hæc Iudæorum fuga in Ægyptum contra præceptum Domini fuit *Ierem.* 42. & voluntatem ipsius Ieremiæ, vnde tam ipsum quàm Baruch socium non nisi inuitos illuc duxerunt. Esto autem

An in Aegyptum ducti. per aliquod tempus in Ægyptum violenter ducti fuerint, quia *Ierem.* 43. v. 6. generaliter dicitur: *Omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan Princeps militiæ cum Godolia*, abductam esse in Ægyptum, celeriter tamen reuersos esse in Ierusalem, saltem post mortem Ieremiæ,

niæ, quæ sequenti anno contigit, cum Barucho, & alijs, affirmare cogimur propter relata.

4 Hic occurrit explanandus titulus Psalmi 70. quo id quod diximus de immunitate Rechabitarum à Chaldæorum captiuitate magis roboratur. Titulus ergo talis est: *Psalmus Dauid filiorum Ionadab, & priorum captiuorum*; seu, vt alia littera habet, *eorum, qui primi in captiuitatem ducti sunt*; seu, *qui primi captiui ducti sunt*. Quocunque autem modo sumatur, difficultatem ingerit, quomodo hic *captiui*, vel *in captiuitatem ducti* dicantur ij, quos liberos, & immunes à captiuitatis iugo diximus. In qua S. Hieronymus *in epist. ad Paulinum*, ex eo asserit hos fuisse primos captiuos, quia *propter irruptionem Chaldaici exercitus Ierosolymam intrare compulsi, hanc primi captiuitatem sustinuisse dicuntur, quòd post solitudinis libertatem vrbe quasi carcere reclusi sunt.* Hanc ergo solam captiuitatem reclusionis in Ierosolymorum vrbe, de qua *sub anno 3431.* illis tribuit, & propter ipsam captiuos appellari quæ expositio: etsi probabilis satis sit propter auctoritatem Hieronymi, præsertim quia spiritualibus viris soli Deo vacantibus *multitudo carcer est*, sicut *solitudo solatium*, nihilominus inuitat nos Sancti Augustini *in concione prima, seu præfatione huius Psalmi* alia solutio. Inquit ergo: *Non quia filij Ionadab captiui ducti sunt, sed quia illis, qui captiui ducendi erant, oppositi sunt filij Ionadab, quia patri obedientes erant, vt intelligerent illi propterea se fieri captiuos, quia Deo obedientes non fuerunt.* Explicans autem quo sensu dici potuerunt isti filij Ionadab captiui, subiungit immediatè: *Accedit etiam, quia Ionadab interpretatur Domini spontaneus. Quid est hoc Domini spontaneus? Dei voluntati libenter seruiens. Quid est Domini spontaneus? in me sunt Deus vota, quæ reddam laudes tibi. Quid est Domini spontaneus? voluntariè sacrificabo tibi.* Quibus satis innuit Rechabitas Ionadabi filios captiuos appellari, quia per voluntariam obedientiam captiui facti priùs fuerant, & cum afferat illud; *In me sunt Deus vota, &c.* nō incongruè elicimus ipsum sentire ex aliquali voto obedientes fuisse, prout diximus *sub anno 3159. n. 5.* Fauet huic expositioni Hugo Cardinalis *in hunc Psalmum* dicens, agere *de filijs Ionadab, id est, de significatis per eos, id est, de illis, qui obediunt spontaneè Dei voluntati.* Et Dionysius dum inquit: *Filiorum obedientiæ.*

5 De alijs verò Ordinis nostri professoribus, qui Carmelum eo tempore incolebāt, faciliùs creditur communem Iudæorum plagam de Babylonica captiuitate effugisse. Ita enim habet Ioānes Ierosolymitanus *dicto lib. c. 26.* illis verbis: *Terrenas diuitias, & carnales delicias respuebant, humanaque consortia, & turbarum tumultus vitabant, ideo præ-*

Titulus Ps. 70. | Quomodo captiui. | Ex S. Hieron. | Ex S. August. | Quid de Carmelincolis.

præseruauit eos Deus à captiuitatibus, ad quas ante Incarnationem Christi Iesu induxit populum Iudæorum propter peccata eorum. Quod tamen ad maiorem Iudaici populi cessit confusionem, vt ipse in fortissimis Ciuitatibus, & munitis saluari non posset, cum Monachi in aperta montis Carmeli eremo, & non munita, ab insultibus Assyriorum, & exercitus Chaldaici per Deum tunc protegerentur. Sed causa huius diuersitatis fuit ex parte quorumdam illius populi Legis diuinæ præuaricatio: e contra verò ex parte dictorum Monachorum eiusdem Legis obseruatio. Idque probat ex *Isaia* 32. & *Michea* 7. testimonijs, quæ retulimus *sub annis* 3303. & 3310. Quod etiam sequuntur alij Historici Ordinis, & de exteris approbant Ægidius Camartus *in lib. de gestis Eliæ c.* 5. *sect.* 10. & Aubertus Miræus *in Tract. de Orig. Carmelit.* ac colligitur ex dictis *sub anno* 3128. Si enim continua, & pereni successione Eliæ discipuli vsque ad Christi aduentum Carmeli incolæ fuerunt, proculdubio ex eo loco abducti non fuerunt Babylonem: non negamus credibile valde esse eorum aliquos, infirmiores præsertim, persecutoris gladium metuentes hac tempestate ad alia loca extra Carmelum migrasse. Hoc enim facile creditu erit, tum ex ijs, quę anno sequenti dicemus ex Eutrandi, seu Luitprandi figmentis, tum ex eo quòd hoc eodem tempore Nabuchodonosoris exercitus Tyrum, & Sydonem vrbes non longè à Carmelo positas, & alias circumuicinas Regiones deuastabat, vt colligitur ex *Ieremiæ* 25. de quo Torniellus *sub anno* 3448. *nu.* 9. & Salianus *sub anno* 3447. *num.* 74.

An aliqui fugerint gladiũ persequentis.

Annus mundi 3448. ante Christum 605.

Mors Ieremię 1



CONTIGIT hoc anno mors sacratissimi Dei Prophetæ Ieremiæ, prout Castro *in Isagoge ad Ierem.* Maldonatus *præfat. in eumdem*, Sanchez *prologom. n.* 3. & alij comprobant. Erat, vt diximus sub anno præcedenti, in Ægypto, in vrbe Taphnis, vt creditur, a reliquijs captiuitatis illuc abductus cum Baruch socio. Cum autem Iudæi, qui cum eo venerant, ad extremum impietatis & desperationis barathrum descendissent, calamitates sibi illatas non suis peccatis, sed Dei cultui tribuentes, pacem autem & felicitatem Idololatriæ exercitio adscribentes, propterea Prophera Dei nomine, *Ierem.* 44. mala alia illis imminentia prædicebat. Illis autem peruicaciter, & impudenter respondentibus, resumens iterum prædictionem etiam iureiurando eorum vltimam ruinam prænunciabat. Quo illi nimis exacerbati, furore insani, & in arcum prauum conuersi, lapidibus arreptis,

Lapidibus percussus.

suum

suum prædicatorem, intercessorem, & sequestrem crudelissimè interemerũt. Ita ferme describitur eius mors ab Epiphanio *in vita ipsius*, Dorotheo *in synopsi*, D. Hieron. *lib. 2. contra Iouinianum*, Auctore imperfecti *in Matth hom.* 41. Tertulliano *in Scorpiac. c.* 8. subscribentibus Martyrologijs Græcis & Latinis pro prima die Maij.

2 Ex quo, iam rejicitur veluti inanis, & absque fundamento aliquo assertio dicentium Ieremiam nondum esse defunctum: quorum Dux creditur Victorinus Afer antiquus scriptor in *cap.* 11. *Apocalypsis*; eam enim iampridem reiecit S. Hilarius *in cap* 20. *Matth.* quem Sixtus Senensis *lib. 6. Bibliothecæ*, & alij moderni Doctores sequuntur. Diximus sine fundamento esse istorum sententiam, quia hæc adducunt, scilicet quòd de Ieremiæ morte Scriptura nihil dicat, & quod *Ierem.* 1. *v.* 5. ipsi dicatur: *Prophetam in gentibus dedi te*; ac quod *Apocalypsis* 11. *v.* 3. duo testes illic referantur ab Antichristo occidendi, ex quibus vnum credunt Ieremiam, friuola sanè sunt, cum constet nec de Isaia, Ezechiele, aut Daniele referri mortem in Sacra Scriptura, & tamen certo certius esse vltimum diem clausisse. Deinde illud *Prophetam in gentibus* optimè verificari de Ieremiæ Prophetia, quæ sæpius est cõtra Chaldæos, Aegyptios, & alias nationes, & vniuersaliter contra omnes peccatores, ac denique quod illud de duobus testibus communiter accipiatur pro Enoch, & Elia. Opinio falsa.

3 De sepultura Ieremiæ, miraculis, quæ circa illam fieri solita erant, veneratione, & translatione ipsarum agunt sanctus Epiphanius *in eius vita*, Dorotheus *in Synopsi*, Chronicon Alexandrinum, Ioannes Moscus *in prato spirituali c.* 27. & alij. Ieremiæ sepultura.

4 De alia quoque eiusdem Ieremiæ Prophetia in Aegypto prænunciata, de Virgine scilicet Maria, & eius infante Seruatore nostro agunt idem Epiphanius, Dorotheus, & Chronicon Alexandrinum; ac Salianus *sub hoc anno n.* 15. & nos dicemus in sequentibus. Ieremiæ Prophetia.

5 In hac Iudæorum miserrima clade illud singulariter notandum pro nostræ historiæ continuatione, eos non solùm in Babylonem abductos, & in Ægyptum transfugas, sed & per alias regiones, & totum ferme orbem dispersos fuisse. Ita enim illis prænunciauerat Isaias c. 11. v. 12. vbi loquens de vnione ipsorum facienda tempore Legis Euangelicæ dicit: *Leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Dixerat autem in versu præcedenti eos possessurum *ab Assyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Aelam, & à Senaar, & ab Emath, & ab insulis maris.* Vbi insulæ maris vocantur Græcia, Italia, Hispania, & tota occidentalis plaga, quæ quasi clauditur Oceani ambitu, Iudæi dispersi per orbem.

vt habet Cornelius ex sancto Hieronymo, & Cyrillo: Idem etiam prædixerat Ezechiel *c.5. v.12.* vbi loquens contra Iudæos habitantes Ierosolymam, eorum calamitatem, de qua in præsenti prænuncians dicit: *Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam verò partem tui in omnem ventum dispergam*, idest, in omnem mundi regionem.

6 Ex quo iam locus datur sententiæ asserentium plures ex huiusmodi Iudæis in Hispaniam traiecisse, & magnam ipsorum partem ex discipulis, & successoribus Eliæ fuisse. In libro enim, cui titulus *Luitprando, seu Eutrando hactenus attributa fragmenta*, quæ ex Bibliotheca Thomæ Tamaio de Vargas Historiographi Regij eruditissimi extracta typis mandata sunt Mantuæ Carpetanorum, seu Matriti anno 1635. sic reperimus scriptum pag. 49. num. 263. *Magna pars eorum, qui ex Iudæa traiecerant in Hispaniam tempore Nabuchodonosoris, erat ex discipulis Sanctorū Eliæ, & Elisæi, & Enoch, & successores illorū.* Hæc ibi. Circa quæ notandū, hanc Iudæorū in Hispaniam traiectionem referri etiam à Mariana *de rebus Hispan. l.1. c.17.* ex Megasthene apud Strabonem *lib.15. Geographiæ*, & Iosephū *lib.10. c.11.* quod & sequitur Pineda *lib.10. c.11. lib.4. de reb. Salom. c.14.* & plures alij Hispaniarū Historici, Petro Mātuano *in Aduert. ad Marian.* reclamante, suffragāte tamen Thoma Tamaio *in defens. Histor. Marianæ*. Subiungunt etiam huius causæ patroni, quod propterea multa Hebraica nomina in Bœtica, & Carpetania, videlicet *Scalona* ab Ascalone, *Noue* à Nobe, *Mequedam* à Mageddone, & *Iepem* à Ioppe originem traxerint. Quod autem inter eos plures ex Eliæ discipulis essent, valde credibile est, propter eorum multitudinem, & ingentem copiam, iuxta dicta in superioribus, maximè *sub anno 3154.* vbi de Prophetici Ordinis Collegijs egimus. Quod autem illi dicantur in relato testimonio discipuli Eliæ, Elisæi, & Enoch, difficultatem ingerit, cum ille Enoch quem Sixtus IV. Iulius II. & Gregorius XIII. inter Ordinis Patres numerant, fuerit vnus ex Christi discipulis, vt diximus *in Apparat. c.6. n.9.* Quare dicendum illius libri auctorem præfatos Iudæos, quos Nabuchodonosor in Hispaniam inuexit, discipulos non solùm Eliæ, & Elisæi, sed etiam Enoch vocasse, respectiuè quidem non ad tempus Nabuchodonosoris, sed ad illud quo de ipsis scribebat, quod erat post Christum, & prædictum Enochum. Carmeli porro colonos à tempore Nabuchi Hispaniam habitasse non solum Eutrandus relatus; sed etiam ex ipso acceptum tenet Franciscus Rusquerta Biacensis in *historia Regni Giennensis* an. 1634. Giēnæ impressā, *seculo 7. c.5. fol. 218.*

De Eliæ discipulis in Hispaniam traiectis.

7 Quamuis autem ob tot seculorum obliteratam memoriam, nec

nec vestigium aliquod habeatur eorum, qui eo tempore ex Iudæis in Hispaniam Nabuchodonosore procurante traiecerant, extat tamen mirum, & singulare antiquitatis monumentum Diui Athanasij primi Cæsaraugustani Episcopi in insula Sardiniæ repertum, prout refert Illustris. Prudentius de Sandoual Episcopus Pampilonensis in libro, quem inscripsit *de antiquitate Tudensis Ecclesiæ in principio*, ex quo habetur sanctum Petrum primum, vt fertur, Bracharensem Episcopum ex illis vnum fuisse, à mortuis tamen postea à D. Iacobo Apostolo suscitatū, qui & antea Samuel iunior, vel Malachias senior Vriæ Prophetæ filius, & ipse Propheta appellatus fuerit. Athanasij en verba: *Ego noui sanctum Petrum primum Bracharensem Episcopum, quem antiquum Prophetam suscitauit sanctus Iacobus Zebedæi filius Magister meus, hic venerat cum duodecim tribubus missis à Nabuchodonosor in Hispaniam Ierosolymis Duce Nabucocerdan, vel Pyrro Hispanorum Præfecto, dictus est hic Propheta Samuel iunior, vel Malachias senior propter morum grauitatem, & vultus pulchritudinem, Vriæ Prophetæ filius, factus Episcopus multos Iudæorum ad fidem conuertit, dicens se venisse cum eorum maioribus, & prædicasse transmigratis, obijsse verò viginti annis post aduentum eorum in Hispaniam. Hic vir Apostolicus acceptis à sancto Iacobo Institutionibus Apostolicis, &c.* In re tam stupenda, & tot seculis abscondita, etsi Deo, cui nihil impossibile factu, facili, fides sit apud Auctorem, prout similiter hæc eadem referens verba dixit doctor Augustinus Barbosa *de potestate Episcopi tit. 3. c. 8. num. 21.* Illud annotandum censeo, nomen videlicet *Prophetæ*, quod ei in relatis verbis tribuitur alienum non esse à Prophetici Ordinis alumnis, prout sæpius his Annalibus inculcaui. Qui fuerint.

Anni mundi 3449. vsque ad 3452. ante Christum 604. vsque ad 601.



1 QVATVOR istos annos in vnum coniungimus, quia in historia difficilè disiungi possunt, & pauca continent nostris Annalibus propria. Ratio temporis.

2 Id tamen non prætermittendum, eo tempore videri Baruch ex Aegypto Ierosolymam versus discessisse. Baruch venit Ierosolymam. Mortuo enim Ieremia, eiusque prædictione de clade imminente Iudæis ibi manentibus audita, & quod vix aliqua de ipsorum salute propter eorum obstinatissimam proteruiam spes haberi poterat, maximè quia peculiariter in eum erant infensi, vt colligitur ex Ierem. 43. non erat cur amplius ibi detineretur. Ad Templi ergo, &

Vrbis ruinas cum aliquibus alijs reuersus est, quod idem de alijs ex filijs Prophetarum, seu Rechabitis, si forsan in Aegyptum perrexerunt, affirmandum censemus; nec sine fundamento, cum constet ex Baruch 1. *vers.* 2. quod anno 5. desolationis, qui correspondet anno 3451. vel circiter, miserunt Iudæi, qui erant in Babylone, ad Sacerdotes, & populum, qui cum Ioachim Sacerdote inuenti sunt in Ierusalem, pecunias pro offerendis sacrificijs ad aram Domini, & orādum pro vita Nabuchodonosor, & filij eius. Ex hoc enim colligitur aliquos eorum, qui in Ægyptum profugi abierant, Ierosolymam redijsse, & in ruinis Templi leue aliquod, subitaneum, & vilis pretij Altare Deo erexisse, vbi iuxta præsentis temporis calamitates sacrificia aliquot offerre possent, vt habent Lyranus, & Cornelius in dictum locum Baruch 1. Quia ergo, vt diximus *sub anno* 3431. Rechabitis promissum erat à Domino *Ieremiæ* 35. nunquam defuturum aliquem ex illis, qui assisteret ministerio Templi, ideo inter paucos illos, qui hoc tempore huiusmodi sacrificijs assistebant, ipsi computari debent, vt diuinæ promissionis veritas subsistat.

Rechabitæ etiam.

Ieremiæ Prophetiæ adimpletio.

3 Implebantur eodem tempore Ieremiæ aliquot Prophetiæ, illa videlicet *Ierem.* 24 de morte miserrima Sedeciæ Iudæorum Regis. Præ animi namque mœrore, oculorum erutorum dolore, liberorum, & Regni iactura, carceris forsan etiam duritia, vix potuit diu esse superstes. Quamuis autem aliqui apud S. Hieronymum *in Habacuch.* 2. Comestorem *in histor. Scholastica*, & Abulensem 4. *Reg.* 25. *q.* 38. velint eum vitā finijsse opprobriosa, & ignominiosa morte fluxus ventris, & stercorum emissionis, præsentibus Nabuchodonosor, & epulantibus, vel ebrietate dominante, impudica sui corporis denudatione: Ieremiæ tamen testimonio *c.* 34. *v.* 4. & 5. *Non morieris in gladio, sed in pace*, cogimur dicere morte violenta non fuisse defunctum, sed in carcere detentum, vt habet Iosephus *lib.* 10. *c.* 11. quem alij sequuntur, probabiliter etiam existimantes nonnullam de sua salute ob pœnitentiam factam spem reliquisse. Salianus *sub annis* 3449. & 3450. *n.* 10.

Sedeciæ mors

4 Pariter & illa eiusdem Ieremiæ *c.* 46. Prophetia de Ægyptiaca calamitate sub Rege Pharaone Nechao, vrbiumque eiusdem prouinciæ depopulatione adimpleta hoc tempore est, sicut & illa de Iudæorum quisquilijs apud Ægyptum repertis, partim occisis, & partim in Babylonem abductis. De qua *Ierem.* 43. & 44. vt habet Iosephus *lib.* 10. *c.* 11. Nabuchodonosor namque Assyriorum Rex tunc potentissimus has nationes, sicut Philisthæos, Idumæos, Moabitas, & Am-

Aegypti calamitas.

Ammonitas & Arabes suo subiugauit imperio, Niniuem euertit, & monarchæ nomen sibi obtinuit. Torniellus, & Salianus *sub his annis.*

Annus mundi 3453. ante Christum 600.

1 IC annus, qui particularis hoc tempore fuit ob mirabile somnium Nabuchodonosoris & mirabiliorem ipsius interpretationem per Danielem Prophetam sigillatim à nobis recensendus occurrit; & casus iste ex ipsa sacra Scriptura *Dan. 2.* & Patribus explanādus. Somnium Nabuchodonosoris.

2 In anno secundo Monarchiæ, seu Imperij Babyloniorum vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, somniumque fugit ab eo, ita vt, etsi se somniasse meminisset, somnij tamen penitus oblitus esset, Deo sic prouidente, vt solus ipse verus Deus agnosceretur, qui somnium, & interpretationem indicare posset. Cum enim ab ariolis, magis, maleficis, & Chaldæis, præmijs, & supplicijs propositis id quæreret, nec ipsi se facere posse, nisi somnio ipso narrato, faterentur, & propterea Rex omnes sapientes Babylonis interfici mandasset; tunc Daniel, cuius etiam causa agebatur, cum ipse & socij ad necem quærerentur, impetrauit à Rege, vt tempus sibi daretur ad somnij interpretationem à Deo postulandam. Annuit Rex, & Daniel cum socijs Deum obnixè deprecantes ab eo obtinuerunt, vt ipsi Danieli per noctem in visione mysterium reuelaretur. Gratijs ergo Deo actis pro beneficio in tempore tam necessario accepto, ad Regem introduci curat, & ab eo interrogatus sic respondet: *Tu Rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc, & qui reuelat mysteria ostendit tibi, quæ ventura sunt. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plusquam in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est: sed vt interpretatio Regi manifesta fieret; & cogitationes mentis tuæ scires. Tu Rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta sunt quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis. Lapis autem, qui percusserat statuam, factus* Qualis fuit. Daniel interpres illius.

est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Hoc est somnium. Interpretationem quoque eius dicemus coram te, Rex: Tu Rex Regum es: & Deus cæli Regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia, in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione sua vniuersa constituit. Tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: & Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ: & regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc. Porrò quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream, regnum diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur: secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto; et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum; & ex parte contritum. Quod autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus autem magnus ostendit Regi, quæ ventura sunt postea, & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.

Prophetia de Regnis futuris.

Monarchia quadruplex.

3 Hæc quadriformis statua symbolum quatuor Monarchiarum præcipuarum fuit, Chaldæorum videlicet, Persarum, Græcorum, & Romanorum, quorum vna alteri successit. Ex quibus prima auro comparatur, secunda argento, tertia æri, quarta ferro: ex quo Gentiles fabulam de primo seculo aureo, secundo argenteo, tertio æneo, & quarto ferreo acceperunt apud *Ouid. lib. 1. Metamorphos.* Chaldæorum autem Monarchia auro comparatur, non quod alijs præstantior, ditior, aut latioris dominationis fuerit, sed quia prima splendidissima, felicissima, & famosissima fuerit, vtpote quæ breuissimo tempore Syros, Iudæos, Tyrios, Ammonitas, Moabitas, & Ægyptios, qui tunc potentissimi erant, subiugauerit, adeoque suũ potentatum extenderit, vt Megasthenes *lib. 4. de rebus Indicis* tradat Nabuchodonosorem præter Orientis prouincias, Ægyptum quoque & Africam, ac Hispaniam subiugasse. Secunda etiam Persarum, & Medorum argento similis esse perhibetur, tum quia secunda tempore fuerit, tum quia adeo argento abundauerit, vt Cyrus ex debellata Asia quinquaginta millia talentorum argenti, id est, trecentos ferme milliones extulerit, vt habet Plinius *lib. 33.* & in suo Conclaui

Chaldæorum vna.

Persarum, & Medorum alia.

Rex

Rex Persarum ad caput triginta milliones auri, quod *Cernical Regis* dicebatur, & ad pedes octodecim milliones argenti teste Athenæo *sub init. lib* 12. semper haberet. Tertia Græcorum Monarchia æri comparatur, tum quia tertia tempore fuit, tum quia, vt ait Hieronymus hic: *Hoc Imperium recte dicitur aneum, inter omnia enim metalla æs vocalius est, & tinnit clarius, & sonitus eius longe lateque diffunditur, vt non solum famam, & potentiam Regni, sed & eloquentiam Græci sermonis ostenderet*. Quarta tandem Romanorum Monarchia ferro assimilatur, quia fuit tempore posterior alijs, etsi armis, & fortitudine militum firmissima & magis diuturna. De quo & alijs ad hanc visionem spectantibus, maximè de Regno Christi, quod in æternum durabit, alia ad se trahet, in se conuertet, & quatenus illi contraria fuerint, comminuet, confringet, & euertet. Expositores Danielis plura, doctèque.

Græcorum tertia.

Romanorum quarta.

4 Illud dumtaxat superest, quòd cum Nabuchodonosor Danielem tam sapienter locutum audisset, *cecidit* (inquit sacer textus) *in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei*. Daniele tamen non consentiente, imo quà potuit resistente, neque enim talibus assensum præbuisse creditur sanctus Propheta, nisi à solo Caluino impio, propterea Danielem accusante. Confessus præterea Rex est Deum Danielis Deum deorum, Dominum Regum, & mysteria reuelantem esse. Ipsum etiam Danielem in sublime extulit, Principem super omnes prouincias Babylonis, & Præfectum Magistratuum super cunctos sapientes constituens. Ipsoque postulante etiam Sidrach, Misach, & Abdenago socios super negocia prouinciæ Babylonis præfecit. Sacra Scriptura *Dan.* 2. & Expositores *ibidem*.

Quid tunc Nabuchod.

Anni mundi 3454. vsque ad 3459. ante Christum 599. vsque ad 594.

1  RÆCIPVA mundi euenta sub his annis, nec nostris Annalibus extranea, sunt ea, quæ propter Nabuchodonosoris statuam eo tempore erectã, de qua *Dan.* 3. contigerunt. Anno mundi 3455. vel 3456. accidisse credunt Pererius, & Salianus ex Theodoreto, & D. Hieronymo id coniectantes. Torniellus ad annum 34. Nabuchodonosoris, qui correspondet anno mundi 3462. rem refert. Cornelius verò longiùs protrahit historiam, ad annum videlicet Regni ipsius 37. sed quia communior sententia est paulo post somnium supra

Statua Nabuchodonosoris.

pra relatum id euenisse, ideo sub his annis casum accidisse existimantes, in id tempus confusim eum referimus.

Quomodo res gesta. 2 Ergo Nabuchodonosor Chaldæorũ Monarcha, vel superbiæ spiritu ductus, cum audisset à Daniele: *Tu Rex Regum es, & Deus cæli regnum & fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi, et omnia in quibus habitant filij hominum, et bestiæ agri, volucres quoque cæli dedit in manu tua, et sub ditione tua vniuersa constituit. Tu es ergo caput aureum*: vel à Chaldæis incitatus, vt ea occasione Sidrach, Misach, & Abdenago super negotia Babylonis Præfectos gradu deijcerent, quos sciebant hac in re Regi non obtemperaturos, fecit statuam auream altitudinis sexaginta, & latitudinis cubitorum sex, & statuit eam in campo Dura prouinciæ Babylonis, vt in ea adoraretur Belus Chaldæorum Idolum, prout aliqui putant, seu, quod probabilius est, vt ipse Nabuchodonosor in ea, vt credunt D. Augustinus *Tract. in Ioannem*. D. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, quos Pererius, Sanchez, Maldonatus, & Cornelius *in Dan.* 3. sequuntur. Constructa ergo statua, & congregatis Satrapis, Magistratibus, Iudicibus, Præfectis, omnibusq; Principibus Regionũ, præconis voce illis renunciatũ fuit à Rege: *In hora qua audieritis sonum tubæ, et fistulæ, et cytharæ, sambucæ, et psalterij, et symphoniæ, et vniuersi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor Rex: si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.* Cum autem inter Principes Babylonis simul conuenissent Sidrach, Misach, & Abdenago, cæterisque statuam adorantibus, id facere contempsissent, & accusati apud Regem palam negarent se facturos, Rex ira succensus fornacem septuplum accendi præcepit, & in eam ligatis pedibus eos mitti, prout celeriter factum est. In fornacem verò missi, cum flamma eos, qui illos miserant, interfecisset, & vincula, quibus constricti erant, vel combusta, vel dissoluta essent, ipsos nullatenus ignis tetigit, ita vt nec vestes, aut capilli ipsorum vstulati fuissent; quin potius Angelo Dei flammarum ardorem impediente, in medio fornacis deambularent Deum laudantes, & benedicentes. Rex id agnoscens, facti pœnitens, inde eos educi iussit, Deũ laudauit, pœnis propositis blasphemari vetuit, & ad maiora in suo regno officia peragenda illos promouit. Sacra Scriptura *Daniel* 3. & Expositores *ibid.*

Quomodo altitudinis. Regis edictũ. Miraculum circa pueros.

Quid tunc Daniel. 3 Circa quam historiam illud emergit dubium, quomodo scilicet in hac adoratione statuæ omnibus Principibus, Satrapis, & Præfectis Babylonici Regni intimata, & à Sidrach, Misach, & Abdenago reiecta, nulla de Daniele mentio facta reperiatur? Numquid ipse cum alijs

alijs statuam adorauit? Si ergo id facere renuit, cur de ipso tam gloriosum facinus reticetur? quidam cum Sanchez credunt Danielem Regi adstitisse, & propterea nec statuam adorasse, nec apud Regem accusatum fuisse. Sed quia difficile creditu est, quòd si Daniel tunc Babylone adesset, Regem pro tam enormi scelere non argueret, vel pro gratia, qua apud ipsum valebat, saltem modestè non reprimeret: ideo aptius credimus sentiendum cum Lyrano, cui adhæret Cornelius, eum abfuisse aliò ad negotia Regis missum, ac propterea de ipso memoriam in hoc euentu nullam fieri.

4 Circa illa verba ab Azaria in medio fornacis *Dan. 3. v. 38.* prolata: *Non est in tempore hoc Princeps, et Dux, et Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum*, animaduertendum, quòd quamuis Salianus velit solùm de Ierusalem intelligenda, nam Babylone, inquit Ioachimus, erat Iudæorum legitimus Princeps & Propheta Daniel, Baruch, & Ezechiel, & Summus Sacerdos Iosedech, & post eum Iesus filius eius. Nihilominus quia Ierosolymis hoc tempore erant aliqui ex Rechabitis Dei cultui assistentes iuxta dicta *sub anno 3449.* erant etiam ibi Ioachim Sacerdos, & alij Sacerdotes sacrificia Deo offerentes, vt ipse Salianus eo anno *n. 2.* fatetur. Fuisse etiam in Iudæa Habacuch Prophetam, qui prandium Danieli postea in lacum leonum misso detulit ex Epiphanio colligit idem Salianus, ideo melius prædicta verba eo solum sensu accipienda, quod licet ea, quę in eis referuntur, etiam hoc tempore manerent, quia tamen contempta iacebant, & nihili fiebant, vel paruo pretio habebantur, ideo non esse censebantur. Vide Sanchez, & Maldonatum *in hunc locum*, & Cornelium, qui illud *non est* (intellige Propheta) quasi per hyperbolem explicat, idest, *vix vllus est*, propter paucitatem, videlicet comparatiuè ad tempus præcedens. — *Quomodo intelligenda Azariæ verba.*

Anni mundi 3460. 3461. & 3462. ante Christum 593. 592. 591.

1 
VB id tempus Solonem Atheniensium Legislatorem floruisse ex Laertio, Clemente Alexandrino, & alijs colligunt recentiores Annalistæ, eo vel maximè, quòd circa 46. Olympiadem, quæ hoc tempore erat, claruisse scribatur. De legibus autem ab ipso latis, inter alios agunt Laertius, & Plutarchus *in eius vita*. — *Solon Atheniensium Legislator.*

2 Ex nostris autem Prophetis Ezechiel hoc tempore clarissimus ea prædicebat, quæ 37. 38. *et* 39. continentur. Specialiter in an- — *Ezechiel clarissimus.*

num

num 3460. cadit nobilissima illa visio, quam à *cap.* 40. vsque ad finem Prophetiæ descripsit. Ea enim contigit, vt Propheta ipse testatur, in *vigesimo quinto anno transmigrationis*, qui præfato anno 3460. correspondet. Adeo autem obscura, & inexplicabilis ea visa fuit sancto Hieronymo, vt de eius intelligentia desperans nihil de ipsa scribere decreuisset, nisi Eustochij precibus cogeretur, & veritatem desiderantem ad alium Doctorem remitteret, cui ferme adhæret S. Gregorius *in initio lib. 2. in Ezechielem*. Ad quos, & alios Expositores pro ipsius enodatione recurrendum.

Mors illius. 3 Quia tamen hæc fuit vltima Ezechielis Prophetia, ideo non immerito creditur sub hoc tempore diem vltimum clausisse. Eius autem mors, prout ab Epiphanio, Dorotheo, & Isidoro traditur, & approbatur à Martyrologio Romano 10. Aprilis: talis, fuit: Arguebat Iudicem quemdam populi Israël similem sanè illis, qui in historia Susannæ commemorantur, de cultu Idolorum. Is eum non sustinens crudeliter occidi fecit. Quamuis autem de genere mortis non constet, nihilominus Auctor operis imperfecti *in Matth. hom. 46.* tradit eum raptatum, & excerebratum. Adricomius verò *in descript. Terræ Sanctæ num.* 3386. tradit eum equis fuisse distractum. Fortassis vtrumque fuit verum. Illud certius ad ipsius sepulchrum Babylone magnam solitam fuisse hominum frequentiam. Referunt de ipso multa miracula Epiphanius, Dorotheus, & Isidorus. Primùm, quòd instar Moysis Iudæos per flumen Chobar sicco vestigio deduxerit, Chaldæis eos insequentibus demersis. Secundum, quòd piscium copiam suis precibus à Deo impetrauerit, alijs fame pereuntibus. Tertium, venenatos serpentes in impios Danitas, & Gadditas immiserit. Quibus etsi non assentiamur aliqui recentiores, existimantes ex Rabbinorum figmentis extracta esse, quia tamen à sanctis viris recitata, & Ezechielis sanctitati conformia sunt, contemni non debent.

Qualis fuerit.

Anni mundi 3463. vsque ad 3472. ante Christum 590. vsque ad 581.

Deus Rex Regum manifestatus.

1  I quando Deus post hominum memoriam clarius, & expressius demonstrauit se Regem Regum esse, & Regum superbiam confringere posse, hoc maximè tempore cum Nabuchodonosor Chaldæorum Monarcha potentissimo, de quo plura in præcedentibus, id maximè ostendit. Historia autem sanè admirabilis, nec à nobis prætermittenda fuit, cum in ea Daniel Propheta Prophetici Or-

Ordinis egregius sectator, diuinorum iudiciorum consors, & minister effectus fuerit. His porro annis contigisse in paucis dissentientes communiter tradunt, tum Danielis Expositores, tum Annalistæ. Cassium ergo idémet Nabuchodonosor in epistola, quæ est in *c.4. Daniel.*, & titulus in *c.3.* quam mittit *omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra.* Vt credamus etiam ad nos, & peccatores omnes superbos præsertim missam. Sic enarrat:

2 *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo somnium vidi, quod perterruit me, & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbauerunt me, & per me propositum est decretum, vt introducerentur in conspectu meo cuncti Sapientes Babylonis, et vt solutionem somnij indicarent mihi. Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, et aruspices, et somnium narraui in conspectu eorum, et solutionem eius non indicauerunt mihi, donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltbasar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso, et somnium corã ipso locutus sum: Baltbasar Princeps ariolorum, quoniam ego scio, quod spiritum sanctorum deorum habeat in te, et omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quæ vidi, et solutionem earum narra. Visio capitis mei in cubili meo. Videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo eius nimia. Magna arbor, et fortis, et proceritas eius contingens cælum, aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius, et esca vniuersorum in ea. Subter eam habitabant animalia, et bestiæ, et in ramis eius conuersabantur volucres cæli, et ex ea vescebatur omnis caro. Videbam in visione capitis mei super stratum meum, et ecce vigil, et sanctus de cælo descendit. Clamauit fortiter, et sic ait: Succidite arborem, et præcidite ramos eius, excutite folia eius, et dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo et æreo in herbis quæ foris sunt, et rore cæli tingatur, et cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, et cor feræ detur ei, et septem tempora mutentur super eum. In sententia vigilum decretum est, et sermo Sanctorum, et petitio, donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor Rex, tu ergo Baltasar interpretationem eius narra festinus, quia omnes Sapientes Regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est.*

Nabuchodonosoris somnium.

Quale fuerit.

3 Circa quæ prætermissis ijs, quæ clariora, & perspicua sunt, ea solùm exponenda; quæ difficultatem ingerunt, & primò illud quod

Daniel

Cur Daniel vocatus collega. Daniel vocetur *collega* Nabuchodonosoris, ideo est, quia eum ad tantam dignitatem euexerat, vt esset particeps Imperij cum ipso, & comes in administratione Babyloniæ, prout colligitur ex *cap.2.* ipsius Danielis, idque ob explicationem somnij de statua, & ob admirabilem sapientiam, & spiritum propheticum, quem in eo cernebat, vt ait Cornelius. Estque hæc expositio conformis Theodoreto, Hieronymo, Aquilæ, Symmacho, & Theodotioni. Vocatur autem Daniel à Nabuchodonosor *Balthasar secundum nomen Dei mei*: quia nomen Balthasar compositum est à Baal, Bal, seu Bel, aut Belo (hæc enim omnia idem sunt) Babyloniorum Deo. Dicitur etiam, *spiritum deorum sanctorum in semetipso habere*. Quia diuina scientia, nempe notione futurorum prædictus erat, sed vtitur plurali numero Nabuchodonosor, quia scribebat ad gentes, inter quas plures deos esse credebatur. Quamuis Theodotion, teste D. Hieronymo, & editio Septuaginta *spiritum Dei sanctum* legant. Reliqua autem, quæ ad somnij interpretationem, & expositionem spectant, ex ipso Daniele accipiamus.

Et spiritum deorum habere.

Somnij expositio.

4 *Tunc Daniel, cuius nomen Balthasar, cæpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi vna hora, & cogitationes eius conturbabant eum. Respondens autem Rex, ait: Balthasar somnium, & interpretatio eius non conturbent te. Respondit Balthasar, & dixit: Domine mi, somnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hostibus tuis sit. Arborem, quam vidisti, sublimem, atque robustam, cuius altitudo pertingit ad cælum, & aspectus illius in omnem terram, & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & esca omnium in ea; subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis eius commorantes aues cæli. Tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuisti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vsque ad cælum, & potestas tua in terminos vniuersæ terræ. Quod autem vidit Rex vigilem, & sanctum descendere de cælo, & dicere: Succidite arborem, & dissipate illam, attamen germen radicum eius in terram dimittite, & vinciatur ferro, & ære in herbis foris, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora mutentur super eum. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ peruenit super dominum meum Regem: Ejicient te ab hominibus, & cum bestijs, ferisque erit habitatio tua, & fænum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud. Quòd autem præcepit, vt relinqueretur germen radicum eius, id est, arboris: regnum tuum tibi manebit,*

Danielis Consilium. *postquam cognoueris potestatem esse cælestem. Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquita-*

quitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.

5 Prosequitur Rex in suæ historiæ narratione dicens: *Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor Regem*. Quæ etsi humano sensui incredibilia, quomodo tamen accipienda sint, inter diuersa Doctorum placita, inuestigare debemus. Primò ergo dicendum, illa non mysticè, parabolicè, aut spiritualiter solùm, sed vero aliquo, & reali modo in Nabuchodonosor contigisse. Ita enim supponit sanctus Hieronymus Origenistas impugnans, quod dixerint non Nabuchodonosorem, sed diabolum hoc loco denotari, docentque communiter Expositores, ita vt contrarium hæresim vocent. Ratio est, quia ex toto contextu præsentis *c.4.* & sequentis *v. 20.* & communi omnium nō solùm Catholicorum, sed & Hæreticorum, & Hebræorum consensu constat hoc fuisse veram historiam. Et certè si historiam fuisse negetur, eadem facilitate, seu potius temeritate innumera alia, quæ in sacra Pagina continentur, fanaticis huiusmodi expositionibus eludi possent. Secundò asserendum, Nabuchodonosorem non fuisse simpliciter mutatum, conuersum, aut transsubstantiatum in bestiam. Ratio est, quia etsi hoc impossibile non fuerit diuinæ omnipotentiæ, cum constet ex sacra Scriptura, & fide Catholica, mulierem in sal, aquam in vinum, panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi hoc modo conuerti, nihil tamen est, quod cogat nos ad id in præsenti dicendum, tum quia ea quæ in sacro textu continentur, sufficienter saluantur per mutationem accidentalem, & suspensionem vsus rationis, de qua postea, tum quia in eo supponitur in hac potius deformatione, quàm transformatione mansisse hominem, & cum anima rationali, vt Dorotheus *in synopsi*, & Epiphanius *in vita Danielis* dicunt: alioquin nec fuisset idem, nec Rex, qui peccauerat, puniretur, sed tantum bestia illa, in quam conuersus erat, nec ipse dicere posset, prout dixit: *Sensus meus reuersus est ad me, & figura mea reuersa est ad me*. Quare tertiò dicendum, aliqua ratione accidentali mutatum fuisse, seu conuersum in bestiam. Primò secundum suam vitiatam imaginationem, vt habet S. Thomas, vel auctor *lib. 2. de regimine Principum c. vlt.* cuius rei multa, & mira referunt exempla Galenus, & post eum Leuinus Lemnius *lib. 2. de complex. sub finem*. Secundò, quia cor, & corpus eius, ipsiusque temperamentum à Deo effectum est, & simile factum feræ, quantum fieri potuit citra humanitatis corruptionem, prout significatur illis verbis: *Cor eius ab humano commutetur, et cor feræ detur ei*; & habent Pererius, Sanchez, & Cornelius. Tertiò, quia rationis vsu omninò priuatus mansit, & tantum phantasia, & sensibus ferino modo vtebatur, prout habent idem San-

Impletio reuelationis.

Reali modo.

An Nabuchodonosor realiter conuersus in bestiam.

Accidentali modo.

Sanchez, & Cornelius, & alij. Accedit quartò, credibile esse circa corpus Regis circumposuisse Deum figuram quamdam bestiæ, sub qua cum cerneretur ab alijs, bestia putabatur, non quidem ad modum, quo lycanthropi, seu præstigiatores vnum corpus aliud apparere faciunt, vt hoc genus delusionis à Deo tollamus, sed quia reuera pellis aliqua, seu bestiæ figura Regi à Deo adiuncta erat.

Eiectus est ab hominibus.

6 In hac ergo corporis dispositione cum esset, *ex hominibus* (inquit sacer textus) *abiectus est*, eo enim dementiæ, & insaniæ morbo correptus erat, vt contra omnes etiam domesticos, vinculis, quibus tenebatur, diffractis, insaniret, prout ex Theodoreto colligitur. *Fænum* etiam *vt bos comedit*: quod nihil absurditatis habet, cum sciamus plures Eremitas, & Anachoretas rationis, & iudicij compotes herbis per multos annos victitasse; *& rore cœli corpus eius infectum est*, pluuias scilicet, solem, gelu, & æstus perpessus; *donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium*, id est, *pilorum copia aquilis, & vnguibus volueribus similis* euasit, vt Vatablus explicat. Sicque per totum septennium noctes, diesque eiulans, seu potius vlulans, vel mugiens per saltus, inuiaque discurrens, Dei speciali prouidentia à feris, & hominibus custoditus, superbus homo, quia veluti Deus adorari voluit, in hominum exemplum inauditum ab ipso Deo puniebatur; dum interea Regnum ab Euilmerodach filio administratur, vt Abulensis 4. *Reg.* 25. *q.* 37. existimat, vel ab Optimatibus, qui iuxta Danielis prædictionem septennij impletionem expectabant, vt alij credunt.

In superborũ exemplum.

Conuertitur ad Deum.

7 Tempore expleto *ego Nabuchodonosor* (inquit ipse in præfata epistola) *oculos meos ad cælum leuaui*, Dei videlicet gratia præuentus, *& sensus meus redditus est mihi* (per renouationem nempe imaginationis, & temperamenti) *& Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui, quia potestas eius potestas sempiterna, & Regnum eius in generationem, & generationem: et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt.: iuxta voluntatem enim suã facit tam in virtutibus Cæli, quam in habitatoribus terræ, et non est, qui resisteat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti? in ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perueni, et figura mea reuersa est ad me, & optimates mei, & magistratus requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior reddita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem Cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Hæc ille quondam arrogans, & superbus Rex, qui tantum (Theodoretus inquit) vtilitatis *ex calami-*

Restitutus est ad pristinum.

lami-

limitatibus percepit; vt Prophetæ instar de Deo et sentiat, et loquatur. Vnde in hac septennij pœnitentia ad Deum fuisse conuersum, & toto corde contritum, ac per consequens iustificatum, & cum paulo post obierit, saluum factum, probabile est, prout indicant non solùm Iosephus, sed etiam Dorotheus *in Synopsi*, Epiphanius *in vita Danielis*, Lyranus, Carthusianus,& plures de Expositoribus eiusdem Danielis, specialiter Pererius, qui acerrimè id contendit. Quamuis Sanchez verisimilius esse credat damnatum esse. Id tamen negantes afferunt Augustinum *epist. 122. & de prædestinatione & gratia c. 15.* Tertullianum *lib. de pœnitentia in fine*; Theodoretum *in c. 3 & 5. Dan. Ambros. lib. de pœnitent. c. 16.* Quod maximè confirmatur ex ijs, quæ sanctus Epiphanius, & Dorotheus de ipso dicunt, scilicet quòd post restitutionem in regnum solis leguminibus, & aqua, Daniele præcipiente, pastus fuerit, quæ etsi incerta sint, non tamen incredibilia.

8 Addit Dorotheus voluisse dare Danieli Regnum suum, vel saltem coheredem filiorum suorum constituere, sed Prophetam id renuisse acceptare, quod etiam est incertum. Illud piè, etsi sub dubio, credimus, velociter ab hac vita à Deo sublatum, ne malitia mutaret intellectum eius, non potuisse Iechoniam Iudæorum Regem in carcere detentum liberare, Iudæis libertatem concedere, vasa Ierosolymitani Templi restituere, sed hæc & alia meditantem morte præuentum ea filio suo Euilmerodacho in mandatis dedisse, vt proinde ille Iechoniam à carcere exemerit, valde honorauerit, & mensa sua pauerit, vt habetur *ex 4. Reg. 25.* Quid egerit erga Danielem.

Annus mundi 3473. ante Christum 580.

1 NCIDIT in hunc annum, qui secundus erat Euilmerodachi Chaldæorum Regis miraculosus ille casus de ereptione Danielis Prophetæ à lacu leonum. Hoc enim anno, vel paulo post contigisse prudenter conijcit Salianus *num. 7.* præsertim cum probabilius sit sub hoc Rege accidisse, vt habent Pererius & Cornelius *in 14 Danielis*, ac Torniellus *sub anno mundi 3494. n. 6.* licet hic auctor sub 23. Euilmerodachi Regni anno illum referat; sed melius Salianus, vt diximus: ideo sub hoc anno ipsum referimus. Daniel ereptus e lacu leonum.

2 Erat ergo Daniel Propheta charus valde huic Regi, tum propter ipsius sanctitatem, & spiritum propheticum, tum propter eius præclara merita in Nabuchodonosorem patrem suum, erat etiam conuiua Regis, etsi semper, vt credi par est, abstinens à cibis in lege

prohibitis, & vtens sibi solita parsimonia, prout licebat, & super omnes amicos ipsius honoratus. Erat quoque Idolum apud Babylonios nomine *Bel*, sic denominatum à Belo, qui fuit idem ac Nemrod primus Babylonis fundator, & pater Nini. Hoc Idolum colebat, & adorabat Rex, non verò Daniel, & cum causam ab eo quæsiuisset, ille respondit se non colere Idola manufacta, sed Deum viuentem. Instabat Rex, quod Bel Deus viuens esset, quippe quotidie duodecim mensuras similæ, & oues quadraginta comederet, biberetque vini amphoras sex. Sed cum Daniel subridens detegeret ei fraudes Sacerdotum Idoli, qui noctu per subterraneas quasdam vias in templum eius ingredientes, quæ quotidie ei apponebantur, manducarēt, dicentes Regi, & populo ea ab Idolo manducari, quod consperso cinere in pauimento, & apparentibus vestigijs pedum ingredientiū detexit, de licentia Regis Bel destruxit, & templum eius euertit, occisis etiam Sacerdotibus seductoribus. Sacra Scriptura *Daniel.* 14. Expositores *ibidem*.

Bel Idolum.

Fraus sacerdotum.

3 His actis, iterum Rex inuitauit Danielem, vt adoraret Draconem, quem Babylonij colebant, sicut Romani quondam Epidaurium serpentem, Ægypti Crocodilum, & Troiani Dracones. Dicebat enim Rex Danieli: *Ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit Deus viuens: adora ergo eum*. Cui Daniel: *Dominum Deum meum adoro, quia ipse est Deus viuens, iste autem non est Deus viuens*. Vt verò ostenderet draconem non esse Deum viuentem, licentia prius à Rege obtenta, massas quasdam ex adipe & pilis composuit, & coxit, eisque draconi datis, diruptus interijt. Boli enim ex ea massa compacti gutturi adhæserunt, respirationis viam opplentes, & bestiam suffocantes. Tuncque clamauit Daniel: *Ecce quem colebatis*. At verò Babylonij, seditione concitata, compulerunt Regem vel inuitum tradere eis Danielem, quem protinus in lacum, seu foueam proiecerunt, vbi erant septem leones, quibus quotidie dabantur duo corpora occisorum, & duæ oues viuæ, quæ tunc non sunt eis datæ, vt Prophetam deuorarent. Dei autem beneficio factum est, vt eum bestiæ non læderent, & tam ipse, quàm illæ per sex dies conseruarentur, Chaldæis, vt creditur, plusquam ferina rabie conantibus, vt bestijs nihil cibi traderetur, præter Danielem in lacum missum. Sacra Scriptura *Dan.* 14. Expositores *ibidem*.

Rex inuitat Danielem ad adorandum draconem.

Occidit illū.

Traditur leonibus.

4 Erat eo tempore in Iudæa Habacuch Propheta, alius sanè ab eo, qui tempore Manassis Regis Iuda prophetauit, vt diximus *sub anno* 3338. quem propter commune nomen Prophetæ, & dicta *in Apparatu c. 2. & sub anno* 3184. Ordinis Prophetici fuisse probabiliter

Habacuch Propheta.

ter credi potest, etsi res sit incerta, cum pauca de ipso habeantur. Fuisse de tribu Leui, & scripsisse hanc historiam autumant nonnulli; eo quòd olim Belis historia iuxta Septuaginta hoc titulo prænotaretur: *Prophetia Habacuch filij Iesu de Tribu Leui*, vt testatur S. Hieronymus *Prolog. in Danielem*. Si autem de Tribu Leui fuit, manifestum est ab alio Habacuch distingui, qui erat de tribu Simeonis, vt testatur S. Epiphanius. Asserunt præterea idem Epiphanius, ac Dorotheus prophetasse apud suos se asportandum in terram longinquam, & citius reuersurum. Sed alijs hoc non arridet, & credere videntur nihil vnquam prophetasse. Quod si ita est, maiori probabilitate asserere possumus Ordinis Prophetici alumnum fuisse, & propterea solùm in hac Danielis historia *cap. 14* vocari *Prophetam*, non quia futurorum prænunciator esset. Quis fuerit.

5 Hic ergo Propheta (quisquis ille fuerit) ductus Babylonem ab Angelo, Danielem in lacu leonum cibo confortauit, & in Iudæam cito restitutus est, prout simul cum alijs, quæ ad huius historiæ complementum spectant, in dicto *c. 14.* Danielis dilucidè sic habemus: *Erat autem Habacuch Propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, et intriuerat panes in alueolo. & ibat in campum, vt ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuch: Fer prandium, quod habes in Babylonem Danieli; qui est in lacu leonum, et dixit Habacuch: Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio, & apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui, & clamauit Habacuch, dicens: Daniel serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porrò Angelus Domini restituit Habacuch confestim in loco suo. Venit ergo Rex die septimo, vt lugeret Danielem, & venit ad lacum, & introspexit, & ecce Daniel sedens in medio leonum, & exclamauit voce magna Rex dicens: Magnus es Domine Deus Danielis, & extraxit eum de lacu leonum. Porro illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo. Tunc Rex ait: Paueant omnes habitantes in vniuersa terra Deum Danielis, quia ipse est Saluator, faciens signa, & mirabilia in terra; qui liberauit Danielem de lacu leonum.* Ductus est in Babylonem. Deferens prandium Danieli.

6 Solùm hic animaduertendum, non semel, sed bis missum esse in lacum leonum Danielem, vt communius Expositores notant. Primò sub hoc tempore, & sub Euilmerodacho Babylonis Rege, ac per sex dies, vt narratur *Dan. 14.* Secundò, circa annum 3516. & sub Dario Medo per vnam noctem, eoquòd eius præceptum de Deo Bis missus in lacum leonū Daniel.

non inuocando violasset, prout habetur ex *Dan. cap. 6.* vbi nulla mentio fit de Habacuch Propheta ad eum confortandum misso, quia id tunc necessarium non fuit.

Anni mundi 3474. & 3475. ante Christum 579. & 578.

Daniel, & Habacuch.

1 IS duobus annis, quod ad historiam nostram Propheticam spectat, nihil occurrit dicendum, nisi quod Daniel gratia, fauore, & auctoritate apud Euilmerodach Chaldæorum Regem præditus captiuæ Iudæorum plebi solatio, & auxilio in tanta calamitate erat, sicut & Habacuch Propheta patriæ suæ per Angelum iam restitutus cum Rechabitarum prole, reliquijs eius nationis, quæ in Iudæa remanserunt, iuxta locum, in quo Templum Domini fuerat, expectantes eius restaurationem, & populi libertatem.

Septem Græciæ sapientes.

2 Exteræ autem historiæ pro his annis, in quibus quinquagesima Olympias celebrabatur, illud vnum suppeditant, floruisse videlicet tunc septem illos Græciæ viros *Sapientes* cognominatos, & per orbem celebres, de quorum magna animorum conformitate, mutuaque beneuolentia multi multa dicunt, illud præsertim de tripode aureo (alij vocant pateram, seu poculum) casu reperto, & ad illorum vnum misso, ab ipso ad alium, & sic per omnes, donec ad primum redijsset. De ijs Dionysius Halicarnasseus *initio lib. 4.* Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromat.* Laërtius, & Plutarchus *in vit. Philosophorum.*

Annus mundi 3476. ante Christum 577.

Esdras quidã.

1 RAT hic annus desolationis sanctæ Ciuitatis Ierosolymorum, Templique trigesimus, totidem enim ab anno 3447. quo hæc accidisse diximus, numerantur. Quo tempore Esdras quidam diuersus sane ab illo Scriba famosissimo (de quo multa in sequẽtibus) vtpotè ipso antiquior, cum ille alius hoc anno natus non esset, apud Dominum conquerebatur valde in cubiculo suo Babylone recumbens de pace, & prosperitate impiorum, Babyloniorum videlicet, desertione Iudæorum, & desolatione Ierosolymæ. Vnde in illa verba 4. *Esdræ 3.* prorupit: *Tradidisti Ciuitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. Numquid meliora faciunt, qui habitant Babylonem? &*

De Deo conquerebatur.

pro-

propter hoc dominabitur Sion. Factum est cum venissem huc, & vidissem impietates, quarum non est numerus: & delinquentes multos vidit anima mea hoc trigesimo anno, & excessit cor meum: quoniam vidi, quomodo sustines eos peccantes, & pepercisti impiè agentibus, & perdidisti populum tuum, & conseruasti inimicos tuos, & non significasti. Nihil memini, quomodo debeat derelinqui via hæc. Numquid meliora facit Babylon quam Sion? aut alia gens cognouit te præter Israël? aut quæ tribus crediderunt testamentis tuis, sicut Iacob? Quarum merces non comparuit, neque labor fructificauit. Pertransiens enim pertransiui in gentibus, & vidi abundantes eas, & non memorantes mandatorum tuorum. Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates, & eorum, qui habitant in seculo, & non inuenietur nomen tuum, nisi in Israël. Retunditur tamen curiosi scrutatoris iudiciorum Dei præsumptuosa querela ab Angelo, cui nomen Vriel, varijs similitudinibus *c.* 4. relatis, illis præsertim verbis: *Tres viæ missus sum ostendere tibi, & tres similitudines proponere coram te, de quibus mihi si renuntiaueris vnam ex his, & ego tibi demonstrabo viam, quam desideras videre, & docebo te, vnde sit cor malignum. Et dixi: Loquere Domine meus. Et dixit ad me: Vade, pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem, quæ præterijt: & respondi & dixi: Quis natorum poterit facere, vt me interroges de his? Et dixit ad me: Si essem interrogans te, dicens: Quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ sunt in principio abyssi, aut quantæ venæ sunt super firmamentum, aut qui sint exitus paradisi: diceres mihi fortassis: In abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cælum vnquam ascendi. Nunc autem non interrogaui te, nisi de igne, vento, & die per quem transijsti, & à quibus separari non potes, & non respondisti mihi de eis. Et dixit mihi: Tu quæ tua sunt tecum coadolescentia, non potes cognoscere, & quomodo poterit vas tuum capere Altissimi viam, & iam exterius corrupto seculo intelligere corruptionem euidentem in facie mea?* Placuit autem huius Esdræ visionem nostris Annalibus adiungere, eo quod in principio eiusdē *lib.* 4. vocetur *Propheta*, nomen quidem iuxta dicta *in Apparatu c.* 2. & *sub anno* 3184. cōmune omnibus Propheticæ Professionis alumnis, quo suspicari datur vnum ex illis fuisse, minus tamen notum alijs, quòd liber ille quartus Esdræ, sicut & tertius inter apocryphos numeretur à S. Hieronymo *in prologo in Esdram*. Quam ob causam plures ipsius visiones, & prophetias eo libro relatas non referimus. Ex eo tamen quod ipse *c.* 2. *v.* 33. eiusdem libri dicat: *Ego Esdras præceptum accepi à Domino in monte Oreb, vt irem ad Israël*, si propriè, & per visionem imaginariam accipiantur, suaderi videtur etiam prophe-

Retunditur ipsius querela.

An is Ordinis Propheticalū nus.

phetasse in terra Iuda, seu Israël. Nisi forsan ex eo dicatur confirmari traditio illa, seu potius fabula Hebræorum, qua dicunt omnes Prophetas præsentes cum Moyse fuisse in monte Syna, quo tempore legem à Deo suscepit, ibique eis prophetias traditas fuisse, prout habet Galatinus *lib. 2. de arcanis Catholicæ fidei c. 3.* ex Rabbi Thauma, & Rabbi Salomone, sed, vt diximus, hoc est figmentum Iudæorum, & liber ille quartus Esdræ, veluti & tertius dubiæ auctoritatis.

Querela com munis Prophetarum. Hæc tamen querela ad Deum de prosperitate peccatorum, & desertione iustorum communis est pluribus Prophetis, vt patet in Dauid *Psal. 72.* illis verbis: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Et in Habacuch *c. 1.* præsertim *v. 13.* illis: *Quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?*

Anni mundi 3477. vsque ad 3494. ante Christum 576. vsque ad 559.

Seruius Tullius.



1 NIHIL fermè his annis historię sacræ suppeditant notatione dignum, vt proinde mirum non sit de nostra Prophetica historia quidpiam speciale hoc tempore scribendum non superesse, pręter dicta in superioribus. De exteris tamen & prophanis rebus non pauca animaduertenda occurrunt notabilia. Primum, Seruium Tullium in Romanorum Principatum, Tarquinio Prisco eius prædecessore, indigna morte sublato, hac tempestate euectum esse. Hic de Etruscis triumphauit, Vrbemque ornauit, & auxit duobus montibus, Viminali, & Esquilino; aliaque peregit, de quibus Dionysius Halicarnasseus *lib. 4.* Secundum, vixisse eo tempore Crœsum Lydorum Regem, vt ex Laertio habetur. Tertium, Solonem Philosophum magna cum sapientiæ laude patriam illustrasse, etsi non sine crimine (vt Plutarchus refert) vt vel ex eo ostendatur veram sapientiam ab omni labe immunem solùm in schola innocentissimi, & verè sapientissimi IESV reperiri posse. Quartum, Cyrum sub anno 3494. qui primus erat Olympiad 55. superato Astyage auo Persis regnare cœpisse, vt colligitur ex Eusebio *in chronic. & in libro 10. de præparat. c. 3.* Iosepho Scaligero *lib. 5. de emendat. tempor.* & alijs.

Crœsus Lydorum Rex.

Anacreon Poeta.

2 Hoc etiam tempore Anacreon Poeta Lyricus floruisse commemoratur, & Phalarides Siciliam totam tyrannide vexans: vtrumque enim ex Suida habetur. De hoc Phalaride illud rectè factum refertur, quòd cum ipse hospites torqueret, & excruciaret, & Perillus

faber

faber ærarius æream bubulam confecerit, tyrannoque obtulerit, vt in ea peregrinos viuos cremaret, tunc Phalaris ipsum in ea coniecit, & ementitos mugitus edere compulit. Iusta sanè sententia ab iniusto iudice. Floruit etiam Æsopus fabulator, vt scribit Laertius *in vita Chilonis*. Delphos venisse traditur à Suida, ibique e saxis præcipitatus.

Anni mundi 3495. & 3496. ante Christum 558. & 557.

1  REDITVR hoc anno 3495. regnare cœpisse Babylone Balthasarem vltimum Chaldæorum Regem, post Euilmerodachi patris mortem. In magna enim opinionum varietate, quæ circa horum Regum chronologiam versatur, alijs sic, alijs aliter opinantibus, nos diligentissimi Saliani *sub hoc anno num.* 1. sententiam sequimur. Balthasar Rex

2 Illud tamen certius, vtpote in sacra Scriptura *Dan.7.* expressè contentum, quòd eodem anno Balthasaris regni primo celebrem habuerit ipse Daniel visionem quatuor ventorum, & quatuor grandium bestiarum de mari ascendentium; quam sic refert: *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno*, id est, mundo, vt Hieronymus, & Rupertus dicunt. Vnde venti tumultus, commotiones, & perturbationes significant, quæ fuerunt in exordio quatuor Regnorum, quæ per quatuor bestias denotantur; de quibus subiungit: *Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se*. Per eas enim significari quatuor magna Regna inferiùs explicat idem Propheta, & communiter Doctores recipiunt. Vere enim Regnum magnum bestia est, quia crebriùs, nisi timor Dei adsit, tyrannide acquiritur, vel gubernatur. *Commune enim vitium Monarchiæ est tyrannides* (ait Elias Cretensis *in Apolog. Nazianzeni orat.* 1.) Erat autem prima bestiarũ leæna habens alas veluti aquila; per quam, omnium consensu, Imperium Chaldæorum exprimebatur, quod fuit quasi leæna ob potentiam, & ferocitatem, & veluti aquila ob celeritatem in bellis conficiendis. Secunda, quæ erat veluti vrsus Monarchiam Persarum denotat, ex eo vrso assimilata, quia Persæ patientissimi erant laborum, & tolerantissimi inediæ, teste Xenophonte, & sancto Hieronymo, quales sunt vrsi, vt docet Aristot. *lib.8. histor. animal. c.17*. Tertia bestia, quæ pardo similis erat, & alas habebat sicut auis, Monarchiæ Græcorum, & Alexandri

Danielis Visio

Quatuor bestiarum.

Prima leæna.

Secunda veluti vrsus.

Tertia pardo similis.

xandri magni comparatur, vt habent Iosephus *lib. 11. antiquit. cap. 8.* D. Hieronym. & alij; apud quos plures conuenientiæ inter hoc animal, & Alexandri regnum cernuntur. Quarta bestia, quæ (vt sacer textus describit) erat *terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans*, Romanorum Monarchiam designat, vt communiter Expositores astruunt, vtpotè, quia ipsi hæc omnia congruè adaptantur. Illud tamen quod subijcit Propheta de hac bestia, scilicet, *habebat cornua decem*, ad decem Reges futuros in consummatione Mundi, quando Romanum Imperium destruendum est, refert S. Hieronym. quod omnes (inquit) *scriptores Ecclesiastici tradiderunt*: Qui etiam cornu illud paruulum, quod subditur *de medio eorum* nasciturum, vndecimum Regem dicit futurum, qui tres ex illis superabit, & cui alij septem colla subdent. Hunc verò vndecimum Regem communior sententia tenet esse Antichristum. Ita Irenæus *lib. 5.* Lactant. *lib. 7. c. 16.* Acosta *lib. 2. de temporib. nouissim. c. 9.* & alij Interpretes, tam hic quàm Apocalyp. 13. & 17. Quod enim Iudæi dicunt hoc cornu esse Christum, blasphemum est, & stolidum; & quod Lutherani asserũt esse Papam, etiam est insulsum, & absurdum. Minus absurdè Vatablus, & alij dixerunt per hoc cornu Turcam, seu Mahometem designari. Quia tamen illis non quadrant ea, quæ Daniel describit, ideo sine dubio verior sententia est, solum ad Antichristum hanc Prophetiam referendam.

Quarta terribilis.

Antichristus.

Annus mundi 3497. ante Christum 556.

Alia Danielis visio.

1 OBILIS alia Danielis Prophetæ visio hoc anno, qui tertius erat Regni Balthasaris octauo capite comprehensa à nobis de more breui expositione explananda: *Vidi in visione mea, cum essem in Susis castro* (in spiritu quidem, non corpore, quia Babylone erat) quemadmodum Ezechiel *c. 11.* in spiritu fuit in Ierusalem, ibique multa vidit. Est autem Susæ vrbs maxima, & Persarum regia, vt habet Abenezra, in Ælam Regione Persidis. *Vidi autem ex visione esse me super portam Vlai* (quæ est porta vrbis illius) *& leuaui oculos meos, & ecce aries vnus stabat ante paludem habens cornua excelsa, & vnum excelsius altero, atque succrescens. Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius: fecitque secundum voluntatem suam, & magnificatus est. Et ego intelligebam:*

Arietis vnius.

gebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram: porrò hircus habebat cornu insigne inter oculos suos. Et venit vsque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietem, & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumque creuisset fractum est cornu magnum, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos Cæli. De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum, & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem, & magnificatum est vsque ad fortitudinem Cæli: & deiecit de fortitudine, & de stellis, et conculcauit eas, et vsque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est ei contra iuge sacrifitium propter peccata, et prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. Et audiui vnum de sanctis loquentem; et dixit vnus sanctus alteri nescio cui loquenti: Vsquequo visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est, et sanctuarium, & fortitudo conculcabitur? et dixit ei: Vsque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti: et mundabitur sanctuarium. Factum est autem, cum viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam; ecce stetit in conspectu meo quasi species viri, & audiui vocem viri inter Vlai, et clamauit, & ait: Gabriel fac intelligere istum visionem. Et venit, & stetit iuxta, vbi ego stabam; cumque venisset, pauens corrui in faciem meã, et ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio. Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, et tetigit me et statuit me in gradu meo, dixitque mihi: Ego ostendam tibi, quæ futura sunt in nouissimo maledictionis, quoniam habet tempus finem suum. Aries quem vidisti habere cornua, Rex Medorum est atque Persarum. Porrò hircus caprarum, Rex Græcorum est, et cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est Rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor Reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius, et post regnum eorum, cum creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie, & intelligens propositiones, et roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis, & supra quam credi potest, vniuersa vastabit, et prosperabitur, et faciet, et interficiet robustos, et populum sanctorum secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu eius: et cor suum magnificabit, et in copia rerum omnium occidet plurimos: et contra Principem principum consurget, et sine manu conteretur, et visio

Hirci.

Cornu magnum.

Cornu modicum.

Gabriel Angelus.

Visionis expositio.

vespere et mane, quæ dicta est, vera est. Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. Et ego Daniel langui, et ægrotaui per dies, cumque surrexissem, faciebam opera Regis, et stupebam ad visionem, et non erat qui interpretaretur.

Daniel ægrotus.

Aries Regnũ Persarum.

2 Interpretatio tamen, quam euentus ipse declarauit, talis est: Aries ille fuit Regnum Medorum atque Persarum, prout exposuit Gabriel Angelus Danieli Cornua illius excelsa, duo sũt primi fundatores huius Regni, scilicet Darius, & Cyrus, excelsius verò cornu Cyrus fuit, vt habet S. Hieronymus. Ventilasse contra Occidentem, Aquilonem, & Meridiem, & omnes bestias subiugasse, denotat Imperium Persarum bella gessisse in Babylonia, Asia minori, Græcia, Ponto, Ægypto, Æthiopia, & Libya, per Darium, Cyrum, Cambysem, Hystaspem, Xerxem, &c. harumque nationum Reges, & Regna subiugasse, suoque Imperio iunxisse. Hircus ille omnium consensu est regnum Macedonum, seu Græcorum, & cornu illud insigne Alexander Magnus, cuius mirabilis in agendo celeritas causa est, vt dicatur non tangere terram. Venisse ad arietem, cumque percussisse, ingentia Alexandri gesta contra Darium, quem vicit, denotat, vt habet Theodoretus. Huius etiam Alexandri mors, & Imperij diuisio, vt idem Theodoretus exponit, indicatur in eo, quod dicitur de cornu magno fracto, ex quo quatuor alia cornua exorta sunt. Alexandro enim mortuo Ptolomæus Lagi Ægypti Imperium suscepit, Seleucus Nicanor Syriæ, Antigonus Asiæ, Philippus siue Aridæus Macedoniæ. Cornu verò illud modicum, de quo dicitur magnificatum fuisse, & factum grande contra Meridiem, & Orientem, Antiochum Epiphanem innuit, qui ad Orientem Artaxiam Regem Armeniæ deuicit, & ad Meridiem Ptolomæum Philometorem Regem Ægypti profligauit. Reliqua autem, quæ de eo dicuntur, ad ea, quæ cum Iudæis, Temploque Ierosolymitano gessit, de quibus suis locis dicetur, referuntur, sicut & id quod vers. 23. continetur, vbi *Rex impudens facie* nominatur. Illa tandem de vno Sancto loquente ad alium de visione, iugi sacrificio, & peccato desolationis, ad persecutionem eiusdem Anthiochi Epiphanis spectant, & tempus, quo duratura erat. De quo D. Hieronymus, Theodoretus, Vatablus, Pintus, Pererius, Sanchez, & alij Expositores Danielis. Iosephus autem in Paraphrasi huius vaticinij *lib.* 10. multa falsa dixisse comprobatur.

Hircus Regnum Macedonum.

Cornu modicum Antiochus.

Anni

Anni mundi 3498. vſque ad 3513. ante Chriſtum 555. vſque ad 540.

1 IRVM quòd his annis ſacræ Hiſtoriæ ſileant, vt vix aliquid de ipſis pro hoc tempore extrahi poſſit. Mirum proinde non erit, quòd de noſtri Prophetici Ordinis Profeſſoribus nihil noui producamus, etſi enim ſanctus Cyrillus Alexandrinus & Euſebij Chronicon Agæum, & Zacchariam Prophetas pro quinquageſima ſexta Olympiade, quæ anno 3498. cœpit, referant, cum alijs tamen non niſi poſt aliquot annos floruiſſe probabilius autumamus. Sacræ Scripturæ ſilentium.

2 De exteris autem hiſtorijs non paruam ſuggerunt materiam Regni Cyri incrementa, quæ hoc tempore valde clara erant. Præcipua eorum cauſa fuit victoria de Crœſo Lydorùm Rege, feliciter ab ipſo reportata. Initium belli à Crœſo datum eſt fluuium Halym, qui Regnorum fines diſtinguebat, traijciente, ambitionis, ſeu metus cauſa, vel Aſtyagis vindicandi prætextu. Traiecto ergo exercitu, Cyroque copias cogente, diriguntur acies, pugnatur acriter vtrinque, & multis cadentibus, noctis interuentu dirimitur prælium, nullus victor, nulluſque victus. Dum autem Crœſus auxilia maiora euocat, altera pugna inuaditur, à Cyro ſuperatur, Sardis obſidetur, ciuitas expugnatur, & diripitur, & viuus ipſe in poteſtatem Cyri venit. Victus deinde compedibus ſuper ſtruem lignorum cũ eſſet impoſitus, vt viuus cremaretur, Solonem ter ingemiſcens inclamauit, à quo didicerat *neminem in vita beatum dici debere*. Quo agnito Cyrus ſimilis fortunæ reueritus inconſtantiam, eum flammis eripi mandauit. Crœſus ergo reſeruatus apud Cyrum ſemper honorifice habitus, & conſiliorum particeps, belli, paciſque temporibus effectus eſt. Herodotus *lib.* 1. Euſebius *in Chronicis*. Solinus *c.*7. Scaliger *lib.6.de emendat.tempor.in c.de Regibus Babylonis*, & alij. Addunt plures, quòd cum captis mœnibus Ciuitatis Perſa quidam occidere vellet Crœſum ſibi ignotum, idque filius ipſius mutus aſpiceret, in vocem erupiſſe hanc: *Homo ne perimas Crœſum*; atque poſtmodum toto vitæ ſuæ tempore loqui potuiſſe, quod etſi à pluribus celebratum, fabuloſum tamen videtur. Si enim ille mutus natura erat, ſurdus etiam procul dubio foret, cum natura mutus, natura etiam ſurdus ſemper reperiatur. Quomodo ergo illa verba, quæ nunquam audierat, proferre potuit? Si ad miraculum recurratur, ſanè perpetuum id eſſet, quia toto vitæ tempore durauit, quod inter Ethnicos Regni Cyri incrementa. Crœſus ſuperatus. Hiſtoria de filio Crœſi muto.

fine fundamento asseritur: nisi dicatur hoc opus inter illa esse, quæ diaboli naturales vires non excedunt. De quo alij iudices sunto. Deinde Cyrus tam per se, quam per duces suos Asiam penè vniuersam occupauit, aditumque sibi per multiplices victorias ad Babylonis Monarchiam occupandam, euertendam, & in Persidem citiùs transferendam parauit. Herodotus, & alij.

Philosophi clari.

3 Claruerunt hoc tempore Theognides Poeta apud Eusebium *in Chronicon*, Anaximander Philosophus apud Laertium, Pherecides Syrus Pythagoræ pręceptor apud S. Cyrillum *in primo contra Iulianum* & alij.

Annus mundi 3514. ante Christum 539.

Habacuch moritur.

1 ABACVCH ille Propheta, qui ad Danielem in lacum leonum iniectum ex Iudæa Babylonem Angelorum ministerio prandium allaturus delatus est, hoc anno vitam finijsse creditur; vt enim testatur Epiphanius in vita ipsius, biennio antequam populus è Babylone redijsset, mortuus est, & magnis honoribus in agro suo sepultus; sic etiam Salianus *sub hoc anno num.* 1. supponens id quod & nos supra, anno videlicet 3338. diximus hunc Habacuch diuersum ab illo fuisse, qui inter duodecim Prophetas numeratur.

Non defuit OrdoPropheticus.

2 Non tamen propterea defuisse Ordinis Prophetici cultores in Israël constat, non solum de Carmeli incolis, & eremitis, & de Rechabitis in Iudæa iuxta dicta in superioribus, sed & de alijs Prophetis Babylone existentibus, videlicet Daniele, & alijs, quos ignoramus, inter quos aliqui etiam recensent Agæum, Zachariam, & Malachiam, de quibus suis locis.

Annus mundi 3515. ante Christum 538.

Pythagoras.

1 RAT hic annus secundus Olympiadis sexagesimæ, qua floruisse describitur famosissimus ille Pythagoras omni æuo celeberrimus. Etsi enim aliqui cum Eusebio *in Chronicon* sub Olympiade 64. & Cambyse Persarum Monarcha floruisse asserant, quia tamen ex vita ipsius, quam Iamblichus Chalcidensis Philosophus scripsit, colligitur ante Cambysis tempora clarum, & insignem extitisse, ideo hoc tempore cum Saliano, & alijs de ipso loquimur. Eius autem historia, ex parte saltem à nobis elucidanda est, quia ex ea plura ex ijs

quæ

quæ de Propheticæ professionis alumnis, ac eremitis montis Carmeli, eorumque viuendi norma in superioribus diximus, & quæ in sequentibus de Essenis, & Assidæis afferemus, magnam lucem accipient. Primò ergo eum Græcum natione fuisse, Samium videlicet ex Samo insula veteres passim docent, sed quid de eius natali solo, vitæque ratione sentiendum, ex præfato Iamblicho, quo nullus accuratiùs, aut veriùs de ea re, vt credimus, scripsit, accipiamus. Hic ergo auctor natione Syrus, patria Chalcis, quam Cælen nominant, discipulus Porphyrij illustris genere, & antiquitate venerabilis, qui circa tempora Constantini Imperatoris claruit *c. 2. lib. de vita Pythagoræ*, quem manu scriptum in Bibliotheca Vaticana vidimus, & typis mandauit Ioannes Arcerius Theodoretus Frisius anno 1598. habet Pythagoram ex Insula Melamphylos, Ciuitateque Samo, & parentibus Mnesarcho, & Pythaide oriundum fuisse, & patri Delphos profecto Apollinem Pythium prædixisse, si Syriam versus nauigationem institueret, eam quidem gratissimam, lucrosissimamque fore, illuc profectum cum vxore, eamque apud Sydonios partu edidisse Pythagoram. Prosequitur Iamblichus eodem *c. 2.* Mnesarchum rursus Pythagoræ patrem è Syria Samum versus redijsse, filiumque dignissimis disciplinis nunc Creophilo, nūc Pherecide Syro imbuisse. Refert post alia *c. 3.* Pythagoram Phœniciam enauigasse, in Carmeli Templo vt plurimum deguisse, plura ab ibi habitantibus collata accepisse, indè meliorem descendisse, vt propterea ab aliorum montium sacris abstinuerint nautæ, qui illum eò perduxerunt. Iamblichi hæc sunt verba: *Ab Aegyptijs quibusdam nautis opportunissimè in littora, quæ subsunt Carmelo monti, Phœniciæ appellentibus transuectus fuit Pythagoras, vbi solus in Templo vt plurimum degebat. Homines autem loci illius benignè ipsum datis dexteris exceperunt, lucrati scilicet hoc vt eius fama conspicarentur, & si quid contulissent rerum, summam hominis æstimationem prætiumque præuidentes, libenter conferebant. Cæterum cum inter nauigandum se temperanter & honestè, imò verò congruenter conuictui, in quem sese dederat, se disponeret, melius de ipso sentientes, ac magis quidquam pro humana natura in decoro pueri ornatu cernentes, recordati sunt quemadmodum sibi continuò ad littus appellentibus iam tum descendens à summis, extremisque Carmeli collis iugis visus fuerit, nempe ab aliorum montium sacris abstinuerunt. Atque hic mons multis inaccessus erat.* Hæc ille. Hanc etiam ipsis in Carmelo mansionem agnoscunt Nicolaus Scutellius eremita S. Augustini *in collectaneis de vita Pythagoræ*, Augustinus Eugubinus, & Lypomannus *in Ps. 4.* versu illo: *Irascimini, & nolite peccare.* Nec solùm in Carmelo, sed & in alijs Syriæ partibus

Patria ipsius.

Magistri.

Philosophatur in Carmelo.

Nn 2 cum

cum Prophetis, & Sacerdotibus, & ab eis didicisse plurima ad Dei cultum spectantia, sic tradit eo *cap.* 3. idem Iamblichus: *Sydonem nauigauit, partim quod persuasus esset eam natura patriam suam esse, partim etiam quod rectè iudicaret inde sibi faciliorem in Aegyptum transitum fore. Hic cum Prophetis, qui ab Mocho rerum naturalium conicctore oriundi erant, cumque alijs Phœnicia sacrificis congressus, cunctisque sacris cum in Byblo vrbe, tum etiam Syro initiatus fuit, quaque in multis Syriæ partibus ex instituto ac heresi sacra peragi solent, perfecit, neque verò causa superstitionis tam multa sustinuit, vt quis simpliciter suspicetur, sed multo potius amore, ac desiderio commentationis, ac reuerentia numinis ductus.* Cõsonant his ea, quæ Abulensis *in* 4. *Reg.* 6. *q.* 1. de filijs Prophetarum dixit, videlicet: *Erant filij Prophetarum coniunctim viuentes conuentualiter per diuersa Collegia, & ibi vacabant laudibus Dei, & vitæ religiosiori, quam cæteri homines, & cum istis erant aliqui non filij Prophetarum, qui erudiebantur ab eis in doctrina legis, & in rectitudine morum.* Hæc enim posteriora verba satis confirmant, quæ de Pythagora referunt auctores citati.

Et alijs Syriæ partibus.

2 Ex ijs autem, vt diximus, magnam lucem accipiunt ea, quæ in superioribus adduximus. Fuisse enim hoc tempore in Carmelo Tẽplum, illud videlicet quod ab Elia erectum (vt *sub anno* 3128. dictum est) discipuli frequentabant ex verbis illis Iamblichi: *In Templo vt plurimum degebat*, colligitur. Et ex eo quod dicit *solus*, elici datur eum ad eremitarum Carmeli imitationem, qui solitariam ibi vitam gerebant iuxta dicta sæpius, eamdem vitę rationem eo loco æmulatum fuisse. Quod ibi cum Carmeli incolis, & Sydone cum Prophetis cõgressum habuisse describatur, liquidò ostendit, nec Carmelum, nec Syriam hoc tempore illis caruisse. Quod verò asserit in multis *Syriæ partibus* perfecisse ea, quæ ex instituto, *ac heresi sacra peragi solent*, clariùs demonstrat eam vitæ rationem, quam ibi didicerat, discipulis postea manifestasse, prout ex collatione dogmatum ipsius cum Instituto professionis Propheticæ palam innotescit. Primò enim sicut Eliæ discipulorum illustrior tessera, obseruantia erat obedientiæ, castitatis, & paupertatis, vt habet Ioannes Ierosolymitanus *lib. de instit. monachor. c.* 7. & nos diximus *in Apparat. c.* 4. Sic harum virtutum vestigia, & veluti vmbrosa delineamenta in Pythagoræ sectæ alumnis cernebantur. Obedientiam namque, honorem, & reuerentiam parentibus, & maioribus exhibere, illis præceptum erat, vt constat ex eodem Iamblicho sæpius. De castitate audi Iustinum *lib.* 10. De paupertate mira in eodem Iamblicho, adeo vt facultates suas cõmunes possedisse *c.* 6. describat. Hinc meritò S. Ambrosius *lib.* 1. *epist.* 6. asseruit Pytha-

Eliæ Templũ in Carmelo.

Dogmata Pythagoræ similia Ordini Prophetico.

Obedientia.

Pythagoram discipulis suis communem, & vsitatam populi viam prohibuisse ab Hebræis edoctum. Deinde cultus silentij, in quo Eliæ discipuli exercebantur, vt patet ex eodem libro Ioannis *c.21.* adeo à Pythagora receptus est, vt D. Ambrosio *in Ps. 118. sermo n.2.* testante, instituerit, quod *discipuli sui quinquennio non loquentes tanto silentio loqui discerent*. Omittimus alia, quæ de silentij obseruantia in Scriptoribus vitæ suæ reperiuntur. Præterea abstinentia à vino, quæ Elianis propria hoc tempore erat, vt sæpius vidimus, & indicatur à Ioanne *d. lib. cap.7.* etiam ad Pythagoricos trãsiit, vt habet relatus Scutellius loco relato. Quod magis mirum est, candidis vestibus seu pallijs vti, quod filijs Prophetarum, & Eliæ discipulis commune fuisse diximus *sub anno* 3204 à Pythagoræ discipulis etiam vsurpatum fuit, vt habet Iamblichus *de vita Pythagoræ c.21.* & sequitur Scutellius loco relato. Idem dicimus de collegiali, seu cœnobiali vita, sicut enim Eliæ sectatores in collegijs, seu cœnobijs communiter degebant, iuxta dicta *sub anno* 3154. sic & Pythagoræ alumni, vt habet idem Iamblichus *c.6.* ne autem vel obseruantia illa de discussione sui quotidiana, in qua Eliani exercebantur (teste enim eodem Ioanne *c.21.* relato *citabant quotidie seipsos ad iudicium discernendi in propria mente, si cogitationes accusarent, vel defenderent eos de aliquo iniquo*) à Pythagoricis deesset, de illis referuntur hæc carmina ab Eugubino, & Lypomanno relata:

Silentium.

Abstinentia à vino.

Albæ vestes.

Discussio sui

Nec prius optato claudentur lumina somno,
Singula quam tecum voluantur facta diurna.
Quid feci? quo abij? dimisi? vel quid agendum?
Incipiensque à primo, & cautè cuncta recensens
Delectare bonis, & tristia facta refelle.

Et vt vno verbo plura cõcludamus, legat qui volet Pythagoræ vitam, carmina, symbola, hieroglyphica, & documenta, & pleraq; prorsus ijs similia, quibus Carmeli incolæ, & alij Prophetæ imbuti erant, reperiet. Vnde nec mirum, quod Ambrosius loco relato eum ex Hebræorum populo vitæ præcepta hausisse dicat, & Cornelius *in proæmio in Ezechielem* asserat Pythagoram à Iudæis, & Prophetis sua dogmata, fortè etiam circumcisionem mutuatum fuisse, & cum in Carmelo philosophatus fuerit, vt vidimus, nec etiam mirum erit, si dicamus à patribus illis priscis eius montis colonis vitæ rectè instituẽdæ rationem primitus accepisse. Quod magis roborabitur ex dicendis, vbi probabimus ipsum, & eius discipulos Essenorum sectatores fuisse.

Accepit mul: ta ab Hebræis.

Essenum institutum.

3 Liceat proinde vnum nec ignobile Carmeli nostri Encomiũ

non præterire, quòd, vt plures ex nostris insinuarunt, ipse veluti Orbis Musæum iure habeatur, cum Pythagoram veluti primum Philosophorum Antesignanum alumnum nactus fuerit. Adeò vt accommodum Carmelo sit illud, quod cecinit quidam:

Musarum generosa parens, Academia Princeps,
Orbis, et excelsi gloria prima soli.

Annus mundi 3516. ante Christum 537.

Huius anni historia. 1



AXIMIS rebus, quæ hoc anno contigerunt, celebris valde, & insignis tam sacris, quàm prophanis historicis est. Ex quibus quæ proprius ad nostrorum Prophetarum historiam spectant, præcipuè elucidandæ, & inter eas quia primum locum tenet, quòd is vltimus annus sit ex 70. quibus Babylonica captiuitas durauit. Id verò qualiter, Deo prouidente, actum sit, ex sacra Scriptura *Dan. 5.* sic habemus.

Balthasaris conuiuium. 2 *Balthasar Rex* Babylonis, nepos videlicet Nabuchodonosoris, & filius Euilmerodach, occasione alicuius festi Beli, vel alterius Babyloniorum dei, seu, vt alij putant, vt ostenderet se nullatenus timere nec curare Cyrum, & Persas, qui eo tempore obsessam tenebant Babylonem, *fecit grande conuiuium optimatibus suis, et vnusquisque secundum suam bibebat ætatem,* digniores scilicet, & seniores prius, iuniores posteriùs. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, et argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor de Templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberent in eis Rex, et optimates eius vxoresque eius, et concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat de Templo, quod fuerat in Ierusalem, & biberunt in eis Rex, & optimates eius, vxores, & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos.*

Visio in pariete. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur. Exclamauit itaque Rex fortiter, vt introducerent Magos, Chaldæos, & Aruspices, & proloquens Rex ait sapientibus Babylonis: Quicunque legerit scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in Regno meo erit. Tunc ingressi omnes*

sapien-

sapientes Regis non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare Regi. Inintelligibilis.

3 Ratio autem quare hæc scriptura nec legi, nec explicari posset à sapientibus Regis, ea non est, quia Hebraicis litteris, non Chaldaicis descripta erat, quis enim credat inter tot Babylonis sapientes non fuisse aliquem, qui Hebraicas litteras nosset? Ea ergo fuit, vel quia tantùm per litteras initiales M.T.P. designata erat, vt Maldonatus, & alij censent, vel quia, esto quod alijs etiam litteris descripta esset, eæ tantum erant consonantes, non vocales, vt moris est Hebræorum, & ita nesciebant Chaldæi, quæ vocales, seu puncta pro vocalibus substitui deberent, vt certus, & commodus sensus redderetur, prout putat Cornelius. Quam ob causam.

4 Regina ergo monente Regem de Daniele, quod ipse posset scripturam legere, & interpretari (Daniel enim etsi notissimus Babylone esset, eius tamen notitia Balthasari temulento nõ occurrebat) vocatus à Rege fuit, & præmijs propositis rogatus, vt id faceret. Tunc ille, muneribus reiectis, & causam Regi aperiens, cur ea scriptura à Deo missa fuisset, quòd scilicet vasa Templi Domini, quæ Nabuchodonosor detulerat, prophanasset, deos aureos, argenteos, & ligneos laudasset, nec Deum verum, vt decebat, glorificasset, illam sic exposuit: *Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares, et hæc est interpretatio sermonis.* Mane: *Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.* Thecel: *Appensus es in statera, et inuentus es minus habens.* Phares: *Diuisum est Regnum tuum, et datum est Medis, et Persis.* Hoc audiens Rex, nihil cunctatus Danielem purpura indui, torquem auream collo eius cingi, & quod tertius in Regno suo haberetur, præcepit. Soluit enim promissum tristia nuncianti, vel quia putabat cladem differendam, vel Danielis precibus auertendam. Sic fermè sanctus Hieronymus, & alij. Daniel vocatus. Scripturam exponit.

5 *Eadem ergo nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus, et Darius Medus successit in Regnum annos natus sexaginta duos.* Ita enim habet sacer textus *Daniel.* 5. Modum autem sic tradunt Xenophon *lib.* 7. Herodotus *lib.* 1. S. Thom. *in opusc. de regim. Princip. l.* 3. *cap.* 7. & passim Interpretes. Cyrus obsidens Babylonem circa eam multas fossas fecit eo die, quo sciebat Babylonios festum acturos, & se inebriaturos, subitoque de nocte compotantibus, & bacchantibus Chaldæis, in eas fossas deriuauit Euphratem fluuium, qui Babylonem circumdat, sicque per siccum in vrbem ingressus est, nihil de hoc cogitantibus Chaldæis, qui id impossibile autumabant. Addit Xenophon, duos ex Babylone transfugas apud Cyrum Gadatan, & Gobriã ducto- Balthasar occiditur.

ductores militum fuisse pro trucidandis omnibus, etiam Rege ipso.

Cecidit Babylon.

Ita cecidit Babylon illa magna, de cuius casu multa prædixerant Prophetæ, specialiter Isaias *c.*13.*et* 14. Ieremias *c.*6.50.*et* 51. & ante eos Dauid *Ps.*136. illis verbis: *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.*

6 Quemadmodum autem quando captiuus factus est populus Iudæorum à Babylonijs, Deo prouidente factum est, vt Nabuzardan Princeps militiæ Nabuchodonosor Ieremiam Prophetam magna beneuolentia prosecutus esset, iuxta dicta in superioribus, sic

Darius Danielem diligit.

etiam in hac Babylonis clade factum est, vt Darius Rex Medorum (cui Cyrus vtpote iunior, nepos, vel gener seniori auunculo, vel socero in Regnum Chaldæorum succedere permiserat) Danielem valde diligeret, & honoraret, iuxta eius virtutis & sapientiæ meritū: eum quoque secum in Mediam duxit, vt habet Iosephus *lib.* 10.*antiquit.c.*13. & maximo honore apud se habuit.

7 Hinc iam ad perpulchram aliam eiusdem Danielis historiam, de qua *Daniel.* 6. scribitur, & quæ eodem anno contigisse videtur, gradum facimus. Erat Daniel cum Dario in Media adeo ipsi charus,

Principum inuidia.

& beneuolus, vt ex tribus Principibus, quos constituerat super 120. regni Satrapis, Præfectus esset, eumque super omne Regnum constituere cogitasset. Alij ergo Medorum Principes inuidiæ tabe labefacti eum à latere Regis amouere quærentes, nec aliquam occasionem reperientes in id prauum consilium deuenere, vt Regi suaderent, quòd edictum ederet, vt omnis, qui aliquam petitionem à quocunque Deo, vel homine vsque ad triginta dies, nisi ab ipso Rege, petijsset, in lacum leonum mitteretur. Iniquam hanc legem

Darij decretum.

Darius statuit: sed Daniel, re comperta, nihil veritus *ingressus est* (inquit Scriptura) *domum suam, & fenestris apertis in cænaculo sua*

Contemnitur à Daniele.

contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueuerat, ex hoc autem Danielis more tribus temporibus in die Dominum exorandi, roboratur id, quod *sub anno* 3428. diximus, eum videlicet Ordinis Prophetici Professorem fuisse, eisdem enim tribus vicibus in die orare solitos in suo illo *Seunion* Carmeli oratorio Eliam & discipulos tradit Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Instit. Monachor.c.*19 *&* 21. & diximus *sub anno* 3128. Cum autem Danielis æmuli hunc eius orandi ritum animaduertissent, Regem adierunt, & licet inui-

Mittitur in lacum leonum.

tum, vt eum in leonum lacum, iuxta decretum ab ipso editum, mitteret, coegerunt.

Quæ

8 Quæ postea acciderint, quia ex se conspicua sunt, nec multa egent expositione, ex eodem sacro textu Danielis 6. sic damus: *Allatusque est lapis vnus, & positus est super os laci, quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem, & abijt Rex in domum suam, & dormiuit incænatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo. Tunc Rex primo diluculo consurgens festinus ad lacum leonum perrexit, & appropinquansque lacui Danielem voce lacrymabili inclamauit, & affatus est eum: Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis semper, putasne valuit te liberare à leonibus? & Daniel Regi respondens ait: Rex in æternum viue. Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me: sed & coram te, Rex, delictum non feci. Tunc vehementer Rex gauisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu: eductusque est Daniel de lacu, & nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo. Iubente autem Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt ipsi, & filij, & vxores eorum, & non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt. Tunc Darius Rex scripsit vniuersis populis, tribubus, & linguis habitantibus in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur. A me constitutum est decretum, vt in vniuerso Imperio, & Regno meo tremiscant, & paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens, & æternus in secula, & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum, ipse liberator, atque saluator faciens signa, & mirabilia in cælo, & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum. Porrò Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnumque Cyri Persæ.*

Quid tunc Rex.

Daniel liberatur.

Honoratur Deus Danielis.

9 Ad hunc ipsum annum captiuitatis Babylonicæ vltimum, & Darij Regis primum spectat Prophetia illa c. 9 eiusdem Danielis. Sic enim ipse ait: *In anno primo Darij filij Assueri, &c.* & hanc esse constantem omnium existimationem inquit Sanchez *ibidem*. Cum ergo Dominum feruenter exorasset pro solutione captiuitatis, ab ipso per Angelum Gabrielem audire meruit, non solum qualiter ipsa iam terminum habitura esset, sed etiam de tempore, quo Christus in mūdum venire deberet, impletis videlicet hebdomadibus quibusdam. De quibus, & tempore, à quo initium, & finis illarum desumenda sint, quia ad nostrum non spectant institutum, & de eis Patres, Doctores, & Danielis Expositores egregiè scripserunt, nihil modò dicimus, nostræ historiæ cursum interrumpere nolentes.

Danielis Prophetia.

An-

Annus mundi 3517. ante Christum 536.

Cyri Regnum

1 
EGNARE cœpit hoc anno in Chaldæorum, Persarum, & Medorum Regnis post mortem Darij Cyrus Persa, vt propterea Persarum Monarchia, quæ secunda numero est, ab hoc anno computanda sit, vt post multos Auctores sustinent Torniellus, & Salianus *hic*.

Solutio captiuitatis Iudæorum.

2 Felicissimus etiam hic annus Iudæorum populo fuit, eo enim primùm soluta illorum Babylonica captiuitas, Danielis, & aliorum Prophetarum vaticinia certissima fuisse contestata est. Modus autem, quo Deo disponente id actum est, talis communiter creditur. Erat Daniel, vt vidimus *sub anno præcedenti*, Dario Regi charissimus, nec incognitus Cyro, tum propter admirabilem viri sapientiam, tum propter ea, quæ nuper contigerant de explicatione abstrusæ scripturæ in conuiuio Balthasaris apparentis, & eius miraculosa à lacu leonum ereptione, damnatis ijs, qui eius vitæ insidiabantur, & fortè etiam propter somniorum Nabuchodonosoris interpretationem, & alia mirabilia, quæ patrauerat, de quibus in præcedentibus diximus.

Danielis industria.

Daniel ergo hac congrua occasione nacta, spe præsertim diuinæ reuelationis de futura populi libertate confortatus, ad Regem ingressus illi ostendit, quæ de eo Isaias longè ante prædixerat; videlicet illa Isaiæ 44. v. 24. *Ego Dominus, &c. qui dico Ierusalem: Habitaberis, et Ciuitatibus Iuda: Ædificabimini, & deserta eius suscitabo. Qui dico profundo: Desolare, & flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem: Ædificaberis, & Templo: Fundaberis. Et illa c. 45. v. 1. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes*. Videns etiam Daniel, quòd Rex delectaretur tanto, ac tam veteri testimonio de ipso nominatim à Deo per Isaiam Prophetam celeberrimum prolato, eumdem humiliter precatus est, vt pro gratiarum actione tam præclaræ prælectionis suæ ad tantam gloriã præciperet Iudęos in patriam suam regredi liberos, & Templum Domini, quod Babylonij destruxerant, reædificari. Rex autem visis & auditis admiratus, Dei præceptum agnoscens, edicto publico statuit, vt omnes Iudæi in Ierusalem ascenderent, Templum Dei ædificarent, de ea re publicum confici instrumentum, & in Regia Bibliotheca collocari.

Cyri edictum

Edictum porro Regium tale fuit: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse*

præ-

præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus, qui est in Ierusalem. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicunque habitant, adiuuent eum viri de loco suo, argento, & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntariè offerunt Templo Dei, quod est in Ierusalem. Sacra Scriptura *Esdræ lib. 1. c. 1. &* 2. *Paralipomen.* 36. Theodoretus *in Daniel.* 1. & 11. Ioseph *de antiquitat. lib.* 11. *c.* 11. & Expositores.

3 Iudæi autem tam fauorabili gratoque Regis edicto læti, surrexerunt cum Zorobabel (qui à Babylonijs Sassabassar vocabatur, vt rectè Lyra, Dionysius, Vatablus, & alij) ipsorum Principe filio Salathiel, & nepote Iechoniæ Regis in Babylonem captiui ducti, & cum Iosue Pontifice, Sacerdotibus, Leuitis, alijsque Principibus ad quinquaginta millia exules cum paruulis, mulieribus, supellectili, ac substantia ipsorum, & cum vasis aureis, & argenteis à Cyro gratiosè relaxatis, alijsque muneribus amplissimis in Ierosolymam redierunt, quatuor vel quinque mensium spatio in itinere insumpto. Congregati autem in sancta Ciuitate ædificauerunt Altare pro holocaustis offerendis, fecerunt solemnitatem tabernaculorum, festiuitates Legis celebrauerunt, & eorum Rempublicam, etsi Persis subiectam, pro posse restaurauerunt. Sacra Scriptura *Esdræ lib.* 1. *c.* 1. & 3. & Expositores *ibid.*

Iudæi reuertantur Ierosolymam cum Zorobabele.

4 De nostris autem Propheticæ professionis cultoribus id superest dicendum. Primò Danielem Babylone mansisse, vt constabit ex dicendis inferiùs. Prouidentia enim Dei factum est, vt ibi maneret, tum vt Iudæorum iam Ierosolymam reuersorum negotia apud Regem Cyrum promoueret, tum vt veri Dei cultum in illis partibus Ethnicorum tueri, propagare, & promulgare posset. De quo Theodoretus *super Daniel.* 10. Genebrardus *lib.* 1. *Chronolog.* De alijs quoque eiusdem Instituti alumnis, Prophetis videlicet Rechabitis, & alijs tam qui ex Babylone Ierosolymam tunc redierunt, quam ex ijs, qui in Iudæa, & Carmeli partibus remanserunt, procul dubio affirmandum summa fermè voluptate, & lætitia affectos fuisse ob cultum, & templum Dei in illa Regione renouatum.

Daniel manet Babylone.

Anni mundi 3518. & 3519. ante Christum 535. & 534.

Reædificatur Templum.

1 V M his annis prima Templi fundatio post solutam captiuitatem Babylonicam à Zorobabel Iudæorum Principe, & Iosue Summo Pontifice, alijsque Sacerdotibus, & Leuitis fiebat, prout *primo Esdræ cap. 3.* habetur, tam sanctum opus vicinis populis, Samaritis videlicet, & Cuthæis impedire conantibus, sicut in eiusdem libri *c. 4.* legitur, postremam visionem Daniel habuit, quæ tribus capitibus 10. 11. & 12. continetur: eam namque ad annum 3519. spectare tradunt Theodoretus *orat. 10.* Torniellus *sub anno 3519. nu. 1.* & alij. Placuit enim Deo post viginti vnius dierum afflictionem in assiduis ieiuniis, fletu, & oratione à Daniele susceptam, siue quod videret Iudæorum complures neglecto in patriam reditu, Babylone manere voluisse (vt ait Theodoretus) siue, quod credibilius est, quod Templi instauratio à vicinis gentibus impediretur (vt placet Maldonato, Sanchez, & Cornelio) siue tandem (vt Pererius existimat) quia cernebat inimicos Iudæorum calumniis, & criminationibus Cyrum Regem, ipsiusque piam beneuolentiam erga illos labefactare voluisse, erudire eum per Gabrielem Angelum longa illa visione iuxta Tigrim illi ostensam de iis, quæ ventura erant. De aliquot nimirum Persarum Regibus successiuè post Cyrum futuris, eorum Monarchia ad Græcos transferenda, Græcorum Regno post Alexandri obitum in plura capita scindendo, impio Antiocho Epiphane dicto, impiissimo Antichristo, & Dei iudicio postremis temporibus futuro. Quæ omnia Danielis expositoribus relinquimus, cum nostrũ munus id solum sit, quæ ad Prophetas spectant, breuiter elucidare.

Samaritæ, & Cuthæi impediunt.

Danielis visio.

2 De Danielis obitu aliqui sub hoc tempore tractant, sed nos commodiùs D. Isidori, & aliorum vestigiis inhærẽtes, *sub anno 3535.* de ea re dicemus.

Anni

Anni mundi 3520. & 3532. ante Christum 533. & 521.



1 QVIA etsi his annis multa ad humanam historiam spectantia euenerunt, pauca verò ad Sacram, cum qua nostrorum Prophetarum gesta coniuncta sunt, ideo simul coniungendi, & de omnibus aliqua dicenda erunt. Anni huius historia.

2 Cyrus, qui in Persarum Monarchia vnus Princeps hoc tempore erat, de ea stabilienda,& amplificanda sedulò meditabatur. Primò contra Lydos rebellantes arma ostentans; deinde contra Massagetas bellum mouens, quos etsi primum vicerit, ab eis tamen postea victus, & occisus perijt, capite à Tomyre Regina inuento, & in vtrem humano cruore plenum immisso,& sic insultante: *Satia te sanguine, quem sitisti.* Cyro vita functo, regnum suscepit Cambyses eius filius,qui & Assuerus, & Artaxerxes *Esdra* 4.nominatur. Hic contra Ægyptios bellico apparatu procedens,eos superauit,expeditionemq; in Carthaginienses, Ammonios, & Æthiopes, etsi inaniter,suscepit. Sed dum cædibus bacchatur,à suis proditoriè vita,& Imperio priuatus est,& Darius Hystaspis pro vero Rege à cunctis veneratus. Herodotus, Iustinus, Iosephus, & alij. Cyri gesta.

3 Quoad sacram historiam,Danielisque gesta,illud compertum, quod cum Iudæi Ierosolymitani Templi fabricam, etsi lentè, prosequerentur ob impedimenta à vicinis gentibus illis opposita, & credi par sit,annitente Daniele, à Rege Cyro auditos, nihilominus quia ipse in alia negotia, & expeditiones bellicas distractus erat,vel forsan alijs rem commiserat, qui nihil de ea curarunt, propterea nihil ab ipso in fauorem ipsorum factum est. Eo autem mortuo, cum Cambyses, Assuerus, Artaxerxes etiam nominatus, Persici Imperij dominus factus esset, hostes Iudæorum ad eum præsentes litteras ex 1. *Esdræ cap.*4.scripserunt: *Artaxerxi Regi, serui tui, qui sunt trans fluuium, salutem dicunt. Notum sit Regi, quia Iudai, qui ascenderunt à te,ad nos venerunt in Ierusalem Ciuitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant extruentes muros eius, & parietes componentes. Nunc igitur notum sit Regi, quia si Ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum, & vectigal, & annuos redditus non dabunt, & vsque ad Reges hæc noxa perueniet. Nos autem memores salis, quod in Palatio comedimus, & quia læsiones Regis videre nefas ducimus,idcirco misimus, et nuntiauimus Regi, vt recenseas in libris historiarum patrum tuorum, et inuenies scriptum* Litteræ hostiū Iudæorum ad Artaxerxem.

Anni mundi 3518. & 3519. ante Christum 535. & 534.

Reædificatur Templum.

1 V M his annis prima Templi fundatio post solutam captiuitatem Babylonicam à Zorobabel Iudæorum Principe, & Iosue Summo Pontifice, alijsque Sacerdotibus, & Leuitis fiebat, prout *primo Esdræ cap.* 3. habetur, tam sanctum opus vicinis populis, Samaritis videlicet, & Cuthæis impedire conantibus, sicut in eiusdem libri *c.* 4. legitur, postremam visionem Daniel habuit, quæ tribus capitibus 10. 11. & 12. continetur: eam namque ad annum 3519. spectare tradunt Theodoretus *orat.* 10. Torniellus *sub anno* 3519. *nu.* 1. & alij. Placuit enim Deo post viginti vnius dierum afflictionem in assiduis ieiuniis, fletu, & oratione à Daniele susceptam, siue quod videret Iudæorum complures neglecto in patriam reditu, Babylone manere voluisse (vt ait Theodoretus) siue, quod credibilius est, quod Templi instauratio à vicinis gentibus impediretur (vt placet Maldonato, Sanchez, & Cornelio) siue tandem (vt Pererius existimat) quia cernebat inimicos Iudæorum calumniis, & criminationibus Cyrum Regem, ipsiusque piam beneuolentiam erga illos labefactare voluisse, erudire eum per Gabrielem Angelum longa illa visione iuxta Tigrim illi ostensam de iis, quæ ventura erant. De aliquot nimirum Persarum Regibus successiuè post Cyrum futuris, eorum Monarchia ad Græcos transferenda, Græcorum Regno post Alexandri obitum in plura capita scindendo, impio Antiocho Epiphane dicto, impiissimo Antichristo, & Dei iudicio postremis temporibus futuro. Quæ omnia Danielis expositoribus relinquimus, cum nostrũ munus id solum sit, quæ ad Prophetas spectant, breuiter elucidare.

Samaritæ, & Cuthæi impediunt.

Danielis visio.

2 De Danielis obitu aliqui sub hoc tempore tractant, sed nos commodiùs D. Isidori, & aliorum vestigiis inhærẽtes, *sub anno* 3535. de ea re dicemus.

Anni

Anni mundi 3520. & 3532. ante Christum 533. & 521.

1 VIA etsi his annis multa ad humanam historiam spectantia euenerunt, pauca verò ad Sacram, cum qua nostrorum Prophetarum gesta coniuncta sunt, ideo simul coniungendi, & de omnibus aliqua dicenda erunt. Anni huius historia.

2 Cyrus, qui in Persarum Monarchia vnus Princeps hoc tempore erat, de ea stabilienda,& amplificanda sedulò meditabatur. Primò contra Lydos rebellantes arma ostentans; deinde contra Massagetas bellum mouens, quos etsi primum vicerit, ab eis tamen postea victus, & occisus perijt, capite à Tomyre Regina inuento, & in vtrem humano cruore plenum immisso,& sic insultante:*Satia te sanguine, quem sitisti.* Cyro vita functo, regnum suscepit Cambyses eius filius,qui & Assuerus, & Artaxerxes *Esdræ* 4.nominatur. Hic contra Ægyptios bellico apparatu procedens,eos superauit,expeditionemq; in Carthaginienses, Ammonios, & Æthiopes, etsi inaniter,suscepit. Sed dum cædibus bacchatur,à suis proditoriè vita,& Imperio priuatus est,& Darius Hystaspis pro vero Rege à cunctis veneratus. Herodotus, Iustinus, Iosephus, & alij. Cyri gesta.

3 Quoad sacram historiam,Danielisque gesta,illud compertum, quod cum Iudæi Ierosolymitani Templi fabricam, etsi lentè, prosequerentur ob impedimenta à vicinis gentibus illis opposita, & credi par sit,annitente Daniele, à Rege Cyro auditos, nihilominus quia ipse in alia negotia, & expeditiones bellicas distractus erat,vel forsan alijs rem commiserat, qui nihil de ea curarunt, propterea nihil ab ipso in fauorem ipsorum factum est. Eo autem mortuo, cum Cambyses, Assuerus, Artaxerxes etiam nominatus, Persici Imperij dominus factus esset, hostes Iudæorum ad eum præsentes litteras ex 1. *Esdra cap.*4.scripserunt:*Artaxerxi Regi, serui tui, qui sunt trans fluuium, salutem dicunt. Notum sit Regi, quia Iudai, qui ascenderunt à te,ad nos venerunt in Ierusalem Ciuitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant extruentes muros eius, & parietes componentes. Nunc igitur notum sit Regi, quia si Ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum, & vectigal, & annuos redditus non dabunt, & vsque ad Reges hæc noxa perueniet. Nos autem memores salis, quod in Palatio comedimus, & quia læsiones Regis videre nefas ducimus, idcirco misimus, et nuntiauimus Regi, vt recenseas in libris historiarum patrum tuorum, et inuenies scri-* Litteræ hostiũ Iudæorum ad Artaxerxem.

ptum in commentarijs, & scies, quoniam vrbs illa, vrbs rebellis est, & nocens Regibus, & Prouincijs, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quamobrem & Ciuitas ipsa destructa est. Nuntiamus nos Regi, quoniam si Ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati, possessionem transfluuium non habebis.

Regis Responsio. 4 Quibus Rex sic respondit: *Accusatio, quam misistis ad nos, manifestè lecta est coram me, et à me præceptum est: et recensuerunt, inueneruntque, quoniam Ciuitas illa à diebus antiquis aduersum Reges rebellat, et seditiones, et prælia concitantur in ea, nam & Reges fortissimi fuerunt in Ierusalem, qui et dominati sunt omni Regioni, quæ transfluuium est; tributum quoque, et vectigal, & redditus accipiebant. Nunc ergo audite sententiam: Prohibeatis viros illos, vt vrbs illa non ædificetur, donec si forte à me iussum fuerit. Videte ne negligenter hoc impleatis, & paulatim crescat malum contra Reges.* Quo Imperatoris edicto insolentiores facti Iudæorum hostes, abierunt in Ierusalem, & prohibuerunt eos in brachio, & robore, vt propterea cessare cogerentur ab incepto opere. Sacra Scriptura *Esdræ 1. c. 4.*

Danielis preces. 5 Interim Deniel precibus apud Deum pro suorum Iudęorum salute, Templi, vrbisque ædificatione instabat, vt propterea exauditus videatur, Cambyse de medio sublato, & Dario Hystaspi, qui Iudæis beneuolus fuit, & Templi reędificationis adiutor, vt dicemus, in Regni successorem electo.

Anni mundi 3533. & 3543. ante Christum 520. & 519.

Templi restauratio. 1 ELEBRE valde est hoc biennium & noua Templi Ierosolymitani restauratione, & nouis duobus Prophetis Aggæo, & Zaccharia, qui eo tempore vaticinari cœperunt, quos Ordinis Prophetici nedum cultores, sed & egregios propagatores fuisse, vtpotè quia ab eis Esseni, & Assidæi eiusdem professionis viri originem traxerunt, in sequentibus ostendemus.

2 Hæc autem Templi restauratio iucundam nimis supponit historiam, de qua auctor *lib. 3. Esdræ c. 3. &* 4. quæ etsi inter canonicas scripturas non computetur, vt vera tamen communi applausu recipitur. A nobis propterea elucidanda est, ipsismet historici verbis, vbi difficultas non fuerit, alijs autem expositorijs, cum textus obscurus apparebit. Ergo Rex Darius Hystaspis cognominatus, de quo in præcedentibus dictum, eo videlicet fine, vt ab omnibus Prouinciarum

ciarum, & populorum Præfectis, vt Rex agnosceretur, & populorum suorum tributa ordinaret, conuentum indixit, & ipsius occasione *fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus magistratibus Mediæ, & Persidis, & omnibus purpuratis, & Pretoribus, & consulibus, & Præfectis sub illo ab India vsque Æthiopiam centum viginti septem prouincijs, & cum manducassent, & bibissent, & satiati reuerterentur, tunc Darius Rex ascendit in cubiculum suum, & dormiuit, & expergefactus est.* Tunc illi tres iuuenes (inter quos erat vnus Zorobabel Princeps Iudæorum, qui ex Iudæa Babylonem redierat, de vrbis, Templique restauratione impedita tractaturus, vt ait Iosephus *lib. 11. c. 3.*) *corporis custodes, qui custodiebant corpus Regis, dixerunt alteri ad alterum: Dicamus vnusquisque nostrum sermonem, qui præcellat*; idest loquamur exercitij, & ingenij ostensionis causa, quæ sit ea res, quæ cæteris omnibus totius orbis præcellat: *et cuiuscunque apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi Rex Darius dona magna, purpura cooperiri, et auro bibere, & super aurum dormire, et currum aureo fræno, & cydarim byssinam, & torquem circa collum, & secundo loco sedebit à Dario, propter sapientiam suam, et cognatus Darij vocabitur.* Hæc enim sibi de benignitate Regis promittebant, vel, vt credibile est, ipse Rex, qui iam euigelauerat, ita promiserat ipsis petentibus. *Tunc scribentes singuli suum verbum*, idest, suam sententiam, circa quæstionem propositam, *signauerunt*, ne quisquam mutare posset placitum, *& posuerunt subter ceruical Darij Regis, & dixerunt: Cum surrexerit Rex, dabimus illi scripta nostra, et quodcunque iudicauerit Rex e tribus, & magistratibus Persidis, quoniam verbum eius sapientius est, ipsi dabitur victoria, sicut scriptum est. Vnus scripsit, forte est vinum; alius scripsit, fortior est Rex; tertius scripsit, fortiores sunt mulieres; super omnia autem vincit veritas. Et cum surrexisset Rex, acceperunt scripta sua, & dederunt illi, & legit, & mittens vocauit omnes magistratus Persarum, & Medos, & purpuratos, & Pretores, & Præfectos, & sederunt in concilio, & lecta sunt scripta coram ipsis. Et dixit: Vocate adolescentes, & ipsi indicabunt verba sua. Et vocati sunt, & introierunt. Et dixit illis: Indicate nobis de his, quæ scripta sunt: & cœpit prior, qui dixerat de fortitudine vini, & dixit: Viri, quam præualet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud? Seducit mentem: itemque Regis, & orphani facit mentem vanam. Item serui, ac liberi, pauperis, ac diuitis, & omnem mentem conuertit in securitatem, & iucunditatem, & non meminit omnem tristitiam, et debitum, et omnia præcordia facit honesta, et non meminit Regem, nec magistratum, et omnia per talenta loqui facit, et non meminerunt, cum bi-*

Regis conuiuium.

Tres corporis custodes.

Quæ res præcellat in orbe.

Quidam ait quod vinum.

berunt, amicitiam nec fraternitatem, sed non multum post sumunt gladios, et cum vino merserint, et surrexerint, non meminerunt, quæ gesserunt. O viri, num præcellit vinum? quis sic cogitat facere? & tacuit hoc dicto.

Secũdus quod Rex. 2 *Et inchoauit sequens dicere, qui dixit de fortitudine Regis: O viri, num præcellunt homines, qui terram, & mare obtinent, et omnia quæ in eis sunt? Rex autem super omnia præcellit, et dominatur eorum, et omne quodcunque dixerit illis, faciunt. Et si miserit illos ad bellatores, vadunt, et demoliuntur montes, et muros, et turres, iugulantur, et iugulant, et Regis verba non prætereunt: nam si vicerint, afferunt Regi omnia, quæcunque prædati fuerint. Similiter et alij omnes, et quotquot non militant, nec pugnant, sed colunt terram: rursum cum fuerint metentes, afferunt tributa Regi: et ipse vnus solus, si dixerit, occidite, occidunt: dixerit, remittite, remittunt: dixerit, percutite, percutiunt; dixerit, exterminate, exterminant: dixerit, ædificate, ædificant: dixerit, excidite, excidunt: dixerit, plantate, plantant: et omnis plebs, et virtutes eum obaudiunt, et super hoc ipse recumbit, et bibit, et dormit. Hi autem custodiunt in circuitu eum, & non possunt ire singuli, & facere opera sua, sed in dicto obaudientes sunt ei. Viri, quomodo non præcellit Rex, qui sic diffamatur? Et tacuit.* Tertius, quod mulier. *Tertius, qui dixerat de mulieribus, & veritate, hic est Zorobabel, cœpit loqui: Viri non magnus Rex, & multi homines, nec vinum præcellit. Quis est ergo, qui dominatur eorum? Nonne mulieres genuerunt Regem, & omnem populum, qui dominatur mari, & terræ, & ex illis nati sunt, & ipsæ educauerunt eos, qui plantauerunt vineas, ex quibus vinum fit. Et ipsæ faciunt stolas omnium hominum, et ipsæ faciunt gloriam hominibus, & non possunt homines separari à mulieribus. Si congregauerint aurum, & argentum, & omnem rem speciosam, & viderint mulierem vnam bono habitu, & bona specie, omnia hæc relinquentes, in eam intendunt, & aperto ore conspiciunt, & eam alliciunt magis, quam aurum et argentum, et omnem rem pretiosam. Homo patrem suum relinquit, qui enutrijt illum, et suam regionem, et ad mulierem se coniungit, et cum muliere remittit animam: & neque patrem meminit, neque matrem, neque regionem, & hinc oportet vos scire, quoniam mulieres dominantur vestri. Nonne doletis? et accipit homo gladium suum, et vadit in viam facere furta, & homicidia, et mare nauigare, & flumina, & leonem videt, et in tenebris ingreditur, et cum furtum fecerit, et fraudes, et rapinas, amabili suæ affert. Et iterum diligit homo vxorem suam magis, quam patrem aut matrem, et multi dementes facti sunt propter vxores suas, et serui facti sunt propter illas, et multi perierunt, et iugulati sunt, et peccauerunt propter mulieres, et nunc credite mihi, quia ma-*

gnus

guus est Rex in potestate sua, quoniam omnes regiones verentur tangere eum. Videbant tamen Apemen filiam Bezacis mirifici concubinam Regis, sedentem iuxta Regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cedebat Regem de sinistra manu, & super hæc aperto ore intuebatur eam, et si arriserit ei, videt: nam si indignata eâ fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam. O viri, cur non sunt fortiores mulieres? Magna est terra, & excelsum est cælum: quis ista agit? Et tunc Rex, & purpurati intuebantur in alterutrum. Et incboauit loqui de veritate. O viri, nonne fortes sunt mulieres? magna est terra, & excelsum est cælum: & velox cursus solis, conuertit in gyro cælum in locum suum in vna die. Non ne magnificus est, qui hæc facit, & veritas magna, & fortior præ omnibus? omnis terra veritatem inuocat; cælum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam, & non est cum ea quidquam iniquum. Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum; & iniqua illorum omnia opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt, & veritas manet, & inualescit in æternum, & viuit, & obtinet in secula seculorum. Nec est apud eam accipere personas, neque differentias: sed quæ iusta sunt, facit omnibus, iniustis ac malignis, & omnes benignantur in operibus eius, & non est in iudicio eius iniquum, sed fortitudo & regnum, & potestas, & maiestas omnium æuorum. Benedictus Deus veritatis. & desijt loquendo, & dixerunt, magna est veritas, & præualet. Nomine autem veritatis Zorobabel Deum intellexit, vt postrema ipsius verba denotant, neque enim alioquin ipsam cælo, terræ, soli, Regibus, mulieribus, & viris omnibus prætulisset. Veritas præfertur.

4 Quid porro Rex tunc dixerit, historicus sic prosequitur: *Pete, si quid vis amplius, quam quæ scripta sunt, et dabo tibi secundum quod es inuentus sapientior proximis, et proximus mihi sedebis, et cognatus meus vocaberis.* Zorobabel autem sic respondit Regi: *Memor esto voti tui, quod vouisti, ædificare Ierusalem in die, qua regnum accepisti, et omnia vasa, quæ accepta sunt ex Ierusalem, remittere, quæ separauit Cyrus, quando mactauit Babyloniam, & voluit remittere ea ibi, et tu vouisti ædificare Templum, quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis, et nunc hoc est, quod postulo Domine, et quod peto, hoc est maiestas, quod à te postulo, vt facias votum, quod vouisti Regi cæli ex ore tuo.* Votum quod hic inculcat Zorobabel emissum à Dario, fuit dum esset priuata persona, vt ait Iosephus *lib. 11. antiquit. c. 4.* Quid autem tunc egerit Rex, & quam benignum, & liberalem se in Zorobabelem populumque Iudæorum exhibuerit, sic exprimitur loco relato: *Tunc surgens Darius Rex, osculatus est illum, & scripsit epistolas ad omnes di-* Zorobabelis petitio. Regis votum. Annuit Rex.

Reædificatio Templi. *ſpenſatores, & præfectos, & purpuratos, vt deducerent eum, & eos, qui cum illo erant omnes aſcendentes ædificare Ieruſalem, et omnibus præfectis, qui erant in Syria, et Phœnice, et Libano, ſcripſit epiſtolas, vt traherent ligna cedrina à Libano in Ieruſalem, vt ædificarent cum eis Ciuitatem, et ſcripſit omnibus Iudæis, qui aſcendebant à Regno in Iudæam pro libertate, omnem potentem, et magiſtratum, et præfectum non ſuperuenire ad ianuas ipſorum, et omnem regionem, quam obtinuerant, immunem eſſe eis, et Idumæi relinquant caſtella, quæ obtinent, Iudæorum, & in ſtructuram Templi dare per ſingulos annos talenta viginti, vſque dum peredificaretur: & ſuper ſacrarium holocauſtomata vſtulare quotidie, ſicut habent præceptum: alia talenta decem offerre per ſingulos annos, & omnibus, qui procedunt à Babylonia condere Ciuitatem, vt eſſet libertas tam ipſis quam filijs eorum, & omnibus Sacerdotibus, qui præcedunt. Scripſit autem & quantitatem, & ſacram ſtolam iuſſit dari, in qua deſeruirent; & Leuitis ſcripſit dare præcepta vſque in diem, qua cōſummabitur domus, & Ieruſalem extruetur; et omnibus cuſtodientibus Ciuitatem ſcripſit dari ei ſortes, & ſtipendia. Et dimiſit omnia vaſa, quæcunque ſeparauerat Cyrus à Babylonia, et omnia, quæcunque dixit Cyrus, & ipſe præcepit fieri, & mitti Ieruſalem.* Zorobabel autem vt pius & bonus eleuans faciem in Ieruſalem benedixit Regem cæli, & dixit: *Abs te eſt victoria, & abs te eſt ſapientia et claritas. Et ego ſeruus tuus ſum. Benedictus es, qui dediſti mihi ſapientiam, & tibi confitebor Domine Deus Patrum noſtrorum, & accepit epiſtolas, & profectus eſt in Babyloniam, & venit, & nunciauit fratribus ſuis omnibus, qui fuerunt in Babylonia, & benedixerunt Deum Patrum ſuorum, quoniam dedit illis remiſſionem, & refrigerium, vt aſcenderent, & ædificarent Ieruſalem, et Templum vbi nominatum eſt nomen eius in ipſo, et exultauerunt cum muſicis, et lætitia diebus ſeptem.*

Zorobabel gratias refert Deo.

Aggæus, & Zacharias.

5 Suſcitauit interim Deus in Iudæa duos Prophetas, Aggæum ſcilicet, & Zachariam, vt vaticinijs clareſcerent, populum ad Templi ædificationem animarent, immo vt Ordinem Propheticum, qui per captiuitates multam ruinam paſſus fuerat, excitarent, & promouerent, etſi non tam ſub Prophetarum, aut Rechabitarum nomine, vt prius, quam ſub Eſſenorum, vel Aſſidæorū, iuxta dicenda inferius.

Aggæus qui.

6 Ergo Aggæus, quem Sacerdotem, & de tribu Leuitica fuiſſe ex Epiphanio, & Dorotheo in eius vita colligere poſſumus cum Sanchez, & de profeſſione Prophetica, tum propter dicta *in Apparatu c. 2. et ſub anno* 3184. accedente Sigonio, qui *de Republ. Hebræor. l. 5. c. 9.* Collegio Prophetico eum aggregare videtur, tum ex eo quod in principio ſuæ Prophetiæ *Propheta* appelletur, qui titulus huius profeſ-

ſionis

ſionis alumnos denotat,iuxta dicta ibidem,hoc tempore prophetare cœpit, anno ſcilicet ſecundo Darij Regis,vt ex eius Prophetia c 1. habetur. Increpat autem Iudæos eo *c.*1. quòd neglecta Templi Dei ædificatione, propria ædificia curarent,ob quam cauſam dicit illis à Deo immiſſam ſterilitatem. Quo denotatur aliquali ſaltem negligentia culpabiles fuiſſe in Templi Domini ſtructura procuranda. Eodem etiam anno, vt *c.*2.refertur, prophetiam habuit de aduentu Meſſiæ, & de maiori gloria futura in tempore ipſius in Templo illo ab ea, quæ fuit primùm cum ædificatum erat à Salomone.

7 Zacharias etiam (quem propter eadem fundamenta, ac Aggæum inter Ordinis Prophetici profeſſores collocamus) hoc eodem tempore clareſcebat. Fuit filius Barachiæ, & nepos Addo, vt ipſe teſtatur in principio ſuæ prophetiæ. E terra Chaldæorum ſoluit Ieroſolymã profecturus, ſicut & Aggæus, prout ſanctus Epiphanius in eius vita ſcripſit. Quem etiam inter proficiſcendum multa populo vaticinatum fuiſſe, & miracula deſignaſſe aſſerit. Plura diuina oracula hoc tempore habuit; anno videlicet ſecundo Darij Regis ea, quæ refert *c.*1.de monitione populi ad reſipiſcentiam,& viro illo, qui ſtabat inter myrteta, Angelo ſcilicet, qui conquerebatur de diuturnitate afflictionum populi Dei, ac de quatuor cornibus, & quatuor fabris. Refertur etiam à Caſtro, & alijs ad annum tertium Darij, qui correſpondet anno 3534. Vaticinium eiuſdem Zachariæ quinto capite comprehenſum de volumine maledictionis, & amphora punitionis in terram Senaar,quæ eſt Babylon. Quadrigæ etiam illæ ſexti capitis, & equi nigri ad hoc etiam tempus pertinent. Nam hi equi nigri, Hieronymo, & Theodoreto interpretibus,ſignificant vltionem contra Babylonem,quæ hoc tempore contigit, Dario eam obſidente, ob rebellionem expugnante, & capiente, de qua re Herodotus, & alii Hiſtorici.

Zacharias quis.

Eius Prophetiæ.

Annus mundi 3535. ante Chriſtum 518.

1 N hunc annum referendum cenſemus obitum Danielis Prophetæ Salianum ſequentes inter diuerſas de huius ſanctiſſimi viri ætate opiniones. Illud certiùs ſenio confectum viuere deſiiſſe,centum videlicet, & decem annorum, vt Iſidorus *in libro de vita, et obitu Prophetarum c.* 40. ſcripſit;vel forſan maioris ætatis, iuxta dicta *ſub anno* 3428.obiit Babylone,& dies mortis eius in Martyrolog. Romano ponitur 21.Iulij conſentiente Beda, & aliis. Græci autem vnà

Danielis obitus.

cum

Reædificatio Templi.

ſpenſatores, & præfectos, & purpuratos, vt deducerent eum, & eos, qui cum illo erant omnes aſcendentes ædificare Ieruſalem, et omnibus præfectis, qui erant in Syria, et Phœnice, et Libano, ſcripſit epiſtolas, vt traherent ligna cedrina à Libano in Ieruſalem, vt ædificarent cum eis Ciuitatem, et ſcripſit omnibus Iudæis, qui aſcendebant à Regno in Iudæam pro libertate, omnem potentem, et magiſtratum, et præfectum non ſuperuenire ad ianuas ipſorum, et omnem regionem, quam obtinuerant, immunem eſſe eis, et Idumæi relinquant caſtella, quæ obtinent, Iudæorum, & in ſtructuram Templi dare per ſingulos annos talenta viginti, vſque dum peraedificaretur: & ſuper ſacrarium holocauſtomata vſtulare quotidie, ſicut habent præceptum: alia talenta decem offerre per ſingulos annos, & omnibus, qui procedunt à Babylonia condere Ciuitatem, vt eſſet libertas tam ipſis quam filijs eorum, & omnibus Sacerdotibus, qui præcedunt. Scripſit autem & quantitatem, & ſacram ſtolam iuſſit dari, in qua deſeruirent; & Leuitis ſcripſit dare præcepta vſque in diem, qua cõſummabitur domus, & Ieruſalem extruetur; et omnibus cuſtodientibus Ciuitatem ſcripſit dari ei ſortes, & ſtipendia. Et dimiſit omnia vaſa, quæcunque ſeparauerat Cyrus à Babylonia, et omnia, quæcunque dixit Cyrus, & ipſe præcepit fieri, & mitti Ieruſalem.

Zorobabel gratias refert Deo.

Zorobabel autem vt pius & bonus eleuans faciem in Ieruſalem benedixit Regem cæli, & dixit: *Abs te eſt victoria, & abs te eſt ſapientia et claritas. Et ego ſeruus tuus ſum. Benedictus es, qui dediſti mihi ſapientiam, & tibi confitebor Domine Deus Patrum noſtrorum, & accepit epiſtolas, & profectus eſt in Babyloniam, & venit, & nuntiauit fratribus ſuis omnibus, qui fuerunt in Babylonia, & benedixerunt Deum Patrum ſuorum, quoniam dedit illis remiſſionem, & refrigerium, vt aſcenderent, & ædificarent Ieruſalem, et Templum vbi nominatum eſt nomen eius in ipſo, et exultauerunt cum muſicis, et lætitia diebus ſeptem.*

Aggæus, & Zacharias.

5 Suſcitauit interim Deus in Iudæa duos Prophetas, Aggæum ſcilicet, & Zachariam, vt vaticinijs clareſcerent, populum ad Templi ædificationem animarent, immo vt Ordinem Propheticum, qui per captiuitates multam ruinam paſſus fuerat, excitarent, & promouerent, etſi non tam ſub Prophetarum, aut Rechabitarum nomine, vt prius, quam ſub Eſſenorum, vel Aſſidæorũ, iuxta dicenda inferius.

Aggæus qui.

6 Ergo Aggæus, quem Sacerdotem, & de tribu Leuitica fuiſſe ex Epiphanio, & Dorotheo in eius vita colligere poſſumus cum Sanchez, & de profeſſione Prophetica, tum propter dicta *in Apparatu c.2. et ſub anno* 3184. accedente Sigonio, qui *de Republ. Hebræor. l. 5. c. 9.* Collegio Prophetico eum aggregare videtur, tum ex eo quod in principio ſuæ Prophetiæ *Propheta* appelletur, qui titulus huius profeſ-

ſionis

ſionis alumnos denotat, iuxta dicta ibidem, hoc tempore prophetare cœpit, anno ſcilicet ſecundo Darij Regis, vt ex eius Prophetia c. 1. habetur. Increpat autem Iudæos eo c. 1. quòd neglecta Templi Dei ædificatione, propria ædificia curarent, ob quam cauſam dicit illis à Deo immiſſam ſterilitatem. Quo denotatur aliquali ſaltem negligentia culpabiles fuiſſe in Templi Domini ſtructura procuranda. Eodem etiam anno, vt c. 2. refertur, prophetiam habuit de aduentu Meſſiæ, & de maiori gloria futura in tempore ipſius in Templo illo ab ea, quæ fuit primùm cum ædificatum erat à Salomone.

7 Zacharias etiam (quem propter eadem fundamenta, ac Aggæum inter Ordinis Prophetici profeſſores collocamus) hoc eodem tempore clareſcebat. Fuit filius Barachiæ, & nepos Addo, vt ipſe teſtatur in principio ſuæ prophetiæ. E terra Chaldæorum ſoluit Ieroſolymã profecturus, ſicut & Aggæus, prout ſanctus Epiphanius in eius vita ſcripſit. Quem etiam inter proficiſcendum multa populo vaticinatum fuiſſe, & miracula deſignaſſe aſſerit. Plura diuina oracula hoc tempore habuit; anno videlicet ſecundo Darij Regis ea, quæ refert c. 1. de monitione populi ad reſipiſcentiam, & viro illo, qui ſtabat inter myrteta, Angelo ſcilicet, qui conquerebatur de diuturnitate afflictionum populi Dei, ac de quatuor cornibus, & quatuor fabris. Refertur etiam à Caſtro, & alijs ad annum tertium Darij, qui correſpondet anno 3534. Vaticinium eiuſdem Zachariæ quinto capite comprehenſum de volumine maledictionis, & amphora punitionis in terram Senaar, quæ eſt Babylon. Quadrigæ etiam illæ ſexti capitis, & equi nigri ad hoc etiam tempus pertinent. Nam hi equi nigri, Hieronymo, & Theodoreto interpretibus, ſignificant vltionem contra Babylonem, quæ hoc tempore contigit, Dario eam obſidente, ob rebellionem expugnante, & capiente, de qua re Herodotus, & alii Hiſtorici.

Zacharias quis.

Eius Prophetiæ.

Annus mundi 3535. ante Christum 518.

1 N hunc annum referendum cenſemus obitum Danielis Prophetæ Salianum ſequentes inter diuerſas de huius ſanctiſſimi viri ætate opiniones. Illud certiùs ſenio confectum viuere deſiiſſe, centum videlicet, & decem annorum, vt Iſidorus *in libro de vita, et obitu Prophetarum* c. 40. ſcripſit; vel forſan maioris ætatis, iuxta dicta *ſub anno* 3428. obiit Babylone, & dies mortis eius in Martyrolog. Romano ponitur 21. Iulij conſentiente Beda, & aliis. Græci autem vnà

Danielis obitus.

cum

Sepulchrum. cum tribus eius socijs ad 16. Kalend. Ianuarij referunt. In sepulchro Regio sepultum tradit Dorotheus *in Synopsi*. Epiphanius autem dicit in angusta cauerna, fortè vtrumque verum, si in eo sepulchro talis cauerna fuit; sicut & quod refert Iosephus *libro.* 10. *cap. vlt.* de turri quadam à Daniele apud Ecbatana Mediæ ædificata, quam dicit fuisse Regum sepulturam. Quæ Epiphanius, Dorotheus, & Isidorus scribunt de Prophetia quadam Danielis de montibus super Babylonem fumigantibus, & ardentibus, & rursum aqua, vel sanguine fluentibus, velut Rabbinica figmenta à pluribus exploduntur. Addit Genebrardus *lib.* 1. *Chronolog. in* 6. *ætate* Danielem, Ananiam, Azariam, Misaelem cum Aggæo, Zacharia, & Malachia interfuisse, aut potius præfuisse Iudæorum Concilio sub tempore captiuitatis de emendandis libris sacris, eorumque constituendo canone iuxta præceptum Cabalæ. Sed quamuis illud referat ex Elia *præfat.* 3. *Masoreth. Hămasoreth*, Rabbi Moyse *præfat. in Sepher Mizuoth, et in Talmud tract. de votis*, non videtur multum conforme Chronologiæ istorum Prophetarum, præsertim cum inter eos etiam referat Nehemiam, Esdram, & Mardochæum, qui tempore fuerunt posteriores: præterea oporteret Ananiam, Azariam & Misaelem longæuos valde fuisse, sicut & ipsum Danielem, quod etiam est incertum.

Consultatio Iudæorum. 2 Hoc etiam eodem anno, qui quartus erat Regis Darij, vt constat ex Zachar. c. 7. consuluerunt Iudæi Sacerdotes & Prophetas, an esset illis tunc ieiunandum, sicut ieiunabant tempore captiuitatis Babylonicæ, ex quo ad nostræ historiæ Propheticæ intentum elicimus, tunc fuisse alios præter ipsum Zachariam Ordinis Prophetici cultores; solum enim de illis verificari poterat verbum illud *Prophetis*, quod in textu habetur, seu *Scribis*, vt Chaldæus habet, quod filios Prophetarum denotare diximus *sub anno* 3230. cum enim pluralis numeri sit, denotat plures eos fuisse, ac per consequens alios ab ipso Zacharia, & Aggæo. Occasione autem huius quæstionis reuelauit illis Deus per eumdem Zachariam, non placuisse illis ieiunia eorum, propterea quæ ibi notata reperiuntur.

Anni

Anni mundi 3536. vsque ad 3544. ante Christum 517. vsque ad 509.

1 VDÆI per id tempus solicitè curabant Templi constructionem annitentibus Prophetis Aggæo, & Zacharia, prout ex *lib. 1. Esdræ c. 6.* habetur. Vnde anno sexto Darij Regis, qui correspondet anno mundi 3537. completa est ædificatio, vt eodem loco Esdræ dicitur, magnoque gaudio, & solemnitate dedicatio celebrata; in qua publica, & communi populi lætitia facile principes extitere ijdem Aggæus, & Zacharias Prophetæ, qui cæteros ad tam sanctum opus peragendum incitarant. Hinc sanctus Epiphanius *in vita Aggæi* dixit, primum illum fuisse, qui eo tempore *cecinit Alleluia, quod est, laudibus efferamus viuentem Deum, & Amen, quod fiat fiat interpretatur*. Et postea: *Proinde etiam hodie psallimus Alleluia, qui hymnus Aggæi, & Zachariæ perhibetur*. Hinc etiam ortus videtur titulus ille *Psalm. 3.* qui talis est: *Alleluia, Reuersionis Aggæi, & Zachariæ.* Dicitur enim ipsorum fuisse, non quia ab ipsis editus sit, sed quia à Dauide compositus pro illis: illi enim (vt incognitus noster ibi habet) fuerunt, qui de reædificatione Templi prophetarunt, & ad illam faciendam cooperatores adstiterunt.

Templi constructio.

Alleluia cantatum.

2 Ad idem tempus referuntur à Castro *lib. 4. de Prophetis cap. 8.* varia Zachariæ vaticinia. Illud nempe *c. 9.* ad quintum Darij annum, qui est 3536. Illud *cap. 10.* ad sextum, qui est 3537. & illud *cap. 11.* ad nonum annum, qui est 3540. sicut & illud *cap. 12.* ad 10. & 11. eiusdem Regis annum, qui correspondent annis mundi 3541. & 3542. Reliqua autem Zachariæ oracula, quæ 13. & 14. continentur, ad annum 3544. vel circiter ea refert idem Castro. Pro quorum enodatione egregiè laborarunt huius Prophetæ Expositores.

Zachariæ vaticinia.

Anni mundi 3545. vsque ad 3555. ante Christum 508. vsque ad 498.

1 NITIVM vidit hoc tempus, anno scilicet 3545. vel 3546. Olympiade 68. initiante, nouæ Reipublicæ Romanorum ex Regum Imperio ad Consulum principatum. Cum enim Regis nomen abrogandum fore, quod ad tyrannidem tendere videretur, Romani decreuissent, potestatem regiam in duos, qui annuo Magistratu

Consulum Romanorum initia.

pari

pari iure atque auctoritate fungerentur, diuidendam esse iudicarunt. Cum ergo Regum Imperium per 244. fermè annos perdurasset, Cósules primi regiam potestatem sumpserunt L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus ambo Patritij. Dionysius Halicarnass. *lib.* 4. *&* 5.

Iudæorũ Respublica in melius mutata.

2 Notabiliter etiam sub hoc tempore Iudæorum Respublica in melius mutata erat, Templi videlicet noua constructione, solemni dedicatione, Paschæ, & Azymorum celebratione, prout in *lib.* 1. *Esdræ cap.* 6. describitur. Vbi etiam adiungitur, qualiter statuerint *Sacerdotes in Ordinibus suis, & Leuitas in vicibus suis, super opera Dei in Ierusalem, sicut scriptum est in libro Moysi.* Quod est dicere, renouatum esse cultum Dei iuxta antiquum Iudæorum ritum in Lege præscriptum. Multi propterea ex gentibus earum Idolis desertis ad verum Deum facti proselyti conuertebãtur. In quibus forsan ij erãt, qui tempore captiuitatis ad vicinas gentes peregrinati sordibus Idolorum cum ipsis coinquinati erant. Nec desunt existimantes non modò eos Israëlitas, qui de tribu Iuda aut Beniamin erant, sed & alios plerosque ex alijs decem tribubus, sublata iam distinctione Regnorum Iuda, & Israël, cum vxoribus, filijs, amicis, seruis, & facultatibus suis, Iudæis adiunctos tunc fuisse, vt iam vnum ouile populus Hebræus, & vnus Pastor, & Pontifex Iosue cernerentur. Iosephus *lib.* 11. *antiquitat. cap.* 4. Salianus *sub anno* 3538.

Ordinis Prophetici mutatio.

3 Occasione autem huius insignis renouationis Reipublicæ Iudæorum noua alia, & celebris Prophetici Ordinis mutatio, quæ aliquo modo hoc tempore contigisse videtur, Essenorum, vel Hessæorum veluti institutione, vel restauratione, ex ijs, qui eiusdem Prophetici Ordinis alumni, & sectatores erant, à nobis elucidanda est. Vt verò per viam minimè tritam, nec omnibus obuiam securiùs incedamus, & de hoc hominum Instituto apud plerosque incognito clariùs disputemus, aliqua de ipsis sigillatim enucleare operæ pretiũ erit. Primò, de eorum ortu, & origine; secundò, de nominis Essenorum etymologia, seu deriuatione: tertiò, de ipsorum ritibus, forma, regulaque viuendi: quartò, an aliquibus votis obstringerentur; quintò, an vere veteris Legis Religiosi dicendi: sextò, an & quo iure Eliani Instituti asseclæ, professores, & propagatores dici queant. Interea enim quæ de illis desiderari possunt, in sequentibus, maximè 2. Tom. commodiùs elucidabimus.

Essenorum ortus.

4 Horum primum, videlicet de ipsorum ortu, & origine adeo obscurum & incertum cunctis visum est, vt nullus in eo certam sententiam protulerit, etsi solùm probabilibus fundamentis, & congruẽtijs

tijs mixi, in varias distracti sint auctores opiniones. Verum quia earum plures, saltem ex parte veritatem attingunt, ideo postremo loco de ipsis agendum, dum tamen primùm Cardinalis Baronij Auctoris clarissimi sententiam discutiamus.

5 Hic ergo auctor in Orbe Christiano iure celeberrimus in eam sententiam, etsi non mordicus, aut tenaciter, inclinare videtur *to. 1. Annalium sub anno Christi* 64. vt credat Essenorum Institutum à tempore Christi, vel paulò ante suum primordiale habuisse principium. Nec in eo, inquit, credendum ethnicis auctoribus, sed Hebræis, vtpotè eiusdem nationibus hominibus. Nititur Baronius non leuibus fundamentis; sed quia contraria sententia grauiora pro se argumenta producit, & fermè omnium consensu firmatur, eam vt certissimam, & indubitatam amplectimur, quam recipiunt tum Hebræi, quos pro se in testes aduocat Baronius, tum ethnici, quos reijcit; tum præcipuè Doctores Christiani plures, de quibus inferiùs. Baronij sententia.

6 Primò enim Plinius *lib. 5. histor. natural. c.* 17. de Essenis loquẽs ait: *Per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur.* Cum autem primo seculo Christi claruerit Plinius, tempore Vespasiani Imperatoris, cui libros nuncupauit, *si per seculorum millia* Essenorum gentem deguisse dicit, multis ante Christum seculis eos fuisse demonstrat. Impugnatur ex Plinio.

7 Deinde Solinus, qui non multò post Plinium, seculo videlicet secundo, tempore Euaristi Papæ, iuxta Genebrardum, florens, *cap. 36.* sic de illis inquit: *Per immensum spatium seculorum, incredibile dictu, æterna gens est, cessantibus puerperijs.* At *immensum spatium seculorum*, proculdubio plura secula etiam ante Christum denotat. Ex Solino.

8 Sed accedat Iosephus, quem solum veluti Hebræum, vt testem admittere videtur Baronius. Hic *lib. 13. Antiquit. cap.* 8. loquens de tempore Ionathæ fratris Iuda Machabæi, & filij Mathathiæ, qui per 160. fermè annos Christum præcessit, inquit: *Eodem tempore tres hæreses Iudæorum fuerunt, quæ de rebus humanis diuersa credebant, quarum vna Pharisæa dicebatur, altera Saducæa; tertia vero Essenorum.* Quî ergo affirmari potest Essenorum Institutum nouitium fuisse tẽpore Christi, cum Iosephus de ipso loquatur, non tanquam de re noua, sed subsistente tot annis ante illum? Vnde *lib. 18. c. 2.* sic: *Iudæis ergo Philosophiæ tres erant, iam inde ab initio institutis patrijs derelictæ; Essenorum, Saducæorum, & tertia, qua philosophabantur, qui dicebantur Pharisæi.* Verbum enim illud *ab initio*, vt contra Drusium sectarium vrget Serarius in *Tribæresio lib. 1. cap. 6.* idem importat ac *ab* Ex Iosepho.

anti-

antique, & veteri memoria, à priscis patriorum institutorum temporibus. Clariùs in Geneuensi editione sic dicitur: *Iudæi patriæ sapientiæ studiosi iam inde à multis retro seculis in tres sectas erant diuisi.* Quid clarius?

Ex libris Machabæorum. 9 Esto autem Plinius, Solinus, aut Iosephus nihil de Essenorum vetusta conuersatione ante Christi natalitia dixissent, ea tamen ex ipsa sacra Scriptura sufficienter elicitur. Constat enim ex libris Machabæorũ tempore Mathathiæ, & Iudæ cognominati Machabęi 160. circiter annis ante Christi ortum fuisse inter Iudæos Congregationes Assidæorum. Sic enim dicitur primo Machab. 2. v. 42. *Congregata est ad eos* (scilicet Mathathiam, & socios) *Synagoga Assidæorum*. Et rursum c. 7. v. 12. *Conuenerunt ad Alcimum & Bacbidem Congregatio Scribarum, & primi Assidei, &c.* Item 2. *Machabæorum* 14. v. 6. vbi dicitur: *Ipsi qui dicuntur Assidei Iudæorum, quibus præest Iudas &c.* Huiusmodi enim Assidæos Essenos fuisse, eiusdem Instituti cum ipsis, vel ab eisdem solo nomine diuersos, adeo efficaciter iuxta materiæ capacitatem ex Doctoribus Catholicis, sectarijs, & Rabbinis *sub anno* 3847. ostendetur, vt dubitandi locus vix relinquatur. Vrgere tamen interim possumus testimonium Iosephi ex *cap.* 8. *lib.* 13. adductum. Si enim Mathathiæ & filiorum tempore inter Iudæos erat Essenorum secta, vt ipse fatetur, cum eo tempore solùm Assidæi nominentur, clarè denotatur Essenos Assidæos, vel Assidæos Essenos fuisse etiam ex mente Iosephi.

Iterum ex Iosepho.

Baronij fundamentum. 10 Baronij porrò præcipuum argumentum, quo Essenorum vetustas labefactari videtur, illud est, quòd cum Appion quidam grammaticus multa contra Iudæos calumniosè dixisset, & Iosephus totis viribus cõtra eum duos libros scripsisset, quibus calumnias ab Appione congestas refellit, in medium proferens quidquid nobile, & dignum de gente sua ex quibuscunque scriptoribus venari posset, de Essenorum tamen Instituto nihil prorsus dixit. Meritò ergo suspicionis locus datur, vt putetur eos nouos valde fuisse. Sed primò, si placet contra eximium virum Baronium telum retundamus. Cum enim ipse admittat tempore Christi, & forsan paulo antea, ac per consequens quando Iosephus viuebat, & Apionem impugnabat, Essenos Alexandriæ, & alijs locis insignes, & præclaros esse, quærere etiam possumus, cur illorum Institutum cõtra oblatrantis Grammatici impudentiam non obiecit, cum vnico illo Iudæorum exemplo ipsum satis retundere posset. Certè quam solutionem Baronius adhibuerit, pro nobis accipiemus. Si enim dicat satis id constasse Appioni, qui Alexandriæ, vbi Esseni erant degere consueuerat, ac proinde

Solutio.

non

non necessum fuisse Iosepho illud inculcasse, etsi hoc non omnino satisfaciat, pro nobis tamen idem dici potest. Si vero secundò (quod aptius credimus) dicatur, Essenos illos, qui tempore Iosephi erant, Christianos fuisse, non autem Iudæos, nisi solum origine, & propterea illos Religione iam Iudæis extraneos factos non numerasse, procul dubio id verum credimus: alioquin Appio Iosepho dixisset, *aliena laudas*, Christianos commendas, non Iudæos. Dicimus secundò, Iosephus in dictis libris non intendit Iudæorum in speciali laudes describere, alioquin non omisisset de Moyse, Iosue, Sansone, Dauide, Salomone, Elia, Elisæo, Isaia, Ieremia, Ezechiele, Daniele, & alijs plura dicere, de quibus pauca, aut nihil. Vnde ipse *lib. 2.* sic: *Non enim proposui laudes conscribere nostrorum*. Quid ergo mirum, quod non commendet Essenos? Sed tertiò, quia ipsi aliqui cum Baronio obijcere possent, cur tuæ nationis virorum insignium laudes non commemoras? Sic enim facilius Appionis mordacitatem reprimere posses? Respondet ipse eodem *lib. 2. contra Appionem: De viris autem, qui fuere apud nos, titulo nullo laudis inferiores sciunt, qui voluerint antiquitatis nostræ libris incumbere*. Quia ergo de Essenis aliqua dixerat egregia *lib. 18. antiquit. cap. 2.* plura etiam *lib. 2. de Bello Iudaico cap. 7.* ad quem se refert *lib. 13. antiquit. cap. 8.* ideo superuacaneum duxit ea referre in libris contra Appionem. Quamuis autem hæc sola solutio abundè sufficeret contra Baronianum argumentum, nihilominus ad maiorem abundantiam subiungimus, non incongruè existimari posse aliqua de Essenis dixisse Iosephum in libris cōtra Appionem, quæ tamen alicuius incuria vel malitia ablata ab illis sunt. Extat enim de hoc clarum D. Hieron. testimonium *lib. 2. aduersus Iouinianum*, vbi ait: *Iosephus in secundo Iudaicæ captiuitatis historiæ, & in 18. antiquitatis libro, & contra Appionem duobus voluminibus tria describit dogmata Iudæorum, Pharisæos, Saducæos, Essenos:* En iam ex Hieronymo Iosephum in libris contra Appionem Essenos commemorasse, etsi ab aliquo curioso ea obliterata fuerint. Adijcimus prætera Essenos non omnino prætermisisse Iosephū contra Appionem scribentem non solum, quia communi laude Iudæorum eos comprehendit, sed etiam quia, vt Serarius *in Trihæresio lib. 3. cap. 9.* ait, ab eis, & Rechabitis plura didicisse Pythagoram, eiusque discipulum Zamolxim eisdem libris refert. Dicit namque *in primo lib. contra eundem Appionem* hæc de Pythagora: *Pythagoras igitur Samius, cum sit antiquus quidem ætate, sapientia vero & diuina pietate Philosophos omnes excellens, non solum quæ nostra sunt, agnouisse manifestum est, sed etiam æmulatus ea ex multis apparet*. Et infra ex Hermippo Historico dili-

Alia solutio.

Pythagoras discipulus Essenorum.

gentissimo de eodem Pythagora loquens dicit: *Dicitur enim veri, quod ille vir multas Iudaeorum leges in suam transtulit Philosophiam.* Quia ergo hæc, quæ Pythagoras à Iudæis accepit, non à communi ipsorum vulgo, sed ab Essenis Rechabitarum posteris mutuauit, vt inferius latiùs ostendetur, ideo sufficienter illos commendasse credendus Iosephus, dum Philosophorum præstantissimum illorum discipulum appellat.

11 Minus vrget pro Baronij sententia, quòd de Essenis nulla reperiatur mentio facta in sacra Scriptura veteris Testamenti, nec in Euangelijs, vbi de alijs Iudæorum sectis, Pharisæis, Saducæis, Galilæis & Herodianis sępiùs agitur, nec in Ethnicis Scriptoribus. Quod enim attinet ad vetus Testamentum, etsi in illo non reperiatur illorum memoria sub Essenorum nomine, reperitur tamen sæpiùs sub Cinæorum, Rechabitarum, filiorum Prophetarum, Prophetarum, & Assidæorum nominibus, ijdem enim sunt cum illis, vt diximus, & inferiùs dicemus. Nec obstat, quòd replicat Baronius, diuersam scilicet fuisse Essenorum, & Rechabitarum institutionem, illi enim agros colebant, & ex illis victum quæritabant; isti verò nonnisi ex ijs, quæ sponte terra ferebat absque cultura, vtebantur. Hoc enim, vt bene Serarius *vbi supra*, solùm indicat fuisse plures ipsorum formas, etsi enim commune omnibus esset pietatis, virtutis, & cultus Dei speciale studium, in alijs tamen liberi erant, quæ quidam amplexabantur, quidam non. Vnde propterea inter eos quosdam vxores duxisse, & filios procreasse dicit, & alios non, quod nos etiam diximus *sub anno* 3159.*n*.4. Addunt Villalpandus in *Apparatu Vrbis & Templi lib.* 3.*cap*.14. Salianus *sub anno* 3609.*n*.31. Essenos fuisse eosdem cum Rechabitis, laxioris tamen disciplinæ, quàm ipsi. Quod etsi quoad aliqua, & aliquos ad mitti possit, si tamen consideremus ea, quæ Philo *in lib. de vita contemplatiua* de Theoricis Essenis dixit, strictioris obseruantiæ, quam Rechabitæ apparebunt. Quod subiunxit Baronius de huiusmodi Rechabitis, videlicet quod ipsorum Institutum tempore Sedechię, cum Babylonij Ierosolymam obsidebāt, cessauerit, & quod D. Hieronymus id asseruerit, verum non est, quemadmodum *sub anno* 3431. probatum manet. Addendum est ad quæsitum Baronij cum Boulduco *de Ecclesia ante legem l.* 1. *c.* 14. Essenos fuisse eosdem ac Enoscenos, ac proinde Enoscenorum nomine Hebraicè sæpiùs in sacra Scriptura designatos esse. De quo dictum est *in Apparatu c.* 1.*n*.4. & infra aliquid dicetur.

Cur de Essenis nihil in sacra Scriptura.

Esseni varij.

12 Ad illud de Euangelio, quod in ipso non memorantur Esseni, optimè respondent Abulensis *in Matth.* 3.*q*.63. & Serarius relatus

Cur non commemorati in Euangelijs.

latus, ea de causa non referri, quia Christo Domino nulla in re aduersati sunt, nullas ei aut verbo aut facto tendiculas posuerunt, nullisque grauioribus vitijs, quæ scandalum præbere possent, obstringebantur. Quorsum ergo necessarium erat de illis loqui Euangelistas, qui magna breuitate, nec omnia, quæ fecit Christus, scripserunt. Accedit Boulducus *de Ecclesia ante legem l. 1. cap. 13.* doctrinam sequens Abulensis, & subiungens, Christum, & Ioannem ipsius præcursorem *Essenorum duxisse vitam:* quod si ita fuit (de quo suo loco) quid mirum, quòd Christus nihil contra ipsos, nec ipsi contra Christum aliquid dixerint, vel egerint? vt per consequens necessarium non fuerit eorum memoria in Euangelio haberi. Addit *c. 17.* Essenorum Institutum sub nomine Prophetarum reperiri in Euangelijs. Addit, & Iosephus Scaliger apud eumdem Serarium in *Mineruali lib. 5. c. 7.* non ineptè: *Minime ambitiosum genus erat, neque fraudulentum, vt Pharisæorum, neque impium vt Saducæorum, propterea non erat Christo negotium cum illis.* Addit etiam: *In locis à locorum celebritate remotissimis habitabant*, intellige magna ex parte. Subiungit Drussius *de tribus Sectis Iudæorum lib. 4. cap. 19. Fortè pauciores erant, ita vt nemo eorum vnquam cum Christo congressus sit. Potest etiam fieri, vt in quiete, ac silentio vitam transegerint; vnde quidam eorum etymon accersunt à verbo Chaldaico, in quo significatio silentij, & quietis.* Hæc ille.

13 Illud tandem de silentio Ethnicorum scriptorum circa Essenos sic refellit Serarius *loco citato* ex Trihæresio: *At illud tam longum facilius expeditur argumentum, quia plurimarum maximarumque Iudaicarum rerum, summum apud Gentilium scriptores illos silentium. Quis autem Trogus, aut Strabo, & Aristeas Rechabitarum, Prophetarum, tot tantorumque Regum, victoriarum, miraculorum commeminit? Pauca interdum hic, aut ille libat, Iudaica persequitur nemo, vnus omnia. Quanta res fuit solis Iosueno tempore institio? quanta eiusdem ad Ezechiæ votum regressio? Et tamen de his apud veteres, vbi & quis aliquid?* Hæc ille. Si quis plura desiderat, propter quæ Ethnici scriptores Hebræorum historias vix vnquam referant, legat Iosephum *lib. 1. contra Appionem.* Cur Ethnici de illis pauca.

14 Relicta ergo Eminentissimi Baronij de Essenorum ortu sententia, aliorum placita veritati magis conformia audiamus. Ex quibus Boulducus *de Ecclesia ante legem lib. 1. c. 13. & 14.* & alibi sæpius tenet Essenorum Institutum incepisse à tẽpore Enos filij Seth, & nepotis Adæ, qui in lege naturæ sodalitatem quandam hominum instituit Enoscenorum nomine, qui ijdem sunt ac Esseni corruptè. Cæterum hæc Boulduci doctrina licet satis rationi congrua sit, propter Aliæ sententiæ.

dicta *in Apparatu cap.1.n.4.* ex eo tamen non arridet, quia status Essenorum, vel Enoscæorum pro illo tempore nimis imperfectus, & vmbraticus videtur fuisse, saltem respectiuè ad illum, quem posterioribus seculis habuerunt, in quo proculdubio aliqui erant veram Religionis imaginem sectantes. Quemadmodum ergo licet Ordo Propheticus ante Eliæ tempora fuerit, quia tamen ab ipso ad Religiosi instar status normam euectus est, ideo solùm de illo ab Elia æuo curandum existimamus. Sic pariter de Essenorum Instituto dumtaxat agere debemus ab eo tempore, quo Religionis methodum, etsi imperfectè participasse autumare possumus. Deinde Serarius relatus in suo illo *Triharesio lib.3.cap.9.* quod & confirmat in *Minervali lib.5.cap.10.* hæc habet: *Quando vero cœperint, vel quomodo, non potest dici aptiùs, quam eos tam inde ab illo tempore, quo in promissionis terram ex Ægypto ingressi Iudæi sunt, semper fuisse maiore, aut minore numero, aliquaque institutorum quorumdam, vel mutatione, vel accessione, eosdemque esse, qui Iudic.cap.1. Cinæi vocantur, orti e Moysis socero Iethrone, ipsiusque filio Hobab, de quo num.10. Horum verò alteruter, vel ex ijs certe fuit Rechab, cuius filius Ionadab ad veterem disciplinam quadam addidit, eumque cœtum, seu sectam procreauit, quæ Ierem.35. Rechabitarum dicitur, qui genere quidem, ac ortu Cinæi, & Hessæi erant, sed aliqua cum institutorum ac nominis mutatione, ita vt Cinæorum, & Essæorum duo essent genera, vnum vetus, veteri cum instituto, ac nomine, alterum recentius, Rechabicum scilicet.* Hæc ille. Cuius verba eò retulimus, non quia omnimode vera credamus, sed quod aliquo sensu inferius explicando veritatem attingunt, & quia iste auctor in hoc negotio plus cæteris, & forte diligentius laborauit. Fauet illi Suidas priscus Græcus auctor, verbo *Essæi* dicens: *Essæi erant maiores, seu parentes, & ductores Ionadabi; filij Rechab iusti illius.* Non enim dixit eos fuisse *posteros* ipsius, vt malè Vvolphius Sectarius vertit, sed *maiores*, aut *parentes*. Ex hoc autem innui videtur fuisse eosdem cũ Cinæis, qui fuerunt etiam Rechabitarum parentes, & à tempore Moysis in Dei populo commorantes, iuxta dicta à nobis *sub anno 3151.* Affert etiam pro se Serarius S.Nilum in principio Ascetici verbis inferius referendis, quæ tamen illi parum, aut nihil patrocinij præstant, vt legenti constabit. Hæc autem sententia, etsi vera videatur quantum ad hoc, quod asserit de Essenorum vetustate, quoad Instituti ipsorum veluti primordialem, & vmbraticam inchoationem, iuxta dicta *in Apparatu cap.1.n.4.* & quatenus intendit tam Rechabitas, quàm Essenos Cinæos fuisse, & ex eorum progenie, ita vt quemadmodum ex Cinæis Rechabitæ ortum habuerunt, sic & Esseni aliqua

Serarij sententia.

Quid de illa sentiendum.

qua

qua saltem ratione;in eo tamen deficit,quòd non explicat,à quo tempore primum isti Cinæi, aut Rechabitæ cœperint nominari Esseni, & Essenorum proprijs ritibus modoque viuendi vti, quod in hoc puncto desideramus,& quod magis est,quia non declarat,à quo tempore istud Essenorum Institutum Religiosæ disciplinæ veluti formam sortitus fuerit.

15 Pari iure reijciendus est Ioannes Drussius Sectarius ab eodē Serario *in Mineruali lib. 5, cap.* 10. relatus, dum ex Iudæorum sententia asserit Assidæos(quos esse eosdem cum Essenis nunc supponimus) tempore Dauid, & Esdræ extitisse, immo ex eis illos fuisse. Quod enim attinet ad Dauid, etsi verum credamus quadamtenus ad Samuelis familiam spectasse (prout habet Coria *in Chronic. Carmelitar. lib.* 1. *cap.* 10.) quia eius erat discipulus, & spiritualis filius, vt propterea ad ipsum, & non alium à Saule persecutus 1. *Reg.* 19 mortem fugiens venerit in Ramatha, & inde abierit cum eo in Naioth, *& morati sunt in Naioth* (inquit textus) vbi erat cuneus, & collegium Prophetarum, iuxta dicta *sub anno* 3154. quia tamen eo tempore (esto esset Ordo Propheticus à Samuele institutus, ad quem pertinebat collegium illud cum alijs,quæ tunc erant in Israël) de Essenorū, aut Assidæorum ritu, & obseruantia, vel nomine, multominus an aliqualiter Religiosi status, vel vmbram induerit, nihil scriptum reperitur. Idcirco leui fundamento asseritur Dauidem Assidæum, vel Essenum cognominandum. De Esdra vero probabilius id credimus, vt constabit ex dicendis. Reijcitur Drusius.

16 Verior ergo sententia est Essenos sub proprio ritu, & nomine Essenorum, & quatenus ipsorum sodalitas quadamtenus Religionis nomen mereri posset, posteriores Rechabitis, & Prophetis fuisse, veluti spirituales ipsorum soboles, ex ipsis primordialiter ortum, & originem trahentes, Rechabitas, & Prophetas in vnum coniungimus, quia eiusdem Instituti vtrosque Professores extitisse, *sub anno* 3159. iam ostendimus. Meritò ergo pro eisdem eos in præsenti vsurpare possumus, & primò pro præsenti causa testem proferimus sanctum Nilum *in Ascetico in principio*, cuius hæc sunt verba: *Iudæi, qui talem viuendi rationem instaurauerunt* (idest Rechabitæ) *à Ionadab sunt oriundi, & omnes, qui ad se, vt eodem modo viuant, accedunt, ad eadem ducunt instituta. In tabernaculis perpetuo habitant, à vino, atque omnibus cibis delicatis abstinent, vi&u tenui contenti corpus affligunt. Magnam igitur morum curam gerunt, & contemplationi vacant assidue, ex quo Hessæi appellantur.* Affert hæc Serarius *in Tribæresio* loco relato, ex eis inferens Essenos parentes fuisse Rechabitis. Nos autem Verior sententia. Ex S. Nilo.

 oppo-

oppositum ex illis libamus (loquendo de Essenis sub proprio nomine, & ritu, & prout aliqua ratione veteris Legis veluti Religiosi appellari possunt) Rechabitas nempe priores Essenis fuisse, non enim dixit, quod Hesæi vocentur Rechabitæ; sed è contra quòd Rechabitæ appellentur Hesæi, quo Rechabitas vetustiores agnoscere videtur.

Ex Cedreno. Accedit Georgius Cedrenus in *compend. histor. in Claudio Imperatore*, sic de Essenis loquens: *Ij à Ionadab Rechabi filio genus ducentes præstantissimam longè nihil possidendi rationem, iustitiam, temperantiam, atque duriter agendo vitæ institutum intenderunt*. Quibus sanè à Rechabitis, qui ab eodem Ionadabo augmentum, propagationemque sumpserunt, ortos fuisse satis declarat.

Ex Georgio Peccatore. Tuetur etiam hanc doctrinã Georgius Peccator monachus Græcus *in chronic. manuscripto* ab orbe condito vsque ad Michaelem Imperatorem Theophili filium in S. & Apostolica Bibliotheca Vaticana sub *n.* 153. *&* 154. Græcè, Latinitati tamen per Leonem Allatium doctum virum donato. Ibi enim dum loquitur de temporibus Claudij Imperatoris, sic dicit: *Essæi enim ab Ionadabo Rechabi filio genus ducebant*. Deinde relatis illis verbis *Ierem.* 35. in quibus de Rechabitis loquitur Propheta, subiungit: *Ex ijs itaque iustitia illustribus principio ducto, Essæi isti sanè admirandi magis, ac magis diuitiarum, opumque despectum, qui omnium calculo veluti virtutis apex in admiratione est, & vnà cum eo vitam duram illam quidem, & laboriosam, sed piam, & sanctam, sanctitatemque non leuibus incrementis auctam, intensamque propagarunt, vt eorum singula examinanti manifestò patebit*. Refert postea de ipsis testimonia Iosephi. Huius etiam sententiæ sunt Villalpandus *in Apparatu Vrbis*, *& Templi l.* 3. *c.* 14. quem refert, & non reijcit Salianus *sub ann. mundi* 3609. *n.* 31. Cornelius *in c.* 10. *Numer. vers.* 29. *§. denique*, noster Franciscus à S. Maria *in histor. Prophet. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 7. & ex dubiæ fidei auctoribus Iosephus Scaliger apud Serarium *in Mineruali lib.* 5. *c.* 13. affirmans omnes veteres Scriptores Ecclesiasticos ita dixisse.

Quo tempore cœperunt Esseni. 17 Sed quo tempore Esseni ex Rechabitis, & Prophetis orti sint, seu quando nomen, & speciale ipsorum Institutum modo dicto cœperit, definitum nondum est. Coniecturis ergo probabilibus potius, quàm firmis fundamentis inhærendo, asserendum videtur, hoc tempore reditus Iudæorum ex Babylonis captiuitate piam hanc Essenorum sectam ex Rechabitarum, Prophetarumue reliquijs prodijsse. Sic habet pro hac sententia Scaliger relatus à Serario *in Mineruali lib.* 5. *c.* 10. de Assidæis scribens, quos idem cum Essenis fuisse iam diximus: *Eorum origo iam inde à temporibus Esdræ, auctoribus Instituti sanctis Prophetis, in quibus familiam ducebant Aggæus, & Zacharias*

rias nepos, Adde filius Barachiæ. Quia ergo tempore hoc hi duo Prophetæ in viuis erãt, ideo tunc credimus ipsis promotoribus hanc familiam pullulasse: Fuisse autem eorum Congregationem hoc tempore renouationis Templi, imò propter ipsam renouationem promouendam, sic scribit idem Scaliger apud eundem Serarium *in Mineruali lib. 5. c. 11.* aptè sanè: *Præter Gemiluth Chesadim sarta tecta Templi maiori ex parte curabant, et voluntarios sumptus faciebant hoc Institutum mordicus tenentes à sanctis Dei Prophetis, Esdræ 52. vnusquisque pendebat vectigal ad sarta tecta Templi iam à temporibus Esdræ, et Nehemiæ 10. 32. Præter illud constitutum tributum, sponte Assidæi plura erogabant tam ad ipsum Sanctuarium, quàm ad eos muros, & porticus. Idem etiam meritò vocati Chesadim, vel quia à SS. Prophetis eorum Collegium institutum, vel potius à pijs operibus, & ædificijs ab illis instauratis à fundamentis excitatis.* Ex quibus omnibus proculdubio ex Rabbinorum monumentis erutis satis indicatur hoc tempore restaurationis Ierosolymitani Templi Assidæos, seu Essenos ex Prophetis, & Rechabitis institutos fuisse. Fauet Villalpandus *in Apparat. Vrbis, & Templi lib. 3. c. 14.* vbi non solum Essenos ex Rechabitis ortum duxisse affirmat, sed etiam Melchiam quendam, de quo *2. Esdræ c. 3.* dicitur ædificasse (tempore videlicet Esdræ, & Nehemiæ) portam Ierusalem appellatam *Sterquilinij*, vocat Rechabitam, & Principem Essenorum, ac portam illam portam Essenorum. Ex quo manifestè deducitur hoc tempore fuisse Essenos in Iudæa, iuxta ipsius opinionem. Maximè etiam fauet Boulducus *lib. de Eccles. ante legem c. 17. §. & certè Zorobabel,* vbi ait tempore Zorobabelis cœpisse plus solito honorari, & reuereri Institutum Essenorum ob singularem sanctitatem, & antiquitatem, quod satis indicat nostram sententiam. Villalpandum etiam imitatur Nicolaus Lombardus eiusdem Instituti in *2. lib. Esdræ c. 3. vers. 14.*

18 Id etiam suadet, quod cum è captiuitate redeuntes Iudæi cum Zorobabele, & Prophetis Aggæo, & Zacharia, præsertim Dei cultum promouere, populum in lege Domini instruere, eamque sicut primitus inuiolatam custodire desiderarent, nullo aptiori, seu congruentiori medio id assequi possent, quàm huiusmodi Essenorũ Congregationis restauratione, cum illi essent diuino cultui assidui, (propterea enim Assidæi vocati à pluribus creduntur) populi instructores, & diuinæ Legis integerrimi obseruatores. Accedit quod hoc eodem tempore reuersionis Babylonicæ Iudęi Synagogam magnam, idest Concilium veluti generale Ierosolymis habuerunt, cuius quasi Principes numerantur Zorobabel filius Salathielis, Iesus, Nehemias, Suadetur.

Sa-

Saraias, Rahabias, Mardochæus, Balsan, Maspar, Begoas, Rahum, Baanas. In eo autem proculdubio de disciplina, & instructione populi rudis, qui ex Gentilium commercio multa praua dogmata imbiberat, tractarunt, ac perinde operæ pretium fuisse decreuerunt, vt huiusmodi Assidæorum, seu Essenorum Collegium, seu Congregatio excitaretur ex Rechabitis vetustioribus.

19 Confirmat intentum ex S. Epiphanio non inefficax desumptum argumentum. Ipse enim *hæres.* 10. 11. *&* 12. satis clarè habet apud Samaritas fuisse aliquos Essenos hoc tempore reædificationis Templi per Esdram, & Nehemiam factæ. Huiusmodi verò Esseni Samaritæ etsi non sanæ fidei credantur ex eo, quod in Iudaicis festiuitatibus celebrandis à cæteris Iudæis discreparent, proculdubio ad instar aliorum eiusdem Instituti orthodoxorum inter Iudæos Ierosolymæ, & in alijs ciuitatibus cõmorantium erant. Ex quo manifestè sequitur Essenorum Ordinem ab hoc tempore fuisse, modo superius explicato.

20 Quod autem efficaciter arguit hac tempestate erectam, vel restauratam fuisse hanc Essenorum, seu Assidæorum piam sectam, illud est, quod hoc etiam tẽpore Pythagoras, qui circa 70. Olympiadẽ, quæ his annis correspondet, viuebat, eadem fermè via, eademque viuendi ratione, qua illi vtebantur, suos discipulos instruebat. Hac enim de causa Iosephus *lib* 15. *Antiquit. c.* 13. Munsterus *in lib.* 5. *Gorionidis c.* 23. Essenos eundem viuendi modum, quem Pythagoræi apud Græcos, inter Hebræos obseruasse aiunt. Cum autem constet ex Iosepho *lib.* 1. *cõtra Appionem*, Hermippo insigni historico ab eo ibidem relato, Numanio *in lib. de bono*, Origene *lib.* 1. *cõtra Celsum.* D. Ambrosio *lib.* 1. *epist.* 6. & pluribus alijs, specialiter Serario *Trihæresio lib.* 3. *c.* 4. Pythagoram cum Iudæis conuersatum fuisse, ab eisque præclara non pauca dogmata, quæ suis discipulis impertiri poterat, didicisse, manifestè conuincitur hoc circiter tempore Essenos claruisse, & ex ijs suam doctrinam Pythagoram mendicasse. Id verò quam euidens sit ex collatione eorum, quæ Essenis propria esse docuerunt Iosephus *lib.* 2. *de bello Iudaico c.* 7. *&* *lib.* 18. *Antiquit. Iudaic. c.* 2. & Philo *in lib. quod omnis probus liber sit*, *&* *lib. de vita contemplatiua*, ac alii cum eis, in quibus Pythagorici etiam exercebantur liquidò innotescet; nec diminutioribus obseruantijs sermonem texemus, quas ad alium locum commodiùs tractandas, relinquimus, sed de grauioribus, ijsque, quæ instituti notæ certissimæ esse possunt. Primò ergo Esseni castitatis obseruantissimi erant. De quo Iosephus *lib.* 2. *de bello c.* 7. inquit *Nuptias quidem fastidiunt.* & *lib.* 18. *antiquit. c.* 2. sic: *Vxores non ducunt.* Philo

Pythagoræ institutum.

Simile Essenorum.

In castitate.

im

in dicto libro: *Castitatem in tota vita perpetuam*, scilicet seruant. Porphyrius *in* 4. *lib. de rerum animatarum abstinentia apud Eusebium Praeparat. Euangelic. l.* 9. *c.* 3. sic: *A voluptatibus abhorrent tanquam à scelere, continentiam, & cupiditatum victoriam virtutis loco ducunt*. Plinius *lib.* 5. *c.* 17. haec: *Gens* (Essenorum) *sola, & in toto orbe praeter caetera mira sine vlla faemina omni venere abdicata*. Solinus *cap.* 36. *Nulla ibi faemina: venere se penitus abdicarunt*. Volaterranus *lib.* 11. *in Calesyria, & Palaestina: Omnes primum veneris expertes, quippe qui remoti à faeminis degunt*. Baronius *in Apparatu* §. *sed antequam caetera, & num.* 58. Sotus *in* 4. *dist.* 30. *quaest.* 2. *ar.* 1. Vellosillus *in aduertent. ad S. Ambros. quaest.* 13. §. *dubium duplex*. Medina *cap.* 2. *quaest.* 108 *art.* 4. §. *vt tamen*. Drussius *de tribus sectis Essenorum lib.* 4. *c.* 22. & alij. Hoc tamen de vna eorundem Essenorum classe intelligenda docet idem Iosephus loco relato ex *lib.* 2. *de bello Iudaico*. Altera enim, quam ipse vocat *aliud Collegium*, propter humani generis propagationem vxores ducebat. In hac autem castitatis obseruantia similes illis fuisse Pythagoricos conijcitur ex Iustino *lib.* 20. & Cicerone *lib. de senectute*; vbi eorum doctrina circa carnales voluptates coercendas commendatur.

21 Deinde paupertatem sectari, diuitiasque contemnere adeo Essenorum proprium erat, vt (mirum dictu!) vitam communem obseruarent, facultatesque omnibus communes haberent. Vnde Iosephus *lib.* 2. *de bello Iudaico c.* 7. de illis. *Diuitiarum contemptores sunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur, neque inuenias alterum alteri opulentia praestare, legemque sibi dixerunt, vt qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent. Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel diuitiarum dignitas appareret, sed permixtis facultatibus velut inter fratres vnum esset omnium patrimonium*. Item inferius: *Designatos autem communium rerum procuratores habent, & ad vsus omnium singulis indiuisos*. Clariùs idem Iosephus *lib.* 18. *antiquitat. Iudaic. c.* 2. sic: *Omnes illis opes in medio sunt, & ab eis omnia communia possidentur, nihil amplius inter illos ditior fruitur, nihil pauperior defraudatur*. Plura etiam de hoc in Philone *in lib. quod omnis probus sit liber, & lib. de vita contemplatiua* de Essenis contemplatiuis agente, Philiastro *in catalogo* Niceta Choniate *lib.* 1. *Thesaur. Orthodox. fidei c.* 56. Abulensi *q.* 113. *in c.* 3. *Matthaei*. Arboricensi *lib.* 2. *de sacro caelibatu* & Serario *in Tribaeres. l.* 3. *cap.* 4. *num.* 10. 11. 13. & 33. vbi etiam, quod nec consanguineis aliquid dare sine Curatorum licentia illis liceret, quod & voti paupertatis indicium est, vt habetur ex Basilio Legionensi *l.* 3. *de matrimonio c.* 3. & aliis. Imò ipsa communis vita paupertatis votum arguit, prout colligitur ex Bellarmino *l.* 2. *de Monach.*

In paupertate.

nach. cap. 20. & Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 17.

Porphyrij verba. 22 Porrò prætermittenda non sunt, quæ Porphyrius loco relato de hac vita omnino communi Essenorum scripta reliquit, his verbis: *Diuitias aspernantur, admirabili omnium inter sese rerum communione coniuncti, vsque adeo, vt neminem, qui alterum opulentia superet, inuenire possis. Lex enim apud illos est, vt qui hoc vitæ Institutum profiteri velint, suas ij facultates ad communes sodalitatis vniuersæ rationes conferant, atque ita nec in quoquam egestatis humilitas, nec immodica vis opum, ac fortunarum appareat, sed potius confusis, ac permixtis singulorum inter se rebus, vna omnium sit tamquam fratrum, eademque possessio.* Et infra: *Communibus suffragijs rei communis Procuratores creant, nulloque omnium discrimine, quod cuique opus est, æqualiter suppetit.* Audiant hæc, et mirentur seculi nostri Regulares, communis vitæ rationem à Summis Pontificibus, & Concilijs sibi præscriptam in Essenorum Instituto viguisse, vt vel ex eo discant feruentiori prosequi amore, quod à tot seculis inualuisse cernunt. De eo etiam Drussius *d cap.* 22.

23 Hoc vero in Pythagoricis etiam reperiri admirata est antiquitas. Sic enim de ipsis narrant Laertius, & Iustinus. Gellius quoque *lib.* 1. *c.* 10. hæc: *Id quoque prætereundum non est, quod omnes simul, qui à Pythagora in cohortem illam disciplinarum reperti erant, quod quisque familiæ, pecuniæque habebant, in medium dabant, & coibatur societas inseparabilis.* Vide & dicta *sub anno* 3515.

Pythagoræorum commu. nis vita.

Essenorum obedientia. 24 Obedientiæ quoque, & obseruantiæ maiorum addictissimos Essenos fuisse, quasi propria ipsorum tessera conspiciebatur. De illis enim idem Iosephus dicto *lib.* 2 *de Bello Iudaico* sic: *Veneratio quoque apud eos magna legislatoris est.* Et rursus: *Senibus quoque obedire, & plurium quoque decreto probabile arbitrantur officium.* Item: *Nihil sine præcepto faciunt Curatoris.* Philo etiam in dicto libro: *Senioribus iuniores debitam curam, honorem, reuerentiam exhibent, tanquam germani filij.* Idem amplectitur ex Iosepho, & Solino Serarius *in Tribæresio lib.* 3. *c.* 4. *n.* 37. ac ex Philone Arboricensis *to.* 2. *de tuend. sac. cælib.* & ex Abraham Zacuth Drussius *c.* 22. relato. Cæterum Pythagoricos hoc etiam genus viuendi ad superiorum suorum nutum sibi assumpsisse diximus ex Iamblicho Pythagoræ vitæ scriptore *sub anno* 3515: & videri potest in Laertio, & alijs, de ipso, eiusque discipulis historiam texentibus.

Pythagoræorum.

Dei cultui addictissimi Esseni. 25 Præterea Dei cultum præ hominibus alijs sectatos fuisse Essenos. Sic Iosephus *de Bello Iudaico* loco adducto, quem sequitur ferme eisdem verbis Porphyrius supra relatus: *Præcipue circa Deum Religiosi*

ligiosi sunt. Vnde ante prandium (inquit ipse) *voce cibum Sacerdos antevenit, neque gustare quemquam fas est, nisi prius Deo celebretur oratio*. De fine autem prandij sic: *Nam & cum incipiunt, & cum desinunt, quasi datorem victus Deum laudibus canunt*. Item *de antiquitatibus Iudaic. lib. 18. cap. 2. Esseni*, ait, *ad Deum cuncta redigunt*. Philo etiam *in lib. quod omnis probus sit liber*, sic: *Essei à sanctitate dicti, quia summa religione Deo seruiunt*. De quo & Drusius eo *cap. 22.* Hoc autem suo ethnico more etiam æmulabantur Pythagorici, prout ex vitæ Pythagoræ Scriptoribus, Iamblicho, Laertio, & alijs satis desumi potest.

26 Silentij etiam obseruantiam apud Essenos valde viguisse compertum est, cum Philo *in lib. de vita contemplatiua* loquens de Theoricis Essenis in conuiuio adstantibus dicat: *Silentium maius, quam antea, ita vt ne mutire cuiquam liceat, aut respirare vehementius*. Et Iosephus *de Bello* loco adducto dicat: *Ante solis ortum nihil prophani loquuntur*. Et de cœnaculi loco: *Ibi cum silentio residentibus*. Et de alijs locis: *Neque verò clamor vnquam tectum illud, neque tumultus inquietat, cum etiam loquendi ordine alij alij cedant, eorumque silentium extra tectum constitutis arcanum quoddam videatur venerabile*. Quibus prorsus similia in Porphyrio relato. Pro quo etiam Drusius *eo cap. 22.* Essenorum silentium.

27 Pythagoricos autem hanc quoque silentij formam arripuisse notissimum cunctis est. Cui enim quinquennale Pythagoræum silentium ignotum? Adeo sane in eo obseruando laborabant, vt propterea ipsos *silentio* eruditos Gellius *lib. 1. c. 9.* vocet, & Ouidius *l. 15. Metamorph. Cœtusque silentum*. Idem imitabantur Pythagoræ alumni.

28 Nouitios etiam antequam ad societatem admitterent Esseni, quanta cautione experirentur, aliqua Drusius supra ex Abraham Salmaticensi. Sic eos probabant ex Iosepho vt supra: *Per annum integrum extrinsecus commoranti, cuique eumdem victus ordinem tribuunt, dolabellam quoque, & quod prædictum est, perizoma, & albam vestem tradentes*. Et postea: *Duobus annis alijs mores eius probantur, cumque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur*. Vnde Solinus. *cap. 36. Nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur*. Iosephum sequitur Porphyrius adductus eisdem ferme verbis. Sed hunc quoque tyronum probandorum ritum à Pythagoræis receptum ex Gellio, & Laërtio elicit Serarius relatus. Lege & Laurentium Landtmeter *de vet. cleric. Monach. victu, & disciplina lib. 2. cap. 5.* Nouitiorum probatio apud Essenos. Idem apud Pythagoricos.

29 Albis præterea vestibus indutos fuisse Essenos Iosephus *lib. 2. de Bello cap. 7.* sic habet: *Squallorem decorem putant, dummodo semper* Albarum vestium vsus.

in

in veste sint candida, Porphyrius etiam relatus: *Perpetuum candidæ vestis vsum honori ducunt*. Vnde hanc candidam vestem nouitijs post annum tribuebant, eodem Iosepho, vt vidimus, testante. Hinc inter Essenorum dogmata Sixtus Senensis *in Bibliotheca sancta lib. 2.* hoc refert: *Albis vtendum vestibus*. De quo plura Drusius *d. cap. 22.*

Item apud Pythagoræos. Quem etiam morem obseruasse Pythagoræ alumnos diximus *sub anno 3515.* ex Iamblicho, & Scutellio.

Essenorum Cœnobia. 30 Habuisse itidem Essenos plura sui Instituti cœnobia, vbi plures morabantur, sic describit Philo *in Apologia pro Iudæis*: *Incolunt* (inquit) *multas Iudææ vrbes, multos vicos magnos, numerososque hominum cœtus*. Item Iosephus *de bello Iudaico* loco relato: *Non est* (inquit) *illis vnica ciuitas certa, sed in singulas multi domicilia transferunt*. Et inferius: *In singulis autem ciuitatibus ex eodem Collegio specialis*

Et Pythagoricorum. *curator hospitum constituitur*. Sic etiam Pythagoræ asseclas deguisse diximus loco relato, & fauet Iustinus dicens: *Trecenti ex iuuenibus sodalitij iure sacramento quodam nexi, separatam à cæteris ciuibus vitam exercebant*.

Fœminæ Essenæ. 31 Tandem non solùm viros, sed etiam fœminas huius Instituti Esseni sectatores esse testatur Philo *in lib. de vita contemplatiua*, vbi loquens de Essenis contemplatiuis, eos vocat *Therapeutas*, & *Therapeutides*, hoc est, *Curatores*, & *Curatrices*, & iterum de illis: *Separatis virorum, & mulierum cœtibus, nam mulieres quoque simul auscultant ex more duntaxat, qua Institutum idem sectantur*. Vbi etiam quomodo istæ fœminæ cum viris se haberent, sic narrat: *Adhibentur mensæ fœminæ quoque, anus pleraque, sed virgines, non coactæ castitatis, sicut apud Græcos quadam sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cuius studio per totam vitam contempserunt voluptates corporis, nimirum diuinæ, non mortalis prolis cupidæ, quam solæ Deo charæ animæ ex seipsis pariunt, excipientes pro semine intelligibiles patris radios*. De queis etiam alia prosequitur, & inter ea, quòd ad imitationem chori Moysis, & Mariæ eius sororis *hic Therapeutarum Therapeutidumque chorus compositus ex mixtis ad graues virorum, acutis fœmineis vocibus concinne temperatus, concentum reddit suauissimum, vereque musicum*.

Pythaghoricæ fœminæ. Pythagoræ autem sectam etiam fœminas fuisse secutas narrant Laertius, & Iustinus, & ex ipsis Serarius relatus.

Hoc tempore clari Esseni. 32 Ex ijs autem, vt ea quæ superius diximus, repetamus, clarè habetur, hoc tempore vel circiter, Essenos, saltem sub nomine, & ritu speciali claruisse, vel clarescere cœpisse. Cum enim apud omnes constet Pythagoram, qui hac etiam tempestate florebat, à Iudæis sua dogmata, ritumque viuendi sumpsisse, necessum est affirmare Essenos

senos, qui vnicè, & duntaxat inter Iudæos hanc Instituti rationem obseruabant, iam tunc extitisse, vt affirmari possit à Iudæis mendicatam esse. Cohæret etiam hoc cum eis, quæ ex Iamblicho, Scutellio, Eugubino, & Lippomanno *sub anno* 3515. diximus, in Carmelo videlicet philosophatum fuisse Pythagoram. Hinc eundem Pythagoram Essenorum sectatorem appellat Boulducus *de Ecclesia ante legem lib. 1. c. 1. §. praeterea Graeci*. Qui etiam *lib. 2. cap. 17. §. certe*, Pythagoræos ait eiusdem fuisse Instituti, ac Essenos, idque probat ex Herodoto, Strabone, Laertio, & Iosepho, ac ex pluribus, in quibus illi conueniebant. Item *lib. de Eccles. post leg cap. 9. §. De Sacramento Baptismi*, expresse ait Pythagoram Essenorum vitam professum fuisse; quod & repetit *eodem cap. §. vltimo*. Pythagorei Essenorum sectatores.

33 De etymologia porro nominis *Esseni* (quod secundo loco examinandum proposuimus) multa Serarius *in Trihæresio lib. 3. cap. 1. & 2.* vbi ex duodecim, quas affert, hanc sibi maximè probat, vt à sanctitate sumatur, à verbo videlicet Hebræo *Chasid*, quod est *sanctus*, Græcè *Hosius*, ita vt duritate vocis mollita sit *Asseus*, vel *Esseus*, seu *Essenus*. Ita etiam habet Philo *in Apologia Iudaeorum, & in libro, quod omnis probus sit liber*, quem alij sequuntur. Boulducus autem *lib. 1. de Ecclesia ante legem cap. 14.* cum Essenos, & Enoscenos eosdem credat, ex eadem origine deriuari contendit. Est & alia eiusdem nominis etymologia, quam ex eo recipiendam credimus, quia sinceriùs & clariùs originem suam demonstrat, etsi in antiquis auctoribus non reperiatur: ea vero est, vt Esseni, seu *Essei* quasi Elisæni ab Elisæo sint dicti. Ita enim habet Enriquez nostri seculi grauis auctor *in to. 2. summæ lib. 12. cap. 5. in glossa in littera B*, quem sequuntur perdoctus Pater Thomas de Iesu *de varijs regulis Carmelitarum par. 1. c. 1. §. Pro quo recolenda*, Ioannes Carthagena *to. 4. homil. homil. pro Carmelit.* & Honuphrius Manescal. *to. 1. Concion. in Concion. B. Mariæ de monte Carmelo*. Qualiter autem hæc nominis etymologia rei veritati cohæreat, quod ex Elia, & Elisæo originem Esseni habuerint, in sequentibus dicemus. Robur etiam accipit ex eo, quod iuxta dicenda *n. 36.* Esseni successores fuerunt Ierichuntinæ habitationis ab Elisæo constructæ, vt propterea mirum non sit ab ipso denominationem hausisse. Nominis Esseni etymologia.

34 Nunc de ritibus, formaque viuendi, vitæuè Institutione Essenorum agendum restat. Sed quia de ijs aliqua iam diximus, plura etiam in sequentibus, maximè Tomo secundo dicemus, eaque fermè omnia in Iosepho, Philone, & Porphyrio locis relatis, ex quo alij desumpserunt, habentur, ab eis modò supersedendum censemus, aliquibus duntaxat prænotatis pro historiæ nostræ copiosiori luce. Essenorum ritus.

Voto, vel iuramento firmati.

35 Primum (ex quo etiam quarto , quod promisimus tractandum , satisfiet) eos ritus; formæque viuendi Instituta, quæ Esseni obseruabant , voti alicuius , iuramentiuè vinculo (quod idem est , vt habet Sanchez *lib. 3. Summæ c. 9. n. 11. & cap. 13. n. 1.*) adstrictos custodisse pro comperto est . Constat enim id primò ex D. Hieronym. *in epist. ad Eustochium*, vbi loquens de sui tempore Monachis, qui sine dubio voti vinculo astricti erant : *Tales* , inquit , *Philo Platonici sermonis imitator , tales Iosephus Græcus Liuius in secunda Iudaicæ captiuitatis historia Essenos refert* . Secundò ex Iosepho *lib. 2. de Bello Iudaico c. 7.* vbi loquens de Nouitij probatione, inquit ea finita ad societatem ipsorum admitti , præmisso tamen iuramento de obseruantijs Instituti illorum adimplendis . Sic enim habet : *Cumque dignus apparuerit , tum demum in consortium admittitur . Priùs verò quam incipiat commune m habere cibum, magnis execrationibus adiurat se primum quidem colere Deum , deinceps quoque erga homines seruare iustitiam, & neque propria sponte nocere cuiquam , neque ex præcepto obesse , quinimo iniquos omnes odisse , & collaborare semper iustitiæ sectatoribus , fidem omnibus seruare , &c.* Et infra : *Super hæc autem addunt nihil se de dogmatibus, quam ipsi susceperint tradere , & conseruatum ire dogmatis sui libros* . Deinde post alia subdit : *His quidem execrationibus explorant , & quasi præmuniunt accedentes* . Et infra: *Illis quidem sacramentis ac ritibus obligatus , &c.* Quibus sanè ritus Instituti Esseni iuramento firmatos esse ab asseclis ostendit. Sed clariùs Iosephi intentum exprimit Cedrenus *in Compend. Histor. in Claudio Imperatore* , vbi loquens de Essenis , & iuramento eorum, qui ad illud Institutum admittuntur, inquit : *Iurant huic diuinæ Religioni vnicè vsque ad sanguinem se pie, ac reuerenter operam nauaturos.* Eadem ferme Georgius ille Peccator Græcus auctor supra relatus sic : *Quem* (scilicet nouitium) *ante omnia terribili iurisiurandi vinculo constringunt . Primò , vt Deum colat , &c.* & post alia, quæ iurare dicitur, hoc addit : *Diuinæ huic Religioni , & Instituto vnice vsque ad sanguinem operam nauet* . Quo omnes ritus, & obseruantias Instituti iuramento firmari denotat . Fitque hoc satis credibile, cum constet etiam Pythagoræ discipulos, qui sua mutuabantur ab Essenis, vt dictum est, simili iuramento obstringi solitos esse . *Trecenti*, inquit Iustinus, *ex iuuenibus , sodalitij iure , sacramento quodam nexi , separatam à cæteris ciuibus vitam exercebant* . Recipiunt etiam hoc Essenorum iusiurandum , seu votum Beauxamis *in Harmon. Euangel. to. 1. ad c. 3. Mahttæi, Luc. 3. et Marci 1. fol. mihi 135.* Suarez *3. tom. de Relig. lib. 6. c. 1. n. 3.* Serarius *in Trihæresio l. 3. cap. 4. & in Mineruali l. 3. cap. 6.* & apud ipsum R. Abraham, Zacuthus, & Drusius

Ex Iosepho.

Ex aliis.

sius sectarius. Maximè id confirmat Porphyrius relatus, ipsorum iuramentum referens, quod inter alia dicit esse *constantis, & integræ fidei erga Præsides*, per quod & obedientiæ votum indicari videtur, prout modò dicemus.

36 Pariter etiam ex Solino *in sua historia c.36.* hoc Essenorum votum, saltem respectu castitatis obseruantiæ, confirmari potest. Dicit enim: *Nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequitur.* Vbi per castitatis fidem intelligi videtur promissio illius: iuxta phrasim enim Sacræ Scripturę Genes. 44. ad Rom. 3. maximè 1. *ad Timoth.* 5. fides significat votum, seu promissionem, vt ostendunt Vvaldensis *in Doctrinal. fidei lib. 3. art. 2. cap. 22. num. 4.* & contra Lutherum Bellarmin. *lib. 2. de monachis cap. 24* ac Suarez *to. 3. de Relig. lib. 9. c. 1. n. 18.* Vnde ipse Bellarminus dicto *2. lib. c. 5.* Essenos Theoricos (quos eosdē fuisse cū aliis, etsi strictioris, & rigidioris obseruantiæ alibi ostendemus) professionē castitatis habuisse affirmat. Baronius quoq; id confirmat *in App. ad Annal. § sed antequam,* in fine; vbi ex eo S. Iosephum Deiparæ sponsum virginitatē vouisse sibi persuadet, quòd Pharisæi ad tempus, & Esseni per totam vitā id obseruarent. — Ex Solino præcipuè.

37 Roboratur etiam hoc ex Plinio *lib. 5. c. 17.* de Essenis dicente vixisse *omni venere abdicata,* quod exponere visus est Sixtus Senēsis in Bibliotheca: *Ab omni prorsus coniugio per omnem vitam abstinebant.* Hoc enim denotat aliquale votum, tum quia continentia perpetua voti signū est, tū argumento Legis *Solutū non videtur § si in sortem ff. de pigneratitia actione.* Accedit & Robertus Arboricensis, qui *tom. 2. de tuendo sacro cælibatu* loquens de Essenorū continentia dicit, quòd erat *qualis est, quæ Ordini Monastico congruit.* Erat ergo voto vtcumque firmata. — Item ex Plinio.

38 Ex quo etiam ad aliud, quod examinandum promisimus, accessum habemus. Colligitur enim ex dictis Essenos fore appellandos veluti Religiosos veteris Legis, seu Testamēti, eo tamen imperfecto Religionis modo, quo Lex illa, quæ *Hebræor.* 7. nihil ad perfectum adduxit, & quæ Christi expectabat plenitudinem, capax erat. Si enim, vt præmissum est, obedientiam paupertatem, & (quidam illorum) castitatem ex iuramento (quod voti vim habet) obseruabant, sane quicquid ad Religionis normam petitur, & prout in ea Lege poterat esse, illorum status continebat. Accedit quod de Rechabitis diximus *sub anno 3159.* cum enim Esseni illorum velut filij, posteri, & eiusdem cum illis Instituti fuerint, eodem & pari Religiosorum titulo potiri debent. Vnde eorum Institutum *Religionem* appellant Cedrenus, & Georgius Peccator *num. 31.* relati. Sic etiam Philastrius *de hæresibus* sic: *Esseni sunt, qui Monachorum vitam exercent.* Cassanæus *in* — An appellari possent Religiosi. — Quid de Rechabitis.

Catalogo glor. mundi par. 4. *consider.* 53. sic: *Essei ferè in omnibus vitam monasticam ducebant*. Sixtus Senensis in Bibliotheca: *Nec multum Christianis Monachis absimiles*. Iacobus Bergomensis *lib.* 8. *circa annum Christi* 30. *Vitam monasticam tenent*. Scaliger *in suo de emendat. tempor. opere l.* 6. inquiens, quòd *Esseni, & Assidæi ab instituto vitæ, & Religionis* sint dicti. Serarius *in Triharesio lib.* 3. *c.* 10. cùm quæsiuisset: *Possunt ne Esseni Monachorum, aliorumque Christianorum Religiosorum inchoatores, & exemplaria quadam censeri?* Respondit: *Possunt sane, cum generatim, tum speciatim. Generatim quidem, dum ea, quæ in Religiosorum statu præcipua sunt, seruabant, egregiam erga Deum religionem, eiusque causa corporis animæque castitatem, voluptatum fugam, paupertatis studium, facultatum omnium communionem, etsi quæ similia: speciatim verò, dum nonnulla, quæ præ alijs certi adamarunt Religiosi, vsurparunt, vt hospitalitatem, silentium, iuuentutis eruditionem*. Affert etiam Drusium sectarium dicentem: *Esseni cultores pietatis, & religionis, quos Galli Religiosos appellant*, & Hugonem Brohugtonum *in concentu* aientem: *Tertia inter Iudæos secta fuit Essenorum, qui monachis non absimiles*. Adde & Dauidem Chytræum *in Onomastico suo Theologico* dicentem, Essenorum sectam ferè monasticæ vitæ imaginem referre. Clariùs Solinus *sub anno mundi* 3893. *n.* 48. sic scribens: *Assidæi autem sicut & Esseni Religiosi erant illorum temporum, sicut & filij Prophetarum*. Legatur noster Beauxamis *in Harmonia Euangel. to.* 1. *in c.* 3. *Matthæi*, vbi de nouitiatu, votis, & monachismo Essenorum agit, & qualiter ab ipsis monachatus cœperit, de quo nos latiùs Tomo sequẽti. Item Boulducus *de Ecclesia post Legem c.* 14. §. *iam superuacaneum*, vbi Essenos, quos ipse Enoscæos appellat sub Religiosorum nomine comprehendit, & obedientiam, paupertatem, ac castitatem *adhibito voto* obseruasse dicit. Idem Medina *l.* 2. *q.* 108. *ar.* 4. 6. *vt tamen eos veteris Testamenti monachos* appellat. Consonat Arboricensis *tom.* 2. *de sacro cœlibat.* dum eos ait: *Insignis fuisse continentiæ, qualis est, quæ Ordini monastico congruit*. Et *tom.* 1. *notab.* 8. in eis cerni dixit *vniuersam monachismi panopliam suis absolutissimis coloribus ornatam*.

Quid sentiant Sectarij.

39 Maximè tamen ex dictis elici potest huiusmodi Essenos Ordinis Prophetici, prout ab Elia instituti alumnos fore appellandos. Hoc namque suadet primò etymologia nominis ipsorum, quod ab Elisæo desumptum diximus: ex hoc enim elicitur Institutum quoque illorum ab hoc Propheta emanasse, medijs videlicet Rechabitis, qui ab eo illud immediatè acceperunt, vt diximus *sub anno* 3159. Deinde di probant dicta *sub eo anno* de Rechabitis, vbi inter filios Prophetarum esse recensendos ostendimus. Cum autem, vt antea diximus,

Ordinis Prophetici alumni Esseni.

mus, Esseni Rechabitarum posteri, soboles,& progenies sint, ex ipsis ortum habentes, & viuendi ritum modo superius dicto mendicantes: clarè proinde infertur eos omnes eiusdem Instituti Prophetici asseclas esse dicendos. Id etiam certò patebit animaduertenti eamdem fermè vitæ rationem, & obseruantias in filijs Prophetarum, qui certissimi fuerunt Eliani Instituti Professores, ac in Essenis reperiri, quo pro comperto erit vnius scholæ fore compellandos discipulos. Hoc autem ex mutua vtriusque Instituti collatione manifestè constabit. Primò enim sicut filios Prophetarum tria illa præcipua religiosi status munia, obedientiam, castitatem, & paupertatem, voti etiam vinculo, quale in veteris Legis statu esse poterat, obstrictos obseruasse *in Apparatu c.4.* affirmamus; sic & de Essenis superiùs dictum manet. Non omnes illos cælibatum seruasse, sed plerosque vxores duxisse *sub anno* 3140. asseruimus; quod de istis etiam dicendum, quæ ex Iosepho adduximus, confirmant. Quosdam ex filijs Prophetarum in vrbibus habitasse, quosdam verò in eremis, Carmelo videlicet, & alijs, sæpius in superioribus inculcauimus, præsertim *sub anno* 3154. Essenos autem simili viuendi forma vsos constat ex Philone, & Iosepho locis relatis. Conueniebant Prophetarum filij singulis diebus ad *Seunion*, seu Oratorium Carmeli Deo laudes, & hymnos concenturi, iuxta scripta *sub anno* 3128. conueniebant, & Esseni in sua *Semnea*, quæ vel ipso nomine similia loca denotant, ad non absimile pietatis exercitium peragendum, prout ex Philone *in lib. de vita contemplatiua* desumitur. Erant inter Prophetici Ordinis asseclas quidam veluti Patres, & Magistri, qui cæteros vt filios, & discipulos Legem Domini, & monasticam disciplinam docerent, vt Ioannes Ierosolymitanus *in lib. de instit. Monachor. c.* 11. scriptum reliquit. Erat & inter Essenos hoc idem Instituti genus, vt Philo docuit *in lib. quod omnis probus sit liber.* Numerosos cœtus filiorum Prophetarum, præsertim Eliæ, & Elisæi temporibus, fuisse, quæ in superioribus attulimus, manifestè confirmant, sic Essenorum numerum ingentem, & copiosum valde fuisse vel ex vno Iosepho traditur, qui *in lib.* 18. *antiquit. c.* 2. supra quatuor millia ipsorum refert. Prophetico spiritu illustratos sæpius fuisse Eliæ discipulos crebrius in superioribus admonuimus, vt vel in vno vel altero Elisæo, Michæa, Iona, & alijs perspicitur. Hoc etiam cælesti dono decoratos quandoque fuisse & Essenos constat ex Iosepho *lib.* 2. *de bello Iudaico c.* 1. & ex Porphyrio tum loco relato, tum apud S. Cyrillum *lib.* 5. *aduersus Iulianum.* Idem habet Cedrenus supra relatus de eis asserens, quòd *diuino nutu, atque gratia etiam futura prauideant.* De quo Serarius *in Triharesio lib.* 3. c. 4.

Propter tria cuncta Religiosis.

Propter mansiones.

Commune Oratorium.

Quidam Patres, alij filij.

Numerosi cœtus.

Aliqui Prophetæ.

c.4. Subiungens: *Huiusque rei exempla sunt apud eumdem Iosephum illustria in Iuda Esseno lib.13.c.19.lib.1.captiuitat.c.3.Manaemo itidem Esseno lib.15.c.13.* de quibus & nos suis locis dicemus. Fuisse prætereà inter Eliani Instituti sectatores etiam fœminas diximus *sub anno* 3297. Pariter inter Essenos fœminas fuisse num. 27. dictum est, quarum *eadem est conuersatio* (inquit Cedrenus.) dixerat autem de viris: *Vatum priscorum æmulantur, atque imitantur vitam.* Rursus: *Sacras litteras legentes Philosophiam paternam exercent.* Idem ergo & istæ fœminæ (quas vocat virgines non coactas, sed *ex instituto bono*) faciebant. Demum quemadmodum filijs Prophetarum veluti proprium erat albis pallijs vti, iuxta dicta *sub anno* 3204. sic & Essenis, vt dictum est supra *num.* 25.

Successio in eundem locum. 40 Nec minus efficaciter huiusmodi Essenorum Institutum à filijs Prophetarum originem traxisse roboratur ex successione in eumdem locum. Quemadmodum enim domorum, & familiarum successio ex eiusdem fundi, prædij, aut palatij possessione aptè comprobatur; sic Essenos filiorum Prophetarum successores fuisse congruè ex eiusdem loci habitatione conijcitur. Nunc ad intentum. Elisæum filijs Prophetarum casulas iuxta Iordanis fluenta construxisse, ex sacra Scriptura 4.*Reg.*6. & dictis *sub anno* 3145. manifestè habetur. Hunc vero locum ad Essenos postea deuenisse clarè habet Genebrardus *lib.1.Chronolog. circa ann.mundi* 3272. non obscurè indicans etiam Elisæi Instituti successores esse: *Elisæus* (inquit) *construxit cellas Prophetis in Ierichuntis solitudine, manauit institutum, & loci religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi ab Essenis habitatum hominibus continentiæ incredibilis.* Eadem fermè Iacobus Zeglerus *in descript. Palæstinæ in monte Adumim* (quem dicit esse portionem montis Engaddi) *fol.*38. (liber editus est Argentorati 1536 & extat in Bibliotheca Vaticana *sub num.*4450. sic dicens: *In huius solitudinis parte sedit Eliahu Propheta, & Eliasab construxit cellas Prophetis. Manauit institutum, & loci religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi habitatum ab Essenis, hominibus incredibilis continentiæ.* Item Guillelmus Postellus *in lib. Cosmograph. in descript. Syriæ*. Fauent ijs Auctoribus quantum ad hoc, quod asserunt de habitatione Essenorum in Engaddi, Plinius, & Solinus in superioribus relati; ex illis autem nostrum fulciri intentum manifestum est.

Testimonium Philonis. 41 Grauium tandem Auctorum testimonijs ipsum roboratur intentum, quod scilicet Esseni Propheticum, & Elianum sectarentur Institutum, ex quibus Philo *lib.illo relato de vita contemplatiua* de Essenis Theoricis agens, dicit: *Versantes enim sacra volumina dant*

ope-

operam Philosophiæ, per manus accepta à maioribus, scrutando eius allegorias. Deinde *habent etiam priscorum commentarios, qui huius sectæ auctores multa reliquerunt monumenta de allegorijs huiusmodi, ad quorum imitationem se accommodant.* In quibus verbis certum est illud *Philosophia*, denotare vitam veluti religiosam, & Propheticam; valde enim vulgare est apud Patres, & Auctores antiquos, vt *Philosophiæ nomen* Monasticum Institutum designet, vt videre est in Sozomeno *in histor. tripartita lib. 1. c. 11.* & pluribus alijs, quos retuli *in Apparatu c. 5. n. 16.* Illud etiam *per manus accepta à maioribus*, satis indicat loqui de illa vita instar Religiosæ, quæ à Prophetis Elia, Elisæo, & discipulis emanauit, nulla enim alia in veteri Testamento erat, quæ per traditionem ad ipsos deriuari posset. *Sacra* autem illa *volumina* proculdubio sunt libri veteris Testamẽti à Prophetis editi, quos prius appellauerat *Prophetarum oracula diuinitus prodita*. Cum vero dicat *scrutando eius allegorias*; & Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Institut. Monach. c. 23. & sequentibus* asserat ex illis verbis 3. *Reg.* 17. ad Eliam dictis: *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in Torrente Carith, qui est contra Iordanem*, hausisse Eliam (in sensu sanè allegorico) vitæ veluti Religiosę normam, quam ipse discipulis communicauit, bene conijcitur hanc, & similes in alijs Prophetis allegorias scrutatos esse Essenos. Vnde illa, quæ subiunxit Philo: *Habent etiam Priscorum commentarios, &c.* innuunt satis volumina illa sacra commentarijs illustrata fuisse *à priscis huius sectæ Patribus*, ad quorum imitationem ipsi se accommodare studebant. Confirmat hanc expositionem id, quod prosequitur Philo, videlicet: *Itaque non solum contemplantur, sed etiam cantica, hymnosque in Dei laudem componunt vario metrorum carminumque genere rythmis concinnatos in augustiorem ac religiosam speciem.* Cum enim mos iste hymnos, & cantica Deo psallendi à Prophetis, Elia præsertim (vt constat ex Ioanne Ierosolymitano *de Instit. Monachor. c. 10. & 11.*) propagari cœperit, denotatur sane eorum Institutum æmulatos fuisse Essenos. Confirmat etiam eamdem expositionem, simulque intentum Nicephorus *lib. 2. hist. Ecclesiast. c. 16.* vbi tractans hunc locum Philonis, & ipsius mentem circa eosdem Essenos sic explicat, dicens illos *vitam Propheticam flagranti, atque feruenti fide meditari, atque æmulari*. Quæ verò est hæc vita Prophetica, quam meditari, & æmulari studebant Esseni, nisi ea, quam Elias, Elisæus & filij Prophetarum coluere? Idem habet Cedrenus loco relato dicens: *Vatum priscorum æmulantur, atque imitantur vitam.* Et infra: *Sacras enim litteras legentes Philosophiam paternam exercent.* Vita autem *priscorum vatum*, & *Philosophia paterna* quid

Idem Philo

Nicephori testimonium.

quid aliud denotare potest, nisi Eliæ, & filiorum Prophetarum Institutum? Fauet Porphyrius loco relato, sic de illis scribens: *Hoc igitur ex Instituto, & continenti veritatis, pietatisque studio, mirum profectò non est existere plurimos rerum etiam futurarum scientia præditos, quippe qui à pueritia cùm sacris litteris, tum varijs lustrationibus, Prophetarumque dictis assiduè, atque diligenter informantur, vt rarò admodum suis in prædictionibus illos à vero aberrare contingat?* Fauet & Sozomenus *in histor. tripartita lib. 1. cap. 11.* vbi de Monachis, & eorum institutione loquens, inter quos reponit Essenos à Philone relatos, huius Philosophiæ, idest, religiosæ viuendi normæ auctores refert (etsi ex aliorum placito) Eliam, & Ioannem Baptistam. Fauent quoque illi Patres, aut Doctores, qui Monachos omnes, præsertim Ægypti, & Palæstinæ (inter quos etiam ipsi Esseni recenseri debent) ab Elia, Elisæo, & filijs Prophetarum originem ducere tradunt, quos retulimus *in Apparatu c. 5.* Vnde expresè & clarè Essenos Eliæ sectatores fuisse tenent ex nostris Ioannes Palæonydorus *de antiquit. Carmelit. lib. 1. c. 5* Didacus Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 1. cap. 7.* Thomas de Iesu *in Regulam Carmelitar. par. 1. cap. 1. §. Pro quo recolenda.* Franciscus à Sancta Maria *in Historia Prophetica*, præsertim *l 3. c. 13.* Michael Muñoz *in Propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 2. c. 2. art. 6. n. 16.* & alij. De exteris autem Iacobus Salianus *sub anno 3893. n. 48.* dum expresè ait: *Esseni Religiosi erant illorum temporum, sicut & filij Prophetarum.* Ergo erant Eliæ discipuli. Adrianus Adrianius Iesuita *in lib. de vit. Monastic. Orig. c. 2.* vbi eos ex *filijs Prophetarum* esse, & *meliores Eliæ, & Elisæi discipulos* vocat. Item Iacobus Boulducus *de Ecclesia ante legem l. 1. cap. 3. §. Qui gestus*, clarè docens Eliam fuisse Patrem Essenorum. Ioannes Carthagena *4. tom. Homil. l. 17. Homil. 2. obiect. 8.* post verba Nicephori relata, vbi Essenos *vitam Propheticam* æmulatos esse descripserat, subiungit: *Quæ est igitur hæc vita Prophetica, nisi ea, quam Elias, & Elisæus, filijque Prophetarum coluere?* Item Ascanius Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. disput. 2. q. 1.* dum Essenos, & filios Prophetarum *communem viuendi rationem obseruasse* dicit. Dominicus Grauina *in libro de voce Turturis par. 2. cap. 15.* sic: *Permanserunt verò hi Prophetarum filij vsque ad tempora Apostolorum, ex Eusebio. Successerunt eis illi, qui supra Eliæ institutiones alijs supererogauerunt, forte ab Elisæo Propheta eorum Magistro, & Auctore acceptas, hi fuerunt Esseni, &c.* Accedit Honuphrius Manescal *tom. 1. concion. in concion. B. Mariæ de monte Carmelo*, vbi loquens de Eliæ Religione, inquit: *Continuata est per Prophetarum filios, aut per eos Religiosos, qui Esseni, vel Elisæni ab Elisæo appellati sunt.* Optimè etiam vir doctissimus Aubertus Miræus

Aliorum.

Nostratum, & aliorum.

in

in tractatu de Origine Carmelitar. sic dicens: *Nec Palæstinæ, Syriæque tantum finibus Cælestis institutio circumscripta est; in Ægyptum enim temporis excursu lectissimæ gentis colonia (quos Essenos nuncupabant) deducta sunt, vt Eliæ inuocatione Alexandria quoque clarescerer. Quidquid enim Orientis, Austrique primores, quorum genere Monachorum cætus gloriantur, tradidere: quidquid etiam ab Oriente in Occidentem extat inuectum, non minima ex parte Institutionis Eliæ quædam expositio & ad nationes diuersas coaptatio est.*

42 Scrupulus tamen dirimendus restat circa hos Essenos, de quibus in præsenti diximus, & alibi, maximè secundo Tomo, si Deus concesserit, dicemus; an scilicet veri, boniique Catholici tempore Legis veteris fuerint, an verò alicuius hæresis nota digni. Et, vt patet, sermo est de illis pro statu Mosaycæ Legis ante Christum: nam de ipsis tempore Euangelicæ Legis dicto secūdo Tomo commodiùs differemus. Et quidem hæreticos in Synagoga fuisse plura sunt, quę si solum primo aspectu intueamur, id suadere videntur. Primum, quòd eorum Institutum *secta* sæpius, immo & aliquando *hæresis* nuncupatur. Nomen enim sectæ illi tribuunt Philo *in libro de vita contemplatiua*, Porphyrius supra relatus, Oecumenius *in Actuum Apostolorum cap.* 22. Dauid Chrytræus *in Onomast.Theolog.* & alij plures. *Hæresis* autem nomine appellatur à Iosepho *Antiquitat.Iudaic.lib.* 13. *cap.* 8. & *lib.* 18. *c.* 2. *in titulo capitis*. Secundum, quia S.Epiphanius *hæresi* 10. Essenos facit genus Samaritanorum, qui hæretici erant. Tertium, quia idem Epiphanius *Hæres.* 19. Ossenos ait Iudæos fuisse, ac hæreticos. Quartum, quia de ipsis S.Nilus *in Ascetico in princip.* sic: *Habuerunt quidem mores similes moribus Monachorum, sed quia fide in Christum caruerunt, nihil eis profuerunt sancti mores*. Quintum, quia teste Iosepho *lib.* 18. *antiquit.cap.* 2. à communi Templo Ierosolymitano arcebantur, & sacrificia seorsim peragebant. Sextum, quia sacrificijs à Deo institutis suas anteponebant lustrationes, vt colligitur ex eodem Iosepho. Septimum, quia Solem tanquam Deum precabantur. Octauum, quia fato tribuebant omnia, vt colligitur ex eodem Iosepho 13. *antiquit. cap.* 8. Tandem, quia similes erant Pythagoricis, in quibus plures errores cernebantur, vt colligitur ex Origene *lib.*6.*ad Roman.* S.Hieronymo *ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos*, & alijs.

An boni Catholici.

Nomina sectę & hæresis.

Ex Epiphanio

Ex Iosepho.

43 Sed quis prudenter credat viros à tota antiquitate, Philone videlicet, Iosepho, Porphyrio, Eusebio, Sozomeno, Nicephoro, Hieronymo, & alijs commendatissimos, & laudatissimos inter hæreticos censeri? Quis putet illos, de quibus Bergomensis *in supplement.*

Esseni commendatissimi & laudatissimi.

Chro-

Chronic. circa ann. Christi 30. dixit: *Nec inhonestus sermo vnquam de illis in Historijs habitus est*, hæretica fuligine tinctos? Quisue existimet infideles, quos tam pijs moribus instructos fuisse constat, vt de illis Volaterranus relatus hæc asserat: *Hi praditti memorabili disciplina, à moribus gentium reliquarum absunt.* Et infra: *Ex æquo Iudicis conuenarum turba renascitur, tam fœcunda illis aliorum vita pœnitentia est, nemo admiratur, vel leuis culpa sibi conscius?* Quis etiam illos, quos Baronius *tom. 1. in Apparat.* §. *Tres*, sic commendat: *Vita moribus fuisse conspicuos omnes vno ore fatentur*, hæresis nota inurere præsumat? Quisue autumet eos, qui propter eximiam sanctitatem Monachorum Legis nouæ Duces, & Antesignani iudicati sunt, vt secūdo Tomo ostendemus, sana fide caruisse? Quis vnquam de sancta Assidæorum Congregatione, qui iidem cum Essenis erat, vt *sub anno* 3847. probabimus, mali aliquid vel suspicari potuit? Deinde si tales fuerunt, quomodo à Christo, vel ab Apostolis, Pharisæorum, Scribarum, vel Saducæorum instar, cum eo tamen tempore, & loco vigerent, reprehensi non fuerunt? Abscedat ergo talis existimatio, nec turpissimam hæreseos notam ijs inuramus, quos facili negotio vindicare possumus. Pro quo vel vnus Serarius *in Triharesio lib. 3. cap. 5*: ex quo plura mutuau imus, sic: *Neque quod sciam veterum vllus est, qui turpissimam ijs hæreseos notam inurat, quin à multis valde, prout partim vsque vidimus, partim, si, vt spero, annuerit postea votis Dominus, videbimus, laudantur, neque vnquam à Christo Domino, Pharisæorum vel Saducæorum instar, vel ab Apostolis reprehensi, cum eo tamen vigerent tempore, & loco.* Si quis porrò ijs non contentus adhuc desideret Essenorum Institutum ab erroris labe vindicari, adeat Abulensem *in cap. 22. Leuit. q. 7 & in cap. 3. Matth. q. 63.* Cornelium *in c. 10. Numer. vers. 29.* §. *Denique*, & Adrianum Adrianium eiusdem Iesuiticæ familiæ *in lib. de vit. Monastic. Orig. cap. 2.* vbi Essenos *sanctitate claros viros* compellat.

Catholici.

Secta, & hæresis, quid importent.

44 Primum ergo, quod in contrarium adducitur, leuissimum est, cum apud doctos valde compertum sit, *hæresis*, & *secta* nomen etsi apud Christianos in malam semper partem accipiatur; *hæresis* quidem pro doctrina falsa, & erronea pertinaciter retenta, & *secta* pro multitudine hominum, qui tali doctrinæ obstinatè adhærent, hoc enim sensu tota Ecclesia loquitur de *hæresis* & *secta* nomine, & de *secta* in ea acceptione est sermo *ad Galatas* 5. & 2. *Petri* 2. apud prophanos tamen auctores *hæresis* accipi solet in bonam partem pro ea opinione, quam sibi quis eligit, vt apud Tullium *in Præfat. Paradoxorum*, Galenum *in lib.* quem scripsit *de hæresibus*; Laertium & alios. Similiter *secta* nomē in bonam quoque partem pro hominum instituto,

turo, formaque viuendi sæpius vsurpatur, vt apud Tullium *in Verrem, & in claris Oratoribus*. Quid nunc mirum, quod Essenorum Institutum *heresis*, vel *secta* ab aliquibus appelletur?

45 Secundum ex Epiphanio maius negotium facessere potest, siquidem Suarez *3. tom. de relig. lib. 3. c. 1. n. 13.* propterea dicit non credi Essenos habuisse veram, & sanam fidem, ac per consequens nec veros Religiosos fuisse, sed neutrum verum est, vt diximus. Epiphanium autem non loqui de nostris Essenis, sed de alijs, ait Serarius vt supra; at non explicat quales ij fuerint. Liberius loquitur Scaliger apud eumdem Serarium *in Minerual. lib. 5. c. 7.* dicens: *Essenos quod in Samaritis posuerit Epiphanius, neque causam scio, neque si sciam, probare possim.* Et postea: *De Essenis Samaritarum omnino dissentimus ab eo.* Nihilominus aliquo fundamento ea dixisse S. Epiphanium vel reuerentiæ ergô ad tantum Patrem dicere debemus. Illud vero (vt credimus) sumendum est ex ijs, quæ sæpius in hoc Tomo inculcauimus, videlicet Samaritanorum regionem à tempore, quo Ieroboam cum decem tribubus à Iudæ regno, & Rege Roboam filio Salomonis separatus fuit, regnum Israëlis constituens, ferme semper veluti schismaticam permansisse, summo Sacerdoti Iudæorum rebellem, & à sãcta Ciuitate, & Templo Domini, quod in ea erat, exclusam; vt proinde Ieroboam Rex, ne populus eam ob causam cõtra ipsum rebellaret, duos aureos vitulos pro Dijs adorandos in Dan, & Bethel collocauerit, populum ad Idololatriæ crimen impellens. Magna proinde ex parte populus Israelitarum ab eo tempore Idolorum cultui addictus veram Iudæorum religionem deseruit. Ne tamen fratribus Iudæis in Ierosolyma, & Iudæ Regno existentibus inferiores apparerent, cuncta quæ apud illos erant, simiarum instar imitari curarunt. Pro veri namque Dei cultu, falsorum Idolorum adorationem; & pro vero, & vnico Dei Templo Ierosolymitano sua illa delubra, & excelsa elegerunt. Sic pro veris Dei Sacerdotibus, pseudosacrificos, & pro veris Prophetis, falsos & fallaces retinentes; contra quos maxime pseudoprophetas plura Elias, Elisæus, Michæas, & alij, vt in superioribus visum est, peregerunt. Cum autem postea Essenorum Institutum inter Iudæos vigere cœpisset, Samaritani ipsorum æmuli falsos sibi alios Essenos, sicuti falsa Templa, & sacrificia, falsos Sacerdotes, & Prophetas habere voluerunt; ad modum, quo in Regionibus schismaticis Christianorũ pseudo-Episcopi, pseudosacerdotes, & pseudomonachi (etiam eiusdem nominis cum veris alijs, videlicet S. Basilij, S. Antonij, Pauli, &c.) reperiuntur. De his ergo pseudo-Essenis loquitur S. Epiphanius dicta *heres.* 10. eos inter

Epiphanius loquitur de Essenis Samaritis.

Qui erant isti.

Essenorum simiæ.

ter hæreticos recensens, eo videlicet solùm, quod in celebratione festiuitatum à Iudæis dissentirent, tum propter euitandum transitū illorum, qui per Samaritas eo tempore transire volebant, tum in odium Esdræ, & Neemiæ, qui post reditum ex Babylone noluit eos admittere, vt cooperatores ad Templi ædificationem, vt colligitur ex ipso Epiphanio *hæres.* 10. & 11. Ex quo clarè elicitur omnes alios Essenos per orbem dispersos veros fideles fuisse, nec à Iudæis in eo dissensisse, cum rationes, ob quas Esseni Samaritæ id fecerint, in alijs Essenis nullatenus procedant. Vnde ipse Epiphanius *hæres.* 29. alios Essenos cum Philone commendat, & vt Posseuinus *in Apparatu sacro littera I, in Iosepho Flauio* notat S. Epiphanius illa *hæres.* 10. de Essenis Samaritis dumtaxat loquitur. Ecce iam ad propositum tam infirmū sumi argumentum ad probandum Essenos fuisse hæreticos, ex eo quod Esseni Samaritæ tales essent, ac si simili modo diceretur: Aliqui Monachi S. Basilij cognominati, qui sunt modò inter Græcos & Armenios, sunt schismatici, ergo Monachi S. Basilij sunt schismatici. Vtraque enim consecutio futilis est. Id autem ex eo etiam roboratur, quia cum certum sit Samaritanos propter plures errores, quos habebant, infensos valde fuisse Iudæis, ita vt semper verum fuerit illud Ioannis 4. *v.* 9. *Iudæi non coutuntur Samaritanis*. Nihilominus apud omnes semper quoque compertum fuit Essenos valde charos fuisse Iudæis, & apud illos magno pretio, & æstimatione habitos, vt vel ex encomijs, quibus eos illustrant Philo, & Iosephus, constare poterit. Euidens ergo signum est Essenos à Samaritanis distingui, ac per consequens Essenos illos pro hæreticis ab Epiphanio habitos pseudo-Essenos fuisse, solo nomine cum alijs conuenientes, de quo iterum redibit sermo *sub anno* 3608. *n.* 11.

Infirmum argumentum.

Samaritæ pseudo-Esseni.

Osseni diuersi ab Essenis.

46 Tertium etiam valde debile est. Osseni enim illi Iudæi, quos sanctus Epiphanius dicta *hæres.* 19. inter hæreticos censet, nullatenus Esseni erant, vt probat Serarius *in Trihæresio lib.* 3. *cap.* 5. & sequitur Vvastelius *in vindic. lib. de instit. Monachor. Ioan. Ierosolymit. cap.* 8. §. 8. nec dissentiunt Drussius, & Scaliger apud ipsum in Mineruali *lib.* 5. *cap.* 7. idque euidenter constabit intuenti ea, quæ de Ossenis refert idem Epiphanius, & de Essenis Philo, Iosephus, & alij auctores. Vnde & in hoc deficit Suarez, *vt supra n.* 12. vir aliàs doctissimus, dum minus scitè Ossenos cum Essenis confundere videtur.

Quarti, & quinti solutio.

47 Quartum quoque ex S. Nilo petitur, vel solum de Essenis Samaritis accipiendum; vel si de alijs, solùm de aliquibus ipsorum, qui ante Christum viuentes, ipsius doctrinam, ac Euangelium amplecti renuerunt, prout Franciscus de S. Maria in *sua Apolog. par.* 2. §. 11.

§.11.n.99.tuetur. Nec id mirum; etsi enim Esseni præcipuè inter alias Iudæorum sectas Christum amplexati fuerint; ipsorum tamen aliqui in Iudaismo persistere maluerunt, prout ex Philiastro approbat Baronius *tom.1.sub anno* 64. §.*Verus*. Quintum verò argumentum vel solum de huiusmodi Essenis Samaritis probat, propter rationes adductas, vel esto quod alios tangat, ita vt apud illos talis mos esset, non propterea vt hæretici damnandi; cum Philo, nec Iosephus id faciat; & forsan humilitatis, paupertatis, solitudinisue amore, vel hominum frequentiæ fugiendæ, aut alia simili pia causa, quam ignoramus, ita facere posse opinabantur, quod est credendum. Adde quod credibilius est, locutum fuisse Iosephum de illis Essenis, quos ipse suo tempore nouerat, qui cum magna ex parte Christiani essent, iure à Templo Iudæorum, eorumque ritibus abstinebant, vni vero Eucharistico Sacrificio à Christo instituto incumbentes. Ita Richardus Hall. *in Tract. de propriet. Monachor. c.*4.

48 Illud de adoratione solis, quod pro sexto afferebatur argumento, minoris ponderis est. Quis enim pijssimos, prudentissimos, & in sacræ Scripturæ libris versatissimos inter Iudæos viros Idololatras fuisse credet? Quis talia ipsis appinxit scelera? numquid Iosephus? Sed is de illis *lib.2 de bello Iudaico c.*7. hæc habet: *Præcipue circa Deum religiosi sunt*: non ergo adorant creaturas. Postea: *Namque ante solis ortum nihil prophani loquuntur*. Ecce Religiosum silentium, quod vsque ad præsens tempus obseruat Carmelitana Religio, cui ex Regula præceptum est silentium obseruare *vsque ad primam dictã sequentis diei*. *Sed ei quadam patria vota celebrant, quasi vt oriatur precantes*. Hoc sic explicat Philo *in libro de vita contemplatiua*, loquẽs de Essenis Theoreticis: *Quotidie bis precari solent, mane ac sub vesperam: oriente sole petentes diem felicem, vtque mentes eorum cœlesti repleantur lumine*. A quo? sane à Deo. Propterea Iosephus non dixit *Precantes* absolutè; sed *quasi Precantes*. Vnde illud *ei patria quędam vota celebrant*, proculdubio non est aliud, nisi quod ipsi per prosopopœiam loquerentur Prophetarum priscorum more dicentes cũ tribus pueris fornacis Babylonis: *Benedicite Sol, & Luna Domino*. & cum Dauid *Psal* 148. *Laudate eum Sol, & Luna*; quod & facit tota Ecclesia in laudibus matutinalibus. Fortassis etiam orabant versis vultibus ad Orientem, quod moris fuit etiam Christianorum. De quo, & alijs ad intentum Serarius *in Tribęresio lib.*3.*c.*4.& Franciscus à S. Maria *in Histor. Prophet. lib.*3.*c.*9. Quibus nos iungimus Cedrenũ relatum, de illis dicentem: *Preces & Psalmorum cantum à media nocte ad lucem vsque Deo religiosè, ac cum grauitate offerunt, eo facto quisque*

Quid de adoratione solis.

Philo.

quæ ad suum munus à præside dimittitur. Vbi est iam illa Solis adoratio? Omittimus creaturæ adorationem, non vt creatura est, sed vt aliquid Dei, & diuinitatis vestigium, à pluribus Theologis recipi, ac proinde etiamsi hoc modo in Essenis Solis adoratio cerneretur, Idololatriæ condemnari non possent.

Fatum Essenorum quale.

49 Eiusdem ponderis est septimum argumentum relatum, ex eo desumptum, quod omnia fato tribuisse videntur Esseni, vt colligitur ex Iosepho *lib. 13. antiquit. c.* 8. vbi sic: *Genus Essenorum omnia sub fato esse confirmat, & nihil esse, quod hominibus non illius decreto proueniat*. Nomine enim fati non intelligit Iosephus seriem aliquam astrorum, aut causarum secundarum liberum arbitrium hominis tollentium; sed firmam, & constantem Dei voluntatem, omnia creata gubernantem, & ad suos fines dirigentem, iuxta modum naturæ cuiusque, libera liberè, & necessaria necessariò, quemadmodum optimi Theologi docent. Quod primò colligitur ex verbo illo *decreto*, quo vtitur; hæc enim Dei efficax voluntas *decretum* à Theologis appellatur. Secundò, ex ipso nomine *fati*, quod in proprijssima sui significatione à verbo exoleto *for faris* deriuatum significat id, quod est dictum, prolatum, aut decretum. Tertiò, ex ipso Iosepho 18. *antiquit. c.* 2. dicente: *Esseni autem ad Deum cuncta redigunt*, nomen ergo fatum Dei voluntatem in præsenti denotat. Tollitur tandem omne dubium circa hoc ex *lib. 6. Apostolicarum Constitutionum c. 6.* vbi cum dictum esset aliquos fuisse, qui fato omnia tribuebant, subiungitur: *Ab his omnibus segregarunt se Essei, qui patrios ritus seruant*. Esseni ergo catholicè sentiebant, & non ethnicè de fato. De quo Serarius, & Franciscus à S. Maria *vt supra*. Vide & Sixtum Senensem in Bibliotheca sancta *lib. 2.* vbi de fato, quod ponebant Esseni, loquens, illud vocat *Dei voluntatem*.

Quomodo similes Pythagoreis.

50 Pariter vltimum illud de Pythagoricis facilè reijcitur. Etsi enim ipsi ab Essenis plura proba acceperint, vitio tamen suo è suo captu alia praua eligentes, dum dicunt *se esse sapientes, stulti facti sunt*, vt inquit Paulus *ad Rom.* 1. Quorum errorum culpa in Essenos cur referatur? Sic solent hæretici ex Ecclesiæ limpidissimis fontibus plura bona dogmata haurire, quæ tamen cũ alijs è suo cerebro confictis nouitatibus cõfundunt, absq; eo quod Ecclesia illarũ causa censeatur.

Quid de loco animarum.

51 Quomodo tandem sine veræ fidei præiudicio accipienda sit doctrina eiusdem Iosephi, dum loquitur de ipsis Essenis *lib. 2. de Bello c. 7.* circa locum animarum piorum hominum post mortem, dicemus commodiùs inferiùs, dum de Iuda Machabæo, & Assidæorum Principe loquemur.

Annus

Annus mundi 3556. ante Christum 497.

1 RAT hic annus quadragesimus solutæ captiuitatis Babylonicæ, prout numeranti ex anno 3517. quem primum libertatis fuisse diximus, manifestè patebit. Quià nobis debuit sigillatim recenseri propter ea, quæ Genebrardus *lib. 2. Chronolog. sub anno mundi* 3638. ex Talmud *tractat. Baba Batbra c. 1.* refert, videlicet post destructum Templum à Prophetis sublatam fuisse Prophetiam, & datam Legisperitis. Insuper ex auctore libri *Cosre* cessasse Prophetiam quadraginta annis post reditũ ex exilio Babylonico, qui huic anno vel sequenti correspondet. Refert etiam Torniellus *sub anno mundi* 3540. *num.* 4. similem Hebræorum traditionem asserentium in hoc secundo Templo Ierosolymitano, quod hoc tempore renouabatur, defuisse inter alia donum Prophetiæ. Quæ omnia quomodo intelligenda inuestigemus, præsertim cum historiæ nostræ extranea non sint, vt iam videbimus. An sublata Prophetia à Iudæis.

2 Diximus ergo traditiones has, vt iacent, falsas esse, & sine illo fundamento. Et primò priorem mendacissimam esse (verè Talmudicam) ex eo conspicitur, quòd adhuc post destructum Templum Prophetæ Ieremias, Ezechiel, Daniel, & alij spiritu Prophetiæ à Deo donati sunt, vt vidimus in superioribus; nec posterior magis vera. Ratio est, quia hoc tẽpore adhuc in viuis creduntur esse Zacharias, & Aggæus Prophetæ, nec est aliquid, quod cogat ad asserendum priuatos à Deo fuisse Prophetiæ dono, esto nihil circa hoc scriptum reperiatur. Secundo, & præcipuè, quia Malachiam, & Esdram, siue vnus siue duo homines fuerint (de quo alibi) post hoc tempus prophetasse constat. Tertiò, quia, vt constabit ex dicendis in hoc Tomo, alijs quoque hoc donum à Deo collatum fuit post hæc tempora. Etenim Iudas Essenus tempore Ioannis Hircani circa annum 3920. Prophetiæ spiritu claruit, vt eo tempore dicemus. Item Manahemus seu Manachemus Essenus quoque Herodis senioris æuo, de quo *sub anno* 3988. ac Simon etiam Essenus, de quo similiter *sub anno* 4061. dicetur. Traditiones non veræ.

3 Quo ergo sensu affirmari poteſt ab hoc tempore cessare incepisse Prophetiam inter Iudæos? certè non alio, vt putamus, nisi quia Prophetæ non erant inter illos tam ordinarij, publici, & solemnes, sicut primitus, prout in simili dicemus, cum de Malachia Propheta in sequentibus sermonem instituemus. Quibus iungitur, ex eo An cessauerit Prophetia.

etiam dici posse ab hoc tempore cessasse Prophetiam in populo Dei, quia nomen *Prophetæ*, quod communiter, & vulgariter omnibus piè, & veluti religiosè viuentibus in Ordine Prophetico Eliæ iuxta dicta *sub anno* 3184. & præcipuè *in Apparatu c.2.* concedi solitum erat, veluti commutatum fuit in nomen Esseni vel Assidæi, illis in posterum regulariter concessum. Hoc enim tempore, vt diximus, Essenorum Institutum sub speciali nomine, & ritu propagari incepit. Si quis autem congruentiorem de hoc attulerit rationem, libenter ei acquiescemus. Diximus regulariter, quia aliquoties hoc *Prophetæ* nomen etiam post hoc tempus aliquibus eiusdem Instituti professoribus tributum est, vt constabit ex dicendis.

Anni mundi 3557. vsque ad 3567. ante Christum 496. vsque ad 486.

S. Scripturæ silentium.

1 E his annis nihil Sacra Historia prodit, vt proinde nihil etiam nostris Annalibus de Prophetici Ordinis rebus, præter dicta addere debeamus. Plura enim alia ad Romanos spectantia, quæ Annalistæ referunt, vtpote nobis extranea in Dionys. Halicarnasseo, Liuio, & alijs scriptoribus legenda dimittimus.

Pythagoræ mors.

2 De Pythagoræ tamen morte, quod is aliquandiu cum nostris Carmeli Eremitis in eo monte commoratus, & philosophatus fuerit, iuxta dicta *sub anno* 3515. & ab Essenis eiusdem Prophetici Ordinis alumnis multa didicerit, vt diximus in præcedentibus, aliqua referenda sunt. Eam sub hoc tempore contigisse plurium sententia est. Primò etenim Marianus Scotus *in Chronic.* sub Consulibus App. Claudio Sabin. & P. Seruilio Prisco *sub anno* 3560. obijsse scribit; deinde Eusebius *in Chronic.* triennio ante, vltimo videlicet anno Olympiad. 70. qui correspondet anno 3557. id accidisse refert, Laërtius autem, & Suidas mortis eius tempus siluerunt, fortassis quia incertum erat. Illud certius circa hoc tempus contigisse, etsi annus ignoretur. Ac proinde verum esse id, quod in superioribus diximus, eum potuisse ab Essenis, vtpote qui ante ipsius mortem vigebant, plura dogmata, quæ discipulis communicare posset, didicisse; etsi ethnico more id gesserit.

Annus

Annus mundi 3568. ante Christum 485.

1 LIQVOT historia nostra digna annus iste continet. Primò, mortem Zachariæ Prophetæ, de quo *sub anno* 3533. diximus: eam enim sub hoc anno accidisse tenent Castro *lib. 4. de Prophetis c. 8.* & Salianus *sub hoc anno num. 1.* Chronicon breue Hebræorum secuti. Cēsuerunt plurimi eam à Christo Domino descriptam fuisse. *Matth. 23. v. 35.* illis verbis: *Vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter Templum & Altare.* Sed probabilius est eum Zachariam, de quo eo loco Christus, non fuisse istum, de quo in præsenti, & qui inter duodecim Prophetas minores nominatur, sed alium, qui tempore Ioas Regis Iudæ lapidibus obrutus à Iudæis fuit in atrio Templi Domini, iuxta dicta *sub anno* 3192. Hic ergo, de quo nunc, Zacharias naturæ necessitate in senectute bona obijt, prout innuunt Epiphanius, & Dorotheus, nec Iudæi à Babylonica captiuitate reuersi, malis, & ærumnis perpessis edocti, tam impij erant, vt illum occiderent, eo maximè tempore, quo de Templi renouatione; cultus Dei restauratione, & suæ Reipublicæ, ac populi instructione tractabant. Eius mortem Martyrologium Romanum cum reliquis Latinis in sextam Septembris diem referunt; Menologium verò Græcorum in præcedentem. Zachariæ mors.

2 Aggæi etiam Prophetæ mortem in hunc annum referunt relati Castro, & Salianus cum Hebræis; fuisse autem cum gloria, & honore sepultum Ierosolymis ex Epiphanio, & Dorotheo elicitur. Scribitur quoque eumdem cum Zacharia commune sepulchrum habuisse. Romanum Martyrologium pro quarta die Iulij eius & Oseæ obitum describit: Menologium verò Græcorum de Aggæo 17. Kalend. Ianuarij, & de Osea 16. Kalend. Octobr. Aggæi mors.

3 Post mortem Darii Hystaspidis Persarum Regis, suscepit hoc anno Xerxes patris Imperium. De quo Danielis illa Prophetia *c. 11.* habetur: *Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimijs super omnes, & cum inualuerit diuitijs suis, concitabit omnes aduersum Regnum Græciæ.* Quæ in hoc Xerxe famosissimo contigerunt, vt dicemus. Torniellus *sub hoc anno num. 1.* Xerxis Imperium.

Anni mundi 3569. vsque ad 3589. ante Christum 484. vsque ad 464.

Assidæorum Congregatio ex Essenis.

1 LTVM silentium, quod in his annis habemus in sacris Litteris, quibus nostrorum Annalium historia innititur, in causa est, quod de Ordinis Prophetici alumnis, eorumque gestis nihil noui proferri possit. Illud tamen verisimum, post mortem Aggæi, & Zachariæ Prophetarum, quos Essenorum Instituti sub illorum speciali ritu promotores fuisse existimamus, iuxta dicta *sub anno* 3545. in eo viuendi modo, quem ab eis acceperant, perseuerasse, cùm constet Assidæorum Congregationem, qui ex illis Essenis erant, in sacra Scriptura post plures annos *1. Machabaeor. 1. v. 42.* commemorari.

Xerxes Rex famosissimus.

2 Toto hoc tempore regnabat in Persidis Monarchia Xerxes Rex, vt diximus, famosissimus, vt propterea eius clarissima gesta iure referri mereantur. Primùm ille expeditionem fecit in Ægyptios, qui rebellauerant, eos subijciens, & in arctiorem, quam sub Dario fuerant, seruitutem redigens. Ingentem deinde exercitum contra Græciam, & Europam totam præparauit, qualem nulla hominum memoria, terra, marique simul congregatum vidit. Erant enim in pedestri exercitu plusquam 800. millia hominum, triremes 1200. hippagogæ, quæ sunt naues equis ducendis idoneæ 850. Alij aliter numerant, in tanto excessu, vt nec mare nauigijs, nec castris terra locandis sufficeret. Flumina ab exercitu siccata fuisse, & Græciam totam vix capere potuisse exercitum ab aliquibus dicitur. Tantis ergo copijs instructus Hellespontum ponte iungendum, Athonque montem perfodiendum destinauit. Circumducto inde per Thraciam exercitu, ad Thermaicum sinum peruenit, & loco, qui *Tempe* dicitur, Thessaliæ amœnissimo potitus est. Congressus tandem cum Græcis, infeliciter pugnauit, vt retrogredi cum magna iactura post aliquot tempus cogeretur. Illustrissimo sanè admodumque mirabili Regibus documento, ne in magnitudine diuitiarum, aut multitudine copiarum, sed in Deo vero suam spem reponant, qui superborum Principum colla propria virtute calcare solet. De hac mirabili Xerxis expeditione plura Herodotus, Eusebius, Diodorus Siculus, & alij.

Gesta ipsius.

Aristidis Atheniensis exemplum.

3 In gratiam voluntatiæ paupertatis, quam sectari omnes Religiosi profitemur, exemplum Aristidis Atheniensis hominis ethnici, qui circa hoc tempus, Plutarcho teste in eius vita, degebat, recensendum est. Is inuidia metu mixta, eo quòd cognomentum Iusti adeptus

ptus

ptus esset, Ostracismo in exilium pulsus est. Paupertatis adeo amator, vt cum Xerxes per legatos suos tria millia Daricorum ei obtulisset, eos reiecerit, negaueritque se, dum egena vita contentus esset, Persicas diuitias curare. Cum quondam Calliam quemdam reum sibi donari petijsset, atque impetrasset, isque vicissim non exiguam auri summam misisset, eo repudiato inquit: *Calliæ vita Aristidis paupertate indiget, sed paupertas Aristidis Calliæ opes contemnit*, indicans Calliæ nequitiam ex opum copia procedere. Videas Religiose Lector, quomodo spontanea paupertas etiam apud cæcos Gentiles pretiosissima erat. De hoc Plutarchus, & Suidas in *vita ipsius*.

Anni mundi 3590. & 3591. ante Christum 463. & 462.

1 ONTINENT duo isti anni nouum Persarum Monarcham, & populi Iudaici insignis Benefactoris Imperium. Is fuit Artaxerxes Longimanus appellatus, quod brachium dextrum altero longius haberet, Xerxis filius, & Estheris maritus, à sacra Scriptura dictus Assuerus. Etsi enim plurimæ, ipsæque inter se discordes sententiæ de hoc Rege reperiantur, placet tamen ista, quam tenent Seuerus Sulpitius *lib. 2. historiæ Sacræ*, Nicephorus Constantinopolit. *in Chronic.* Ludouicus Viues *in c. 36. l. 18. de Ciuitate*; Bellarminus *tom. 1. lib. 1. c. 7. fi.* & alij apud Salianum *sub anno* 3590. *n.* 10. cum quibus dicimus hunc Artaxerxem Longimanum fuisse Assuerum Estheris maritum, de quo in sacra Scriptura mentio habetur, potius id supponentes, quàm probantes, cum à prædictis auctoribus non leuiter factum conspiciatur. Artaxerxes Rex, Iudæorũ benefactor.

2 Huius autem Estheris historiam nostris Annalibus adijcimus, quia secundùm plurium placitum inter Prophetides, seu Prophetissas ipsa numeratur. Ita enim refert Genebrardus *lib. 1. Chronolog. circa ann. mundi* 3066. ex Hebræis *in Seder Olam c. 20. & 21.* quod & facit Ægidius Camartus *de rebus gestis Eliæ cap. 6. sect. 7.* Cum enim nihil Prophetasse, aut prædixisse referatur, videtur *Prophetissæ* nomen eò illi solùm concessum, quod Propheticum Institutum secuta fuerit, antequam saltem ad Assueri Regis connubium admitteretur, aliquo forsan specialiori modo vitæ, iuxta modũ *sub ann. mundi* 3497. à nobis designatum. Quod si hoc alijs non arrideat, ostendant, quo sensu *Prophetissæ* nomen ipsi adaptetur, nos enim libenter veritati acquiescemus. Interim in re obscura quod verosimilius est, inspicimus, Estheris historia.

mus, iuxta Regulam 45. *de Regulis iuris in 6.* & *l. in obscuris, ff. eodem.* Præsertim quia etiam inter Essenos fœminas ipsorum Institutum (quod hoc tempore iam vigebat) sectantes fuisse *sub anno* 3545. ostendimus.

Anni mundi 3592. vsque ad 3594. ante Christum 461. vsque ad 459.

Assueri conuiuium. 1 D solemnissimum epulum, quod *Estheris* 1. continetur, ex quo eiusdem Estheris cum Rege coniugium occasionem sumpsit, vocauit Assuerus sub hoc tempore (anno videlicet tertio regni sui, qui correspondet anno 3592.) Principes Persarum, & Medorum, & Præfectos prouinciarum, vt ostenderet diuitias Regni sui, magnitudinem, & iactantiam potentiæ suæ, ipsorumque animos sibi magis conciliandos, non vno, vel paucis diebus, sed totis centum, & octoginta continuis. Conuiuij locus Susa fuit vrbs Metropolis, & solium primarium Regni. Cumque implerentur dies conuiuij, in vltima nempe hebdomada, inuitauit omnem populum, qui inuentus est in ea ciuitate à maximo vsque ad minimum, & iussit septem diebus præparari in atrio hortorum Regis, quo plebei exciperentur, Magnificentia vt viri Principes intra ipsos hortos, & lucos, vbi delitiosissimi fontes, vmbracula, & innumeræ voluptatum illecebræ conspiciebantur, conuiuari possent. De loci porrò ornatu hæc prodit sacer textus: *Pendebant ex omni parte tentoria aërei coloris, & carbasini, & hyacinthini*; idest aulæa candida, viridia, & rubra, siue byssina, & hyacinthina, *sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant*, & columnis marmoreis fulciebantur. Cum autem antiquo ritu conuiuantes in mensis discumberent, ideo parati erant Diuitiæ. *lectuli aurei, & argentei super pauimentum smaragdino, & pario*, idest candido marmore, seu porphyretico diuersicolore *stratum lapide, quod mira varietate pictura decorabat*. Cibi porro, ac cibaria proculdubio tanto Rege, tantoque conuiuio digna erant. De potu verò sic sequitur textus: *Bibebant autem, qui inuitati erant aureis poculis*. Deinde: *Vinum quoque vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur. Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de Principibus suis, vt sumeret vnusquisque quod vellet*. Sacra Scriptura *Esth.* 1. Expositores *ibidem*, & Iosephus *lib.* 11. *antiquit.*

2 Accidit postea id, quod in humanis rebus etiam iucundissimis fre-

frequentissimum est, vt extremum gaudij huius solemnissimi conuiuij luctus Vasthi Reginæ, eiusque repudium occuparet, Deo sic prouidente, vt Esther ipsius loco ad Regis connubium vocaretur. *Cum enim Rex* (inquit textus) *esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset vino, præcepit septem Eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent Reginam Vasthi* (quæ simile conuiuium fœminis in Palatio Regis fecerat) *coram Rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis, & Principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde.* Ea verò vel superbia ducta, vel honestatis ostentandæ causa *renuit, & ad Regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat, venire contempsit.* Iratus autem Rex, & nimio furore succensus, consilio à sapientibus accepto, Vasthi Reginam repudiare, alteram pro illa quærere, & edictum consilij sui per totum Imperium diuulgare decreuit. Quærentibus ergo virgines inuenta est inter eas Esther Hebræa adolescentula pulchra nimis, & decora facie, quæ mortuis parentibus sub Mardochæo in filiam adoptante manserat. Tradita itaque est cum alijs Egæo Eunucho ad custodiam. Cui valde placens meruit ab ipso septem puellis speciosissimis de domo Regis honestari, & decentissimo ornatu, ac cultu tam pro se, quàm pro pedissequis honorari. Degebat ergo in domo regia virginum electarum vsque ad septimum annum Imperij Assueri, qui correspondet anno 3596. Quo tempore quid actum sit, postea dicemus. Sacra Scriptura *Esther. 1. & 2.* Expositores *ibidem*, & Iosephus *lib. 11. cap. 6.*

Vocatur Vasthi Regina.

Renuit venire

Repudiatur.

Loco illius Esther.

Annus mundi 3595. ante Christum 458.

1 NOVVS Ordinis Prophetici alumnus Esdras sub hoc anno clarescere cœpit. Ita enim ex Eusebio *in Chronicis*, & Saliano *sub hoc anno num. 1.* habetur. Genus ipsius ab eo descriptum habemus *1. Esdræ 7.* vbi numeratis sexdecim ipsius progenitoribus ex Aaron, qui ex Tribu Leui erat, ab eo traxisse originem scribit. Erat etiam primarius Dei Sacerdos Babylone apud Iudæos ibi commorantes, vt bene Iosephus *lib. 11. antiquit. c. 5.* sicut Eliasib totius populi Iudæorum Ierosolymis Pontifex erat. Fuit quoque Legis Doctor, & Scriba doctissimus. Ita enim eum vocat Rex Artaxerxes, seu Assuerus in Epistola, quam ad eum scribit *1. Esdræ 7. v. 12.* Hic enim titulus eidē præfigitur: *Artaxerxes Rex Regum Esdræ Sacerdoti, Scribæ Legis Dei Cæli doctissimo salutem.* Quando ergo eodem *capite 7. v. 6.* vocatur

Esdras.

Ipsius genus.

Fuit Scriba.

Scri-

Scriba velox in Lege Domini, non significatur (inquit Salianus vt supra *n. 5.) eum amanuensem tantum fuisse, sed ad reliquam sapientiam etiam expeditam scribendi promptitudinem adiunxisse.* Vnde eodem Scribæ absolutè titulo eum vocant S. Hieronymus *in Prolog. Galeato*, Genebrardus *in Chronolog. l. 2. circa ann.* 3638. eum quoque primum Scribam appellans Serarius *in Triharesio lib. 2. c. 7.* Torniellus *sub hoc anno* Ægidius Camarthus *de rebus Eliæ cap. 10. sect. 1.* & alij. Propheta tandem fuit: hoc enim titulo afficitur 4. *Esdræ 1. v. 1.* qui liber, etsi canonicus non sit, reprobatus tamen non est. Vnde *Prophetam* eum cognominant Genebrardus, Torniellus, & Ægidius Camarthus relati, & fauet S. Augustinus 18. *de Ciuitate c. 36.* imò probabile est eũdem esse cum Malachia Propheta. Ita enim tradunt Hebræi, quos sequuntur S. Hieronym. *in proœm. ad Malachiam*, & sæpius in expositionis Prophetæ cursu, Remigius, Rupertus, Ribera, Figuerius *in Malachiam* referens vetustum manuscriptum vulgatæ Latinæ id affirmans, & Franciscus à S. Maria *in historia Prophetica lib. 2. cap. 42.* Addunt Torniellus, & Salianus satis probabile esse, vt magna propensio Regis Artaxerxis in ipsum ex eo orta fuerit, quòd Propheticè ei prædixisset, rerumque euentu confirmasset prosperum rerum suarum successum, si verum Deum coleret, & ab eo imploraret opem exemplo Cyri, & Darij Hystaspis aui sui.

Item Propheta.

Ordinis Prophetici asseclа.

2 Hunc ergo eximium, & clarissimum virum Prophetici Ordinis asseclam fuisse ex dictis haberi potest. Titulus enim *Prophetæ*, & *Scribæ*, quo decoratur, id sufficienter suadet, propter dicta *in Apparatu cap. 2.* præsertim *num. 4. & sub annis* 3184. & 3230. Quibus iungitur; quòd cum de ipso non referatur vxorem, vel filios habuisse, conijci datur cælibem fuisse, ac per consequens propius, & intimius ad idem Prophetarum Institutũ pertinuisse, quàm alij, qui cælibes non fuerunt. Vnde inter cælibes, & Eunuchos spirituales cum Elia ipsum refert Claudius Espinceus *lib. 1. de continentia c. 1.* Nec modò inter priuatos Prophetici Ordinis Professores recensendus est, sed inter præcipuos, primates, & excellentiores, vtpote Scribarum, & Assidæorum Congregationum Princeps, restaurator, & caput, iuxta dicenda. Hinc inter Eliæ alumnos eum referunt Coria *in Chronic. Carmelit. lib. 6. c. 25.* Franciscus à sancta Maria *vt supra*, & Michael Munozius *in propugnaculo Eliæ l. 2. tit. 1. c. 3. art. 2. n. 14.*

Quo anno natus.

3 Nec tanti viri annus natalitius silentio prætermittendus, etsi enim de eo nihil certi habeatur, nihilominus creditur annus 3556. fuisse. Ita enim probabile censent Torniellus, & Salianus *eo anno*, & sequũtur Franciscus à sancta Maria, & Munozius relati. In Perside vel

vel Babylone natum fuisse,sicut ibi commoratum probabiliter coniectari possumus. Sub hoc ergo anno 39. aut 40. annorum esset.

4 Cum autem in Regis amicitiam venisset,sanctitatis, doctrinæ & legum peritiæ opinione, vt ex Iosepho *lib.*11.*cap.*5.colligitur, vel quia veridicus Propheta ipsi demonstratus erat,vt diximus, vel vtraque de causa; legis, & populi Dei amore accensus Ierosolymam cum socijs proficisci,populum instruere,& quæ in moribus,vel cultu Dei deprauata erant, restaurare, à Deo inspiratus in animo suo disposuit. Quia tamen sine brachio Regis difficile erat tam ardua negotia aggredi, aut perficere, ipsius fauorem, & beneuolentiam in Domino Deo suo confisus postulauit, Rex autem, Deo inspirante, Esdræ precibus motus benignissimè epistolam, & decretum huius tenoris, prout 1.*Esdræ cap.*7. *v.*12.habetur de suorum consiliariorum sententia dedit: *Artaxerxes Rex Regum Esdræ Sacerdoti, Scribæ legis Dei cæli doctissimo salutem: A me decretum est, vt cuicunque placuerit in Regno meo de populo Israël, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis ire in Ierusalem, tecum vadat. A facie enim Regis, & septem consiliariorum eius missus es, vt visites Iudaam, & Ierusalem in lege Dei tui, qua est in manu tua: & vt feras argentum, & aurum, quod Rex, & consiliatores eius sponte obtulerunt Deo Israël, cuius in Ierusalem tabernaculum est. Et omne argentum, & aurum quodcunque inueneris in vniuersa prouincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus, quę sponte obtulerint domui Dei sui, quę est in Ierusalem, libere accipe, & studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia, & libamina eorum, & offer ea super Altare templi Dei vestri, quod est in Ierusalem. Sed et si quid tibi, & fratribus tuis placuerit de reliquo argento, & auro, vt faciatis iuxta voluntatem Dei vestri, facite. Vasa quoque, quę dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Ierusalem. Sed & cętera, quibus opus fuerit in domum Dei tui quantumcunque necesse est, vt expendas, dabitur de thesauro, & de fisco Regis & à me. Ego Artaxerxes Rex statui, atque decreui omnibus custodibus arcę publicę, qui sunt transflumen, vt quodcunque petierit à vobis Esdras Sacerdos Scriba legis Dei cęli, absque mora detis vsque ad argenti talenta centū, & vsque ad frumenti coros centum; & vsque ad vini batos centum & vsque ad batos olei centum; sal vero absque mensura. Omne quod ad ritum Dei cęli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei Cęli, ne forte irascatur contra Regnum Regis, & filiorum eius. Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus, & ianitoribus Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos. Tu autem Esdras secun-*

In Ierosolymā mittitur.

Litteræ Artaxerxis.

secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue Iudices, & Præsides, vt iudicent omni populo, qui est trans flumen, his videlicet, qui nouerunt legem Dei tui, sed & imperitos docete libere, & omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, iudicium erit de eo siue in mortem, siue in exilium, siue condemnationem substantiæ eius, vel certe in carcerem.

Quid postea Esdras.

5 His itaque, & præcipuè spiritu diuino confortatus Esdras Principes Israelis de gratioso Regis decreto monuit, litteras ad absentes misit, & ad profectionem in sanctam Ciuitatem omnes inuitauit, quo vehementer cuncti læti, & multi suis facultatibus assumptis, ad iter accincti ad ipsum Babylone congregati sunt, alijs in Perside manentibus, veteri domicilio assuetis, vel alijs causis, vt Mardochæo. Prima ergo die mensis primi, qui *Nisan* dicitur, cum magna exulum Iudæorum multitudine, quæ 1. *Esdræ* 8. recensetur, de Babylone profecti, & ad ostium fluminis decurrentis in Ahana pro prospero itinere à Deo obtinendo aliquot diebus ieiunantes, alijsque peractis, Ierosolymam peruenerunt, vasa, & sacrificia Domino obtulerunt, magna cum populi lætitia, & fauore Præfectorum Regis. Tunc primum de illegitimis matrimonijs Iudæorum cum filiabus Gentilium actum est, diuortium ordinatum, & matrimonia dirempta populo consentiente. Hæc etsi ad annum sequentem pertineant, sub præsenti referenda erant, ne historiæ cursus rumperetur. Sacra Scriptura 1. *Esdræ* 8. Expositores *ibidem*, & Iosephus.

Profecti Iudæi de Babylone.

Annus mundi 3596. ante Christum 457.

Esther admittitur ad connubium Assueri.

1 RAT hic annus Regis Assueri septimus, quo vt ex *Estheris* 2. habetur, peractis ijs, quæ de more à virginibus antequam ad eum ingrederentur, perficienda erant, ad eius thalamum ipsa Esther admissa est, extraordinario muliebri cultu reiecto, & eo solùm ornata, quem virginum custos Eunuchus Egæus ipsi dare voluit. Quia autem ea pro Dei potius honore promouendo, quàm propria voluntate hoc connubium acceptauit, ideo, sacra Scriptura referente, *Adamauit eam Rex plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vasthi, & iussit conuiuium præparari permagnificum cunctis Principibus, & seruis suis pro coniunctione, & nuptijs Esther. Et dedit requiem vniuersis prouincijs, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.* Iosephus vero *l.* 11.

rem

rem sic enarrat: Perducta verò Esthere, delectatus eius *consuetudine, & amore correptus, legitimam coniugem eam sibi adiunxit, nuptiasque celebrauit*. Quæ postea acciderunt, sequens annus enarrabit.

Annus mundi 3597. ante Christum 456.

1 
ONSPIRATIO Eunuchorum Artaxerxis Regis cōtra eum, & proditionis manifestatio per Mardochæū & Esther Reginam facta, de quibus sacra Scriptura *Esther* 2. hoc anno post nuptias prudenter creditur euenisse. Cum enim Mardochæus quasi cubicularius Regis ad eius ianuam maneret, agnoscere potuit insidias, quas Regi moliebantur Bagatham, & Thares ipsius Eunuchi, inuidia videlicet ducti, vt septuaginta exponunt, vel indignatione ob Vasthi repudiū, & ignotæ Estheris matrimonium. Voluerunt enim insurgere in Regem, & occidere eum, vel illi venenum propinando, quia pincernæ ipsius forsan erant, vt R. Salomon putat, vel caput alio modo amputando, & ad Regem Macedonum deferendo. Id agnoscens Mardochæus, eorum sermocinationes audiens, vel à Pharnabaso alterius illorum Iudæo seruo rem intelligens, nunciauit Estheri, & illa Regi. Quæsitum ergo est diligenter de tanto crimine, & veritate reperta Eunuchi in cruce appensi sunt, & Mardochæi factum in Regis Annalibus conscriptum.

Conspiratio Eunuchorum Artaxerxis.

Reuelat eam Mardochæus.

Anni mundi 3598. vsque ad 3607. ante Christum 455. vsque ad 446.

1 
ONSTRABATVR his annis diuini altitudo consilij in cōiugio Estheris cum Assuero Artaxerxe Persarum Rege. Nec enim sine magna causa connubium hoc aliàs Lege prohibitū, vtpote Hebrææ cum Ethnico, à Deo permitteretur. Ea verò fuit totius populi Iudæorum, qui tunc in Perside erat, à crudeli morte liberatio, prout indicant illa verba *Esther* 4. *v.* 14. eidem dicta: *Quis nouit, vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Quod sic accidit, quemadmodum ex canonico libro Estheris habetur. Exaltauit Rex Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag, etsi natione Macedonem, & forsan ex aliquo parente Persam, vt ait Sulpitius *lib.* 2. *histor.* Ad tantum autem dignitatis fastigium euectus est, vt secundus à Rege diceretur, imò & Regis pater, & ab omnibus adoraretur

Finis à Deo intentus in matrimonio Assueri.

Historia Aman.

retur post Regem secundus, cunctisque Persarum prouincijs præpositus esset. Cuncti propterea serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant eum. Sic enim præceperat eis Imperator. Solus Mardochæus id non faciebat, quamuis ab alijs conseruis de eo requisitus esset, quia dicebat se esse Iudæum: eò videlicet quod Aman Deorum imagines picturatas in vestibus gestabat, quibus honorem fecisse videretur Mardochæus, si illum adorasset, vt asserunt Hebræi, vel quia Deo soli debitum honorem sibi volebat Aman exhiberi, vt alii veritati conformiùs credunt. Cum autem audisset, & experimento comprobasset Aman, quòd Mardochæus non flecteret sibi genu, nec adoraret, iratus valde, non ipsum solum, quem sciebat Iudæum, sed vniuersam nationem Iudæorum, in regnis Assueri commorantem perdere, & occidere decreuit. Regem ergo adijt, eique suggessit, vt illorum gentem per omnes prouincias regni sui dispersam, & nouis legibus, ac cerimonijs vtentem, ipsique inobedientem, vt dicebat, de medio tolleret, funditus extirparet; & ne fortè Rex causaretur imminutionem tributorum, quæ Iudæi vbique penderent, arcarijs Regijs decem millia talentorum soluenda promisit, si occiderentur. Annuit Rex, & nulla facta discussione, annulum, quo vtebatur, dedit ei, vt faceret quod libuisset, talenta ipsi promissa non acceptans: Aman ergo Regis nomine ad omnes Satrapas Regis, & Iudices prouinciarum litteras scripsit, vt occiderent, & delerent omnes Iudæos à puero vsque ad senem vna die, hoc est 13. mensis duodecimi vocati *Adar*, ipsorumque bona diriperent. Cum his litteris festinabant cursores, quos Persæ Angaros vocant, edicta affigebantur, Amano ridente, flentibus miseris Iudæis, Mardochæo præsertim ob sui, & aliorum innocentum iniustam cædem. Sacra Scriptura *Esther. 3.* & Expositores *ibid.* Iosephus *lib. 11. antiq. c. 6.*

Decreuit perdere Iudæos.

Annuit Rex.

2 Delatum Reginæ Esther à puellis, & Eunuchis suis fuit cruentum contra Iudæos promulgatum edictum. Quo prius consternata (eo præsertim cum ad ipsam spectare cerneret) pro imminenti malo vitando, preces ad Regem fundere primò decreuit; quia verò id sine vitæ periculo facere non poterat, quia lex inuiolabilis erat quòd quicunque non vocatus ad atrium ipsius accederet, statim occideretur, in spem tamen erecta, ieiunium triduanum sibi, ac cunctis Iudæis indixit, illud cum puellis suis obseruauit, orationibus, & humilitatis, ac pœnitentiæ actibus feruentissimè incubuit, & tota in Domino Deo suo confidens Regem adire etiam non vocata statuit. Regalibus ergò vestimentis induta, gloriæ suæ monilibus ornata, puellisque dua-

Nunciatur Esther.

Quærit placare Deum.

duabus, quarum vni, quasi præ delicijs, & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens, innitebatur, & alij vestimenta defluentia dimittebat, associata, ingressa est atrium interius ante basilicam Regis, qui super solium suum in solio Palatij vestibus regijs indutus, auro, & preciosis lapidibus fulgens sedebat: eam primùm cum Rex terribili aspectu, ardentibusque oculis aspexisset, corruit Regina, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput. Conuertit tunc Deus spiritum Regis in clementiam, & festinus exiliuit de solio, ac sustentans eam vlnis suis, donec ad se rediret, sic blandiebatur: *Quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus* (præter te) *hæc lex constituta est*. & in signum clementiæ extendit contra eam virgam auream, quam manu tenebat. Tunc ipsa accedens osculata est summitatem virgæ, & iam confortata audit à Rege: *Quid vis Esther Regina, quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* At ea id solum postulauit, vt veniret cum Aman ad conuiuium, quod eis parauerat; obtinuit, & post epulas ab exhilarato Rege de sua petitione interrogata rursus ad sequentis diei conuiuium vtrumque inuitauit, pollicita tunc voluntatem suam aperturam. Sacra Scriptura *Esther* 4. *&* 5. Expositores ibidem. Iosephus *lib.* 11. *antiq. c.* 6.

Auditur à Rege.

3 Aman autem dum lætus in domum suam reuertebatur, mœrore magno affectus est, quòd Mardochæus sibi è palatio exeunti non assurrexisset, crucem propterea altissimam quinquaginta cubitorum, vxore consulente, ei in domo sua præparari iussit. Eius verò improbam mentem irrisit Deus, cui prouiderat longe aliud euenturum; ea enim nocte somnum abstulit à Rege, somnijque defectum non musica, sed lectione Annalium regni, vt suppleret, inspirauit, & quod in ipsis scriptum erat (quomodo Mardochæi fide Eunuchorum nequitia Regem iugulare volentium cognita est) audire, ac proinde, vt eam non planè gratificatam præmiis condignis decorare decerneret, Deo etiam interius mouente, statuit, vt Aman ipse, qui maturiùs solito ad palatium venerat, vt Mardochæum patibulo affigi faceret, ipsum, iubente Rege, vestibus regijs indutum, diademate Regis redimitum, & super equum ipsius impositum, per plateam ciuitatis veheret, equum tenens, & clamans: *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare*. Nec eo solùm infelicis Amani superbia à Deo deiecta est; sed & præcipuè quòd cum ad infaustum Regis, & Reginæ conuiuium accessisset, Rexque iterum interrogasset: *Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi? & quid vis fieri? etiamsi dimidiam Regni mei petieris, impetrabis*, ipsaque postulasset pro se, & aliis Iudæis, qui ob crudelitatem Aman mor-

Aman parat crucem Mardochæo.

Rex præcipit honorari.

Et suspendi Aman. ti addicti erant, Rex valde iratus eum suspendi iussit in patibulo, quod ipse Mardochæo parauerat, domum ipsius Esther Reginæ dari, Mardochæum regiæ domui præfici, & annulum, quem Amano dederat, ipsi tradi, vt priores litteræ internecionis Iudæorum nouis alijs datis, & obsignatis obliterarentur, prout factum est, cum magna etiam Persarum occisione. Sacra Scriptura *Esther 5.6.7. & deinceps*, Expositores *ibid.* Iosephus *lib. 11. antiquit. c. 6.*

Esther gratiosissima, & felicissima. 4 Hæc in gratiam pulcherrimæ, gratiosissimæ, & felicissimæ Estheris scripsimus, quod eam, vt superius visum est, aliqui *Prophetissam* fuisse, & per consequens Prophetici Ordinis cultricem existimauerint, idcirco enim ipsius historiam Annalibus nostris non extraneam iudicauimus. Quod si hoc verum non fuerit, ex eo saltem, quòd immaculatissimæ Dei Genitricis Mariæ paupertate, humilitate, obedientia, & potentia typus fuerit, vt propterea à multis aliarum fœminarum ad corporis, & animæ puritatem spectantibus legibus immunitatem adepta, audire meruerit à Deo Rege Regum: *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*, huiusmodi ipsius historiæ breui descriptione dignam censuimus. Nunc ad certiorem eiusdem Instituti alumnum Esdram, eiusque gesta referenda pergamus.

Malachias Propheta. 5 Prius tamen de Malachia Propheta, quem communiùs recentiores Expositores, videlicet Vatablus, Isidorus, Montanus, Castro, Sanchez, & alij *in commentarijs in Malachiam* diuersum fuisse ab Esdra commemorant, aliqua dicenda sunt; præsertim quia circa hoc tempus diem suum obijsse iure existimetur; cum eum in iuuentute post reditum populi è Babylone (vt Epiphanius *in eius vita* scribit) fato functus sit. Eodem Epiphanio teste de tribu Zabulon erat, ex quo ab Esdra, qui de tribu Leui fuit, diuersus agnoscitur. Ab ineunte ætate vitam inculpabilem egisse fertur, vt propterea, & quia forma præstanti erat, inditum illi fuerit nomen *Malachir*, quod sonat *Angelus*. Prophetauit ea, quæ sacra Scriptura sub nomine ipsius in duodecimo Prophetarum minorum numero leguntur. Ac tandem post obitum iuxta maiores suos in proprio agello repositus celebratur. Quod inter Ordinis Prophetici asseclas censendus sit, ea, quæ *in Apparatu c. 2. & sub anno 3184.* diximus, quibus accinere videtur Sigonius *de Republ. Hebræor. l. 5. c. 9.* probabiliter suadet, & illis standum, dum clarior notitia non habeatur. De illo Epiphanius, & alij.

An Ordinis Prophetici.

An vltimus Propheta. 6 Hunc Malachiam asserunt Hebræi testáte Genebrardo *lib. 2. Chronol. sub anno 3638.* fuisse vltimum Prophetarum inter Iudæos. Quod tamen si vniuersaliter accipiatur, falsum profectò est. Cum constet ex dictis *sub anno 3556.* aliquos fuisse post hæc tempora hac

gratia

gratia à Deo donatos. Solùm ergo in sensu ibi adducto verum esse poterit. Consonat idem Genebrardus eo loco sic scribens: ***Cum autem Malachiam nouissimum fuisse Prophetarum asserunt*** (scilicet Hebræi) ***est intelligendum, quòd Prophetarum successio non deinceps certa, & accurata extiterit.*** Hausit hoc ex Iosepho *lib. 1. contra Appionem*, vbi habet, quòd à tempore Artaxerxis ***non fuerit certa successio Prophetarum.***

Anni mundi 3608. vsque ad 3621. ante Christum 445. vsque ad 432.



1 ESDRAM reliquimus sub annis præcedentibus Ierosolymæ cum Iudæis Babylone reuersis commorantem, Dei cultum promouentem, illegitima connubia rescindentem, & sibi commissum populum pro posse gubernantem. Nihilominus ob vicinorum populorum, Samaritanorum videlicet, Arabum, Ammonitarum, & Idumæorum nequitiam in afflictione magna erant cuncti, & hominum opprobrio. Cum enim tacito Persarum Regum consensu partem aliquam murorum restaurassent, montem Sion, & Templum muris (etsi rudi opere) circumdedissent, ac portis adhibitis locis opportunis commodè ornassent, vicini illi populi id non sustinentes, coniuratione facta murum dissiparunt, portas igni combusserunt, & cuncta de nouo extructa impiè disiecerunt. Sic enim colligitur ***ex 2. Esdræ c. 1.*** Perereio *in Daniel lib. 10.* Saliano ***sub anno 3608. nu 8. & 9.*** Quibus fauet Petrus Comestor *in histor. scholast. Iudit. 6.* asserens Iudæos per dies sustinuisse hostium impetus, & noctibus intrare solitos latrunculos, qui plateas cadaueribus occisorum implebant. *Esdræ gesta.*

2 Quæ vbi Ierosolymis facta sunt, Iudæi ibi existentes, Esdra etiam procul dubio mouente, Hanani quemdam, & socios in Persidem miserunt, Nehemiam Iudæum insignem eo tempore in aula Regis potentem, vtpote qui pincerna ipsius erat, vt is pro sua ad Principem gratia remedium aliquod tantis malis procuraret. Ij Persidem venientes Nehemiæ narrauerunt S. Ciuitatis, & Iudæorum in ea existentium miserabilem afflictionem. Tunc ille ieiunijs, fletibus, & orationibus à Deo primitus postulauit, vt sibi modum præberet, quo terribilis Regis animum flectere posset ad obtinendum remedium necessarium. Deinde congrua satis oblata occasione, quòd Rex dum ei vinum porrigeret, ipsum interrogaret, cur tristis appareret; dixit: ***Rex in æternum viue, quare non mæreat vultus meus, quia Ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt*** *Mittitur Hanani in Persidem ad Nehemiam.* *Nehemias loquitur ad Regem.*

 igni?

igni? Tunc Rex illi: *Pro qua re postulas?* Ipse autem breui oratione iaculatoria ad Deum facta respondit: *Si videtur Regi bonum, et si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudaam ad Ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam.* Annuentibus ergo Rege, & Regina missus est in Iudæam cum equis, & militibus, ac cum litteris ad Duces Regionis trans flumen, vt traducerent eum in Ierusalem, & ad custodem saltus Regis (qui creditur fuisse in Libano) vt daret illi ligna pro ædificanda Ciuitate. Hisque fauoribus regijs fretus Ierosolymam cum socijs in muris, turribus, ac portis, cooperantibus Sacerdotibus, Leuitis, ac alijs Iudæorum Principibus, & Optimatibus restaurauit. Sacra Scriptura 2. *Esdræ c.* 1. 2. & 3. Expositores *ibidem*, & Tornielłus *sub anno* 3609.

Melchias Rechabita.

3 Inter eos autem, qui huic pio operi renouandæ Ierosolymæ incubuisse referuntur dicto *cap.* 3. *Esdræ v.* 14. vnus censetur Melchias filius Rechab Princeps vici Bethacaram, de quo dicitur: *Et portam sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, Princeps vici Bethacaram, ipse ædificauit eam, & statuit valuas eius, & seras, & vectes.* Addunt 70. *& filij eius*, ad denotandum hunc Melchiam cum filijs ædificasse hanc portam. Hæc verò porta *sterquilinij* eadem est cum illa, quæ *cap.* 2. vocatur *porta stercoris*, vt docet Hugo 2. *Esdræ* 3. & Salianus *sub anno* 3609. *num.* 31. & colligitur ex eo, quod tam *cap.* 2. quàm 3 *lib.* 2. *Esdræ*, ponitur hæc porta iuxta portam *vallis*. Vocabatur autem porta *stercoris*, seu *sterquilinij*, quia, vt inquiunt Lyranus, Hugo, & Dionysius, per illam tempore pluuiæ immunditiæ ciuitatis in torrentem Cedron emittebantur. Cum enim Ciuitas Ierusalem sita esset in decliuio montis, aquæ pluuiales descendentes immunditias Ciuitatis versus illam portam trahebant. Hunc autem Melchiam filium Rechab ex eo talem appellari, quia verè Rechabita, seu ex Rechabitis fuerit, filiosque ipsius proinde etiam Rechabitas nuncupari posse, colligitur tum ex illo titulo *filij Rechab*, quo alij Rechabitæ in Sacra Scriptura cognominantur, vt patet in Ionadab 4. *Reg.* 10. & *Ierem.* 35. tum ex eo, quod illa porta *sterquilinij* vocabatur etiam porta *Essenorum*, quia ad eam Vrbis partem commorabantur Esseni, eo quod, cum agriculturæ dediti essent, testibus Philone, & Iosepho, fimosa loca quærebant, vt fusiùs declarat Villalpandus *in Apparatu Vrbis, & Templi lib.* 3. *c.* 14. & consentit Salianus, *vt supra*. Propterea enim hunc Melchiam *Rechabitam* appellant; quod & facit Bouldacus *l.* 2. *de Eccles. ante leg. c.* 11. eum quoque Rechabitam compellans. Eos quoque sequitur Nicolaus Lombardus Iesuita *in* 2. *lib. Esdræ c.* 3. *vers.* 14. Essenos autem ex Rechabitis fuisse ostendimus *sub anno* 3545. Tum denique

Melchias ex Rechabitis, & Essenis.

nique, quia cum (iuxta dicta *sub anno* 3431.) promissio à Deo domui Rechab *Ierem.* 35. facta, aptiùs intelligatur, si dicamus ea denotari nunquam defuturum aliquem de illa familia stantem in conspectu ipsius, idest, in Tẽplo, vel iuxta Templum Domini *cunctis diebus*, mirum non erit, quòd hic Melchias filius Rechab, idest, *Rechabita*, inter reædificatores Ierosolymæ vnus cẽseatur. Fuisse autem virum illustrem valde, non solùm ex eo conijcitur, quod ipsi porta illa *Essenorum* appellata restauranda committeretur, sed etiam quia 2. *Esdræ cap.* 8. *v.* 4. cum Esdras Legem Domini populo recitaret, ipse stans iuxta illum ad sinistram cum alijs describatur, & *cap.* 10. *v.* 3. inter eos, qui signauerunt fœdus cum Deo, nono loco recenseatur, cum in his actibus solùm principaliores, & optimates notari deberent. Vnde Principem *Essenorum* eum vocat Villalpandus *vt supra*: Boulducus verò relatus eum in spiritualibus moderatorem, & pastorem appellat. Vir valde illustris.

4 Referuntur etiam eo *cap.* 3. *lib.* 2. *Esdræ v.* 26. Nathinæi, & de illis dicitur: *Habitabant in Ophel vsque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat.* Qui autem hi Nathinæi fuerint, exponit Glossa interlinealis dicens, quòd essent *professione perfectioris vitæ Deo dicati*. Quod si verum fuisset, proculdubio eos ad Ordinem Propheticum Rechabitarum, vel Essenorum reducere cogeremur, quia tamen communi plausu Doctorum Nathinæi solùm erant posteri quidam Gabaonitarum à Iosue addicti ad ligna cædenda, aquãque portandam, priùs pro tabernaculo, & postea pro Templo Dei, vt habetur *Iosue* 9. & notat hic Cardinalis Hugo; ideo nonnisi laxa significatione verba Glossæ intelligi possunt. Salianus autem *sub anno* 2584. *n.* 159. Nathinæos dicit similes esse Religiosis aliquibus laicis, qui dati, seu donati in templorum famulatum sunt. In quo aliqualis est proportio, non vera similitudo, cum isti laici Religionum sæpius veri Religiosi sint per trium votorum essentialium professionem, quod nullatenus Nathinæis conueniebat. Nathinæi, qui fuerint.

5 Hæc dum Ierosolymæ fierent, Iudæorum hostes, & præcipue Sanaballat Samarita, & Tobias Ammanites, siue Ammonites inuidia frementes, quòd Ciuitas reædificaretur, primò subsannationibus, deinde calumnijs, & postea minis, insidijs, ac terroribus eos ab incepto opere diuertere conabantur; sed frustra: nam Iudæi, Nehemia duce, acriter resistentes, altera quidem manu ædificantes, altera verò gladium tenentes ad se defendendum, si opus esset, præparati, toto conatu operi insistebant, nec ab eo distrahi potuerunt, magnis difficultatibus superatis, donec, Deo dante, quinquaginta duobus diebus Sanaballat, & alij impediebant ædificationem templi.

bus murum Ciuitatis per circuitum instaurauerint. Tumque adimpleta est Prophetia Danielis *cap. 9.* dicentis: *Ædificabitur platea, & muri in angustia temporum:* Sacra Scriptura *2. Esdræ* 4.5.6. Expositores *ibid.* Torniellus *sub anno* 3610.

Fuisse eo tempore Prophetici Ordinis professores.

6 Fuisse hoc tempore, quo Ierosolyma restaurabatur, plures Ordinis Prophetici Professores inter Iudæos commorantes, præter Essenos, & Rechabitas, Melchiam scilicet, & filios eius relatos, qui *2. Esdræ 11. v. 13.* vocari videntur *Principes patrum*, & dicuntur fuisse 242. non incongruè elicitur ex eo, quod *2. Esdræ cap. 6. v. 6. & 7.* interminas & calumnias, quas Sanaballat Samarita contra Nehemiam scripsit, vna sit hæc: *Propter quam causam Prophetas posueris, qui prædicent de te in Ierusalem dicentes: Rex in Iudæa est.* Quæri enim potest, qui fuerint hi Prophetæ. Non enim dici potest fuisse Aggæum, & Zachariam, prout Lyranus existimare videtur: hi enim ab aliquot annis iam decesserant, cuius signum est, quòd inter alios clarissimos, qui gestis Esdræ & Nehemiæ cooperatos fuisse *in 2. Esdræ* describantur, ipsi non notantur; qui tamen, si viuerent, non omitterentur: nec Malachias Propheta propter eamdem rationem: nec denique ipse Esdras, quia cum ipse nominatissimus esset, vtpotè Sacerdos, Scriba maximus, & Propheta, Regiusque Commissarius, vt in superioribus diximus, communi & confuso *Prophetarum* vocabulo non comprehenderetur. Alij ergo præter istos hi Prophetæ erant, & propterea iuxta dicta *in Apparatu cap. 2. & sub anno* 3184. Instituti Prophetici alumni. De illis autem, qui eódem *cap. v. 14.* referuntur illis verbis: *Sed & Noadia Propheta* (Hebraicè Prophetissæ) *& cæterorum Prophetarum, qui terrebant me*, idem placeret dicere, nisi credibiliùs esset pseudo-Prophetas fuisse, vt aliqui putant, vel saltem iniquos.

De alijs quid dicendum.

Dedicatio vrbis.

7 Post murorũ extructionem dedicatio Ciuitatis solemnissimè, & iucũdissimè celebrata est, quemadmodũ *2. Esdræ 12.* latè explicatur, facta simul processione, seu cõprecatione vniuersi populi super murũ in duos choros distributi diuinas laudes, & psalmos Dauidicos cãtantis: Ad huiusmodi autem solemnissimam processionem, vt textus loquitur, *congregati sunt filij Cantorum de campestribus circa Ierusalem, & de villis Netbuphati, & de domo Galgal, & de regionibus Geba, & Azmaueth, quoniam villas ædificauerunt sibi cantores in circuitu Ierusalem.* Hos porrò cantores pluribus coniecturis ducti autumare possumus ex Rechabitis, Essenis, vel alijs Prophetici Instituti cultoribus fuisse. Primò, quia, vt Glossa exponit, hi cantores erant *imitatores eorum, qui deuota, & hilari mente Domino famulari, & ver-*

Qui hi cantores.

& verbum eius alijs prædicare studuerunt. Quod sine dubio prædictorum veluti proprium munus erat, vt diximus suis locis. Secundò, quia ipsum nomen *Cantores*, seu *filij Cantorum* id denotat: Rechabitas enim, & alios Eliani Instituti asseclas huic exercitio vacasse, dicta *sub annis 3128. 3129. 3151. 3159.* suadent, maximè quia 1. *Paralipom. 2. v. 55.* dicuntur Rechabitæ *canentes atque resonantes*. Tertiò etiam ex eo, quòd dicantur de *campestribus*, seu villis congregati, hoc enim veluti proprium Rechabitarum fuisse habetur, tum ex dicto loco 1. *Paralipom. 2.* vbi etiam dicuntur, *in tabernaculis commorantes*, tum ex *Ierem. 35.* vbi etiam id exprimitur. Quartò, ex eo quod dicantur congregati *de domo Galgal*, Galgalis enim fuisse Collegium Prophetarum olim tempore Eliæ *ex 4. Reg. 2.* Expositoribus *ibid.* & dictis *sub anno 3139.* manifestè habetur. Iuuat etiam ad intentum, quod vt colligitur ex relato *c. 12. lib. 2. Esdræ* huiusmodi processio, seu Cantorum chorus initium sumpsit à porta sterquilinij vocata, quam diximus fuisse portam *Essenorum*, & Rechabitarum. Vnde videtur quasi in gratiam ipsorum ex eo loco hanc solemnitatem profectam fuisse. Maximè iuuat, quod eo *c. 12. v. 44.* sic dicitur: *Et custodierunt obseruationem Dei sui, & obseruationem expiationis, et cantores, et ianitores iuxta præceptum Dauid, & Salomonis filij eius, quia in diebus Dauid, & Asaph ab exordio erant Principes constituti cantorũ in carmine laudantium, & confitentium Deo*. Quo denotatur huiusmodi cantores de nouo institutos esse adinstar Asaph, & Idithum cantorum Dauid, quos Ordinis Prophetici Samuelis cultores extitisse colligitur ex Ioanne Ierosolymitano *in lib. de instit. Monachor. cap. 10.* Abulensi 1. *Reg. 10. q. 5.* Torniello *sub anno 2545. n. 14.* & nos diximus *in Apparatu c. 3. n 8. et c. 2. n. 3.* Hæc sub dubio, sed non sine magno fundamento asserimus, maiorem lucem à doctioribus expectantes. Illud non prætermittendum, quod vt in prædicto *c. 12.* habetur, huiusmodi Cantores in magno pretio à Iudæis post reditum e captiuitate erant, quia vt ibi habetur in fine capitis *v. 46. Dabant partes cantoribus per dies singulos*. & *c. 11. v. 22. et 23.* magna diligentia de illis curasse denotatur, cũ dicitur *de filijs Saphat, Cantores in ministerio domus Dei. Præceptum quippe Regis super eos erat, & ordo in Cantoribus per dies singulos*. Vnde ibidem *v. 17.* nominatur Mathania *Princeps ad laudandum, & ad confitendum in oratione:* seu, vt Hugo exponit, *Princeps Cantorum*. Vocatur etiam *filius Asaph*, quo denotatur ex eodem Ordine Prophetico sicut *Asaph* fuisse.

Processio, seu Chorus illorum.

8 Interim de Esdra Scriba, & Propheta, quem pluribus titulis Prophetici Instituti egregium sectatorem in superioribus diximus, Esdræ gesta.

non

non pauca suppetunt dicenda, quæ hoc tempore acciderunt. Primò enim in relata dedicatione murorum 2.*Esdræ* 12. *v.* 35. vnus, & ex præcipuis aderat, immo dum ibi fit sermo de Cantoribus, qui Deum laudabant *in varijs canticis Dauid viri Dei*, subiungitur, *& Esdras Scriba ante eos*. Quo denotatur in eo etiam munere Deo canendi laudes, quod proprium vitæ erat Prophetici Ordinis, ipsum præisse. Deinde, vt habetur 2.*Esdræ c.* 8. mense septimo toti populo congregato distinctè verba Legis recitauit, & exposuit, stante iuxta ipsum Melchia illo Rechabita, & Esseno (vt credimus) de quo supra. Similiter cum festum tabernaculorum celebraretur, legebat Esdras per singulos dies librum Legis 2.*Esdræ* 8. Quo iam tempore proculdubio euenerunt, quæ de Esdræ studio circa sacros Bibliorum libros communiter referuntur: etsi enim eos de nouo non restituerit, aut reposuerit, quasi priùs omnino deperditi, vel combusti fuerint in Babylonica captiuitate, seu destructione Ierosolymæ, vt contra aliquos ex vetustioribus Patribus, præmissa, vt par erat, ob eorum reuerẽtiam decenti excusatione, probant Genebrardus *lib.* 2.*Chronolog.* Bellarmin.*lib.* 2.*de verbo Dei capite primo*; Pererius *in Præfat. Comment. in Genes.* & Torniellus *sub anno* 3447.*num.*4. (Quis enim credat vel vnum Iudæum Biblia non reseruasse, vel aliquem Israelitam ex ijs, qui per totum orbem, maximè post præcedentes captiuitates dispersi erant, ea apud se non habuisse) nihilominus Esdras plura pietatis officia circa sacra volumina gessit. Primò enim illa omnia apud se, cum esset vir industrius, & lector prædiligens, custodiuit, & ab interitu vindicauit, vt habet S.Athanasius *in synopsi*. Deinde ea quæ erant in ipsis deprauata, & corrupta Iudæorum captiuorum incuria, vel hostium nequitia, correxit, & emendauit, vt habet Rabbanus *lib.* 2. *Instit.Cleric. cap.* 54. Item ea in vnum corpus, seu volumen redegit, cum antea sparsim, & separatim reperirentur, vt habet Torniellus *sub anno* 3610.*num.*19. ex quo (notat ipse *num.*21. & Salianus *sub anno* 3621. *n.*10.) ortum habet, vt ratio temporis non obseruetur in sacris libris, & partibus ipsorum, vt in Ieremia, Daniele, & alijs. Sed hoc melius refundi debet in specialem Dei prouidentiam, ostendere volentis S.Scripturam non humana dispositione, sed iuxta voluntatem ipsius ordinatam esse, prout ex Augustino, Beda, & Glossa ordinar. *in c.*35.*Ierem.* tandem resoluit ipse Torniellus. Addunt etiã prędicti Auctores aliqua vocabula exoleta locorum, quę in sacra Scriptura reperiebantur, in alia recentiora commutasse. Addere & nos possumus ex D.Hieronymo *in Prologo Galeato* Esdram nouas litteras Hebraicas inuenisse, easque tradidisse Iudæis, antiquas autem reliquisse

Esdræ studiũ circa Biblia quale.

Quæ gesserit.

Nouas litteras inuenerit.

quiſſe Samaritanis; quod & comprobant Bellarminus, & Torniellus relati. Sunt etiam, qui credant ipſum, aſſiſtente illi Spiritu ſancto, quædam libris ſacris addidiſſe, quæ deeſſe videbantur, qualia ſunt quæ de morte Moyſis habentur in fine Deuteronomij, & in fine Prophetiæ Ieremiæ de Regno Euilmerodach, & ſimilia, de quibus Torniellus relatus, & Salianus *ſub anno mundi* 3621.*n.* 10. Denique Genebrardus *lib.* 2. *ſua Chronolog.* ait, quod Eſdras, & viri Synagogæ magnæ diuino afflati ſpiritu Scripturas ſacras diſtinxerunt *in Peſukim*, hoc eſt, verſus, cum antea continuatæ eſſent, ac ſi eſſet vnicus verſus. De quo idem Torniellus.

9 Ex hoc autem diligentiſſimo ſtudio, quod noſter Eſdras circa ſacra volumina exercuit, occaſionem quoque ſumpſit inſtituendi Congregationem, ſeu Ordinem Scribarum, qui ſui inſtar Legem ad litteram interpretarentur, difficultates illius explicarent, libroſq; ſacros intactos ſemper haberent, & conſeruarent. Ita enim tradunt Galatinus *lib.* 1. *de arcanis c.* 1. Genebrardus *lib.* 2. *Chronolog. circa ann. mund.* 3638. *& circa ann.* 3984. & Torniellus relatus *num.* 24. Dicuntur autem tunc inſtituti, non quia primò eo tempore cœperint, conſtat enim ex dictis *ſub anno* 3230. pluribus annis ante Eſdram fuiſſe in Iſrael. Vnde ipſe Genebrardus *lib.* 1. *Chronolog. circa ann. mundi* 2727. expreſsè nominat Scribas circa Ioſue ſeculum, dicens: *Scribæ, ſiue Doctores de genere Cin, ſiue Iethronis ſoceri Moyſis per Hammath Rechabitarum patrem inhabitarunt Iabes* 1. *Paralipom.* 2. & *eod.* 1. *lib. Chronolog. circa ann. mundi* 3272. circa Iorami ſeculum etiam commemorat Scribas; loquens enim de Rechabitis filijs Ionadab, inquit: *Vocantur Scribæ, ſiue Doctores* 1. *Paralipom.* 2. Eo ergo ſolum ſenſu ab Eſdra inſtitutos eſſe Scribas aſſerere debemus, quatenus ab ipſo excitati, & propagati fuerunt. Vnde rectè Serarius *in Tribæreſio lib.* 2. *c.* 7. *in fine* inquit: *Neque verius ijdem Thalmudici aſſerũt eos* (videlicet Scribas) *ab Eſdra ipſo conditos, cum antea iam fuerint, & ipſe tantum inter eos ſuo tempore ſummus, & omnium quaſi Princeps*. Quod & nos aſſerimus. Cum verò iuxta dicta *ſub eo anno* 3230. Scribæ ad Ordinem Propheticum quodammodo ſpectarint proculdubio aſſerendum eſt Eſdram eiuſdem Prophetici Ordinis propagatorem, vel ſi placet, reformatorem appellari poſſe. Addit Galatinus relatus hos Scribas, ſeu Sapientes tantæ eſſe auctoritatis apud Iudæos, vt eorum ſcripta primum poſt Prophetas locum obtineant: *Neque tamen* (inquit) *immeritò, cum eorum doctrina à Prophetis ipſis, quorum ipſi & diſcipuli, & ſucceſſores fuerunt, eis immediatè tradita fuerit*. Quo ea, quæ diximus de Scribis, quod ſcilicet ad Prophetarum Ordinem ſpectarent, robur accipiunt.

Inſtituit Congregationem Scribarum.

Quo ſenſu id accipiendum.

Ordinis Prophetici propagator.

non pauca suppetunt dicenda, quæ hoc tempore acciderunt. Primò enim in relata dedicatione murorum 2.*Esdræ* 12. *v.* 35. vnus, & ex præcipuis aderat, immo dum ibi fit sermo de Cantoribus, qui Deum laudabant *in varijs canticis Dauid viri Dei*, subiungitur, *&* *Esdras Scriba ante eos*. Quo denotatur in eo etiam munere Deo canendi laudes, quod proprium vitæ erat Prophetici Ordinis, ipsum præisse. Deinde, vt habetur 2.*Esdræ c.* 8. mense septimo toti populo congregato distinctè verba Legis recitauit, & exposuit, stante iuxta ipsum Melchia illo Rechabita, & Esseno (vt credimus) de quo supra. Similiter cum festum tabernaculorum celebraretur, legebat Esdras per singulos dies librum Legis 2.*Esdræ* 8. Quo iam tempore proculdubio euenerunt, quæ de Esdræ studio circa sacros Bibliorum libros communiter referuntur: etsi enim eos de nouo non restituerit, aut reposuerit, quasi priùs omnino deperditi, vel combusti fuerint in Babylonica captiuitate, seu destructione Ierosolymæ, vt contra aliquos ex vetustioribus Patribus, præmissa, vt par erat, ob eorum reuerētiam decenti excusatione, probant Genebrardus *lib.* 2.*Chronolog.* Bellarmin.*lib.* 2.*de verbo Dei capite primo*, Pererius *in Præfat. Comment. in Genes.* & Torniellus *sub anno* 3447.*num.*4. (Quis enim credat vel vnum Iudæum Biblia non reseruasse, vel aliquem Israelitam ex ijs, qui per totum orbem, maximè post præcedentes captiuitates dispersi erant, ea apud se non habuisse) nihilominus Esdras plura pietatis officia circa sacra volumina gessit. Primò enim illa omnia apud se, cum esset vir industrius, & lector prædiligens, custodiuit, & ab interitu vindicauit, vt habet S. Athanasius *in synopsi*. Deinde ea quæ erant in ipsis deprauata, & corrupta Iudæorum captiuorum incuria, vel hostium nequitia, correxit, & emendauit, vt habet Rabbanus *lib.* 2. *Instit. Cleric. cap.* 54. Item ea in vnum corpus, seu volumen redegit, cum antea sparsim, & separatim reperirentur, vt habet Torniellus *sub anno* 3610.*num.*19. ex quo (notat ipse *num.*21. & Salianus *sub anno* 3621. *n.*10.) ortum habet, vt ratio temporis non obseruetur in sacris libris, & partibus ipsorum, vt in Ieremia, Daniele, & alijs. Sed hoc melius refundi debet in specialem Dei prouidentiam, ostendere volentis S. Scripturam non humana dispositione, sed iuxta voluntatem ipsius ordinatam esse, prout ex Augustino, Beda, & Glossa ordinar. *in c.* 35.*Ierem.* tandem resoluit ipse Torniellus. Adduntetiā prędicti Auctores aliqua vocabula exoleta locorum, quę in sacra Scriptura reperiebantur, in alia recentiora commutasse. Addere & nos possumus ex D. Hieronymo *in Prologo Galeato* Esdram nouas litteras Hebraicas inuenisse, easque tradidisse Iudæis, antiquas autem reliquisse

Esdræ studiū circa Biblia quale.

Quæ gesserit.

Nouas litteras an inuenerit.

quisse Samaritanis; quod & comprobant Bellarminus, & Torniellus relati. Sunt etiam, qui credant ipsum, assistente illi Spiritu sancto, quædam libris sacris addidisse, quæ deesse videbantur, qualia sunt quæ de morte Moysis habentur in fine Deuteronomij, & in fine Prophetiæ Ieremiæ de Regno Euilmerodach, & similia, de quibus Torniellus relatus, & Salianus *sub anno mundi* 3621. *n.* 10. Denique Genebrardus *lib.* 2. *sua Chronolog.* ait, quod Esdras, & viri Synagogæ magnæ diuino afflati spiritu Scripturas sacras distinxerunt *in Pesukim*, hoc est, versus, cum antea continuatæ essent, ac si esset vnicus versus. De quo idem Torniellus.

9 Ex hoc autem diligentissimo studio, quod noster Esdras circa sacra volumina exercuit, occasionem quoque sumpsit instituendi Congregationem, seu Ordinem Scribarum, qui sui instar Legem ad litteram interpretarentur, difficultates illius explicarent, librosq; sacros intactos semper haberent, & conseruarent. Ita enim tradunt Galatinus *lib.* 1. *de arcanis c.* 4. Genebrardus *lib.* 2. *Chronolog. circa ann. mund.* 3638. *&* *circa ann.* 3984. & Torniellus relatus *num.* 24. Dicuntur autem tunc instituti, non quia primò eo tempore cœperint, constat enim ex dictis *sub anno* 3230. pluribus annis ante Esdram fuisse in Israel. Vnde ipse Genebrardus *lib.* 1. *Chronolog. circa ann. mundi* 2727. expresse nominat Scribas circa Iosue seculum, dicens: *Scribæ, siue Doctores de genere Cin, siue Iethronis soceri Moysis per Hammath Rechabitarum patrem inhabitarunt Iabes* 1. *Paralipom.* 2. & *eod.* 1. *lib. Chronolog. circa ann. mundi* 3272. circa Iorami seculum etiam commemorat Scribas; loquens enim de Rechabitis filijs Ionadab, inquit: *Vocantur Scribæ, siue Doctores* 1. *Paralipom.* 2. Eo ergo solum sensu ab Esdra institutos esse Scribas asserere debemus, quatenus ab ipso excitati, & propagati fuerunt. Vnde rectè Serarius *in Triharesio lib.* 2. *c.* 7. *in fine* inquit: *Neque verius ijdem Thalmudici asserũt eos* (videlicet Scribas) *ab Esdra ipso conditos, cum antea iam fuerint, & ipse tantum inter eos suo tempore summus, & omnium quasi Princeps*. Quod & nos asserimus. Cum verò iuxta dicta *sub eo anno* 3230. Scribæ ad Ordinem Propheticum quodammodo spectarint, proculdubio asserendum est Esdram eiusdem Prophetici Ordinis propagatorem, vel si placet, reformatorem appellari posse. Addit Galatinus relatus hos Scribas, seu Sapientes tantæ esse auctoritatis apud Iudæos, vt eorum scripta primum post Prophetas locum obtineant: *Neque tamen* (inquit) *immeritò, cum eorum doctrina à Prophetis ipsis, quorum ipsi & discipuli, & successores fuerunt, eis immediatè tradita fuerit*. Quo ea, quæ diximus de Scribis, quod scilicet ad Prophetarum Ordinem spectarent, robur accipiunt.

Instituit Congregationem Scribarum.

Quo sensu id accipiendum.

Ordinis Prophetici propagator.

piunt. Id verò quod addimus de Scribis ab Esdra institutis pro librorum sacrorum explanatione, robur etiam accipit ex eo, quod relatus Galatinus ex Hebræorum traditione refert, videlicet expositionem Legis simul cum Lege traditam à Deo Moysi, quasi per manus deriuatam ad ipsum Esdram peruenisse per Iosue, Phinees, Heli, Samuelem, Dauid, Achiam, Eliam, Elisæum, Ioiadam, Zachariam, Oseam, Amos, Isaiam, Michæam, Ioelem, Nahum, Abacuch, Sophoniam, Ieremiam, & Baruch. Potuit ergo illam tradere Scribis, & ad hunc finem, vt ipsam conseruarent, eorum Congregationem excitare.

Quo pacto id factum est.

10 Res ergo sic accidit, quatenus ex relatis elicere possumus. Essenorum, seu Assidæorum Institutum paulò ante hoc tempus ex Rechabitis excitatum, vel propagatum fuit, iuxta dicta in præcedentibus *sub anno* 3545. Quia ergo pro conseruandis, exponendis, & interpretandis sacris voluminibus necessarij erant aliqui inter Iudæos, qui veluti Magistri, & Doctores id munus exercerent, designatis aliquibus ex ipsis vtpotè doctioribus, & peritioribus rem Esdras commendauit. Qui etsi Esseni, vel Assidæi religione essent, *Scribæ* tamen propterea appellati sunt. Vnde 1. *Machabæorum* 7. *v.* 12. & 13. Assidæi, & Scribæ simul pronunciantur, dum dicitur: *Conuenerunt ad Alcimum, & Bacbidem Congregatio Scribarum requirere quæ iusta sunt, & primi Assidæi, &c.* Vbi etiam expēdendum verbum illud *Congregatio*, quo denotatur *Scribas* fuisse viros alicuius Ordinis vel Instituti, prout & indicat Torniellus *vt supra*, dum: inquit *Ab Esdra primo Scriba institutum fuisse Ordinem Scribarum.* Hæc autem nomina *Congregatio*, & *Ordo* proculdubio designant Ordinem Propheticum, ad quem spectasse diximus. Quare id quod prædictus Genebrardus *circa ann.* 3638. *ex Thalmud tract. Baba Bathra c.* 1. notauit, videlicet post destructum Templum sublatam fuisse Prophetiam à Prophetis, & datam Legisperitis, sic accipiendum, vt verum teneat; scilicet Prophetæ nomen non fuisse tam commune, sicut prius in Israël, mutatum enim est in Essenorum, Assidæorum, & Scribarum, eisque datum quandoque donum Prophetiæ à Deo. Sed hoc non à tempore destructi Templi computandum, sed potius à tempore reædificati, cum cōstet post destructum Templum Ezechielem, Danielem, Aggæum, Zachariam, Esdram, & Malachiam appellari Prophetas.

Quomodo sublata Prophetia à Prophetis.

Secta Pseudo-Essenorum.

11 Circa hoc tempus regressus Iudæorum è Babylone sub ducibus Esdra, & Nehemia, quantum colligi potest ex Epiphanio referendo, ortum habuit secta illa Pseudo-Essenorum apud Samaritas, de quibus *sub anno* 3545. *n.* 41. dictum est. Cum enim, vt ibidem diximus,

ximus, veluti simiæ Iudæorum essent, ipsorumque æmuli, & aduersarij, viderentque, quòd non admitterentur simul cum ipsis ad Templi Domini restaurationem, prout clarè habetur 1. *Esdræ* 4. & quòd propterea ipsi quasi Schismatici haberentur, litesque, & contentiones inter ipsos orirentur, propter Iudæos, qui per eorum regiones transibant, dum irent ad celebrandum festiuitates à Lege præscriptas in Ierosolymitano Templo, transposuerunt tempora prædictarum festiuitatum alijs temporibus, contra Legis mandatum, quamuis in alijs cum Iudæis conuenirent. Hoc dogma primò secuti sunt Sebuæi, & illis adhæserunt Esseni vicini ipsis. Ita habetur ex S. Epiphanio *heres.* 10. 11. & 12. quod vtinam animaduerterent Doctores aliqui, qui ex hoc Epiphanij loco Essenos omnes veluti hæreticos condemnare præsumunt, cum tamen ille solùm loquatur de Essenis Samaritis, eis scilicet, qui (vt inquit *heres.* 12.) sunt *vicini ipsis*. Quo ergo iure hoc ad Essenos alios Orthodoxos per totam Iudæam, & Palæstinam diffusos extendere volunt?

Anni mundi 3622. vsque ad 3629. ante Christum 431. vsque ad 424.



1 ERAT sub hoc tempore Nehemias in Perside, quo, vt habetur 2. *Esdræ* 13. profectus à Iudæa fuerat anno 32. Artaxerxis, qui correspondet anno 3621. Cum autem, vt ibi habetur, *in fine dierum* (intellige Regis) vt exponunt Genebrardus, & Torniellus venisset in Ierusalem, post octo annos, videlicet sub anno 3629. inuenit multa mala, quæ ibi fiebant. Eliasib enim summus Sacerdos in gratiam Tobiæ alienigenæ, fecerat ei thesaurum, seu gazophylacium in vestibulo domus Dei; partes Leuitarum, & Cantorum non dabantur, Sabbatha non custodiebantur, ac connubia illicita à Iudæis cum alienigenis contrahebantur. Ijs ergo omnibus remedium opportunum adhibuit, Tobiæ thesaurum è domo Dei eiecit, Leuitas, & Cantores in suum locum, & ius restituit, Sabbathi obseruantiam indixit, & abusum affinitatum malè contractarum correxit. Sacra Scriptura 2. *Esdræ* 13. & Expositores *ibidem*. Nehemias venit in Ierusalem.

2 Quo etiam tempore huius reformationis per Nehemiam facta, saltem ex parte, contigisse videntur, quæ de Assidæorum, seu Essenorum Instituti Prophetici, vt diximus, hominum pijs exercitijs Serarius *in Minerauli lib.* 5. *c.* 11. ex Iosepho Scaligero, & Ioanne Drusio (etsi non sanæ fidei auctoribus) extraxit. Ijs ea ratione solum Assidæorum institutum.

Tt cre-

credendum existimamus, quatenus ipsi ex reconditis Rabbinorum scrinijs, qui accuratiùs illa conseruare soliti sunt (etsi non omnino fideliter) deprompserunt, quæ sic referimus, theorematum instar, aliquo singulis adiuncto examine. *Erant Assidai quidam, qui vulgo dicuntur Confratres.* Hoc nomen Instituti, & Ordinis est, ac proinde ex eo firmatur id, quod sæpius inculcauimus de Ordine Prophetico, ad quem spectabant. *Qui præter ea quæ tenebantur ex Lege facere, etiam sponte impendia quadam in Templum, & in sacrificia faciebant.* Hoc etiam denotat statum quasi Religiosum, proprium enim Religiosorum est operibus consilij, & supererogationis attendere. *Non solùm, vt ex præscripto Legis viuerent, sed etiam, si quid ex verbis Legis per consequentias, & interpretationes erui posset, et satisfacere teneri, & cum omnia fecerint, nihil fecisse videri, siue ad eleemosynas, & officia pia, quæ Hebraicè dicuntur Gemiluth Chesidim, item ad sarta tecta Templi, & ad sacrificia.* Hoc etiam confirmat statum illorum extra communem populi, & supra communia præcepta fuisse. *Sarta tecta Templi maiori ex parte curabant, & voluntarios sumptus faciebant.* quod tendit ad idem. *Hoc Institutum mordicus tenentes à sanctis Dei Prophetis,* Elianis videlicet. De quo iam diximus *sub anno* 3545. *nu.* 14 *Vnusquisq; pendebat vectigal ad sarta tecta Templi iam à temporibus Esdræ, & Nehemiæ.* Propter hanc causam hæc sub hoc tempore recensemus. *Præter illud constitutum tributum sponte* Assidæi *plura erogabant, tam ad ipsum Sanctuarium, quàm ad muros, & porticus.* Hæc iam supra expendimus. *Nunquam fere recedebant à Templo, ita vt quasi illud peculiare habere viderentur, & nunquam temere per aliud, quam per Templum iurarent hammahon hazeh, item hammalon hazech, per hoc habitaculum, vel per hanc domum.* Quibus sanè maximi Dei cultores, & Templi ipsius veneratores ostendebantur. *Meritò vocati Chesidim, vel quia à sanctis Prophetis eorum Collegium institutum* (Ecce Ordinem Propheticum indigitatum) *vel potius à pijs operibus, & ab ædificijs sacris ab illis instauratis, & à fundamentis excitatis.* Quo ea quæ supra diximus, magis corroborantur. *Tribuebant nouem horas orationi, cum alij tres tantum ei darent.* In quo maximè Religiosi, & Prophetarum Eliæ, & discipulorum sectatores monstrabantur. *Vocatur autem Congregatio sancta, vt quidam volunt, quia laborabant in Lege, hyeme, æstate, & cum opus facerent, vt alij censent, quia distribuebant diem in tres partes, quarum vna dabant precationi, alteram Legi, tertiam operi.* In quibus etiam nedum Religiosiores, sed & nouæ Legis Religiosorum veluti prototypon fuisse demonstrantur. *Decem res illis peculiares erant. Prima, non attollere oculos vltra decem cubitos. Secunda, non incedere retecto capite,* Ter-

Qui fuerint. | Prophetarum progenies. | Statuta ipsorũ.

Tertia stabilire tres refectiones. Quarta, disponere cor suum ad precationem. Quinta, non respicere ad latera. Sexta, circuire, ne molestia cœtum afficerent. Septima, non edere in conuiuijs potentum. Octaua, si quem ad iram prouocauerant, statim eum placare. Nona, vocem dulcem habere, & descendere, vel demittere, sed ad interrogationem Legis. Decima, assuescere ijs filis, qui tsitsith vocantur, & phylacterijs, quæ Thephyllim dicunt. Ex quibus, ijs exceptis, quæ propria Mosaicæ Legis erant, alia communia sunt in Lege Christi strictioris obseruantiæ Regularibus, quæ vtinam omnes pari diligentia ac ipsi opere exercerent.

3 De quibusdam superstitionibus, quas illis aliqui tribuunt, alibi erit sermo, id solùm pro nunc animaduertentes, multa eo tempore Legis Moysis sine superstitionis periculo admitti posse, quæ nunc vt tales à Christicolis reijciuntur. Inter illas tamen nullatenus recensendum, quod ipsis aliqui adscribũt, & inter eos Gaspar Sãchez *in c.2. lib.1. Machab. nu.39.* ipsos videlicet sacramento, aut Templi custodiæ, aut sacræ militiæ addictos fuisse, quales sunt nostra ætate Militarium Ordinum Equites. Quæ enim in hoc superstitionis, vel vmbra conspicitur? De alijs.

4 Superstitione quoque carent alia, quæ ipsis tribuit Drusius *lib.1. de tribus sectis Iudæor. c.12.* quæ etiam placuit hic intexere, quia pietatem non modò illius æui, sed & Christianorum Monachorum sapiunt, etsi ex Rabbinorum scrinijs extracta etiam sint: *Quotidie hostiam immolabant.* Quod de Baba Assidæo filio Buta ibi refert: *Assidæi custodiebant se etiam à cogitatione.* Ad differentiam sanè eorum, qui erroneè putabant hominem non peccare cogitatione. *Voluntas eorum non erat absque voluntate cæli, idest, Dei*, iuxta factum Assidæi illius, de quo narratio extat in tractatu de sabbatho. *Omnes sapientes, & Assidæi, qui inter eos erant, fugiebant ex Vrbe.* Assidæi antiqui dicebant: *Remitte, & condona ijs, qui vexant me.* Vnde de quodam ipsorum refertur, quod dum in forum, aut vehiculum ascenderet, dicere solitus erat: *Remitte & condona omnibus, qui me vexant.* Assidæi priores *tardabant ad horam vnam, quo præpararent cor suum ad Deum.* Item, *æstimabant res prout spirituales erant, non corporales.* Præterea, *In mensa de Lege sermo erat, & dabant ex ea pauperibus.* Demum, *iudicabant omnem hominem lance æquitatis.* Hæc omnia pijssima sunt, & pijssimorum hominum tesseræ.

Anni mundi 3630. vsque ad 3640. ante Christum 342. vsque ad 413.

Artaxerxes diuturnus Rex.

1 RTAXERXIS Persarum Monarcha quòd se benignum, & beneuolum in Dei populum demonstrauerit, Estherem in vxorem acceperit, Esdram, & Nehemiam pro reędificandis Vrbe, & Tēplo in Iudæam miserit, Mardochæum, & Iudæos omnes ab Amanis sæuissima tyrannide liberauerit, diuturni Regni dono à Deo decoratus videtur. Quadragesimum namque sui Imperij annum cōpleuit, vt putabat ex Thucidide Scalig. *lib. 5. de emendat. temporū*, & colligitur ex Diodoro *lib. 2.* Eusebio, & alijs, quos plures sequuntur. Huic successit circa annum 3630. Xerxes eius filius huius nominis secundus, qui à Sogdiano fratre occisus breui tempore dumtaxat Imperatorem egit. Sogdianus etiam non multo post vi, doloque interemptus vitam, Imperiumque perdidit. Post eos Darius etiam Artaxerxis filius illegitimus, vt dicunt, & Nothus appellatus ad nouemdecim annos regnum tenuit, sic ex Eusebio, Diodoro, & Beda Torniellus *sub annis* 3630. & 3631.

Xerxes successor.

Sogdianus.

Darius Nothus.

Esdræ mors.

2 Anno autem huius Dárij Nothi circiter decimo, qui correspōdet anno 3640. vel circiter obijsse credimus famosissimum illum Esdram Sacerdotem, Scribam, & Prophetam, imò Scribarum, & Prophetici Ordinis suo tempore alumnorum (iuxta dicta in præcedentibus) Principem. Etsi enim 2. *Esdræ* 12. ipse videatur nominatim recensuisse Pontifices, qui fuerunt vsque ad Ieiodan, siue Iaddum, quem credunt fuisse Pontificem tempore, quo Alexander magnus Ierosolymam venit, tamen, quia difficile credi potest, vsque ad id tempus peruenisse, ideo existimare par est, quod si ipse est auctor eius libri, id solùm propheticè prænouerit. Multò minus credibile est, quod Genebrardus *lib. 2. Chronolog. circa ann.* 3760. ex R. Abraham scripsit, scilicet eo tempore, quo Alexander Ierosolymam adijt, obijsse Esdram, Zachariam, Aggæum, & Malachiam, hæc enim nec veritati, nec ijs, quæ in superioribus diximus, congruere possunt. Congruentiùs ergo existimandum est circa hoc tempus obiisse, cum Torniello *sub anno* 3610. *in fine*, etsi nihil de mortis ipsius genere, aut modo in ipso, aut alio vsque modo reperiamus.

Scriptor rerum Eliæ.

3 Illud tamen pro coronide gestorum ipsius addere possumus, eum videlicet, à pluribus existimari fuisse scriptorem rerum Eliæ, quæ *in 3. & 4. libris Regum* continetur. Si enim dicamus cum pluribus

ribus ex vetustioribus Patribus eum fuisse reparatorem spiritu prophetico Bibliorum deperditorum, cum interea fuerint prædicti tertius, & quartus liber Regum, manifestè inde fit illum vocari posse scriptorem rerum gestarũ ab Elia. Si verò afferamus eum dumtaxat fuisse seruatorem, & emendatorem sacrorum librorum, iuxta dicta in præcedentibus, illi quoque accepta debebitur Elianæ historiæ relatio. Vtcunque res fuerit, Eliæ gesta ab ipso scripta, vel promulgata fuere cum libris Regum. De quo Lyranus *præfat. in Bibl.* Comestor. *in Histor. Scholast.* Abulensis *prolog. in 3. lib. Regum*, Driedo *lib. 1. cap. 3.* Serarius *in prologomen. Biblia.* & Ægidius Camartus *de rebus gestis Eliæ c. 10. sect. 1.* vbi doctè prosequitur intentum.

Anni mundi 3641. vsque ad 3650. ante Christum 412. vsque ad 403.



E his annis, & pluribus ex sequentibus, cum nihil sacra Pagina probat, nihil quoque, quod ad nostrum Propheticum Ordinem spectet, proferre possumus. Sub hoc tamen tempore, circa annũ videlicet 3650. regnare cœpit in Persarum Monarchia post Darij Nothi mortem alius Artaxerxes *Mnemon*, idest *memor*, ob insignẽ memoriam, qua præditus erat. Eius vitam fusiùs scribit Plutarchus sub titulo *Artaxerxis*. Putat Torniellus hunc fuisse Assuerum Estheris maritum, Mardochæi & Iudæorum defensorem, de quo in superioribus plura. Nos tamen contrariam secuti sumus sententiam cum Bellarmino, & alijs; cum quibus diximus eum, qui in libro Esther Assuerus nominatur, maritus ipsius, & Iudæorum benefactor, fuisse Artaxerxem Longimanum, non hunc Mnemonem. Vide Bellarm. *lib. 1. de verbo Dei c. 7.* Artaxerxes Mnemon.

Anni mundi 3651. vsque ad 3689. ante Christum 402. vsque ad 364.



E his etiam annis altissimum silentium Historiæ sacræ tenent. Post Esdræ namque, & Nehemiæ gesta, quę in libris 1. & 2. *Esdræ* referuntur vsque ad Machabæos nihil habetur, vt notat Genebrardus *in Chronol. lib. 2. circa ann. mundi* 3638. nihilominus, quia ipso Genebrardo teste eodem *lib. 2. sub anno* 3944. Esseni eo tempore valdè augebantur, ideo certum fit sub tempore præsente post eorum Essenorum propagatio.

Institutionem crescere, & propagari cœpisse; sub nomine videlicet Essenorum, vel Assidæorum, vel etiam Scribarum, de illis loquendo, qui inter illos doctiores, & peritiores erant.

2 Illa ergo, quæ de Essenis practicis referunt Philo *in lib. quod omnis probus sit liber*, & Iosephus *lib. 13. antiquit. c. 8. lib. 18. c. 2. l. 2. de Bello c. 7.* & Theoricis, seu speculatiuis idem Philo *in libro de vita contemplatiua* huius seculi Essenis, seu Assidæis iure applicari possunt, cum eorum Institutum iam à multis annis, vt diximus, cœperit. Vnde etiam ab hoc æuo alij Theorici, alij practici erant, sicut alij coniuges, alij cælibes. Plures proinde Iudææ vrbes incolebant, sodalitia, cœtus vel collegia faciebant, practici manuaria opera tractantes ac suis se laboribus sustentantes, Theorici verò plus quieti, orationi, lectioni, & veterum Prophetarum oraculis incumbentes. Etsi autem temperantia omnibus communis esset, rigidior tamen in istis, quam in illis cernebatur, idemque de amictu corporis, lectisternijs, & similibus vtensilibus suspicamur. Cerimoniosiores quoque hos quam illos fuisse facilè credi datur, propter maiorem vitæ austeritatem.

Eorum institutum.

3 Aliqua nihilominus, quæ de suis Essenis asserit Iosephus ab huius seculi Assidæis, seu Essenis remoueri debent. Primùm illud de sacrificando extra Templum Hierosolymitanum, de quo *lib. 18. c. 2* hoc enim cum Lege prohibitum esset, admitti non debet in ijs, qui sanctiores, & religiosiores cœteris erant, quemadmodum Magi apud Persas, apud Indos Gymnosophistæ, & apud Græcos Pythagorici. Quare si Iosephus loquatur de Essenis veteris Legis, solum ad pseudo Essenos Samaritas applicandum est, si vero de ijs quos suo tempore agnouit, quia inter eos plures Christiani erant, de illis quidem admittendum. Pariter id quod subiungit, præposuisse scilicet sacrificijs suas lustrationes, non ad veros Essenos veteris Legis applicandum, sed ad falsos. Si autem de Essenis post Christum, seu Christianis loquatur, eo sensu admittendum; quatenus sacrificijs Mosaicis, quæ iam cessauerant, proprias cerimonias pias anteponebant.

An sacrificauerint extra Templum.

4 De exteris historijs omittendum non est his annis duos celeberrimos Philosophos, Platonem videlicet Academicorum, & Aristotelem Peripateticorum Principes claruisse, ex quibus Plato natus perhibetur circa ann. mundi 3625. prout ex Laertio *lib. 3. in initio*, & Athenæo *lib. 5.* infertur. Genus ipsius ad Solonem, & Codrum refert Laertius. Doctrina fuit tam egregius, vt veluti diuina, & ipse quasi diuinus censeretur. Hinc illa Numenij Pythagorici vox: *Quid est Plato, nisi Moyses atticè loquens?* Allegorijs plenam fuisse ex eo elicitur, quòd Græci cum Philonica conferant. Teste enim Hieronymo

Plato, & Aristoteles floret.

Plato quis.

nymo de Scriptoribus Ecclesiast. vulgò apud Græcos dicitur, *aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo*. Nuptiarum autem, & corporeæ omnis commixtionis expertem mortuum esse traditur.

5 Aristoteles autem, qui Olympiade nonagesima nona, quæ anno 3670. correspondet, natus est, filius fuit Nicomachi, & Phæstidis, eiusdem Platonis auditor factus Olympiade 103. quæ anno 3686. occurrit, & apud ipsum viginti annos commoratus. Post Platonis mortem primùm apud Hermeiam triennio vixit, inde Mitylenem, insignem Lesbo Insulæ vrbem venit, vnde sibi viam parauit, vt ad Philippum Macedonum Regem, vt Alexandrum filium instrueret, accersiri posset, de quo in sequentibus. Dionysius Halicarnassæus, Laertius, & alij. Aristoteles.

Anni mundi 3690. vsque ad 3715. ante Christum 363. vsque ad 338.



1 NOVVS Persarum Monarcha sub hoc anno imperare cœpit. Mortuo namque Artaxerxe Mnemone, alius Artaxerxes Ochus cognominatus, quod *magnum* interpretari perhibent, successit. Sic enim ex Eusebio, Beda, & alijs antiquioribus recentiores Annalistæ eliciunt Plutarcho relicto, qui longiorem vitam Mnemoni concessit. Tenuisse regnum Ochum viginti sex annis, ex eisdem Eusebio, & Adone habetur, licet vltra vigesimum tertium non processisse Diodorus Siculus *lib.* 15. Sulpitius Seuerus, & plures alij asserant. Illud certius post Ochi mortem Arsem eius filium Imperio suffectum ex arbitrio Bagoas Eunuchi, illudque per aliquot paucos annos gubernasse. Torniellus *sub anno* 3716. Salianus *sub anno* 3713. *n.* 1. Artaxerxes Ochus.

2 Ea quæ desunt Historijs sacris sub hoc tempore, ex Iosepho à *c.* 7. *lib.* 11. *antiquit. Iudaic.* suppleri debent, vt habet Genebrardus 2. *tom. Chronolog. circa ann.* 3638. quia ergo casum illum de pollutione Templi, & pœnam, quam propterea Deus Iudæis inflixit, de quibus idem Iosephus *eo cap.* 7. agit, hoc tempore accidisse credunt ijdem, Torniellus, & Salianus sub anno 3690. ideo recensendus nunc erit. Quidam Iesus summi Sacerdotis, quem Iosephus Ioannem vocat, frater Bagosis Ducis Artaxerxis amicitia fretus contra fratrem suum in Templo adeo acriter altercatus est, vt ab eo in templo ipso (quod inauditum erat) interficeretur. Quo cognito Bagoses Templum violauit in illud ingressus, & per septem annos necem illatam puniuit, Iudæos cogendo, vt pro quotidianis hostijs vnoquoque anno Templi prophanatio.

anno vectigal soluerent drachmarum quinquaginta. Non paruam proinde tristitiam attulit ignominiosa hæc in Templum, & sacrificia iniuria illata Essenis, seu Assidæis nostris, qui spontanea impendia in sacrificijs faciebant, nunquam fermè à Templo recedentes, sed illud summa reuerentia venerantes, iuxta dicta in superioribus.

Alexander Magnus.

3 Hoc etiam tempore circa ann. videlicet 3698. ex Philippo Macedonum Rege, & Olympiade Neoptolemi Regis Molossorum filia natus perhibetur Alexander cognomento *Magnus*, prout ex Plutarcho, & Eusebio tuentur plures ex recentioribus. Qui etiam illud eiusdem Plutarchi afferunt, tres videlicet faustos nuncios eodem die accepisse Philippum, primò Illyrios à Parmenione eiusdem Philippi duce fuisse superatos; secundò in ludis Olympicis se equi pernicitate victorem declaratum; tertiò, natum esse Alexandrum. Eius aliqua gesta, quæ nostræ Historiæ coniunctiora fuerint, & quòd ipse caput tertiæ Græcorum Monarchiæ extiterit, in sequentibus referemus.

Eliæ discipuli in Sarephta.

4 Circa idem etiam tempus, & annum 3703. non modica mala perpessos esse Eliæ discipulos Carmeli incolas, etsi qui forsan in Sarephta Sydoniorum, prout credibile est, tunc erant in mansione à tempore eiusdem Eliæ ibi existente, iuxta dicta ex sententia doctissimi Vvaldensis *sub anno* 3154.*n*.12. suspicari possumus. Suspicionis ansam præbet, quod Artaxerxes Ochus Persarum Imperator, à Phœnicibus (quibus iunctus est Carmelus) & Sydonijs irritatus contra ipsos grauissima bella mouit eosque superauit, ac subiugauit, magnaque clade illata ipsorum Ciuitates in deditionem accepit. Diodorus Siculus *lib*. 16. Ab hac autem communi Phœniciæ, & Sydoniorum miseria immunes non fuisse tum Carmeli, tum Saraphtæ incolas non incongruè autumari potest.

Anni mundi 3716. vsque ad 3729. ante Christum 337. vsque ad 324.

Darius vltimus Persarũ monarcha.

1 IS annis 3716. videlicet, aut 3718. iuxta varia Chronologorum placita, vltimus Persarum Monarcha Dareus communiter Darius, Arsa patre interrempto, Imperij clauum, curante Bagoa Eunucho tenere cœpit. Hic Bagoas, seu Bagoses, qui Templum Domini, vt vidimus, violauit, Artaxerxem Ochum, & liberos eius, Arsem etiam, & prolem interemit, cum & Darium potione necare instituerit, ab ipso, insidijs patefactis, eam sumere coactus, sceleftus homo

homo occiditur: Sic feliciter regnare potuisset Darius, nisi Deus regnum ipsius, totamque Monarchiam ad Alexandrum Magnum, qui hoc etiam tempore Philippo patri successit, præparasset. Is enim Hellespontum veniens, in Asiam traiecit, Persas vicit, in Lydiam processit, plures vrbes occupauit, & cum Dario Monarcha pugnans illum superauit, & fugauit, eiusque gazas, & familiam suo dominio subiecit. Iosephus 11. *Antiquit. cap.* 7. Diodorus *lib.* 16. *&* 17. Iustinus *lib.* 9. Torniellus *sub anno* 3718. & sequentibus.

2 Nec modicum etiam tunc inquietudinis, & perturbationis saltem, detrimentum, nostros Carmeli, & aliorum Phœniciæ locorum incolas tolerasse ob maximos tumultus bellicos Alexandri potentia illis in locis sub hoc tempore excitatos, credibile valde est. Etenim post Darium victum, Damascum occupatam, aliasque Asiæ ciuitates receptas, ipse interea in Phœniciam profectus, Aradum insulam, Marachum, Biblon, & Sydonem recepit, Tyrum expugnauit, totamque prouinciam, quæ Carmelo, vt diximus, confinis est, subegit. Iosephus *lib.* 11. *c.* 8. Diodor. *lib.* 17. Incommoda perpessi Carmeli incolas.

3 Similis quoque perturbationis expertes non fuisse Essenos, & alios Ordinis Prophetici cultores Ierosolymam, & Iudæam hoc tempore habitantes, non incongruè ex dicendis elici potest. Cum enim Alexáder pro bellis, quæ gerebat, auxilium litteris scriptis ad Iaddum Iudæorum Pontificem postulasset, & quod ea, quæ prius Dario conferre solitus erat, ei exhiberet, Pontifexque nuncijs respondisset, sacramento se obligatum Dario, ne arma contra eum sumeret, iratus Alexander ruinam Iudæis, & Pontifici minatus est. Tyro ergo, Gaza, & alijs vrbibus expugnatis, Ierosolymam properè petijt, vbi quæ Iosephus *lib.* 11. *cap* 8. refert, etsi à quibusdam in dubium reuocentur, acciderunt: *Alexander* (inquit) *capta Gaza Ierosolymam ascendere festinauit. Quod Princeps Sacerdotum Iaddus audiens, in pauore est constitutus, moliebatur Iaddus quemadmodum Macedonibus festinus occurreret, rege indignante propter priorem contumaciam. Præcipiens igitur populo supplicationem, & immolationem Deo offerre, ipse deprecabatur subuenire genti, venturisque eum liberare periculis, obdormienti verò post sacrificium Deus præcepit, vt confideret, sertisque Ciuitatem ornaret, protinusque portas aperiret, & alios quidem cum veste alba, ipsum autem, & reliquos Sacerdotes cum legitimis stolis iussit occurrere, nihil sæuum sperantes pati, Deo prouidente. Cumque à sopore surrexisset, valde congaudens nocturnum oraculum omnibus indicauit, & quæ vidit in somno cunctis facere mandans, Regis præsentiam expectabat. Quem audiens non longe esse à Ciuitate, processit cum Sacerdotibus, & ciuili multitudine,*

Et Essenos.

Alexander Ierosolymam petijt.

Iaddus Sacerdos.

Alexandro occurrit.

ne, sacram & maiorem alijs gentibus ei preparans occursionem, ad aliquem locum, qui Saphin appellatur, quod nomen Latine translatum Scopulum *significat, ex quo loco Ierosolyma, Templumque potuisset videri. Phœnices verò, & Chaldæi Regem secuti, putabant, quia quicquid potuisset furor imperialis permittere in Ciuitatem, ipse committeret, & vt Principem Sacerdotum summis afficeret contumelijs. Quod e diuerso contigit euenire. Nam Alexander præuidens multitudinem vestibus albis indutam, antistites vero cum byssinis stolis, & principem Sacerdotum hyacintina, & aurea stola, super caput habentem cidarim, & super laminam auream, in qua scriptum erat Dei nomen, adijt eum solus, & numen adorauit, & Principem Sacerdotum primus veneratus est. Omnibus verò Iudæis vna voce Alexandrum salutantibus, & circumstantibus, Syriæ Reges, & reliqui hoc facientem stupuerunt, corruptamque Regis mentem putauerunt. Parmenio verò solus eum interrogauit, cur omnibus eum adorātibus ipse adorasset Principem Sacerdotum gentis Iudææ, cui ille: Non hunc, inquit, adoraui, sed Deum, cuius principatu Sacerdotij functus est. Nam per somnium in huiusmodi eum habitu conspexi, adhuc in Dio Ciuitate Macedoniæ constitutus. Dumque mecum cogitassem posse Asiam vincere, incitauit me, vt nequaquam negligerem, sed confidenter transirem. Nam se perducturum meum dicebat exercitum, & Persarum traditurum potentiam: ideoque neminem alium in tali stola videns, cum hunc aduertissem, habens visionis & probationis nocturne memoriam, salutaui, exinde arbitror diuino iuuamine me directum, Dariumque vicisse, virtutemque soluisse Persarum. Propterea & omnia, quæ meo corde sperantur, prouentura confido. Postquam Parmenioni locutus est, Principem Sacerdotum honorans, occurrentibus reliquis Sacerdotibus ad Ciuitatem vsque peruenit, & ad templum ascendens sacrificauit Deo secundum Sacerdotis ostensionem. Ipse autem Sacerdotum Principi, & reliquis Sacerdotibus munificenter multa donauit. Allato verò ei volumine Danielis, in quo scriptum erat, quemdam Græcorum deuicturum Persarum potentiam, arbitratus seipsum esse, quem Scriptura significabat, gauisus est. Et tunc quidem multitudinem dimisit. Postera autem die conuocans eos, iussit petere, quas vellent donationes accipere. Principe verò Sacerdotum petente, vt liceret patrijs vti legibus, & septimum annum sine tributis esse mandaret, omnia concessit. Cumque ab eo postulasset, vt Iudæos in Babylone, & Mediæ gente præciperet suis potiri legibus, promisit libenter facere, quæ poscebant. Dicente vero ipso ad multitudinem, si quis eligeret ei militare, permanens in patrijs legibus, & secundum eas viuens, paratum se eos ducere, se pugnaturos cum eo dixerunt.*

Benigne exceptus. Qua de causa. Alexander munificus.

Hu-

4 Huiufmodi autẽ communis lætitia populi proculdubio Effenos maximopere affecit, qui enim zelo Legis, & diuini cultus ardentiores inter Iudæos erant, maiori fane voluptate exciperent, quæ Alexandri fauoribus ad Dei honorem promouendum gefta cernebantur. Effeni lætabundi.

5 Triftitiæ autem nouæ illis caufa eodem tempore accidit, ficut & pfeudo-Effenis Samaritis iucunditatis, & lætitiæ. Cum enim quidam fatrapa genere Cutheus nomine Sanballetes, filius forfan vel nepos alterius Sanaballat, qui tempore Nehemiæ viuebat, & de quo in fuperioribus diximus à Dario in Samarię prouincia Princeps cõftitutus effet, & ab ipfo defeciffet, & ad Alexandrum cum octo millibus fuæ prouinciæ fe contuliffet, ope Alexandri innixus, eiufque habito confenfu Templum in Samaria in mõte Garizim, qui ipfi imminet, ædificauit, Ierofolymitano fimile, & in eo Manaffem generum fuum, ac fratrem Iaddi Summi Pontificis Iudæorum Sacerdotem conftituit, quo facto Samaritanorum fchifma inter Iudæos confirmatum eft, quod vfque ad Chrifti tempus peruenit, Iudæis Ierofolymitanis afferentibus folum in Ierofolymitano Templo Domino adorandum, Samaritis verò è contra idem de fuo Garizitano affirmantibus. Propterea enim *Ioann.* 4. *v.* 20. Samaritana mulier ad Chriftum dixit: ***Patres noftri in monte hoc,*** fcilicet Garizim, ***adorauerunt, & vos*** (videlicet Iudæi) ***dicitis, quia Ierofolymis eft locus, vbi adorare oportet.*** Fuit etiam hoc Garizitanum Templum plurium Iudæorum ruina; ad illud namque, & Samaritanorum regionem confugiebant non folùm, qui alienigenas vxores duxerant, vt ipfe Manaffes pfeudo-Sacerdos, fed etiam illi, qui illiciti cibi efu, Sabbathi violati, aut alicuius criminis contra Legem rei agnofcebantur. Refert hanc hiftoriam Iofephus *lib.* 11. *Antiquit. c.* 8. & alij poft ipfum. Ex ea autem ad noftrum intentum elicimus pfeudo-Effenorum cum Samaritanis commorantium fectam hoc tempore magnum incrementum fumpfiffe, noua hac Templi, & Sacerdotij erectione, & plurium Iudæorum acceffione, rectèque ***fub anno*** 3545. dictum fuiffe Samaritas veluti fimias Iudæorum ipforum Inftitutum æmulari ftuduiffe, quod hoc tempore maximè fecerunt, Templi, & Summi Sacerdotij æmuli Ierofolymitani fundatione.

Templum Garizitanum.

Schifma inter Iudæos, & Samaritanos.

Pfeudo-Effenorum incrementa.

6 Noui focij eodem etiam tempore Alexandri, vel paulo poft, pfeudo-Effenis Samaritis adiuncti funt, nouique fectarij, feu hæretici Iudæis exorti. Hi funt Saducæi, de quorum initio, etfi varia fint Doctorum placita, illud tamen magis receptum ab Ifadok, vel Sadoch huius fectæ auctore habuiffe originem. Ita enim ex Philaftrio,

Saducæorum ortus.

ftrio, Catholicis, hæreticis, & Rabbinis, colligit Serarius in *Triharesio lib. 2. c. 18.* modum autem institutionis sectæ sic habet Rabbi Abraham in Cabala historica, ex quo etiam ea, quæ diximus supra, magis elucidantur: *Venit Alexander in terram Israel, ad ipsius auditionem accessit Saaballat Horonites, et cæteri Cuthaeorum siue Samaritanorum Principes, eumque rogarunt, vt Sacerdotibus generis, et affinibus suis liceret ædificare ædem alteram sacram Garizim, itemque omnibus, qui duxerunt vxores alienigenas, nec eas volebant dimittere. Cui petitioni cum Rex assensisset, ædificarunt ædem. Tunc populus Israel in duas partes sectus est, vna secuta est Simeonem iustum, & Antignum discipulum ipsius, cætumque eius, idque iuxta ea, quæ traditione acceperant ab Ezra: altera Sanballat, et generosos ipsius. Itaq; obtulerunt holocausta, et sacrificia extra ædem Domini, decreta constituerunt, et iudicia, prout cor eorum dictitabat. In hoc fano Sacerdotis munere fungebatur Manasses Iosue filij Iosedech filius. Primarius erat Sadoch cum collega Baietos. Hoc fuit initium hæresis, nam Sadoch, et Baietos sese diuiserunt à magistro suo Antigno, et defecerunt ad fanum Montis Garizim.* Hæc iste Rabbinus, ex cuius verbis elici potest illum Simeonem, & Antignum eius discipulum, eorumque cœtum ex Scribis fuisse Esdræ discipulis. Fuerunt autem

Eorum errores.

isti Saducæi pessimi hæretici, negantes Spiritum sanctum, resurrectionem mortuorum, Angelos, animarum perpetuitatem, prœmium, aut supplicium post mortem. De quibus Iosephus *lib. 2. captiu. c. 12. et lib. 13. antiquit. cap. 9. et lib.* 18. c. 2. Epiphan. *hæres.* 14. & alij.

Danielis Prophetiæ adimpletio.

7 Adimpleta tandem est sub hoc eodem tempore Danielis Prophetia c. 8. de hirco caprarũ, & cornu grandi vincente arietem, de qua *sub anno* 3497. diximus. Aries enim ille ab hirco superatus Darius Persarum Rex erat, hircus verò eum vincens, & superans Græcorum seu Macedonum regnum fuit, & cornu illud grande Alexander Magnus. Cuius rei historia etsi annalibus nostris extranea, omittenda non est, & quia cunctis grata, & quod ex illa liquidò demonstratur verissimè dixisse Danielem c. 4. Nabuchodonosori, *quod dominatur excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Res er-

Historia victoriæ Alexandri contra Dariũ.

go, prout ex varijs, pluribusque Alexandri gestorum scriptoribus colligitur, sic erat. Ingentes copias, easque probè ad certamen instructas hoc tempore Darius habebat, vt victori Alexandro occurrere posset, legatos nihilominus semel, & bis ad ipsum misit ea occasione, quod vxorem ipsius mortuam planxerit, honorificè sepeliuerit, & honestissimè tractauerit, qui eum suo nomine laudarent, quòd familiam ipsius tam honestè tractasset, ac peterent, vt amicitia secum inita, filiarum alteram in vxorem acciperet, & in dotem quicquid

ter-

terrarum citra Euphratem esset, triaque (alij decem, alij triginta) dicunt) millia talentorum. Ea re ad concilium delâta, Parmenio ex primatibus Alexandri consiliarijs respondit: *Ego si Alexander essem, oblata acciperem.* At ille consiliantem retundens sic: *Acciperem & ego, si Parmenio essem.* Pacis ergo oblatæ conditionibus reiectis, Dario respondit: *Nec mundum duos soles, nec orbem duos summos Principes sustinere posse.* Vel ergo (inquit) Darius Alexandrum superiorem agnoscat, aut bellum paret. Ad certamen igitur vtrinque ventum est, vtroque Principe exercitum suum maxima cura, maximoque affectu ad fortiter pro gloria, pro salute, pro libertate pugnandum hortante. Erat, vt dicitur, Darij exercitus 40. millia equitum, & peditum decies centena millia, cum Alexandri copiæ solum septem equitum millibus, & peditum quadraginta constarêt. Denique pugnatum est, & Persarum in principio decantabatur victoria. Cum autem auriga Darij, qui curru vehebatur, hasta transfixus esset, Persæque Regem occisum credidissent, lugubri vlulatu, & incondito clamore totam ferme aciem æquo marte pugnantem turbauere. Tunc Darius currum suũ in fugam vertit, Arbellam peruenit, trans montes Armeniæ in Mediam fugit, Alexandrum permittens copias suas Susas, Babylonem, aliasque populosas vrbes, vbi infinita erat præda, deducere, gloriosè triumphare, & Asiæ Regem cognominari. Nec multo post grauiter vulneratus à suis vitam, & Imperium perdidit; Alexandro Imperatori, Persarum, Medorum, & Indorum monarchiam relinquens.

Reijcitur ab Alexandro.

Darij copiæ.

Alexandri.

Vincitur Darius.

Anni mundi 3730. vsque ad 3753. ante Christum 323. vsque ad 300.



IMPLEBATVR sub hoc tẽpore Prophetia illa Danielis c. 8. de qua *sub ann.* 3497. diximus, videlicet: *Hircus autem caprarũ magnus factus est nimis, cũq; creuisset, fractũ est cornu magnũ, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cæli.* Quod explicans Gabriel Angelus eidẽ Danieli inferius, dicit: *Porro hircus caprarũ Rex Græcorum est, et cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est Rex primus. Quod autẽ fracto illo surrexerunt quatuor Reges de gente eius cõsurgent, sed non in fortitudine eius.* Vt enim dictũ est, cornu illud magnũ hirci Alexandrum Magnum significat, Græcorum Imperij primum Monarcham, qui moriens quatuor post se Reges suæ monarchiæ heredes, & successores reliquit, quod qualiter euenerit, pro nostræ historiæ luce explanare debemus. Anno primo Olympiadis 114. qui correspondet anno

Alia Danielis Prophetia adimpleta.

Diuiditur Alexandri Imperium.

3730. Alexandrum Babylone obijsse communiter auctores prodidere, specialiter Eusebius *lib.8. demonstrat.c.1.* & Diodorus *lib.17.* Diuisisse autem suum Imperium, cum adhuc viueret, expresse habetur 1. *Machabaeor.1.v.6.* & 7. illis verbis: *Et cognouit, quia moreretur, & vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuuentute, & diuisit illis regnum suum, cum adhuc viueret.* Vnde corrigendi sunt Iustinus, & alij asserentes eam diuisionem post mortem ipsius factam, nisi velimus dicere cum Torniello *sub hoc anno nu.5.* fuisse ab eo, dum viueret, indictam, sed post eius obitum à Perdicca intimo eius ministro executam. Quo pacto id factum S. Hieronym. *in Daniel.8.* describit: *Post Alexandrum in quatuor ventos cæli, Orientem videlicet, & Occidentem, Meridiem, & Septentrionem Regnum illius diuisum est. In Aegypto enim primus regnauit Ptolemaus Lagi filius, idest ad Meridiem; in Macedonia Philippus, qui & Aridæus frater Alexandri, idest ad Occidentem; Syriæ, & Babylonis, & superiorum locorum Seleucus Nicanor, idest ad Orientem; Asiæ, & Ponti, cæterarumque in ipsa plaga prouinciarum Antigonus, idest ad Septentrionem. Hæc secundum totius orbis plagas dicimus. Cæterum, qui in Iudæa est, ad Aquilonem Syriam, & ad Meridiem Aegyptum habet. Quod autem ait: Et non in posteros eius; hoc significat, quod liberos non habuerit, sed regnum ipsius in alienos laceratum sit, excepto fratre Philippo, qui Macedonas tenuit. Neque secundum potentiam illius, qui dominatus est. Diuisum enim in quatuor partes regnum, imbecillius fuit, dum aduersum se dimicant, & intestino furore bacchantur. Lacerabitur enim eius regnum etiam in exteros, exceptis his. Præter regna quatuor, Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, Aegypti, etiam in alios obscuriores, & minores Reges, Macedonum regnum laceratum est. Significat autem Perdiccam, & Crateron, & Lysimachum: nam Cappadocia, & Armenia, Bithynia, & Hereclea, Bosphorusq; & aliæ prouinciæ de potestate Macedonum recedentes, diuersos sibi Reges constituerunt.* Hucusque sanctus Hieronymus.

Quo pacto ex S. Hieronymo

Aristotelis casus.

2 Aristoteles, de quo alia dicturos in præcedenti promisimus, post Alexandri mortem, cum tredecim annis docuisset Athenis, schola, & docendi munere Theoprasto relictis, clam in Chalcidem metu mortis secessit, vel ob id, quod aliquid in deorum contumeliam dixisset, cum ipse vnum tantùm Deum agnosceret, vel quia ob mutationem regiminis, Athenis ab aliquibus sibi metuebat. Ibi ergo existens, morte præoccupatur, tertio anno Olympiadis 114. mundi videlicet 3732. ætatis suæ fermè 63. Veneno hausto quidam obijsse credunt, alij morbo naturali. Illud autem de Aristotelis morte, quod se in mare abiecisset, quia reciprocos illius cursus capere non posset, fabulo-

bulosum reputatur. Laertius *in vita Aristotelis*, Dionysius *in epistol. ad Ammaeum*, & alij.

3 Turbines etiam hoc tēpore, & angustiæ erant Essenis, alijsque Prophetici Ordinis Professoribus in Phœnicia, & Iudæia existētibus, prout ex eis, qui tunc contigerunt rumores, pro comperto haberi potest. Cum enim Ptolemæus Lagi, qui, vt dictum manet, post Alexandri mortem Ægyptum possidebat, ea non contentus portione, Phœniciam & Syriam appeteret, misso ibi copioso exercitu, Syriam totam in potestatem redegit, Phœniciæ vrbes subiecit, Ierosolymam die Sabbathi occupauit, & Iudæos plures in Ægyptum secum duxit. Iosephus *de antiquitat. Iudaic. lib. 12. c. 1.* Eusebius *in Chronic.* & alij. De alijs similiter ab Alexandri successoribus in Syria, & Iudæa per id tempus, discordijs, & bellis suscitatis, de quibus Historici loquuntur, idem prorsus iudicari potest, ex eis videlicet plurima eisdem Essenis, & Prophetici Ordinis alumnis prouenisse incommoda, & damna, quæ ob monumentorum illius æui paucitatem recensere non possumus. Turbines, & angustiæ inter Essenos.

Anni mundi 3754. vsque ad 3765. ante Christum 299. vsque ad 288.

1 PER hæc circiter tempora Ptolemæi in Ægypto regnantis Summum Pontificatum tenuit in Iudæa Simon filius illius Oziæ primi, qui Iaddo, vt ait Iosephus *lib. 11. cap. vlt.* successerat. Sic enim ex Eusebio *in Chronic.* habet Salianus *sub anno 3754. num. 1.* Fuit hic Simon, teste eodem Iosepho *lib. 12. c. 2. Iustus appellatus propter pietatem, quam in Deum, & fauorem, quem erga Regem habere videbatur*. Ex Ordine Scribarum, & Esdræ discipulorum fuisse, ex R. Abraham in Cabala historica elicimus. Ibi enim habet: *Populus Israel in duas partes sectus est, vna secuta est Simeonem Iustum, & Antignum discipulum ipsius, cœtumque eius, idque iuxta illud, quod traditione acceperunt ab Esdra*. Illum etiam appellat Bouldncus *l. 1. de Ecclesia ante Legem c. 17.* Cedmonæum, & ex Enoscæorum societate, quo & Essenum fuisse denotat, cum apud hunc auctorem, Enoscæorum, & Essenorum cognomina idē importent. Est ille, de quo *Ecclesiast. 50.* mira celebrantur præconia, ab illis verbis: *Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit Templum*. Vt habent Iansenius *ibid.* Genebrardus *lib. 2. Chronolog sub anno 3830.* Torniellus *anno mundi 3744.* & alij, quorum aliqua nobis expendenda Simon Summus Pōtifex. Celebratus in Ecclesiastico.

sunt, quia in eis proculdubio cooperatores, & adiutores habuit Essenos, seu Assidæos nostros, de quibus in superioribus. Primò in illis: *In vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit Templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est*. Siquidem, iuxta dicta *sub anno* 3622. prædicti Esseni, vel Assidæi *sponte impendia quadam in Templum faciebant*. Item contribuebant *ad sarta tecta Templi*. Præterea: *Sarta tecta Templi maiori ex parte curabant*. Ad hæc: *Vnusquisque pendebat vectigal ad sarta tecta Templi*. Secundò in illis: *Ingressum domus & atrij amplificauit*. In eo namque etiam cooperatores fuisse præfatos Assidæos manifestatur, quæ eo loco diximus, videlicet quod *præter constitutum tributum spontè plura erogabant tam ad ipsum Sanctuarium, quam ad muros, & porticus*. Illud etiam: *Circa illum corona fratrum*, eos quoque denotare videtur, qui, vt ibi dictum est, vocabantur quasi *confratres*. Similiter & illud: *Ingressum domus, & atrij amplificauit*; iuxta Glossæ interlinealis expositionem, quæ sic id explicat: *Ingressus domus, & atrij est ordo Doctorum*, non dissonat intento, cum illius temporis Doctores, Scribæ videlicet, ex his nostris Essenis fuerint, iuxta dicta *sub anno* 3230.

Esseni, seu Assidæi coadiutores.

2 Quemadmodum autem Iudæa & Ierusalem Simonis summi Sacerdotis, & verorum Essenorum pietate magis, ac magis hoc tempore amplificabatur, dicente Ecclesiastico *c.* 50. relato de Simone: *Præualuit amplificare Ciuitatem*, sic è contra ob Samaritanorum, & pseudo-Essenorum in Samaria existentium, iuxta dicta *sub an.* 3545. nequitiam, Deo prouidente, factum est, teste Eusebio *in Chronic.* vt sub ineūte Olympiade 121. (quæ correspondet anno 3758. Demetrius, qui bonam Syriæ partem tunc tenebat, Samaritanorum vrbem vastasset, vel quia pro Ptolemęo stare vellet, vt Salianus *sub eo anno n.* 9. suspicatur, vel, vt credimus, illis a Deo missum, ob schisma tam perniciosum quod contra Iudæos fouebant, maximè post Templi Garizitani, & noui Sacerdotis erectionem, de qua *sub anno* 3716. dictum manet.

Samaria vastatur.

3 Seleucus interea Asiæ Rex, cum Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apanicam, Edessam, Berceam, & Pellam Ciuitates fundasset; primæ nomen patris tribuens, secundæ matris, tertiæ suum, quartæ vxoris, & reliquis vrbium Macedoniæ Iudæis ius ciuium, & municipalem ordinem cum Græcis æqualiter in eis concessit, Iosephus *lib.* 12. *antiquit. cap.* 3 Eusebius *in Chronic. c.* 3. Salianus *sub anno* 3764. *n.* 1. Cum quibus & aliquot ex Essenis, & Assidæis, qui cæterorum Doctores, & magistri essent, iuxta dicta in superioribus, conuenisse, iure existimandum est.

Seleucus Asiæ Rex.

Anni

Anni mundi 3766. vsque ad 3796. ante Christum 287. vsque ad 257.

1 OVVM Iudæorum Pontificem, ipsumque insignẽ hoc tempus præstat, Eleazarum videlicet, de quo Iosephus *lib. 12.c.2.* Eusebius *in Chronic.* & alij, quem vel ex eo clarissimum putare debemus, quod sub ipso celeberrima illa sacræ Scripturæ versio per Septuaginta duos illos seniores, procurante Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege facta est. Historia sane omnibus iucunda, sacræ Scripturæ studiosis perutilis, nec à nostrorum Annalium scopo aliena, cum plures ex illis senioribus ex Essenis, vel Assidæis fuerint, vt inferius dicetur. Pro ea autem magis elucidanda, præmittenda sunt S.Hieronymi verba *in illud Danielis 11. vers. 5. Et de Principibus eius prævalebit super eum, & dominabitur ditione, multa enim dominatio eius.* Vbi sic Hieron. *Iste est Ptolemæus Philadelphus secundus Rex Aegypti, filius Ptolemai superioris* (idest Lagi) *sub quo 70. Interpretes Alexandria Scripturam sanctam in Gracum dicuntur vertisse sermonem, qui & Eleazaro Pontifici multa Ierosolymam, & in Templi donaria vasa transmisit, cuius Bibliothecæ præfuit Demetrius Phaleræus, idem apud Græcos Orator, & Philosophus, tantaque potentia fuisse narratur, vt Ptolemaum fratrem vinceret. Narrant enim Historia habuisse eum peditum 200.millia, equitum 20.millia, currunm verò duo millia, elephantos, quos primus eduxit ex Aethiopia 400.naues longas, quas nunc liburnas vocant, 1500. alias ad cibaria militum deportanda 1000. auri quoque & argenti grande pondus, ita vt de Aegypto per singulos annos 14800. talenta argenti acceperit, & frumenti attabas quinquies, & decies centena millia.* Hæc Hieronymus, quæ etiam repetunt Beda *in lib. de sex ætatibus*, & alij.

Eleazarus summus Sacerdos.

Historia de translatione 70. interpretum.

S. Hieronymus.

2 Huius ergo Ptolemæi tempore, prout communior sententia tenet, Hieronymi relati, Augustini 18. *de Ciuit.c.42.* & aliorum post Aristęã, qui hanc historiam primus testis scripsit, Philonem *lib.2. de vita Moysis*, & Iosephum *lib.12. antiquit. cap.2.* insignis hæc versio facta est. De anno Ptolemæi discordant auctores; quidam enim ad principium Regni eius eam referunt; alij ad finem, postremosque annos ipsius; alij ad tempus intermedium; nos autem illorum discussioni rem hanc remittentes, cum Saliano *sub anno* 3775. qui rem hanc diligenter tractauit, ad septimum, vel octauum ipsius annum pertinuisse credimus.

Quo tempore facta.

Quæ occasione. 3 Occasionem facti communiter omnes ex Aristea, & Iosepho eam afferunt, quod Philadelphus nobilissimam Alexandriæ Bibliothecam condere volens, cùm agnouisset Iudæorum libros eius Bibliothecæ maximum ornamentum fore, quos summo studio, vtpote sacros, & à Deo ipso inspiratos conseruabant, decreuerit tum beneficijs, tum precibus, & litteris eos allicere, vt libros istos ad se mitterent, simul cum viris doctis, qui eos ex Hebraico idiomate solis Hebræis noto in Græcum transferrent. Pluribus ergo Iudæorum millibus, qui apud se erant in captiuitatem ducti à Ptolemæo Lagi ipsius parente, seruitute liberatis, donis pretiosis pro Dei Templo Ierosolymitano missis, epistolisque ad Eleazarum Summum Pontificem Iudæorum datis, ab eo medijs Andrea, & Aristæa nuncijs postulauit, vt libros sacros, simulq; Interpretes ipsorum ad se transmitteret. Eleazarus autem litteris, & muneribus acceptis, Regi gratificaturus, humanissimam ad ipsum epistolam scripsit, gratias de donis acceptis retulit, hostias Deo pro ipso, & illi coniunctis obtulit, ac iuxta beneplacitum ipsius, ex singulis tribubus Israël senos, videlicet septuaginta duos viros, bonos, honestos, & ætate graues illi cum donarijs destinauit.

Scribit Ptolemæus ad summum Sacerdotem.

Qui 72. viros illi destinauit.

Aliqui ex illis Esseni, seu Assidæi. 4 Quòd inter huiusmodi probos, ætate, & doctrina graues septuaginta duos viros ab Eleazaro designatos, aliqui, si non plures, vel omnes, ex Essenis, vel Assidæis fuissent, ac proinde ex Ordinis Prophetici cultoribus eo tempore inter Iudæos commorantibus, nullus, vt credimus, doctus, aut prudens refragari poterit. Nec ex eo præcipuè huiusmodi nostrum assertum robur sumit, quod illi *Prophetæ* à pluribus appellantur, videlicet Philone *lib. 2. de vita Moysis*, Clem. Alexand. *lib. 1. Stromat.* & Genebrardo *lib. 2. Chronolog. sub anno* 3860. *&* 3880. & quod hoc Prophetæ nomine Propheticæ Professionis viros denotari dixerimus *in Apparatu c. 2. & sub anno* 3184. Cum enim isti ex eo solùm Prophetæ nuncupentur, quod Sacræ Scripturæ versionem separatim, & diuisim constituti, eodem sensu, eisdemque verbis fecerint, ideo ex hoc *Prophetæ* titulo non satis colligitur intentum. Meliùs id elicitur ex epistola Ptolemæi ad Eleazarum, quam refert relatus Aristeas, vbi conditiones virorum, quos postulabat, sic exprimit: *Qui & honestè vitam traduxerint, & in legum peritia sint exercitati, & interpretandi facultate polleant.* Cum enim dubium non sit, Eleazarum, iuxta Regis beneplacitum, cuncta fecisse, prout & in litteris responsiuis denotat, dicens: *Quæcunque tibi cordi fuerint, exequemur.* Et infra: *Elegimus honestos, & bonos viros, ætate graues, ex singulis tribubus senos.* Benè infertur viros ad Ptolemæum designatos, eas quali-

An Prophetæ.

Honesti, & probi viri.

qualitates habuisse, quas Rex exigebat. Alias verò in Essenis, & Assidæis præsertim repertas fuisse, manifestum est, cum ipsi honestissimè vitam traducerent, in Legis peritia exercitati essent, ac eam interpretandi facultate pollerent, iuxta dicta in superioribus: ex illis ergo aliqui, si non plures, aut omnes ex ijs missi erant. Idem cōfirmat ipse Aristæas, inquiens: *Eliguntur viri optimi, & doctrina præstantes, omnes claris parentibus orti, non Iudaicarum tantum litterarum eruditione excellentes, sed qui Græcam quoque linguam multa meditatione excoluerint. Quapropter ad legationes commodi semper, paratiq; aderant, munus huiusmodi, si quando res postulat, ipsi obeunt. Conciones etenim, & responsa de Lege mira facultate peragunt, & ad dicendum, & ad iudicandum prompti.* Quibus satis clarè denotatur, hos 72. viros ex Legisperitis, Doctoribus, & Scribis fuisse, quibus hæc propria munia erant, iuxta dicta *sub anno* 3230. Vnde Thalmudistæ in tractatu, quem vocant *Scribarum*, de illis scribunt. Cum autem Essenos, & Assidæos etiam Scribas fuisse *sub anno* 3608. *nu.* 10. dictum maneat, rectè sequitur intentum. Fauet Clem. Alexandr. *lib.* 1. *Stromat.* inquiens, quod hi viri erant apud Iudæos *probatissimi, & maximæ existimationis, Scripturarum periti*; quæ Essenorum notæ sunt. Eorum nomina ex Aristæa desumi possunt. Legisperiti, & Scribæ.

5 Alexandriam ergo venientes, & à Rege benignissimè excepti, magnifico apud eum conuiuio honorati fuerunt. In eo, teste Iosepho, illorum vnus nomine Elisæus Sacerdos precatione mensam consecrabat, & stans in medio, precatus est omnia fausta Regi simul, atque subditis, applausumque atque acclamatum est ab omnibus libenti, atque hilari animo. Erat autem hic idem Essenorum mos, vt idem Iosephus de illis scripsit *lib.* 2. *de bello Iudaico cap.* 7. dicens: *Voce cibum Sacerdos antencuit, neque gustare quemquam fas est, nisi prius Deo celebretur oratio.* Ex quo confirmatur id, quod diximus, scilicet inter hos viros aliquos, si non plures, vel omnes, Esseni Instituti fuisse. Alexandriam veniunt. Conuiuandi mos.

6 Post conuiuium aliquot dierum continuatum, ad locum, vbi sacrorum voluminum interpretatio facienda erat, Rege iubente, Demetrio verò Præfecto Bibliothecæ construendæ curante, omnibusq; necessarijs pręparatis, Interpretes ducuntur. Quis verò hic locus fuerit, quisuè modus interpretandi, magna concertatio est inter Patres, & Doctores; etsi namque omnes concorditer asserant in insula *Pharum* apud Alexandriam ductos, & congregatos fuisse, dissentiunt tamen, an in eadem domo, vel habitatione, an in diuersis, & separatis existentes, in eundem interpretandi modum conuenerint. D. namque Hieronym. aculeato stylo *in præfat. ad Pentateuchum*, quę est *epistola ad* Ducti ad locum destinatum. An vna, vel diuersæ mansiones.

Desi-

S. Hieronymi sententia. *Desiderium*, in eos inuehitur, qui putant diuersis cellulis diuisos, in eãdem miraculosè conuenisse omnes sententiam. Existimat enim in vna Basilica, seu domo congregatos, discussione facta, id, in quo conuenissent, elegisse. Habet pro se Hieronymus Aristæam, & Iosephum propugnatores, qui hos solummodo interpretatos fuisse sacram Scripturam scripserunt, eumque plerique postea sunt secuti, præsertim nouatores, qui diuina miracula dissimulare, extenuare, vel non credere sæpius consueuerunt: sed tanti Doctoris reuerentia, clarissimorum aliorum Patrum, & Doctorum placitum, asserentium diuersis cellulis (quas alij 72. alij 36. dicunt) constitutos, diuino inspirante lumine in eandem sententiam propheticè conuenisse, nobis complectendum est. Quod sequuntur sanctus Iustinus Martyr *in cohortatione ad Græcos*, vbi non solum ita accidisse, sed etiam vestigia domunculárum vidisse, audituque ex incolarum traditione accepisse affirmat. S. Irenæus *lib. 3. c. 25* Cyrillus Ierosolymitan. *Cathec. 4*. Epiphan. *lib. de ponderibus, & mensur.* D. August. 18. *de Ciuit. c. 42. & 43. & lib. 2. de doctr. Christ. c. 15.* & Ruffinus *lib. 2. contra Hieronym.* Quibus fauent Philo *lib. 2. de vita Moysis*; Tertullianus *in Apologet.* & Clem. Alexandr. *lib. 1. Stromat.* Ac ex recentioribus planè sequuntur plures, specialiter Leo Castrensis, Salmeron, Gretserus, Baronius, Serarius, & alij; ratioq; seu potius congruentia illis fauet. Quomodo enim sacrarum Scripturarum sanctitas Ptolemæo Regi, alijsque deinceps gentibus probaretur, si aliquo speciali diuinæ prouidentiæ signo illis noto non maneret commendata, præsertim cum semper dubitari posset Iudæos, qui ægrè admodum sacra volumina communicabant, non ea fideliter interpretatos esse. Credendum ergo est huiusmodi vetustiorum Patrum, veluti traditioni, & existimandum Aristeæ historiam ab impijs Iudæis in hac parte mutilatam esse, vt auctoritati versionis derogarent, qua sæpius in disputationibus confodi cernebantur, eademque de causa, vel alia simili Iosephum etiam Iudæum idem miraculum silentio dissimulasse. De quo Leo Castrensis *in disputat. de translat. sacræ Scripturæ*.

Aliorum placitum. Congruentia.

Absoluta versio. 7 Septuaginta ergo duobus diebus S. Scripturæ versione ab illis absoluta, solemnique imprecatione ab eisdem Interpretibus adhibita contra eos, qui addere, vel mutare ex ipsa quidquam auderent, in domum suam dimissi sunt cum ingentibus donis, & incredibilis valoris. De quo Aristeas, & Iosephus relati.

Anni

Anni mundi 3797. vſque ad 3806. ante Christum 256. vſque ad 247.

1  DIMPLETA videtur circa hoc tempus illa Danielis Prophetia *cap. 11. v. 6.* vbi ſic: *Et poſt finem annorum fœderabuntur, filiaque Regis Auſtri veniet ad Regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachij, nec ſtabit ſemen eius, & tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam adoleſcentes eius, & qui confortabant eam in temporibus.* Quæ ſic explicat S. Hieronymus ibidem, quem alij ſequuntur: *Fœderabuntur, Ptolemæus Philadelphus videlicet, Aegypti Rex,* cuius rogatu, vt diximus, ſeptuaginta Interpretum verſio facta eſt, *& Antiochus vocatus Deus, Rex Syriæ,* qui regnum ſuſceperat poſt aliū Antiochum appellatum *Soterem*, ſucceſſorem Seleuci Nicanoris, ad quem Syriæ Regnum poſt Alexandri mortem obuenerat, iuxta dicta *ſub anno* 3730. Hi enim duo Reges iampridem dimicauerant. *Filiaque Regis Auſtri veniet, &c.* id eſt, Berenices filia Ptolemæi, qui *Rex Auſtri* vocatur, eo quod Aegyptus ad Auſtrum ſita ſit, dabitur in coniugem Antiocho illi, conciliandæ amicitiæ cauſa. Dicitur autē: *Non obtinebit fortitudinem, nec ſtabit ſemen eius,* quia etſi eam in principio Antiochus in Regni conſortem acceperit, & Laodicen aliam in concubinam, poſt aliquod tamen tempus Laodicę amore ſuperatus, eam cum liberis in Regiam duxit. Vnde Berenices non perſeuerauit in Reginæ ſtatu. Quin ipſa, proles ipſius, imo & maritus a Laodice interfecti ſunt Hoc enim eſt, quod ſubiungitur: *Et tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam, &c.*

Danielis Prophetia adimpleta.

S. Hieronymi expoſitio.

2 Circa id tempus Eleazaro ſummo Iudæorum Sacerdoti ſucceſſor fuit in Pontificatu Manaſſes. Sic enim habetur ex Ioſepho *lib. 12. c. 3.* & Euſebio *in chronic.* ineunte videlicet Olympiade 131. quæ correſpondet anno mundi 3798. de quo pauca Hiſtorici.

Manaſſes ſuccedit in Sacerdotium.

3 His etiam temporibus, vel circiter aliqui clariſſimi viri inter Iudæos effulſerunt, de quibus, quia dubium eſt, an ex Eſſenorum, Aſſidęorum, vel Scribarum numero fuerint, cum geſta ipſorum id indicare videantur, aliquid dicendum. Inter hos vnus eſt Ieſus Sirach Ieroſolymita, qui, vt refert Genebrardus *lib. 2. chronolog. circa ann.* 3797. vnus fuit è ſeptuagintaduobus Interpretibus. Idque ſuadetur, quod in Ariſtæę Catalogo, vbi illi nominantur, tres huius nominis reperiuntur, tempuſque conſentit. Scripſit Hebraicè librum Eccleſiaſtici, quemadmodum expreſſè traditur in calce

Clariſſ'm. inter Iudæos Ieſus Sirach.

calce capitis penultimi. Nec hoc repugnat aliquorum sententiæ, asserentium auctorem huius libri fuisse Salomonem. Creditur enim hunc Iesum ex Salomonis sententijs a se collectis hunc librum confecisse, qui propterea tum Salomoni, tum ipsi tribuitur. Lege Iansenium *in Proœm. commentar. in Ecclesiasticum*, & Bellarmin. *lib. 1. de verb. Dei c. 14.* ac Genebrardum, *vt supra sub anno 3860.* vbi tam eum, quam Philonem, de quo infra, Prophetas appellare videtur. Coria vero *in chronic. Carmelitar. lib. 6. cap. 26.* ipsum inter Prophetici ordinis asseclas refert.

Philo Iudæus diuersus ab alio eiusdem nominis.

4 Alius est Philo Iudæus, qui etiam ex eodem 70. Interpretum numero creditur a Genebrardo, *vt supra*. Etsi enim tale nomen non reperiatur in Catalogo Aristææ, forsan binomius fuit, & alio nomine ibi vocatus, vt ait Salianus *sub anno 3775. num. 63.* Illud certissimum, diuersum fuisse ab alio Philone, qui tempore Caij, & Claudij Romanorum Imperatorum post Christum claruit. Tribuitur illi liber Sapientiæ, vt habet S. Hieronymus *in Prologo*; quia videlicet esto sententiæ illius sint Salomonis, vt patet ex *cap. 9.* illas tamen hic Philo in vnum corpus collegit. Alij eum tribuunt Iesu Sirach. Lege Genebrardum, *vt supra ad annum 3830.* Bellarmin. *lib. 1. de verbo Dei, cap. 13.* & nota librum hunc esse canonicum (quidquid in contrariū male dixerit Rupertus, vir alioquin egregius *lib. 3. commentar. in Genes. cap. 31.*)

Iesus Sidrach nepos.

5 Tertius est Iesus quoque Sidrach nepos illius, qui Ecclesiastici librum conscripsit, a quo liber ex Hebraico Græcus factus est, temporibus Ptolemæi Euergetis Regis Aegypti, vt ipse testatur. Cum enim sacra Biblia iam Græcè translata a 70. in Orbe conspicua cerneret, noluit hac gloria carere librum Ecclesiastici a suo auo Hebraicè solùm compositum. De eo Iansenius *in proœm. in Ecclesiastic.* Scaliger *lib. 4. & 5. de emendat. temp.*

Anni mundi 3807. vsque ad 3821. ante Christum 246. vsque ad 232.

Onias Pont.

1 

LIVM Iudæorum Pontificem Oniam Simonis Iusti (de quo sub anno 3754. dictum est) filium post mortem Menasses hoc tempus tribuir, vt videre est in Eusebio *in chronic.* Virum sane parum laudabilem, cum amatorem pecuniæ eum Iosephus depingat *lib. 12. cap. 3. & 4.* Ad hunc Oniam hoc nomine secundum, non ad alium eiusdem nominis tertium arbitratur probabiliter Salianus

sub

sub anno 3821. *num.* 2. missas fuisse litteras illas ab Ario, siue Areo Lacedęmoniorum Rege, de quibus 1. *Machab.* 12. sermo habetur, in quibus significabatur de societate, & fraternitate Spartiatarum cum Iudæis. Nouum pariter Aegypti Regem, videlicet Ptolemæum Euergetem, idest, benefactorem post Ptolemæi Philadelphi interitum, quam sanctus Hieronymus *in Daniel* 11. ipsius fratrem, Iustinus vero *lib.* 27. filium appellat. Illud certum, fuisse de prosapia ipsius, prout vel ex Danielis Prophetia, de qua modò, colligitur.

2 De illo enim prophetauerat Daniel *cap.* 11. *vers.* 7. sic: *Et stabit de germine radicum eius plantatio, & veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam Regis Aquilonis, & abutetur eis, & obtinebit. Insuper & deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti, & auri, captiua ducet in Aegyptum; ipse præualebit aduersus Regem Aquilonis, & intrabit in Regnum Rex Austri, & reuertetur ad terram suam.* Quorum verborum expositio, iuxta S. Hieronymum ibidem ea est: Occisa scilicet Berenice filia Philadelphi, ipsoque Philadelpho mortuo regnaturum hunc Euergetem Philadelphi fratrem, qui propterea vocatur *plantatio de germine radicum eius*, ipsumque venturum cum exercitu magno in prouinciam Seleuci cognomento *Callinici*, qui regnabat in Syria, ac eam obtenturum, secumque portaturum in Aegyptum simulacra deorum illius prouinciæ, & innumera vasa auri, & argenti. De qua victoria, & alijs circumstantijs Salianus *sub anno* 3809.

Danielis Prophetia.

Hieron. explanatio.

3 In hoc tempus, vel circiter referendum censemus Pharisæorum sectæ ortum, & initium, inter varias, sibique contrarias Doctorum de ea re sententias, quas priusquam referamus, vt curioso lectori satisfactum eat, illud prçmittendũ, de Pharisæis tractare alienum non esse Annalibus nostris, in quibus de Prophetici Ordinis alumnis agere institutum est. Etsi enim ipsi ad hunc Ordinem non spectent, quin potius ab ipso maximè deuient, propter inferius adducenda; quia tamen ex Essenis, vel Scribis prodierunt, non vt legitima, sed vt adulterina ipsorum proles, vt dicetur, Esseni autem, & Scribæ eiusdem Prophetici Ordinis partes censeantur, iu xta ea, quç in superioribus adduximus, ideo de Pharisæorum ortu aliquid dicere, & qualiter cum Essenis comparentur, extraneum nobis non est. Igitur Pharisæos ex Essenis prodijsse expresè habet Serarius *in Trihæresio lib.* 3. *cap.* 6. in fine illis verbis: *Liceat pari modo asserere, Pharisæos ex Essenis natos, quod & nomen diuisionis, a quo Pharisæi, & alia quæ infra ponentur, faciunt verisimilius.* Clarius in margine extractum est illud: *Potius ex Essenis Pharisæi.* Fauet illi ab eo relatus Ioannes

Pharisæorum ortus.

Ex Essenis prodeunt.

Drusius

Drusius *in libello de Assidæis*, vbi, etsi valde inconstanter Essenos Pharisæos vocat, ita vt prius Assidæi, postea Pharisæi, qui ex illis orti sunt, appellentur. Fauet & nominis Pharisæus etymologia, inter alias, quas Serarius *vt supra lib. 2. cap. 1.* refert, connumeranda, quod a *Phares*, idest, diuisio, & *Esseus*, seu Essenus originem trahere videtur, quasi Pharisæus sit idem, quod *Essenus diuisus*, seu diuisus ab Essenis. De quo plura suppeditat Boulducus. Primo enim *lib. 3. de Ecclesia ante legem c. 16. §. Ab illo ergo die*, ait quod quemadmodum a nomine *Rechab*, idest, *currus* in illo 4. *Reg. 2. vers. 12. Currus Israel*, denominati sunt Rechabitæ, Eliæ discipuli, sic & a verbo *Pharasim*, idest *Equites*, seu *Auriga*, eodem loco nomen desumpserint Pharisæi, tamquam Eliæ sectatores. Quod etiam repetit *lib. de Ecclesia post legem, cap. 7. §. Quantum ad Pharisæos*. Quinimo eo *cap. 7. §. Prioris generis*, Scribas, & Pharisæos Enoscæorũ, idest Essenorum sectatores appellat. Et dictę §. *Quantum ad Pharisæos*, expresè ait eiusdem sectæ fuisse cum Rechabitis. Ibidem etiam (quod magis spectat ad intentum) clarè dicit, quod *Secta Pharisæorum, tamquam ex Essenis oriunda vocatur Syriacè* Iousphanarischaia, *idest*, doctrina, & institutio prima. Item ibidem *c. 1. §. Quinto lex*, Pharisæos ab antiquis Enoscæis, & Prophetis originem traxisse comprobat. Et *c. 10. §. de sacramento Ordinis eos* Eliam sectari professos esse scribit.

Boulducij sententia.

Quo tẽpore cœperint.

4 Quo autem tempore cœperint, res est valde incerta. Diuus enim Hieronymus *in c. 8. Isaiæ*, quem sequitur Maldonatus *in cap. 2. & 5. Matthæi*, affirmat non multo ante tempora Christi extitisse. Quia tamen Iosephus grauis auctor, & ipse secta Pharisæus, *antiquitat. lib. 13. cap. 8* disertè asserit tempore Ionathæ Machabæi, qui 150. vel 160. annis ante Christum vixit, fuisse tres Iudæorum sectas, Essenorum scilicet, Pharisæorum, & Saducæorum, ideo pluribus annis ante Christum necesse est extitisse. Idcirco Genebrardus *lib. 2. chronolog.* sub Ionatha præfato Pharisæos, & Saducæos constituit, ac Essenos tunc auctos dicit. Quod quidem, etsi quoad Essenos verum teneat, & quoad Saducæos quid sentiendum sit, *sub anno 3716.* diximus; quoad Pharisæos tamen non placet. Primò, quia Iosephus non ait istas tunc enatas Sectas, sed quasi de ijs, quæ iam vigebant, loquens dicit: *Circa hoc tempus erant tres Iudæorum hæreses, &c.* Secundò, quia cum illa Ionathæ, & Machabęorum tempora bellicis tumultibus plenissima essent, vix credi potest in eis cœpisse hanc, vel aliam quamlibet hominum Congregationem, quæ vel specietenus pietatem redoleret. Rerum namque turbulentia talibus Institutis contraria est. Eamdem ob causam non placet, quod Adricomius

Genebr. sent.

mius in sua Ierusalem dicit ab Iasonis pseudo Pontificis tempore ipsorum initium desumendum esse. Neque enim schismatis tempus, quale tunc erat, aptum videtur huiusmodi Institutioni. Altius petendam credit Serarius *in Triharesio lib. 2. cap.* 13. a viris scilicet Synagogæ magnæ, quod & sequitur Boulducus relatus §. *Quantum ad Pharisæos*. Sed quia non explicant, quo tempore id acciderit, & videntur supponere gestum sub Esdra, sub quo potius Scribarum Cõgregatio sumpsit exordium, modo dicto *sub anno* 3608. immo ipsos viros Synagogæ magnæ Scribas fuisse colligitur ex Galatino *lib. 1. de Arcanis cap. 1.* ideo ne Scribarum, & Pharisæorum Institutionem confundamus, placet dicere sub hoc tempore, vel circiter Pharisæos incepisse. Hoc enim suadet Reipublicæ Iudæorum eo æuo pax, tranquillitas, & felicitas sub vtriusque Ptolemæi Aegypti Regis auspicijs, & quod tempus huius Institutionis ab alijs assignatum veritati non cohæreat propter dicta. Eorum exordium.

5 Id tamen concedi potest Serario, Pharisæos ex Scribis ortũ habuisse, vt superius diximus. Ab eis tamen valde diuersi erant. Scribæ namque iuxta dicta *sub anno* 3608. solùm ad id munus maximè sub Esdra ipsorum Propagatore, attendisse vidétur, vt libros Legis custodirent, legerent, & exponerent, & qui ex eis Ordinis Prophetici erant, iuxta dicta *sub anno* 3230. propria Ordinis exercerent: Pharisæorum autem dogmata, & instituta plurima erant, de quibus postea. Erant ergo tunc Scribæ, sicut nunc sunt Doctores, vel Magistri in Theologia: Pharisæi autem, sicut & Saducæi sectatores quarumdam sectarum, habentium certa Instituta, modumque viuendi, contingebat tamen sæpius, vt Pharisæi Scribæ essent, sicut modo in Lege Euangelica contigit, vt Religiosi aliquorum Ordinum sint etiam Doctores in Theologia. De quo bene, & clare, vt solet Abulensis *in Matth. 23. quæst. 12.* sic habet: *De Scribis dicendum, quod non erãt secta aliqua Iudæorum, sicut Pharisæi, & Saducæi, sed erant sapientes: nam viros doctos Sapientes vocamus, Græci verò Philosophos, Hebræi Scribas, Persæ autem Magos, & ideo cum Christus vellet dicere doctos in Lege, dicit Scribas, quia ita Iudæi loquuntur. Sciendum autem, quod licet ponantur hic Scribæ, & Pharisæi tanquam distincti, non distinguuntur inter se, sicut Pharisæus, & Saducæus, siue sicut opposita, quia nullus Pharisæus est Saducæus, neque è contrario, quia erant secta disparata, & quasi opposita, sed distinguuntur, sicut Grammaticus, & Dialecticus: quia licet aliud sit Grammaticum esse, aliud Dialecticum, tamen idem potest esse Grammaticus, & Dialecticus; sic etiam aliud est esse Scribam, quam Pharisæum, quia Scriba est esse Sapientem, Pha-* Pharisæi ex Scribis orti. Pharisæi quãdoque Scribæ erant.

riseum esse, erat habere modum certum viuendi, & sectam, & tamen accidit eundem esse Phariseum, & Scribam, idest, doctum in Lege.

206 Id vero, quod supra diximus, Pharisæos scilicet, & si ab Essenis ritibus diuisos, ab eis tamen & Scribis prodijsse, manifestius fiet ex mutua collatione dogmatum, & institutorum vtrorumque: ex ea enim vtrumque constabit, ac iure potuisse Essenos de Pharisæis illud 1. *Ioann.* 2. dicere: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Primo ergo ea, in quibus omnes conueniebant, deinde in quibus discordabant, recensebimus.

Pharisæi, ex Essenis.

207 Erant Pharisæi ex omnibus tribubus, non quemadmodum Sacerdotes, & Leuitæ ad vnam Leui tribum alligati. Colligitur ex illo Lucæ 5. v. 17. *Erant Pharisæi sedentes, & Legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem.* Et id habet Chrysost. *Matth.* 15. sic: *Esseni, Scribæ, & Asidæi ex omnibus tribubus erant.* Diximus hoc de Scribis *sub anno* 3230. & de Essenis constare potest legenti Philonem *in Apologia pro Iudæis, & in libro, quod omnis probus sit liber*, cum eos asserat, multas vrbes, multos vicos per Syriam, & Palæstinam supra quatuor millia incoluisse, *non ex genere*, sed ex amore virtutis huic Instituto incumbentes. Deinde Castitatis amatores erant Pharisæi, vt proinde S. Epiphanius *hæres.* 16. de quibusdam illorum dicat: *Cum se exercebant, præscribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis suæ continentiam.* Immo propter castitatem seruandam orationibus, & vigilijs incubuisse dicit. Hinc etiam Iosephus, qui Pharisæus erat, quanto tempore caste vixerit, in sua vita ipse refert. Hoc autem castitatis documentum ex Essenis progenitoribus accipere potuisse Pharisæos constat ex dictis *sub anno* 3545. *num.* 17. ex Iosepho, Philone, Plinio, & Solino. Ieiunijs quoque Pharisæi dediti erant. Ieiunabant enim bis in Sabbatho, secunda, & quinta die, vt habet idem Epiphanius, & colligitur ex *Matth.* 9. & *Luc.* 5. maximè ex *Luc.* 18. vbi Pharisæus ille superbus dicebat: *Ieiuno bis in Sabbatho*, idest, in hebdomade. Sic etiam Esseni, de quibus Philo in libro, *quod omni probus sit liber*, dicit: *Frugalitatem non vana existimatione ducentes esse quæstum maximum.* Et infra: *Viuunt continenter in laboribus complexi frugalitatem.* In *lib.* autem *de vita contemplatiua* sic: *Nec cibum, nec potum quisquam sumit ante Solis occasum.* Item: *Nonnulli ex his vix tertio quoque die famem sentiũt.* Et infra: *Vix sexto die degustant cibum necessarium.* Vbi plura alia ad intentum. Orationibus quoque sedulò vacabant, vt ex Epiphanio relato his verbis habetur: *Frequentius orant, crebrius certamen hoc aggre-*

Pharisæi, ex omni tribu.

Item Esseni.

Castitas Pharisæorum.

Essenorum.

Ieiunia Pharisæorum.

Essenorum.

aggrediebantur. Et ex Iosepho 18. *Antiquit. cap.* 2. dum inquit: *Orationum celebrationes* ipsos prædicasse; maximè ex *Luc.* 5. *Matth.* 23. & *Matth.* 6. id certò constat: quod & in Essenis comprobatur. Asseuerãte enim Philone *in lib. de vita contemplat. Quotidie bis precari solent.* Deinde: *Medium verò matutini, vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur.* Sabbathi obseruantissimi erant, immo supra modum, vt constat *Matth.* 12. *Luc.* 6. *et Ioan.* 9. Sic & Esseni: testante enim Philone *lib.* illo de probi viri libertate, *Recurrente die septimo, quem sacratum existimant, feriantur tunc ab omnibus alijs negotijs.* In libro autem *de vit. contemplatiua*, hæc & maiora reperiet Lector. De obedientia Pharisæorum hæc habet Iosephus *lib.* 18. *Antiquit. cap.* 2. *Præpositis nullo modo reluctantur, maiores natu competenti honore venerantur, ita vt nec contrarium alicui aliquando respondeant.* In quo etiam æmulatos fuisse Essenos, à quibus hæc haurire potuerunt, colligitur ex dictis de eorum obedientia *sub anno* 2545. *n.* 20. Carnis tandem mortificationi adeò incumbebant, vt vix credantur ea, quæ de ipsis Epiphanius relatus sic refert: *Alij ex ipsis asseres sibi ipsis parabant, et in has se ad vesperam locabant, vt si quis dormijsset, in pauimentum decideret, et rursus excitaretur ad orationem. Alij lapillos ex aquis collectos sibi ipsis substernebant, vt dum his pungerentur, non in profundum somnum deferrentur, sed vigilantiam sibi parare cogerentur.* Item quod maius erat, *alij spinas pro strato habebant.* In his autem, & alijs austeritatibus præceptores habere potuisse Essenos ex ijs, quæ Philo in vtroque illo relato libro scripsit, non incongruè elici potest.

Sic Esseni.

Vtrique obseruantissimi diei sabbathi.

Obedientia Pharisæorum

Et Essenorũ

Mortificatio carnis in vtrisque.

8 Differre tamen in multis ab Essenis Pharisæos, vt meritò propterea ab eisdem diuisos fuisse dixerimus, ex ipsismet auctoribus habetur. Primò enim in turpem illum errorem videntur Pharisæi inducti, vt dicerent aliquarum animarum fatendam esse transmigrationem. Quod Iosephus *Antiquit. lib.* 18. *c.* 2. sic exprimit: *Alias quidem animas æternis retrudi carceribus, alias autem facultatem reuiuiscendi percipere* (supple fatentur) *et ob hac populis quidem sunt acceptabiles, credibilesque.* Hinc enim ortum videtur, vt Christum Dominum *Matth.* 16. *num.* 14. crediderint *alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis*; quia scilicet vulgares homines à Pharisæis acceperant animarum sanctarum transmigrationem. Hoc autem de Essenis nullus dixit, nec somniauit. Astronomiæ vsum Pharisæis solitum tradit S. Epiphanius *loco relato*, & propterea planetis, zodiacique signis duodecim nomina quædam particularia affinxisse, quæ ipse refert. Quæ tamen omnino aliena ab Essenis erant, qui, vt Iosephus *lib.* 18. *Antiquit. c.* 2. *ad Deum cuncta redigunt.* Et vt Philo

Differebant in multis.

Pharisæorum error.

Non Essenorum.

Astronomiæ vacabant Pharisæi, non Esseni.

lo *in libro, quod omnis probus sit liber*, ait, neque dialecticam, neque philosophiam scrutabantur, *nisi quatenus de Creatore mundi, et eius creatione differit, in sola morali se exercent.* Non ergo in astrorum scientia exercebantur. De Pharisæorum exteriori ornatu, ac indumentis hæc habet Epiphanius: *Per amicula, et alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis, et calceamentorum ligulis procedentes.* Gestasse etiam fimbrias, & phylacteria habemus *ex Matth. 23.* illis verbis: *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Vbi Græcè additur, *vestimentorum, seu palliorum.* Erant autem hæc phylacteria secundum ipsũ Epiphanium *hæres. 15.* notæ quædam purpuræ; secundum alios, & communiter, chartæ quædam, seu membranæ, quas ad frontem ligabant, & in quibus Decalogi præcepta inscripta habebant. De indumentis autem Essenorum nihil tale habetur, quin potius, vt Iosephus *lib. 18. Antiquitat. c. 2.* inquit: *Habitus insumptuosus, et mundus.* & *de bello Iudaico lib. 2. c. 7.* ait: *Amictus autem, cultusque corporis omnibus pueris in metu, et sub cura magistri agentibus par est.* Iurareq; cum recipiuntur, cogi *neque veste, aut ambitioso aliquo ornatu reliquis eminere.* Item *de vita contemplat.* Philo: *In veste autem eadem apparet simplicitas in hyeme, æstate verò exomis, aut interula linea.* Quibus manifeste simplicitas habitus eorum commendatur. Voto aliquali, vel iuramento suum firmasse Institutum Essenos, ea, quæ diximus *sub anno 3545. n. 31.* suadent; Pharisęos autem vota aliqua emisisse pro suæ sectæ confirmatione nunquam legimus. Quod enim sanctus Epiphanius, vt supra, de illis inquit, quod *vota exactissimè soluebant*, aptè intelligitur de alijs votis. Paupertatis amãtissimos Essenos extitisse, immo vitę communis sectatores, *sub eo anno nu. 18.* comprobauimus. Pharisæi verò hanc vitæ rationem non sunt secuti, cum *Luce 16.* vocentur auari, & constet decimas bonorum, quæ singulatim habebant, soluere solitos esse. *Matth. 23. Luc. 11.* maximè *c. 18.* vbi Pharisæus dicebat: *Decimas do omnium, quæ possideo.* Pariter Essenorum fuisse collegia, cœtus, vel cœnobia, vbi collegialiter viuebant, *eo anno num. 26.* dictum manet. De Pharisęis verò nihil tale affirmari potest vllo fundamento. Tandem Essenos veros Eliani, & Prophetici Instituti alumnos appellandos *ibid. à nu. 35.* contendimus. De Pharisęis autem nec possumus, nec volumus id asserere, cum toto cęlo ipsorum vita à Prophetico Instituto aliena esset, qui hypocritę, auari, stulti, inanis glorię cupidi, & filij gehennę in Euangelijs appellantur. Vnde nec mirum (quod est pręcipua differẽtia inter Essenos, & Pharisęos) quòd illi nullatenus Christo Seruatori nostro contrarij fuerint, nunquam cum ipso contenderint, nullas ei verbo, aut facto tendiculas posuerint, nunquam

Ornatus Pharisæorum.

Essenorum habitus simplex.

Votum, vel iuramentum Essenorum, non Pharisæorum.

Paupertatis amatores Esseni, non Pharisæi.

Esseni collegia habebant, non Pharisæi.

Esseni Ordinis Eliani non verò Pharisæi.

Esseni nullatenus contrarij Christo Domino sicut Pharisæi.

ab

ab eo reprehensi sint, iuxta dicta *eo anno num.* 11. quin potius ipsum vt verum Filium Dei, & Messiam die Pentecostes agnouerunt, iuxta dicenda pro eo tempore. Pharisęi autem è conuerso eum contumacissimè, & peruersissimè offenderunt, accusantes, culpantes, calumniantes, capientes, & crucifigentes. Pereat ergo ipsorum memoria à nostris Annalibus.

9 Id tamen non prætereundum de illis, eos videlicet quædam pręclara Apophthegmata præscripsisse, quę quia à pijs Essenis mendicata credimus, omittenda non sunt. Primò enim de illis refertur illud: *In iudicio diu moraminor*. Quod conforme valdè est filiorum Prophetarum, à quibus Esseni traxerunt originem, iuxta dicta *sub anno* 3515.*n* 2. Iosue Parachites dicebat: *Magistrum tibi para*. Hoc etiam Prophetici, & Esseni Ordinis institutum apparet, vt colligitur ex Ioanne Ierosolymitano *in lib. de institut. Monachor. c.* 11. Simon Sarachius: *Esto in verbis tuis cautus*. Quod similiter Essenorum silentium redolet, de quo *sub anno* 3545.*n.*22. Pariter & illud R. Abtalionis: *Adhibete magnam in verbis vestris cautionem*. Et illud R. Schamei: *Loquere parum, & fac multum*. Ac illud R. Gamalielitis: *Non inueni taciturnitate corpori quidquam vtilius*. Ea verò R. Hilellis talia sunt, vt non Pharisæi, sed Christiani perfecti esse videantur: *Qui nomen suum celebrat, idipsum perdit, & qui non auget, auget.* Et: *Si non ego mihi, quis mihi? & cum ego mihi ipsi, quid ego? & si non modò, quando?* Ac: *Ne iudices proximum tuum, donec ad eius locum pertingas.* De quibusdam tandem Pharisæis in Oriente morantibus ante annos non plurimos hæc describebat Beniamin Iudæus *in suo Itinerario fol.* 75. quæ non tam de ipsis, quàm de Essenis Elianis dicta videntur: *Lugent Sion, & Ierosolymam deplorant, carnibus, & in vino abstinentes, pullatisque vestibus semper induti, specubus, aut casulis inhabitantes, cunctisq; diebus, prater sabbathum ieiunantes, assiduis etiam precibus Dei misericordiam, & nomen sanctum implorantes erga liberationem captiuitatis Israel*. Illud de *pullatis vestibus*, quod Carmelęum redolet habitum, hic notandum pro alio intento.

Pharisæorum apophtegmata.

Quidam Pharisæi in Oriente.

Anni mundi 3822. vſque ad 3846. ante Chriſtum 231. vſque ad 207.

Simon Summus Sacerdos. 1  OTVM hoc tempus Pontificatus noui Simonis Iudæorum ſummi Sacerdotis coniungimus ſimul, ſicut & in præcedentibus fecimus de Pontificatibus alterius Simonis, Eleazari, Manaſſis, & Oniæ Secundi, ob penuriam hiſtoriæ ſacræ, cum qua noſtri Prophetarum Ordinis notitia coniuncta eſt. Fuit hic Simon Oniæ præcedentis filius, vt habet Ioſephus *lib.* 12. *Antiquit. c.* 4. diuerſus ab eo, qui *Priſcus*, & *Iuſtus* dictus eſt, de quo in ſuperioribus, etſi in hoc hallucinatus fuerit Euſebius *in Chronic.* vt habet Salianus *ſub anno* 3822. *num.* 1.

Seleuci mors. 2 Obijt etiam per id tempus, circa annum videlicet 3827. vel paulò poſt Seleucus ille Callinicus Rex Aſiæ, Syriæque intitulatus, ex equo deiectus, vt refert Iuſtinus *lib.* 27. De quo Pererius. *lib.* 13. *in Daniel.* Regnauit pro ipſo Seleucus alius cognomento Ceraunus, de quo, & Antiocho fratre eius prophetauit Daniel *c.* 11. *v.* 10. illis verbis: *Filij autem eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituũ plurimorũ, & veniet properans, & inundans, & reuertetur, & cõcitabitur & congredietur cum robore eius* Quæ ſic explicat ibidẽ S. Hieronymus: *Poſt fugam, & mortem Seleuci Callinici duo filij eius, Seleucus cognomento Ceraunus, & Antiochus, qui appellatus eſt Magnus, prouocati ſpe victoriæ, & vltione parentis, exercitu congregato aduerſus Ptolemæum Philopatorem arma corripiunt. Cumque Seleucus maior frater tertio anno Imperij eſſet occiſus in Phrygia per dolum Nicanoris, & Apaturij, exercitus qui erat in Syria, Antiochum fratrem eius cognomento Magnum de Babylone vocauit ad regnum.* Hæc S. Hieronymus, cui ſimilia ferme Polybius *lib.* 5. & Appianus *ſub fin. libri de Bellis Syriacis*. Illud autem: *Et veniet properans, & inundans, & reuertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore eius*, explicat idem D. Hieronym. de iſto Antiocho *Magno* appellato, *quòd venerit de Babylonia in Syriam, quæ eo tempore tenebatur à Ptolemæo Philopatore filio Euergetis, qui quartus regnauit in Aegypto.*

Danielis Prophetia.

S. Hieronymi explanatio.

Alia Danielis Prophetia. 3 Pariter ea, quæ idẽ Daniel eo *c.* 11. *v.* 11. ſubiunxit, videlicet: *Et prouocatus Rex Auſtri egredietur, & pugnabit aduerſus Regem Aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu eius, & capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, & deijciet multa millia, ſed non præualebit*, etiam conſpiciebantur hoc tempore adimpleta

pleta. Interprete enim eodem Hieronymo: *Prouocatus Rex Aegypti Philopator amissa Syria proditione Theodosij congregauit plurimam multitudinem, et ingressus est aduersus Antiochum Magnum, et inito certamine iuxta oppidum Raphiæ, quod in foribus Aegypti est, omnem Antiochus amisit exercitum, et per deserta fugiens penè captus est.* Illud verò: *Deijciet multa millia, sed non prævalebit,* adimpletum est modo relato à Polybio *lib. 5.* quod scilicet ex exercitu Antiochi desiderati fuerint ferme decem millia, sed ipse captus non fuerit, Antiochiam tamen reuersus, inducias cum Ptolemæo per annum impetrauit. Expositio San. cti Hieronymi

4 Hac ergo victoria elatus Ptolemæus cum prauæ indolis homo esset, & qui patrem, ac matrem interfecerat, ex facinore cognomentum *Philopator*, à contrario, & per antiphrasin accipiens, vt placet Iustino *init. lib. 29.* vel esto quod id crimen non perpetrauerit, vt ex Polybio *lib. 2.* & Plutarcho in Cleomene colligi potest, quia lasciuiæ nimium deditus erat, pacem Iudæorum turbare, Templum Dei violare, ipsosque in magnum dispendium adducere decreuit, prout in tertio libro Machabæorum inter apochryphos numerato casus recensetur. Eum autem eò libentius referimus, quod magna ex parte Ordinis Prophetici alumnos, Assidæos videlicet, vel Essenos procul dubio tangat, qui ipsius Templi veluti perpetuæ excubiæ erant, pro eo stipendia spontanea faciebant, sarta tecta curabant, religioni, ac cultui Dei præ cæteris diligentiùs attendebant, iuxta dicta in superioribus, maximè *sub anno 3622.* ex quo colligi datur, hanc Iudæorum pro Dei Templo illibato seruando communem angustiam maiorem in ipsis, quàm in alijs fuisse. Ptolemæus. Historia ex 3 Machabæor.

5 Cùm ergo post præcedentem victoriam Syriæ ciuitates in Ptolemæo recipiendo, de ipsa gratulando, donisque offerendis certarent, ipseque eorum delubra inuiseret, donisque honoraret; Iudæi quoque huic officio minimè defuerunt, quin ex senioribus elegerũt, qui ei bene precarentur, munera donarent, & amoris signa ostenderent. Ille vrbis, Templique visendi desiderio accensus, Ierosolymam venit, Templum adijt, & oblatis Iudaico ritu sacrificijs; ædis sacræ pulchritudinem admiratus, etiam in Templi interiora, & *Sancta Sanctorum*, contra Iudæorum legitima, penetrare voluit. Illi è contra obsistentes, nulli, nisi summo Sacerdoti, & semel in anno, locum illum intrare permissum esse asserebant. Sed Rex insolentior factus, se omnino, sicut in alia delubrorum prophanorum penetralia, ingressurum asseuerabat. Hic Sacerdotum, Seniorum, populique totius omnis sexus, & ætatis gemitus, planctus, & tumultus, quibusdam etiam ad arma conuolantibus, cernebatur, sed meliori consilio accepto, oratione Ptolemæus Ierosolymam venit. In Sancta Sanctorum intrare contendit.

Flagellatur à Deo. ne ad Deum suppliciter fusa, diuinum adiutorium affuit. Deus enim elatum Regem flagellauit, hinc & inde vibrans eum, vt arundinem à vento, ita vt in solo iam inutilis, & membris resolutus, ne fari quidem posset, iusto iudicio implicatus. Quare amici, & corporis eius custodes ingenti timore perculsi, veriti, ne moreretur, eum citò extraxerunt. Is, etsi castigatus, non tamen emendatus, in Ægyptum perrexit, Iudæos vexauit omnes, litteris datis ad Principes subditos occidere voluit, quos tamen nouo miraculo liberauit Deus, prout in præfato 3. Machabæor. lib. prolixius habetur. Similia ferme refert Iosephus *lib. 2. contra Appionem*, euenisse Iudæis sub Physcone Ægypti Rege, cui credat, qui voluerit: hæc enim, quæ retulimus, sub Philopatore accidisse Auctor dicti tertij Machabæorum libri expressè affirmat.

Prælium Annibalis cum Romanis. 6 Quo etiam tempore celeberrimum illud prælium Annibalis Carthaginiensis cum Romanis apud Cannas contigit, quo Paulus Consul telis confossus occubuit, Terentius alius profugus abijt, duo alij Consules præcedentis anni interierunt, & Romanis tam magna clades illata est, plusquam quadraginta millibus occisis, & innumeris in captiuitatem retentis, vt si Annibal victoria vti nosset, Romam incunctanter petendo, de Romana Republica actum tunc esset. Mora ipsius populi Romani salus fuit. Tres modios aureorum annulorum, quos Romani gerebant, Carthaginem missos referunt. De his Liuius, Polybius, Florus, Zonaras, & alij.

Anni mundi 3847. vsque ad 3878. ante Christum 206. vsque ad 175.

Oniæ Pontificatus. 1 ERTIVS huius nominis Onias Pontificatum Iudæorum hoc anno gerere cœpit, iuxta Eusebij Chronicon. vbi secundo anno Olympiadis 143. qui illi correspondet, id tribuit. Putat ipse, & Iosephus *lib. 12. Antiquit. c. 5.* ad hunc Oniam missas esse litteras illas Arei, seu Arij Lacedæmoniorum Regis, de quibus 1. *Machabæor. 12.* sermo fit. Sed alij ad Oniam secundum, de quo sub anno 3807. dictum est, scriptas referunt. Illud certum hunc Oniam eximiæ virtutis, fortitudinis, pietatis, & integritatis virum fuisse, prout ex dicendis constabit, vt propterea ipsius tempore Assidæorum Ordinem valde floruisse, eius meritis, & religioni iure tribui possit. Horum mentio quia propria nostris Annalibus est, sub hoc tempore diligentius habenda; & inquirendum primò, quinam hi Assidæi fuerint, secundò

Oniæ eximiæ virtutis vir.

cundò cuius Instituti, Ordinis, vel Sectæ hominibus annumerandi.

2 Quoad primum, Assidæorum nomen tribus locis sacræ Scripturæ reperitur, videlicet 1. *Machabaeorum* 2. *vers.* 42. illis verbis: *Tunc congregata est ad eos Synagoga Assidæorum* (sic enim legitur in vulgata Sixti Quinti correcta) *fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in Lege*. Et 1. *Machabaeorum* 7. *vers.* 12. illis: *Et conuenerunt ad Alcimum, & Bachidem Congregatio Scribarum requirere, quæ iusta sunt, & primi Assidæi, qui erant in filijs Israel*. Item 2. *Machabaeorum* 14. *vers.* 6. vbi impius Alcimus ad Regem Demetrium dicebat: *Ipsi, qui dicuntur Assidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones mouent, nec patiuntur Regnum esse quietum*. Ex quo fit primò illos ex Iudæis, seu Hebræis natos fuisse. Ideo enim vocantur *Synagoga Assidæorum*, aliàs *Iudæorum*, & *ex Israel*. Item, *qui erant in filijs Israel*, ac *Assidæi Iudæorum*. Secundò Assidæorum nomen non esse familiæ, domus, aut cognationis. Nullus enim inter Christianos, aut Hebræos ita existimat, quin potius omnes in eo conueniunt, iuxta dicenda infra *num.* 4. vt sit nomen Ordinis, Congregationis, seu Instituti. Hoc enim notat nomen *Synagoga*, de quo 1. *Machab.* 2. & nomen *Congregatio*, de quo 1. *Machab.* 7. ac verbum illud: *Quibus præest Iudas Machabæus*, quod est 2. *Machabæorum* 14. Eo enim denotatur esse Congregationem quandam, cui vt caput, Princeps, vel Prælatus, Iudas præesset. Vocari autem posse *Sectam* rectè docet Serarius *in Mineruali lib.* 5. *cap.* 9. Hoc enim nomen, sicut & *hæresis*, in bonam etiam partem sæpiùs sumitur, iuxta dicta *sub anno* 3545. *n.* 40. & probat dictus Serarius ibidem ex Synesio, Eusebio, Tertulliano, Cypriano, & Solone. Drusius etiam in libello de Assidæis eos *Sectam* appellat. Sed purior est vox *Instituti*, quam eis tribuit Iosephus Scaliger *in Elench. Trihæres. cap.* 22.

Assidæorum institutum.

Non est familia, aut domus, sed Congregatio.

3 Quoad nominis Etymologiam, plurium sententia est, *Assidæos ab assiduitate cultus diuini* fuisse dictos. Ita S. Thomas, & Rabanus apud Serarium inferius referendum, Hugo Cardinalis in 2. *Machabæor.* 14. Lyranus, & Dionysius *in* 1. *Machab.* 7. Quorum placitum proculdubio valdè probabile est (etsi noster Vvastelius contradicat *in vindic. Ioann. Ierosolymit. libr. art.* 6. §. 3.) tum quia Doctores isti doctissimi sunt, & Lyranus in Hebraica lingua versatissimus, tum quia clarè explicat non solum, *quod nominis* Assidæorum, sed etiam, *quod rei*, cum diuinis vacare præcipuum eorum munus fuerit, vt ex dicendis constabit. Nec propterea reijcienda, sed amplectenda etiam aliorum assertio, qui à voce Hebræa *Chasid*, seu *Hasid*, quod est *sanctus, pius, benignus, & misericors*, deriuari existimant. Hi sunt Iosephus

Etymologia nominis.

Chasid, seu Hasid, quid.

phus Stephanus *in Prolog. ad lib. Machab.* Lorinus *Actor.* 12. Serarius *in Harmon. Machabæorum lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 14. & sæpius in Tribæres. & Minerucali* Boulducus *de Ecclesia ante legem lib. 1. cap. 9.* §. *vbi prorsus, & cap. 17.* §. *ista igitur familia.* Drusius Sectarius *in lib. de Assideis*, qui etiam affert, & approbat. Et R. Dauid *Chasid*, non quomodolibet significare Sanctum, vel Iustum, sed eum, *qui plus facit, quam iubeatur facere.* Cui consonat R. Alexander *in Midras Thehilim*, dum dicit: *Omnis, qui audit factam sibi contumeliam, seu maledictum, & tacet, vocatur Chasid, seu pius, vt Dauid 2. Reg. 16.* Denotans sanè *Chasid* importare opera supererogationis. Quod rursus explicat idem R. Alexander sic: *Chasid, seu pius, est, qui intrat, audit, & facit, intrat templum, audit verbum Dei, facit quod ibi docetur, hoc est, viuit ex præscripto eius.* Id & alius Rabbinus *in cap. 3. Pirke auot*, sic exponebat: *Vulgaris homo non est Chasid, seu pius*; idest, *pius*, qui denotatur per *Chasid*, est, qui exercetur non solum in operibus præcepti, sed etiam consilij, & supererogationis. Hinc Hassidæos cũ H plures scribunt, sectarij præsertim, nouitatum amatores, & inter eos Drusius *in libello de Assideis*, sed nos Vulgatæ correctæ Sixti vestigijs inhærentes, Assidæos sine H vocabimus.

4 Nec *Chasid*, vel Assidæorum nomen in locis relatis significat quomodolibet iustos, sanctos, pios, aut misericordes, etiam modo dicto, qui operibus supererogationis incumbebant, sed significat vnam congregationem, & societatem talium hominum, seu vnum cœtum, collegium, vel institutum illorum, qui societate inter se inita, ex peculiari quadam viuendi forma, seu ritu, religionem, ac pietatem sectabantur. Ita expresse Serarius *in Tribæresio lib. 3. cap. 7. & in Mineruali lib. 5. cap. 9.* idem sequitur Gaspar Sanchez *in cap. 2. lib. 1. Machab. num. 38. & cap. 7. num. 7.* fauent quæ diximus supra *sub ann. 3622. num. 2.* fauet & Franciscus Iunius Sectarius *in suis ad cap. 2. lib. 1. Machabæor. notationib. num. 12.* & impius Lutherus, quem Serarius refert, quin & Scaliger apud ipsum, dum Assidæorum nomen pro *Collegio* vsurpari dicit. Colligitur tum ex dictis supra ad probandum nomen esse Congregationis, seu Instituti, tum quia aliàs si solum iustos denotaret, vt vult Drusius *in lib. de Assideis*, quo iure, quaue causa, tum in Græcis, tum in Latinis codicibus Assidæorum nomen retinetur? cum potius *piorum, sanctorum* dici deberet. Deinde cur maiuscula littera scriberetur? cum potius communi, & vsitata vti oporteret. Vnde Gorionides *lib. 5. cap. 23.* expresè nomine *Collegij* vtitur: ex quibus iam ad primum quæsitum vno verbo respondemus, Assidæos fuisse quandam Iudæorum piorum Congregationem,

Congregatio, seu Societas Assidæorum.

nem, Societatem, Cœtum, Ordinem, seu Collegium ad Dei cultum sub peculiari viuendi forma, seu ritu destinatorum.

5 Ad secundum verò dicimus eos fuisse eiusdem Ordinis, & Instituti cum Essenis, seu eosdem ac Essenos. Quod quia ad Prophetici, & Eliani Ordinis continuationem probandam valde conducit, tum Doctorum testimonijs, tum rationibus accuratius corroborandum est. Ex Doctoribus priscis non parum fauet Beatus Nilus in Ascetico, vbi loquens de Essenis dicit: *Contemplationi vacant assiduè, ex quo Essæi appellantur.* Cum enim Assidæorum nomen ab assiduitate diuini cultus dici superiùs visum sit, vti Nilum verbo illo *assiduè*, cum de Essenis loquitur, videtur Esseos, & Assideos eosdem existimasse. Ex alijs modernis expresŝè id plures tenent. Primus est doctissimus Genebrardus, qui *lib. 2. Chronolog. sub anno mundi* 3911. inquit: *Hassidæos, idest, Esseos, quasi sanctos.* Ipsum sequuntur Serarius in *Machabæorum Harmonia sup. cap. 7. Machabæorum* 1. & *cap.* 14. *lib.* 2. referens Scaligerum *lib. 6. fol.* 503. & in *Tribæresio lib.* 3. *cap.* 7. Becanus *in lib. Analog. vet. & nou. Testam. cap.* 11. *quæst.* 10. Franciscus Lucas ad 1. *Machabæor. cap.* 2. *vers.* 42. Georgius Vvicelius *ad Euangel Dominic.* 18. *post Trinitatem.* Iosephus Stephanus *in prolog. ad lib. Machabæorum*, Martinus Delrius *in suis Adagialibus, Adagio* 1030. Lorinus *act or.* 12. Torniellus *sub anno* 2545. *num.* 13. Fauet Ioannes Philipæus *tom. 1. in Oseam Prophet. cap.* 3. *vers.* 8. & Bouldducus *de Eccles. post Leg. cap.* 7. Adde ex Sectarijs Sebastianum Munsterum *in cap.* 6. *lib. 4. Gorionidis*, Ioannem Drusium *in libello de Assidæis*, & Bonauenturam Cornelium Bertramum *de Polit. Iudaic. cap.* 19. Ac ita ex nostris id disertè affirmarunt Didacus de Coria *in Chronic. Carmelitar. l. 1. cap.* 7. Franciscus de S. Maria *in Historia prophetic. lib. 3. cap.* 7. Petrus Vvastelius *in vindic. Ioannis Ierosolymit. ad lib. de Institut. Monachor. cap.* 8. *num.* 4. cum alijs. Etsi contradicat Gaspar Sanchez *in cap.* 2. *lib.* 1. *Machabæorum num.* 42. leui ductus fundamento, quod ex dictis, & dicendis facilè eneruatur.

Eiusdem instituti cum Essenis.

6 Rationibus præterea, eisque Hebræorum testificationibus innixis intentum conuincitur. Prima cum certum, & indubitatum sit apud Christianos, & Hebræos tres tantum præcipuas Sectas, seu viuendi modos inter Iudæos fuisse; scilicet Essenorum, Saducæorum, & Pharisæorum, vt constat ex S. Hieronymo *lib.* 2. *aduers. Iouinian.* Theophylacto, & Oecumenio *in Act. Apostol. cap.* 22. Photio in *sua Bibliotheca*, & ante illos ex Chrysost. *homil.* 44. *in Act. Apostol.* vt alios omittamus. Nihilominus cum Iosephus Gorionides Hebræus in sua historia res gestas, & illustres viros Iudæorum gentis referret, raris-

Tres præcipuæ Sectæ apud Iudæos.

Gorionidis per Assidæos Essenos intelligit.

rarissimè, videlicet *lib.4. cap. 6. & lib.5. cap. 23. & 24.* nominauit Essenos, sed solum Saducæos, Pharisæos, ac Assidæos. Ex hoc enim liquidò infertur, Essenos, & Assidæos apud eum eiusdem Instituti homines esse. Nulla enim ratione dici potest, vel Essenorum oblitum, cum cunctis ij noti essent, nec cum Pharisæis, aut Saducæis illos confudisse, cum constet Saducæos pessimos hęreticos fuisse, & Pharisæos vel hęreticos, vel prauorum dogmatum assertores; Essenos autem, siue Assidæos, pios, probos, & sanctos, vt vel ex ipso nomine elicitur. Hoc autem argumento conuinctus est Bonauentura Sectarius relatus ad credendum Essenos Assidæos fuisse, sic enim ait: *Iudęorum hęresibus, seu sectis primus locus Esseis, seu Essenis merito tribuitur: illos enim esse puto, qui 1. Machabæorum 7. 13. Assidęi appellantur, Iudęorumque primi, & pręcipui dicuntur. Esseos, seu Essenos Assideos esse arguit, quod apud Iosephum filium Gorionis Hebraicè scribentem, qui Essei, seu Esseni dicuntur ab alijs, & presertim a Iosepho Grę cè easdem historias describente,* Chasidim, *idest, benigni, seu pij appellantur.* Propterea etiam Munsterus *in cap. 6. lib. 4. Gorionidis* Assidæos, & Essenos pro eisdem accipit. Roboraturque argumentum ex eo, quod Iudas quidam Propheta, de quo nos *sub anno* 3920. dicemus, qui a Iosepho Flauio vocatur *Essenus*, a Gorionide dicto *lib. 4. cap. 7.* dicitur *Assideus*, quo denotatur Essenum, & Assidæum idem importare; vnde relatus Munsterus Gorionidis Scholiastes in dicto *cap. 7.* præfatum Iudam modò *Essenum*, modò *Asidaeum* nuncupat. Similiter Manahemus, seu Manichemus, quem Iosephus *lib. 15. Antiquit. cap. 13.* & Gorionides *lib. 5. cap. 23. & 24.* Essenum vocant, fuit *de Collegio piorum*, vt ipse Gorionides scribit, quo titulo Assidæos ipse appellare solet in suis libris, vt euidenter legenti constare potest, ex quo elicitur, Essenos, & Assidæos apud Gorionidem idem genus hominum importare.

Sic etiam alij.

7 Simile argumentum fit ad intentum de alio Iosepho Hebræo, Flauio nominato. Cum enim certum sit, tum ex Sacra Scriptura, locis ex libris Machabæorum relatis, tum ex alijs auctoribus vetustis. Hegesippo præsertim *lib. 1. cap. 1.* tempore Machabæorum fuisse horum Assidæorum Institutum; nihilominus ipse Stephanus de eodem tempore loquens, tantum tria illa Iudæorum Instituta, Essenorum, videlicet, Saducæorum, & Pharisæorum sæpius refert locis superius adductis. Hoc enim manifestè arguit apud ipsum Essenos, & Assidæos eiusdem Ordinis homines esse. Alioquin, vel crassissimæ inscitiæ, quod eos ignorasset, vel turpissimi erroris, quod cum Saducæis, aut Pharisæis valdè ab ipsis diuersis ipsos cõiunxisset, cõuinci posset. Ex quo

Iosephus Essenos Assidæos existimat.

8 Ex quo iam patet dubij posterioris enodatio. Cum enim Asidæi Esseni fuissent, vel, si placet, Esseni Asidæi, ad idem Institutum, eumdem Ordinem, eamdemve sectam spectabant vtrique. Ac proinde, si Esseni, iuxta dicta *sub anno 3545. num. 31.* Prophetici Ordinis alumni erant, pariter de Asidæis idem asserere debemus. Deinde si Esseni veteris Legis, iuxta illius temporis rationem, ac limitationem, Religiosi appellari possunt, propter ibidem *num. 34.* allata, & quia inter ipsos aliqui saltem erant trium ligaminum Religiosi status vinculo (modo sanè illi imperfectæ Legi accommodato) obstricti, æquè sane de Asidęis existimandum, prout ex dicendis liquidiùs comprobatum manebit. Hinc Salianus sub anno mundi 3893. num. 48. inquit: *Asidæi autem, sicut et Esseni Religiosi erant illorum temporum, sicut et filij Prophetarum.* Hinc etiam Scaliger *supr. cap. 22.* ait eos originem habuisse *auctoribus Instituti sanctis Prophetis.* Hinc quoque ex nostris nobiles Scriptores Ioannes Palęonydorus *lib. 1. cap. 5.* Didacus Coria *in Chronic. Carmelitarum lib. 1. cap. 7.* & alij inter Prophetici Ordinis conseruatores eos iure recensent. Nunc iam ad Oniam Summum Iudęorum Sacerdotem, cuius tempore Asidęorum familia sub hoc nomine celebris reperitur, gradiamur.

Ad idem institutum filiorum Prophetarum spectant.

9 Eius pietate, ac sancto zelo fiebat, vt non solum a Iudæis legitima fideliter custodirentur, & sancta Ciuitas in omni pace conseruaretur; sed etiam, quod Reges, & Principes Ethnici, ac extranei sacrum Ierosolymitanum Tēplum maximis muneribus illustrarent: Seleucus enim Philopator tunc Asiæ Rex, & eius pater Antiochus Magnus de redditibus suis pro sacrificijs, & Templi fabrica magni pretij donaria contulerunt. Accidit tamen, quod cum quidam Simon Beniamita Templi Præpositus iniquum aliquid in ciuitate moliri vellet, eique obsisteret Summus Pontifex Onias, vt eum vinceret, ad Apollonium Tharseę filium ducem Cęlesyrię, & Phœnicis se contulit, nuncians ei ęrarium Ierosolymitani Templi innumerabilibus pecunijs non necessarijs plenum esse, quę sub Regis potestate venire possent. Quid autem gesserit Apollonius, quid Rex ordinauerit, & qualiter Deus Templum suum ab Heliodori sacrilega inuasione liberauerit, equo, & terribili sessore, ac duobus Angelis missis, qui eum multis plagis verberarunt, ac quomodo Onię oratione a morte liberatus fuerit, ex S. Scriptura *2. Machabæor. 3.* perspicuè habetur, & ex Iosepho *in lib. de Machabæis*, quamuis in aliquibus historię circumstantijs errasse conspiciatur hic auctor, prout non semel fecisse in alijs historijs diligens Lector facilè reperiet.

Oniæ pietas.

Simon iniquus homo.

Heliodori historia.

Onias obsistit Simoni. 10 De hoc etiam Onia non pauca in eodem 2. *Machabæorum lib.c.4.* referuntur, qualiter scilicet Simonis prædicti pecuniarum, & patriæ delatoris fraudes, & detractiones fugiens, ad Regem Seleucum concesserit, non vt ciuium accusator, sed communem vtilitatem desiderans. Quæ prætermittimus, quod perspicua sint, eo loco, & quia nostris Annalibus extranea. An iste Onias fuerit ille, qui Aegyptum etiam fugiens Templum Domini ibi extruendum curauit, an verò eius filius, Onias quoque vocatus, suo loco dicetur. Illud interim non silendum, hunc Oniam Sanctissimum appellatum, immeritò credi tanti peccati reum. Nunc ad propriora pergamus.

Danielis vaticinia hoc tempore impleta. 11 Plura enim Danielis vaticinia hoc tempore adimpleta cernuntur. Primò illud cap. 11. vers. 13. *Conuertetur Rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multo maiorem, quam prius, & in fine temporum, annorumque veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimijs. Et in temporibus illis multi consurgent aduersus Regem Austri.* Quod de Antiocho Magno exponit S. Hieronymus, qui contempta Ptolemæi Philopatoris Aegypti Regis ignauia, ob luxuriosam vitam de superioribus locis Babylonis exercitum contra eum congregauit, & ipso mortuo aduersus filium eius Ptolemæum Epiphanem appellatum. Quibus similia Iustinus *lib.* 30. Item illud eiusdem Danielis

Aliud Danielis Vaticiniũ. *cap. 11. vers. 14. Et veniet Rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet vrbes munitissimas, & brachia Austri non sustinebunt, & consurgent electi eius ad resistendum, & non erit fortitudo, & faciet veniens super eum iuxta placitum suum, & non erit qui stet contra faciem eius, & stabit in terra inclyta, & consumetur in manu eius.* Etiam adimpletum est in eodem Antiocho Scopam ducem Aegypti fugante, præsidiũ Ierosolymitanum oppugnante, vrbesque capiente, quæ sub Ptolemæo erant. De quo S. Hieronym. *in hunc locum Danielis*, ac Iosephus 12. *antiquit. cap.* 3.

Aliud. 12 Pariter & illud eiusdem cap. 11. Dan. *vers.* 17. videlicet: *Et ponet faciem suam, vt veniat ad tenendum vniuersum Regnum eius, & recta faciet cum eo, & filiam fæminarum dabit ei, vt euertat illud, & non stabit, nec illius erit, & conuertet faciem suam ad insulas, & capiet multas,* completum etiam est hoc eodem tempore. Eodem namque Hieronymo interprete idem Antiochus non contentus ijs, quæ a Rege Aegypti abstulerat, etiam in Aegyptum regnum suum extendere volens, filiam suam Cleopatram Regi adolescenti tradidit, sed cautè procedentibus Rege, & ducibus ipsius, Cleopatraque partes viri potius, quam parentis fouente, spe frustratus fuit Antiochus.

Vnde

Vnde ad insulas se conuertens, plures illarum accepit.

13 Præterea & illud eiusdem capitis Danielis *vers. 20. Et stabit in loco eius vilissimus, & indignus decore regio, & in paucis diebus contereretur non in furore, nec in prælio*, currenti tempore completum est, eodem Hieronymo interprete. Occiso enim Antiocho Magno Seleucus eius filius Imperium suscepit, qui nihil dignum gessit, & absque vllis prælijs inglorius perijt. Sub quo Seleuco ea, quæ diximus de Onia, contigerunt. Item aliud.

Anni mundi 3879. vsque ad 3886. ante Christum 174. vsque ad 167.

1 LVCTVOSVM valdè hoc tempus Iudæorum Reipublicæ fuit, quo illorum criminibus grassantibus, Dei cultu magna ex parte deserto, Idololatria inuecta, & summo Sacerdotio per ambitionem, ac intrusionem obtento, grauissima supplicia, æqua lance, Deus illis inflixit, prout ex libris Machabæorum, qui huc maximè spectant, perspicuè habetur. Res sanè historia nostra dignæ, & propter grauitatem ipsarum, quæ communes erant toti populo Dei, & quia ad Prophetici Ordinis alumnos, Essenos scilicet, Assidæos hoc tempore vocatos, præsertim pertinebant, cum ipsi ex præcipuis Dei cultoribus, Mosaicæ Legis rituũ propugnatoribus essent, vt dicenda monstrabunt. Iudæorum scelera a Deo punita.

2 Primaria autem, & veluti totalis causa horum malorum fuit Antiochus Epiphanes, seu Illustris cognominatus, Syriæ Rex, qui hoc tempore, anno videlicet 3879. qui concurrit cum annò Regni Græcorum 137. vt colligitur ex primo Machab. 1. post mortem fratris Seleuci Regnum ascendit. Eius improbam vitam, deprauatos mores, & infamia gesta, ac infelicem exitum dicenda demonstrabunt. De quo Daniel Propheta *cap. 8. & 11.* plura prædixit, ex quibus aliqua adduximus *sub anno* 3497. & alia in sequentibus adducentur. Maximè illud eiusdem *cap. 8. vers. 23.* nunc referendum: *Consurget Rex impudens facie, & intelligens propositiones, et roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis, & supra quam credi potest, vniuersa vastabit, et prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius, et cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra Principem Principum consurget, & sine manu conteretur*. Circa quę S. Hieronymus ita scribit: *Consurget Antiochus Epi-* Antiochus Epiphanes sceleratus. Prophetia de ipso. S. Hieronymi expositio.

phanes (*filius*, inquit, sed voluit dicere frater *Seleuci*) *qui & Philopater appellatus est. Qui cum obses fuisset Romæ, & nesciente Senatu per dolum cepisset imperium, contra Ptolemæum Philometorem dimicauit, hoc est contra Meridiem, & contra Aegyptum; rursumque ad Orientem, contra eos, qui res nouas in Perside moliebantur. Ad extremum contra Iudæos dimicans, capta Iudæa ingressus est Ierosolymam, & in Templum Dei simulacrum Iouis Olympij statuit. Et vsque ad fortitudinem Cæli, idest, filios Israel, qui Angelorum vallabantur auxilio, erexit magnificentiam suam: ita vt de sanctis plurimos Idololatriæ subijceret, & velut stellas cæli conculcaret pedibus suis. Atque ita factum est, vt & Meridiem, & Orientem, idest, Ægyptum, & Persidem suo teneret imperio: Quodque ait: Vsque ad Principem fortitudinis magnificatus est; hoc significat, quod erectus sit contra Deum, & sanctos illius persecutus sit, & tulerit Endelechismon, idest, iuge sacrificium, quod mane offerebatur, & vespere, & polluerit, atque deiecerit locum sanctificationis eius: & hoc non sua virtute, sed propter peccata populi: atque ita factum est, vt veritas prosterneretur in terram, & cultu Idolorum florente, Dei religio conquiesceret.* Hucvsque S. Hieronymus.

Iasonis ambitio.

3 Occasione ergo noui Regis, & quod esset pecuniarum auidus, nacta, Iason Oniæ Pontificis frater, diuturni Pontificatus ipsius pertæsus, & eum adipiscendi ambitione motus, Regem adijt, fratrem de solio deturbare inijt, argenti talenta 360. promisit, & ex redditibus alijs talenta 80. insuper & alia 150. si potestati eius concederetur Gymnasium, idest, schola ritu gentilitatis, & Ephebia, hoc est, prostibulum adolescentum sibi constituere, ac qui Ierosolymis erãt, Antiochenos ciues constituere. Rege autem iniquo annuente, Pontificatum inuadit, Oniam Pontificem deturbat, fugere compellit, & ad Gentilem ritum Hebræos transferre cœpit. Exierunt autem tunc ex Israel viri iniqui Iasonis socij, & impietate illi suppares multi suadentes patrias Leges derelinquere, ritus Gentilicos imitari, & Gymnasium Ierosolymis secundum Leges nationum extruere, prout fecerunt. Inualescebant ergo in sancta Ciuitate impurissimi Ethnicorum ritus, Sodomitici adolescentum abusus, & indignissima Sacerdotum turba, qui non iam Altaris officijs incumbentes, sed Templo, & sacrificijs neglectis, Gentilium, & Græcorum ludis dediti, Dei legitima omnino contemnebant. His, & similibus annitente pseudo-Pontifice Iasone; sed non impunè, nam iusto Dei iudicio Menelaus quidam plura Regi talenta pollicitus, Iasonem Pontificatu expoliauit, & profugum in Ammanitidam Regionem abire fecit. Cum autem hic Menelaus Regi promissa præstare non posset, vel nollet,

Pontificatum inuadit.

nollet, a Sacerdotio summotus est, & subrogatus Lysimachus eius frater. Menelaus verò Oniæ veri Summi Sacerdotis reprehensionem non sustinens, illum mediante Andronico peremit, qui propterea Antiochi iussu occisus est. S. Script. 1. *Machabæorum* 1. *&* 2. *Machabæor.* 4. Expositores ibidem, ac Iosephus *lib. 12. Antiquitat. c. 6. & in libello de Machabæis*, etsi ijs locis plura afferat meritò ex Sacræ Scripturæ textu corrigenda. Onias occiditur.

4 Volens autem Deus fœdissima hæc Iudæorum scelera condigna pœna punire, Antiochum ipsum, quem illi veluti Protectorem elegerant, suæ iustitiæ vindicem in eosdem retorsit. Cum enim Ægypti Regis duces primò superasset, Ægyptum expugnasset, munitasque ipsius ciuitates cepisset, quod subobscurè prædixerat Daniel *cap. 11. vers. 22.* illis verbis: *Brachia pugnantis expugnabuntur a facie eius, & conterentur*; iterumque idipsum facere vellet, licet a Romanis impeditus opere non perficeret, iuxta eiusdem Danielis *eodem cap. 11. vers. 29.* Prophetiam, dum inquit: *Veniet ad Austrum, & non erit priori simile nouissimum*, &c. Indignatus valde, & animo efferato Ierosolymam adijt, armis ciuitatem cepit, multisque millibus Iudæorum interfectis, alijs in vincula coniectis, alijs verò pretio venditis, introiuit, Menelao, de quo supra, ductore, ac patriæ proditore, in sanctificationem, ac Templum cum superbia; ibique prophanans omnia, accepit aurum, & argentum, ac vasa concupiscibilia, & thesauros absconditos, factaque strage, Antiochiam abijt, relictis in Iudæa Præpositis seipso crudelioribus, qui gentem illam affligerent, Ierosolymis nempe Philippum genere Phrygem, & in Garizim Samariæ Andronicum (alium vtique ab eo, qui propter mortem Oniæ interfici iussus est) & Menelaum. S. Scriptura 1. *Machabæorum* 1. *&* 2. *Machabæorum* 5. Iosephus 12. *Antiquitat. cap. 7. & in lib. de Machabæis*, qui etiam, vt superius dictum, in multis a veritate historica deuiat.

Antiochus diuinæ iustitiæ vindex.

Danielis prædictio.

Antiochus venit Ierosolymam.

Templum prophanat.

5 Quanta veri Dei cultores Esseni, vel Assidæi nostri in hac rerum turbatione passi fuerunt, vix explicari potest. Qui enim Templi excubias, veluti primi gerebant, Dei honorem feruentiùs zelabantur, & inter alios enixiùs pietatis operibus incumbebant, prout ex dictis elici potest, proculdubio præ cæteris instantibus malis angebantur. Quod autem nihilominus ab Instituto non recesserint, vel ex ijs, quæ de Eleazaro, Iuda Machabæo, Razia, & alijs Assidæis dicemus, colligi valet.

Essenorum, & Assidæorum calamitates.

Annus mundi 3887. ante Christum 166.

1 IC annus (qui 145. erat Regni Græcorum, vt habetur 1. *Machab.* 1. & ex Iosepho 12. *antiquit. cap.* 7. Torniello, ac Saliano hic) si quis alius, Iudæis lugubris valde fuit, rapinis, incendio, euersionibus, captiuitate, ac cędibus ipsorum redundans. Impius enim Antiochus Rex malis, quæ illis ante duos annos inflixerat, non contentus, eorum Religionem funditus euertere disponens, Principem tributorum, nomine Apollonium, Iudæis valde odiosum cum exercitu 22. millium virorum in Iudæam misit, ei præcipiens, vt ante omnia viros perfectæ ætatis interficeret, imbellem autem iuuentutē, ac mulieres diuenderet. Qui cum venisset Ierosolymam, & astutè pacem aliquantisper simulasset, irruit super ciuitatem repente die Sabbathi, feriantibus Iudæis, percussit eam plaga magna, accepit spolia ipsius, igni succendit, domos, & muros destruxit, atque vastauit, cæsa grandi hominum multitudine. Post quæ in ciuitate Dauid, tanquam in tutiori loco se recipiens, ibique spolia ciuitatis, mulieres captiuas, natosque ipsarum, & pecora includens, in circuitu eius murum turresque firmas extruxit, & Sion in arcem, præsidiumque munitissimum impiorum erexit. Inde per circuitum sanctificationis discurrentes Ethnici, varijs modis Templum prophanabant, populum vexabant, & quoscunque ad illud piè accedere volentes impiè mactabant. Quamobrem Iudæi, qui ex necibus residui erant, de ciuitate aufugere compulsi, eam, & sanctificationem in habitationem exterorum, & populi Dei luctum, & opprobrium delebant. S. Scriptura 1. *Machabæor.* 1 *&* 2. *Machabæorum* 5. Iosephus *lib.* 12. *antiquit. cap.* 7.

Antiochus Iudæos conturbat.

Apollonium mittit.

Iudæi fugiunt

2 Inter eos autem, qui hac sæuissima tempestate grassante, in campestria è Ierosolyma fugerunt, vnus expreſsè nominatur *dicto cap.* 5. *lib.* 2. *Machabæorum*, Iudas Machabæus, cuius historia a nobis diligentius examinanda, quia propria Annalium nostrorum est, cum ipse ex Asidæis, seu Essenis (quos ad Ordinem Propheticum spectasse dicta *sub anno* 3545. *num.* 35. *&* *sub anno* 3847. *num.* 8. sufficiēter suadent) vnus esset, immo Princeps, caput, & veluti Generalis ipsorum, vt ex dicendis constabit. De eo ergo sic ibi *vers.* 27. dicitur: *Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum; ibique inter feras, vitam in montibus cum suis agebat, & fœni cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis.* Qua

Iudas Machabæus.

verò

verò ratione *Decimus* appelletur, dissentiunt Doctores. Liranus etenim, Dionysius, & Hugo Cardinalis *Decimum* vocari credunt, quia decimus fuit inter Pontifices Iudæorum, a Regno Græcorum. Sed, vt ait Salianus sub hoc anno *num. 5. profectò mirum est, hic decimum Pontificem intelligi, cum nulla sit mentio Pontificum.* Quod est dicere: Cum nullam in hoc loco memoriam faciat S. Scriptura de Pótificibus Iudæorum, qua causa, quauè occasione Decimum Iudam appellet, quia decimus Pontifex fuerit? Deinde, cur non expressit, quod fuerit decimus Pontifex, aut Sacerdos, vel quare Decimi nomine eum appellauit? Quod mysterium in hoc silentio, & verbi ambiguitate? Addit idem Salianus: *Nec ostendi certo potest, vnde capiendum sit Catalogi principium.* Alij enim ab vno, alij ab alio id desumunt. Subiungit: *Et vt a Regno Græcorum capiatur, decimus esse non potest, nisi omissis pseudo-Pontificibus, & inserto Mathathia.* Rectius ergo, ac simplicius idem Salianus arbitratur, Iudam vocari Decimum, quia cum nouem alijs socijs in desertum secesserat. Sed licet in hoc optimè dicat, non explicat tamen, cur cum nouem ijs socijs abierit. Vera ergo, & genuina loci expositio, ex qua etiam comprobatur Iudam Machabæum Essenum, & Asidæum instituto fuisse, ex Iosepho *lib. 2. de bello Iudaico cap. 7.* & ex Serario *in Machabæorum Harmonia super cap. 1. lib. 1. & cap. 5. & 6. lib. 2. & super cap. 7. lib. 1. & cap. 14. lib. 2. Machabæorum* desumenda est. Iosephus enim eo loco sic habet, de Essenis loquens: *Cum simul denique sederint decem, nullus vnus nouem loquitur inuitis.* Ex quo infert Serarius: *Solebant ij, vel per Decurias, quibus Decani præessent, multitudinem suam distinguere.* Quod sane ita erat: nulla enim alia ratione suspicari possumus Iosephum ista protulisse. Illum verò, qui alijs nouem præerat, appellat idem Serarius *Decadarchum*, seu *Decarchum*, idest, *Decanum*, vel *Decurionem*. Ecce ergo ad intentum causam, ob quam Iudas *Decimus* vocatur, Græcè *decimus factus*, quia scilicet ex istis Decadarchis, Decarchis, Decanis, vel Decurionibus Essenorum, vel Assidæorum erat. Vnde illud *cum suis* denotat nouem alios suę Decuriæ Essenos, vel Assidæos, vt Salianus explicat, vel quod verius est, vt constabit ex Iosepho Gorionide infra adducendo, alios eiusdem Instituti sectatores. Illud autem *fœni cibo vescentes*, etiam indicat, eodem teste Serario, eum, & socios ex Essenis, vel Assidæis fuisse, qui, eodem Iosepho vt supra affirmante, *herbas pecudum more* manducabant.

Cur Decimus appellatus.

Decurio Essenorum.

Essenorum abstinentia.

3 Fuisse vero ipsum Iudam ex Essenis, seu Assidæis, certissimū videtur ex S. Scriptura 2. *Machabæorum cap. 14. vers. 6.* vbi impius Alcimus ad Regem Demetrium veniens, dicebat: *Ipsi, qui dicuntur Assidæi*

Iudas ex Essenis, seu Assidæis.

sidæi

fidai Iudæorum, quibus praeſt Iudas Machabaeus, bella nutriunt, et ſeditiones mouent, nec patiuntur Regnum eſſe quietum. Quo loco cum Prælatus Aſſidæorum vocetur, clarè etiam ipſum Aſſidæum fuiſſe denotatur. Vnde Hugo Cardinalis ibi eum, & ſuos Aſſideos vocat. Idemque colligitur ex Ioſephi Gorionidis verbis *lib.3.cap.3.* de quibus infra. Eſſenum quoque eum appellant Serarius inferius referendus, Salianus *ſub anno* 3893 *num.*34. Propterea Coria *in Chronic. Carmelitarum lib.6. cap.* 27. Franciſcus a Sancta Maria in Hiſtoria Prophet. *lib.3.c.4.* & Michael Munozzius *in Propugnaculo Elia lib.2. tit.1. cap.3. art.* 3. inter Prophetici Ordinis cultores meritò eum, ſicut & Aſſidæos, recenſent. Serarius etiam *in cap.7. lib. 1. Machab. & cap.* 14. *lib.* 2. de illis intelligit illud Apoſtoli ad Hebr. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, et ſpeluncis, & cauernis terræ.* Quæ Ordinis Prophetici aſſeclas deſignant, iuxta dicta *in Appar. cap.2. num.* 30. Idque magis conſtabit ex dicendis de ipſo in ſequentibus.

Ordinis Prophetici aſſecla

4 Porrò huiuſmodi Iudę ſocios, qui cum ipſo in deſerta loca Antiochi miniſtrorum ſęuitiam aufugientes abierunt, ibique fœno, & herbis ferarum more victitarunt, fuiſſe totum cœtum, Collegium, & Congregationem Aſſidæorum, ſic habet Ioſephus Gorionides *lib.3. cap.3.* his verbis, quę Serarius *in cap.1. lib.1. Machabęorum, et cap.5. ac 6. lib.2.* refert: *Diſperſit* (Antiochus videlicet medijs ſuis miniſtris) *vniuerſum Cœtum, ſeu Collegium, & Congregationem Aſſidæorum, qui erant humaniſsimi, & fugerant Aſſidæi in ſiluas, & comederunt herbam, veluti pecudes, & latuerunt beſtiarum inſtar in ſiluis.* Non ergo nouem dumtaxat ij erant, prout Salianus relatus ſentire videbatur, ſed cuncti. Idque ſuadet, tum quod perſecutio ſæuiſſima vrgeret, tum quia de cauſa omnibus illis communi agebatur, conſeruatione videlicet diuini cultus, & proprij Inſtituti. Hinc poſtea cum Mathathia coniungi potuerunt, vt bella gererent contra Dei hoſtes, vt ſub anno ſequenti dicetur. Aliter vertit illa Gorionidis verba eius interpres Munſterus, *Cœtum piorum* pro *Cœtum Aſſidæorum* legens. Sed idem ſonat apud ipſum *piorum*, ac *Aſſidęorum* vox, vt habet *lib.4.cap.6. et lib.3. cap.7.*

Aſſidæorum Collegium.

5 In eumdem etiam annum referenda eſt cum Torniello, & Saliano hiſtoria, & paſſio S. ſenis Eleazari, prout ex *cap.6. lib.2. Machabæorum* habetur. Eam verò non eſſe alienam ab iſtis Annalibus, ex eo valdè probabiliter opinamur, quod eum ex Inſtituto Prophetico fuiſſe, Eſſenum videlicet, vel Aſſidęum, non incongruè exiſtimari

Eleazari hiſtoria.

mari possit. Id primò suadet, quod eo cap. 6. *Vnus de primoribus Scribarum* vocetur. Hoc enim Scribarum titulo sæpius huius Instituti alumni appellabantur, iuxta dicta *sub anno* 3230. præsertim cum Assidæi 1. *Machabæorum* 7. *vers.* 12. & 13. cum Scribis coniungantur illis verbis: *Et conuenerunt ad Alcimum, & Bachidem Congregatio Scribarum requirere, quæ pacis sunt, & primi Assidæi.* Deinde id colligitur ex verbis Iosephi *in lib. de Machabæis* de Eleazaro loquens, vbi dicitur: *Disciplina, & timoris artibus eruditus.* Hoc enim Essenorum, vel Assidæorum redolet scholam. Vnde inferius sic idem Eleazarus Tyranno respondens introducitur: *Docti sumus sobrietatem diligere, desideria libidinum vincere, corpus casta obseruatione retinere, & si quid pro Dei inferatur nomine, sustinere, veritatem, iustitiam, pietatem, & inter cætera vnum Deum, qui solus, & verus est, non negare.* Quæ si conferantur cum ijs, quæ de Essenorum, seu Assidæorum institutis ipse Iosephus, Philo, & alij scripserunt, valde illis similia comperientur. Tertiò, ex alio Iosepho Gorionide *lib. 3. cap. 2. & 4.* vbi eum inter 70. Interpretes numerat. Cum enim impossibile sit ex eorum numero fuisse, quia distantia temporum contrarium manifestè probat, solùm eo sensu appellari posse videtur ex eis, quia scilicet ex eorum Instituto esset. Diximus autem *sub anno* 3766. *num* 4. eos, vel eorum aliquos, ex Essenis fuisse. Iuuat denique ad intentum, quod bonus iste Eleazarus a Gregorio Nazianzeno *orat.* 22. & D. Ambros. *lib. de Iacob cap.* 11. vocetur *Pater, Magister,* seu *Doctor* septem puerorum Machabæorum, qui eodem fermè tẽpore, ac ipse passi sunt, & illi vocentur eius *Discipuli.* Constat enim non solùm ex dictis *sub anno* 3132. Ordinis Prophetici professores solitos fuisse discipulos filios nuncupatos habere, sed ex Iosepho etiã, qui *lib. 2. de bello Iudaico cap.* 7. expressissimè scripsit Essenorum morem hunc esse: *Nuptias* (inquit) *fastidiunt, alienos vero filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt.* Iam ergo ad ipsius Martyris historiam transeamus.

Videtur Essenus.

Vnus ex 70. Interpretibus

6 Miserat Rex senem quemdam Antiochenum, qui omnibus modis Iudæos compelleret patrias Dei Leges relinquere, & transire ad ritus Gentium; contaminare etiam Ierosolymitanum Templum, & Iouis Olympij cognominare, ac similiter Garizitanum apud Samaritas, de quo *sub anno* 3716. diximus. Quæ cum ipse, & alij Regij ministri plus æquo ad vnguem præstassent, ita vt Templum luxuria, & comessationibus scottantium cum meretricibus plenum esset, sacrataque ædes, ac altare prophanaretur, nec legitima Iudęorum

Antiochenus senex.

rum

rum obseruarentur, sed ad Ethnicorum ritus non solum Ierosolymis, sed & in alijs proximis ciuitatibus, Regio decreto vrgente, Iudæi cogerentur: duæ etiam mulieres, quod natos suos circumcidissent, infantibus ad vbera suspensis, per muros præcipitatæ essent; alij quoque, qui in abditas speluncas confugerant, celebrandi Sabbathi causa, flammis succenderentur, prout *ex 2. Machab. 6.* elicitur. Inter eos, qui ad Dei legem transgrediendam compellebantur, vnus fuit nobilis, ac venerandus nonagenarius senex Eleazarus nominatus. Hic Antiochiam ad Regem ductus (vt colligitur ex Iosepho *in lib. de Machabais*, S. Antonino 1. *par. histor. tit. 4. cap. 4. §. 13.* Lyrano, & alijs) *aperto ore*, inquit sacer textus, *hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium. Intuens autem, quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens destinauit non admittere illicita propter vitæ amorem. Hi autem, qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secretò, rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, vt simularetur manducasse, sicut Rex imperauerat, de sacrificij carnibus, vt hoc facto a morte liberaretur, & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. At ille cogitare cœpit ætatis, ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conuersationis actus, & secundum sanctæ, & a Deo conditæ Legis constituta respondit cito, dicens, præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, vt multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum trāsisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram: nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam; si prompto animo, ac fortiter pro grauissimis, ac sanctissimis Legibus honesta morte perfungar. His dictis confestim ad supplicium trahebatur. Hi autem, qui eum ducebant, & paulo ante fuerant mitiores, in iram cōuersi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur: sed cum plagis perimeretur, ingemuit, & dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores. Secundum animam verò, propter timorem tuum libenter hæc patior. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum iuuenibus, sed & vniuersæ genti memoriam mortis suæ, ad exemplum virtutis, & fortitudinis dereliu-*

Eleazari passio. | Mors.

linquens. Sacra Scriptura 2. *Machab.* 6. Iosephus *in lib. de Machabæis*, etsi ibi aliqua ex suo marte more sibi solito adiungat.

7 Supplicij genus, quo Eleazarus interijt, *tympanum* fuisse ex Græco legitur. Proinde fustibus tympani instar pulsatum, distentum, suspensumque non incongruè Serarius autumat. Martyrum, veteris Testamenti primitiæ vocatur a Nazianzeno, sicut Stephanus noui. Verumtamen cum ante ipsum non solum Abel, sed etiam Isaias, Ieremias, Zacharias, & alij pro Dei causa occisi sint, ac per consequens Martyres censeantur, solum eo sensu Protomartyr ipse appellari potest, quia pro Mosaica Lege conseruanda primus vitam posuisse describatur. Genus supplicij. Martyr veteris Testamenti.

8 Eodem loco, & tempore septem Machabæorum fratrum Martyrium celebratur. De quo S. Scriptura 2. *Machabæorum* 7. Iosephus *in lib. de Machabæis* fingens suo more plura, alter Iosephus Gorionides *lib.* 3. *c.* 5. & 6. & Patres passim, præsertim S. Augustin. *serm.* 109 Chrysostom. *homil. de ipsis*, Ambros. *in lib. de Iacob*, Leo *in serm. de Machabæis*, Cyprianus *lib.* 4. *epist.* 6. Prudentius *hymno de S. Romano*, & Gaudentius Brixianus *tract. de Machabæis*. Septem Machabæorum Martyrium.

Annus mundi 3888. ante Christum 165



1 HEBRÆORVM Respublica, Religio, & Sacerdotium fermè per id tempus perierant, nisi Deus misericors ipsa subleuasset *auxilio paruulo*, iuxta Danielis *cap.* 11. *vers.* 34. prophetiam, idest, Mathathia, & Iuda Machabæo, alijsque fratribus, quod sub hoc anno, vel circiter, prout ex Iosepho, & alijs colligitur, euenit. Historia nostris Annalibus propria, quod cum illa Assidæorum gesta coniuncta sint, quam ex Sacra Scriptura 1. *Machabæorum* 2. & alijs Doctoribus sic damus. Hebræorum Respublica qualis.

2 Diebus istis, quibus ob sæuissimam Antiochi Regis in Iudæos persecutionem, Dei populus omnino in præceps ruebat, surrexit Mathathias Sacerdos de filijs Ioarib, ex tribu Leui per paternam lineam, & ex Iuda per maternam, vt habent Lyranus, Abulensis, Carthusianus, & alij *in Genes.* 49. ab Ierusalem, vnde se proripuit, ne particeps fieret coinquinationis, quæ tunc fiebat, & consedit in monte Modin, ciuitate videlicet huius nominis, etsi, quia parua forsan fuit, vicus vocatur a Iosepho *lib.* 12. *cap.* 8. & S. Hieronymo *in cap.* 11. *Daniel.* & *Isai.* 30. Habebat is quinque filios, Ioannem cognominatum Gaddis, Simonem cognominatum Thasi, Iudam Machabæum, Mathathias. Habuit quinque filios.

Elea-

Eleazarum, qui cognominabatur Abaron, & Ionatham, qui cognominabatur Aphus. Hi videntes mala, quæ fiebant, simul erant in ea ciuitate cum patre Mathathia, cilicijs, & planctu diuinam indignationem in Iudæos mitigare cupientes. Ex quo, vt apparet, colligitur, Iudam, qui, iuxta dicta sub anno præcedenti, ad deserta cum Assidæis socijs confugerat, postquam pater ipsius cum alijs filijs ad
Quid de Iuda. Modim perrexerat, eò abijsse. An verò cum socijs, incertum sanè. Dici enim potest satis probabiliter, cum illis simul ad patrem venisse, ita vt illud: *Tunc congregata est ad eos Synagoga Iudæorum*, &c. de quo postea, ad hoc tempus referatur. Nisi placeat dicere ipsum primò, deinde Assidæos accessisse, post illa, quæ proximè referimus. Cum ergo in ea ciuitate Mathathias, & filij profugi a facie persecutoris mansissent, in eam etiam Regij ministri venerunt, Bachides videlicet, vt ait Iosephus *lib. 1. de bello cap. 1.* siue Apelles, vt idem *lib. 12. antiquit. cap. 8.* asserit, vocatus, vt incolas eius, & quos ibi confugisse comperirent, thura accendere Idolis, Dijs immolare, & a Lege Dei discedere compellerent. Igitur cum multi de populo Israel eorum
Mathathiæ gesta. iussa facerent, Mathathias tamen, & filij eius, etsi verbis honorificis compellati, & pollicitationibus allecti, constantissimè restiterunt. Quin Mathathias cum Iudæum quemdam in omnium oculis sacrificare Idolis respexisset, Phinees zelo accensus tam ipsum, quam virum a Rege missum interfecit, aram destruxit, classicumque canens contra Antiochum, ac vexillum defectionis erigens, voce magna exclamauit in ciuitate dicens: *Omnis qui zelum habet Legis sta-*
Fugit in desertum. *tuens testamentum exeat post me*. Tunc fugit ipse, filij eius, & multi alij, quæ habebant in ciuitate, relictis, in occultiora deserti. Ibi primo prælio a Regijs profligati, quod die sabbathi aggressi resistere noluerunt, sed postea confortati, prudentius existimantes sabbathi Lege in tanta necessitate non obstringi, hostibus occurrerunt, terga vertere fecerunt, pluresque illorum plaga magna percusserunt, prout in sequentibus notabitur. S. Scriptura. 1. *Machab. 2.* Iosephus relatus, & Expositores.

3 Eo tempore, inquit Sacer textus, congregata est ad eos (scilicet
Synagoga Assidæorum. Mathathiam, & filios ipsius) *Synagoga Assidæorum, fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in Lege*. Quæ verba cum expresse tangant Assidæorum Congregationem, quam eamdem ac Essenorum fuisse diximus *sub anno 3847. num. 5.* ac per consequens eiusdem Eliani, seu Prophetici Instituti, vt ibi dictum est, accuratius expendenda sunt. In primis enim *Synagoga* cum idem sit, quod *Congregatio, seu adunatio*, manifestè denotat Assidæos, seu Essenos vnum *corpus*,

pus, Collegium, seu *Ordinem* Iudæorum eo tempore fuisse, iuxta dicta eo loco. Vnde & Religionis nomen illis tribuere videtur Genebrardus *in Psalm.* 78. (quē de ipsis intelligendum dicemus in sequentibus) in illis verbis: *Carnes sanctorum tuorum bestijs terra*, vbi sic: *Sancti hoc loco vocantur professione Religionis, & fidei*. Idem sequitur Serarius *in Machabæorum Harmonia super cap. 7. lib. 1. & cap. 14. lib. 2.* dicens: *Ex quibus etiam apparet fuisse homines illos a cætero Iudæorum populo institutis, & nomine distinctos, societate verò inter se sancta, & religiosa deuinctos*. Quod dicatur *fortis viribus ex Israel*, seu, vt Græce, habetur, *fortes potentia de Israel*, indicat ipsos, tum corporis, tum animæ viribus valde potentes fuisse propter nobilitatem, ingenuitatem, sapientiam, & probitatem; vnde Lyranus fortes eos appellat, *quantum ad robur corporis, & spiritus*. Quod verò dicantur *omnis voluntarius in Lege*, seu, vt Græcè, *omnis voluntarius Lege*, non solùm designat, prout Lyranus exponit, quod omnes *haberent voluntatem seruandi Legem*, sed maius aliquid, fuisse videlicet homines qui communibus Legis præceptis non contenti, supererogationis operibus incumberent. Vt enim ex Rabbinorum placitis diximus sub anno 3847. *Chasid*, a quo Assidæorum nomen deriuatur, non denotat hominem quomodocunque sanctum, & pium; sed eum, *qui plus facit, quam iubeatur facere*, seu qui supererogationis actibus exercetur. Cui consonant dicta sub anno 3622. vbi ostensum, eos, *præter ea, quæ tenebantur ex Lege facere, etiam sponte impendia quædam in Templum, & Sacrificia* fecisse. Item: *Non solum ex præcepto Legis, sed etiam ex consequentijs, & interpretationibus* vixisse. Præterea, quod *sarta tecta Templi maiori ex parte curabant, & voluntarios sumptus faciebant*. Et sanè cum Assidæi idem sint cū Essenis, iuxta dicta *sub anno* 3847. siquidem Essenorum aliqui tria Religiosi status vota, quatenus in veteri Lege hæc obseruantia esse potuit, iuramento etiam obstricti obseruabant, prout ostensum *sub anno* 3545. Idem de Assidæis affirmandum, vt propterea *voluntarij in Lege* iure appellari possint.

An Religiosi.

Quale ipsorū Institutum.

Quę autem strenuè, & præclarè ab his Assidæis Mathathiæ, & filijs eius adiunctis gesta sint, qualiter hostibus obstiterint, ac egregiè de ipsis triumphare cœperint: S. Scriptura 1. *Machabæorum* 2. post verba relata sic habet: *Omnes, qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos, & facti sunt illis ad firmamentum, & collegerunt exercitum, & percusserunt peccatores in ira sua, & viros iniquos in indignatione sua, & cæteri fugerunt ad nationes, vt euaderent, & circuiuit Mathathias, & amici eius, & destruxerunt Aras, & circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot inuenerunt in finibus Israel, & in fortitudine. Et perse-*

Strenua gesta ipsorum.

cuti sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manibus eorum, & obtinuerunt Legem de manibus gentium, et de manibus Regum, et non dederunt cornu peccatori. Ea etiam Hegesippus *lib. 1. cap. 1.* sic refert
Hegesippus. de Mathathia loquens: *Congregata manu, atque Assidæis in societatem adscitis, ipse cum filijs suis temerantes vsum patrium, & iustitias Legũ, alios necauit, plerosque expulit, bellique Sabbatho adoriendi auctor fuit, ne simili quoque arte deciperentur, sicut iam plerique eorum, dum Sabbatho bellum suscipere detrectant, irruentibus in se hostibus multi occubuere.* Alia porrò ipsorum egregia facta sequentibus annis dabimus.

Annus mundi 3889. ante Christum 164.



Mathathiæ mors.

1 BIERAT anno præcedenti, qui 146. erat Regni Græcorum, vt colligitur ex 1. *Machabæorum*. 2. venerandus senex Mat hathias, morti proximus pia exhortatione suos ad constantiam in patrijs institutis, & diuinis Legibus, egregijs Patrum operibus propositis, seruandam commonens, eisque benedicens, ac Simonem tamquam patrem, Iudam verò vt ducem belli designans. Dicitur autem a Iosepho Gorionide *lib. 3. cap. 9.* & Iosippo vnxisse cornu olei Mathathiam filium suum Iudam, in Sacerdotem videlicet, & Regem, plaudente populo, quod alij recipiunt. Vtcumque id sit, eius famosissima gesta nostrorum Annalium propria sunt, tum quia ipse Essenus, seu Assidæus erat, immo Essenorum, & Assidæorum dux, iuxta dicta *sub anno* 3887. tum quia vt 1. *Machab. 3. vers. 2.* ipsum adiuuabãt *vniuersi, qui se coniunxerant patri eius*, inter quos Assidæi erant, vt dictum est *sub anno præcedenti ex cap. 2. eiusdem lib. 1. Machabæorum*. Vnde Iosephus 12. *Antiquit. cap. 8.* de ipso inquit: *Adiuuantibus se promo animo fratribus, cæterisque religiosis finitimis, inimicos a prouincia expulit*, &c. Isti enim *Religiosi finitimi* procul dubio Assidæi erant, cum tale nomen illis solum propriùs adaptari possit.

Iudas Dux.

2 Sed antequam huius Machabæi Iudæ strenua gesta pro patria, & Religione referamus, operæpretium erit exponere, qua de causa tum ille, tum alij Machabæi appellati sunt. In quo communis, & vera sententia tenet, hoc nomen illis inditum, quod Iudas militibus suis pro belli tessera dedisset illam *Exod. 15. vers. 11.* sententiam: *Quis sicut tu in Dijs, vel fortibus Domine?* per quatuor has litteras initiales M. C. B. I. quas populus breuitatis causa *Machabæi* legens, tum illi, tum fratribus, tum posteris Machabæorum cognomentum dederit. Ita Genebrardus *lib. 2. Chronolog. circa ann.* 3923.

Cur Machabæus appellatus.

ex R.

ex R. Isaac Bensbola, tenent etiam Reuchlinus *lib. 3. Cabala*, Mercerus *de abbreuiaturis Hebrais*, Sixtus Senensis *lib. 1. Biblioth.* Montanus *in Isai. 20.* & alij. Quamuis Iosephus Gorionis *lib. 3. c. 9.* a *robore* Iudæ, quo præditus fuit, dum hostes Israel profligauit, seu verbo *Caba*, quod est, extinxit, id cognomen obuenisse credat. Vocantur etiā non Machabæi tantum, sed etiam Assamonæi ab vtroque Iosepho, Flauio, & Gorionide, Rabbinis passim, & aliquibus sectarijs (qui veluti nouitatis amatores, & Grammaticæ plus quam veræ Theologiæ studiosi obscurioribus delectantur vocabulis) sed nos cum S. Scripturæ, & Patrum communi vsu, etsi eos *Assamonæos* appellari posse existimemus, nihilominus solum *Machabæos* appellabimus. Qui verò plura de hoc Assamonæorum titulo scire desiderat, consulat Serarium *in Harmon. Machabæorum cap. 2. lib. 1.* Et maximè Boulducum, ex quo plura ad nostræ historiæ intentum elicere valemus. Primò enim *lib. 1. de Ecclesia ante Legem c. 14. in fine* Machabæos, Assamonæos, Enoscæos, & Assidæos vocat, quo sanè denotatur Prophetici Ordinis professores eos existimasse, sicut Enoscæos, idest, Essenos, & Assidæos. Idem fermè repetit *eodem lib. cap. 17. §. Istud est sacrificium*; similiter §. *Quod ego admitto*, expresse ait filios, & nepotes Simonis Assamonæorum cognomine donatos esse, quia erant ex *Enoscæorum*, idest, *Essenorum Instituto*. Præterea ibidem §. *multa sanè*, adhuc expressiùs ait constare, quod Machabæi fuerint Esseni: sed clarissimè ibidem §. *quibus præmissis*, affirmans Machabæos dici Essenos sub Assidæorum, Cedmonæorum, seu Assamonæorum nominibus. Quæ eò libentiùs adducimus, vt ostendamus sufficienti titulo de his Machabæis, seu Assamonæis in nostris Annalibus agere debuisse. Ibidem etiam §. *Cui successit*, inter huiusmodi Assamonæos, Cedmonæos, seu Enoscæos refert Iudam, Ionathan, Simonem, Hircanum, Aristobulum, & Alexandrum, de quibus in sequentibus, sicut in præsenti de Iuda.

Assamonæi dicti.

Boulduci placitum.

3 Gesta porrò Iudæ nostri, adiuuantibus fratribus, & Assidæis, ex *cap. 3.* eiusdem primi Machabæorum libri hæc sunt, eisdem sacri textus verbis relata, quia perspicua sunt, non difficilia: *Dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam, sicut Gigas, & succinxit se arma bellica sua in prælijs, & protegebat castra gladio suo; similis factus est Leoni in operibus suis, & sicut Catulus Leonis rugiens in venatione, & persecutus est iniquos, perscrutans eos, & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis: & repulsi sunt inimici eius præ timore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati sunt, & directa est salus in manu eius. Et exacerbabat Reges multos, & lætificabat Iacob in operibus* Iudæ gesta.

 suis,

suis, & in seculum memoria eius in benedictione; & perambulauit ciuitates Iuda, & perdidit impios ex eis, & auertit iram ab Israel. Et nominatus est vsque ad nouissimum terra, & congregauit pereuntes. Et congregauit Apollonius gentes, & a Samaria virtutem multam, & magnam ad bellandum contra Israel. Et cognouit Iudas, & exijt obuiam illi; & percussit, & occidit illum: & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt, et accepit spolia eorum: & gladium Apollonij abstulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus. Et audiuit Seron Princeps exercitus Syria, quòd congregauit Iudas congregationem fidelium, & Ecclesiam secum, & ait: Faciam mihi nomen, & glorificabor in Regno, & debellabo Iudam, & eos, qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum Regis. Et praeparauit se, & ascenderunt cum eo castra impiorum fortes auxiliarij, vt facerent vindictam in filios Israel. Et appropinquauerunt vsque ad Bethoron: & exiuit Iudas obuiam illi cum paucis. Vt autem viderunt exercitum venientem sibi obuiam, dixerunt Iuda: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus ieiunio hodie? et ait Iudas: Facile est concludi multos in manus paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cali liberare in multis, & in paucis: quoniã nõ in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. Ipsi veniũt ad nos in multitudine contumaci, & superbia, vt disperdãt nos, & vxores nostras, et filios nostros & vt spoliẽt nos, nos verò pugnabimus pro animabus nostris, & ipse Dominus conteret eos ante faciem nostrã, vos autem ne timueritis eos. Vt cessauit autem loqui, insiluit in eos subito, & contritus est Seron, & exercitus eius in conspectu ipsius, & persecutus est eum in descensu Bethoron vsque in campum, & ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philisthijm. Et cecidit timor Iuda, ac fratrum eius, et formido super omnes gentes in circuitu eorum, et peruenit ad Regem nomen eius, et de prælijs Iuda narrabant omnes gentes.

Percussit Apollonium.

Contriuit Seron.

De his etiam vterque Iosephus, Flauius quidem *lib. 12. antiquit. c. 10.* & Gorionides *lib. 3. cap. 10.*

4 Circa quæ id primò animaduertendum, prælium istud cum Apollonio a Iosepho Gorionide *lib. 3. cap. 10.* (vt aliqui legunt) dici initum inter Macedones, & Assidæorum cœtum, quo Assidæos his prælijs personaliter interfuisse declaratur. Secundò, ieiunium illud, propter quod detrectabant Iudæi pugnare cum Serone, non incongruè existimari posse fuisse ieiunium non necessitato, sed Religionis causa susceptum, prout indicat Salianus *sub hoc anno num. 12.* Quod si ita fuit, non solum pietas Iudæ, & Assidæorum patefit, sed etiam denotatur eos ex Essenis fuisse, quos ieiunijs, & abstinentijs valde addictos fuisse testatur Philo *in lib. de vita contemplatiua*, vbi inter

Assidæi.

Essenorum ieiunia.

ter alia habet, *nec cibum, nec potum quisquam sumit ante solis occasum.* Quod forsan eo die contigerat.

5 Prosequitur sacer textus eiusdem *cap. 3. lib. 1. Machabæorum,* referens ea, quæ Antiochus Rex, eiusque ministri gesserunt, & qualiter Iudas ad illis resistendum, ieiunijs, cilicijs, & orationibus exercitum suum præparabat: *Vt audiuit autem Rex Antiochus sermones istos, iratus est animo, & misit, & congregauit exercitum vniuersi regni sui, castra fortia valde, & aperuit ærarium suum, & dedit stipendia exercitui in annum, & mandauit illis, vt essent parati ad omnia. Et vidit, quod defecit pecunia de thesauris suis, & tributa Regionis modica, propter dissensionem, & plagam, quam fecit in terra, vt tolleret legitima, quæ erant a primis diebus: & timuit, ne non haberet, vt semel, & bis in sumptus, & donaria, quæ dederat ante larga manu, & abundauerat per Reges, qui ante eum fuerant. Et consternatus erat animo valde, & cogitauit ire in Persidem, & accipere tributa Regionum, & congregare argentum multum. Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali, super negotia regia a flumine Euphrate vsque ad flumen Ægypti, & vt nutriret Antiochum filium suum, donec rediret. Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos, & mandauit ei de omnibus, quæ volebat, & de inhabitantibus Iudæam, & Ierusalem, & vt mitteret ad eos exercitum ad conterendam, & extirpandam virtutem Israel, & reliquias Ierusalem, & auferendam memoriam eorum de loco, & vt constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & sorte distribueret terram eorum. Et Rex assumpsit partem exercitus residui, & exiuit ab Antiochia ciuitate regni sui anno centesimo, & quadragesimo septimo: & transfretauit Euphratem flumen, & perambulabat superiores regiones. Et elegit Lysias Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam viros potentes ex amicis Regis, & misit cum eis quadraginta millia virorum, & septem millia equitum, vt venirent in terram Iuda, et disperderent eam secundum verbum Regis. Et processerunt cum vniuersa virtute sua, et venerunt, et applicuerunt Emmaum in terra campestri. Et audierunt mercatores regionum nomen eorum, et acceperunt argentum, et aurum multum valde, et pueros, et venerunt in castra, vt acciperent filios Israel in seruos; et additi sunt ad eos exercitus Syriæ, et terræ alienigenarum. Et vidit Iudas, et fratres eius, quia multiplicata sunt mala, et exercitus applicabant ad fines eorum: et cognouerunt verba Regis, quæ mandauit populo facere in interitum, et consummationem, et dixerũt vnusquisque ad proximum suum: Erigamus deiectionem populi nostri, et pugnemus pro populo nostro, et sanctis nostris, et congregatus est conuentus, vt essent parati in prælium, et vt orarent, et peterent misericordiam,*

Antiochus iratus.

Cogitat ire in Persidem.

Exit ab Antiochia.

Mittit exercitus in Iudæos.

Iudæ gesta.

& miserationes. Et Ierusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum, non erat qui ingrederetur, & egrederetur de natis eius, & sanctum conculcabatur, & filij alienigenarum erant in arce. Ibi erat habitatio gentium: & ablata est voluptas a Iacob, & defecit ibi tibia, & cithara. Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Ierusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel. Et ieiunauerunt illa die, & induerunt se cilicijs, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua, & expanderunt libros Legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum, & attulerunt ornamenta Sacerdotalia, & primitias, & decimas, & suscitauerunt Nazaraeos, qui impleuerant dies; & clamauerunt voce magna in caelum, dicentes: Quid faciemus istis, & quò eos ducemus? & sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt, & Sacerdotes tui facti sunt in luctum, & in humilitatem. Et ecce nationes conuenerunt aduersum nos, vt nos disperdant: tu scis, quae cogitant in nos. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adiuues nos? & tubis exclamauerunt voce magna. Et post haec constituit Iudas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones, & dixit his, qui aedificabant domos, & sponsabant vxores, et plantabant vineas, et formidolosis, vt redirent vnusquisque in domum suam secundum Legem. Et mouerunt castra, & collocauerunt ad Austrum Emmaum. Et ait Iudas: Accingimini, & estote filij potentes, & estote parati in mane, vt pugnetis aduersus nationes has, quae conuenerunt aduersus nos disperdere nos, & sancta nostra: quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostrae, & sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in caelo, sic fiat.

Oratio, & ieiunium.

Nazaraei excitati.

Preparantur ad praelium.

6 In quibus historia nostra dignum illud est, quòd antequam cum tam terribili exercitu Antiochi ducum pugnaret Iudas, euidentissimum periculum imminens praecauere volens, & vt Deum precibus, ieiunijs, & poenitentiae operibus placaret, suos congregauerit in *Maspha* contra Ierusalem; *quia locus orationis* (inquit textus) *erat in Maspha ante in Israel.* Ex quo valde confirmatur id, quod *sub anno* 3154.*num.*6. diximus, in hoc videlicet *Maspha* fuisse Ordinis Prophetici Collegium a tempore Samuelis: propterea enim locus iste prae alijs a Iuda eiusdem Ordinis alumno, vtpotè Esseno, vel Assidaeo electus est, ad haec pietatis exercitia implenda, vt rectè notat Coria *in Chronic. Carmelitar. lib.*6. *cap.*27. praesertim quia erat *contra*, idest, versus *Ierusalem*; Hebraei namque versus Templum Ierosolymitanum orabant, vt colligitur ex Daniel 6. immo ex eo, quod dicatur: *Et suscitauerunt Nazaraeos, qui impleuerant dies*, infert eos etiam ex Ordinis Prophetici professoribus fuisse, ac propterea in hoc oratorio

Maspha locus orationis.

Ordinis Prophetici Collegium.

torio collocatos, cum aliàs propter bella, & persecutionem Antiochi dispersi essent, vt ibi more suo Dei cultui inseruirent. Nec discordat Glossa ordinaria hic Nazaręos intelligens eos, *qui per castitatis munditiam gratam vitam omni tempore Deo exhibere student*. Verbum autem *suscitauerunt* explicat Hugo Cardinalis, dicens: *Id est, conuocauerunt, & comparere fecerunt, & orare fecerunt, & offerre vota sua*, intellige, in eo oratorio. Fauet & Dionysius, qui per Nazaræos intelligit *quosdam specialiter Deo consecratos*. Propterea etiam primitias, & decimas eò intulerunt, in ipsorum videlicet sustentationem. Ordinis autem Prophetici sectatores fuisse Nazaręos ea, quæ *in Apparatu c.3. num.3.* & *sub anno 3124. num.5.* diximus, sufficienter suadent. Qui isti Nazaręi.

7 Pariter id, quod in relatis verbis dicitur, videlicet: *Expanderunt libros Legis, de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum*, quia Eliæ Prophetæ nostri magnalia tangit, omittendum non est. Horum ergo verborum sensus, alijs relictis expositionibus, ex Serario, & Saliano, qui illum ex Beda *quæst. 27. in libros Regum* referunt, hic est: Soliti erant Gentiles, si quando in libros sacros incidissent, quod maximè hoc tempore eueniret, quando Ierosolyma, & Iudæa tota sub eorum dominio erat, insignes historias, & Dei miracula, quæ in sacris Biblijs reperiebantur, ad suos Deos transferre, qualiter Eliæ raptum in curru ad Solis currum depingendum transtulerant. Vt ergo Iudas suis militibus ostenderet solum Deum verum esse illorum miraculorum factorem, non autem falsos Ethnicorum Deos, vt vel sic animosiores redderentur ad firmam spem in ipso collocandam, iussit expandi sacros libros, & in eis ea Dei mirabilia legi. Solis autem illam figuram supra igneam quadrigam ex Eliæ raptu in Cælum Ethnicos mendicasse, habetur ex Chrysostomo *tom. 1. in homil. de Elia*, & alijs pluribus. Causamque tradidit Sedulius Presbyter *lib. 1. Paschalis operis*, sic de eodem Elia scribens: Quid est expandere libros. Solis quadriga ex Eliæ raptu mendicata.

Quam bene fulminei prælucens semita cæli
Conuenit Eliæ, meritoque, & nomine fulgens,
Æthere dignus erat, nam si sermonis Achiui
Vna per accentum mutetur littera, Sol est.

Quod est dicere, idcirco Solem super aurigam igneam Ethnicos depinxisse, quia Sol Græcè *Elios* vna sola mutata littera *Elias* est, cui talis honos debitus erat.

8 Reliqua Iudæ gesta hoc anno, qualiter scilicet hostes suos fuderit, eorum spolia ditissima acceperit, gratiasque Deo pro tanto beneficio egerit, ex *cap. 4.* eiusdem *libri 1. Machabæorum*, vbi ea habentur, sic damus: *Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum, &* Alia Iudæ gesta.

mille

mille equites electos, & mouerunt castra nocte, vt applicarent ad castra Iudaeorum, & percuterent eos subito, & filij, qui erant ex arce, erant illis duces. Et audiuit Iudas, & surrexit ipse, & potentes percutere virtutem exercituũ Regis, qui erant in Emmaum. Adhuc enim dispersus erat exercitus a castris. Et venit Gorgias in castra Iudae nocte, & neminem inuenit, & quaerebat eos in montibus, quoniam dixit: Fugiunt hi a nobis. Et cum dies factus esset, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantũ, qui tegumenta, & gladios non habebant, & viderunt castra gentiũ valida, & loricatos, & equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad praeliũ. Et ait Iudas viris, qui secum erant: Ne timueritis multitudinẽ eorum, & impetũ eorum ne formidetis. Mementote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro, cum sequeretur eos Pharao cũ exercitu multo. Et nunc clamemus in Celũ, & miserebitur nostri Dominus, & memor erit testamenti patrum nostrorum: & cõteret exercitum istum ante faciem nostram hodie, & scient omnes gentes, quia est, qui redimat, et liberet Israel. Et eleuauerunt alienigenae oculos suos, et viderunt eos venientes ex aduerso, & exierunt de castris in praeliũ, & tuba cecinerunt hi, qui erant cum Iuda. Et congressi sunt, & contritae sunt gentes, & fugerunt in campũ. Nouissimi autem omnes ceciderunt in gladio, & persecuti sunt eos vsq; Gezeron, & vsque in campos Idumaeae, & Azoti, et Iamniae, & ceciderunt ex illis vsque ad tria millia virorum. Et reuersus est Iudas, & exercitus eius, sequens eum. Dixitque ad populum: Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est, & Gorgias, & exercitus eius prope nos in monte, sed state nunc contra inimicos nostros, & expugnate eos, & sumetis postea spolia securi. Et adhuc loquente Iuda haec, ecce apparuit pars quaedam prospiciens de monte, & vidit Gorgias, quod in fugam cõuersi sunt sui, & succenderunt castra. Fumus enim, qui videbatur, declarabat, quod factum est: quibus illi conspectis timuerunt valde aspicientes simul, & Iudam, & exercitum in campo paratum ad praelium, et fugerunt omnes in campum alienigenarum, et Iudas reuersus est ad spolia castrorum, et acceperunt aurum multum, et argentum, et hyacinthum, et purpuram marinam, et opes magnas. Et conuersi hymnum canebant, et benedicebant Deum in celum, quoniam bonus est, quoniam in seculum misericordia eius. Et facta est salus magna in Israel in die illa. Quicunque autem alienigenarum euaserunt, venerunt, et nunciauerunt Lysiae vniuersa, quae acciderant. Quibus ille auditis consternatus animo deficiebat, quod non qualia voluit, talia contigerunt in Israel, et qualia mandauit Rex.

[Margin: Contriuit gentes. — Gorgias timet. — Capit Iudas spolia. — Praeliũ aliud.]

9 Sub idem quoque tempus praelium aliud, de quo 2. *Machabaeorum* 8. fit sermo, contigisse videtur, prout Torniellus, & Salianus etiam existimant. In hoc praelio Iudas cum septem millibus a se in Do-

Domino confortatis, supra viginti millia hominum hostium occidit: munitiones excelsas obtinuit, prædas diuisit, Philarchen virum scelestum, qui in multis Iudæos afflixerat, interfecit, ac Nicanorem, qui mercatores ad Iudæorum venditionem adduxerat, humiliatum, confusum, ac confitentem, quòd Deus auxilia Iudæis præberet, effugauit. Hic Philarchen, quem aliqui Philippum appellant, teste Gorionide, viuus combustus à Iudæis fuit in vltionem sanguinis Eleazari, & Assidæorum (vt aliqui legunt, licet Munsterus *bonorum virorum* vertat) quem effuderat. Ex quo intelligimus aliquos ex Assidæis ab hoc scelesto cum Eleazaro interfectos. Superat Iudas inimicos.

10 Ad hæc ipsa tempora, vel circiter referenda est noua Iudæorum Templi in Ægypto constructio. Cuius rei historia, quia lucem præbet dicendis in nostris Annalibus, prætermitti non debuit. Occasione ergo Ierosolymitanæ cladis ab Antiocho Rege illatæ, de qua *sub anno* 3879. dictum est, cum multi inter cædes, & captiuitates, vti assolet, fuga euaserint, & in Arabiam, Ægyptum, propinquasvè regiones, terra, marique penetrassent, ex eis vnus fuit Onias Oniæ Iusti Summi Sacerdotis eo tempore occisi filius, qui in Ægyptum transfuga abijt cum Iudæorum multis, ibique a Rege benignè susceptus de Templo illi, quod Ierosolymis erat, simili, ædificando cogitauit. Quis fuerit hic Onias, Doctores dissentiunt. Iosephus enim parum sibi constans hallucinatur, modò vnum, modò alium designans. D. Hieronymus autem *in cap.* 11. *Danielis* nominis Oniæ similitudine inductus, Oniam Summum Sacerdotem violenter occisum, de quo sub anno diximus, existimat. Tornielius verò *sub anno* 3850. *num.* 6. Oniam istius Oniæ Summi Sacerdotis non filium, sed fratrem natu minorem putat; sed nos Sigonium *lib.* 5. *de Republic. Hebræorum cap. de Pontificibus*, & Salianum *sub anno* 3885. *num.* 26. *et sub anno* 3889. *num.* 50. sequentes hunc Oniam Summi Sacerdotis Oniæ occisi filium probabilius existimamus. Hic cum vidisset Iudæam ab Assyrijs, & Macedonibus vastatam, Templum Ierosolymitanum ab Antiochi ministris prophanatum, seque Pontificatu summo expoliatum, vt sibi forsan nomen faceret, & Iudæos in Ægyptum etiam Religionis causa attraheret, Regibusque Ægypti plusquam Syriæ deditos redderet, innixus præsertim Isaiæ oraculo *cap.* 19. *vers.* 19. illis verbis: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini iuxta terminum eius erit in signum, et in testimonium Domino exercituum*; prauè a se intellectis, licentia prius a Ptolemæo Philometore Ægypti Rege obtenta, in Heliopolitano tractu Templum ingens (etsi magnitudine dissimile ei, quod erat in Templi Ægypti, constructio. Onias transfuga cum Iudæis multis. Quis hic Onias. Construi curat Templum in tractu Heliopolitano.

Ieru-

Ierusalem) construi curauit. Ipso quoque Rege ad Oniæ instantiam concedente, Sacerdotes, & Leuitas in eo constituit, agri etiam, & pecuniarum redditus pro Dei cultu ab eo accepit. Iosephus *lib. 7. de bello Iudaic. cap. 30.*

11 Cum autem occasione Templi denuo extructi, bellorum, quæ in Iudæa erant, & Oniæ Pontificis filij, ad quem iure hereditario Pontificatus spectare videbatur, *infinita examina Iudæorum* (sic enim loquitur S. Hieronymus relatus) in Ægyptum confugerint, & ciuitas, quæ nomine ipsius Oniæ *Onion* vocabatur, eodem Hieronymo testante, *Cyrenæorum multitudine* repleta esset, maximè, quia ibi iam Dei cultus per Sacerdotes, & Leuitas constitutos vigeret, procul dubio aliqui ex Essenis, seu Assidæis bellorum, & persecutionis metu a Iudæa exules eò conuolarunt. Meritò proinde suspicari datur, eos Essenos, quos circa tempora Christi apud Alexandriam, & Lacum *Mariam* appellatum versabantur, de quibus *in lib. de vita contemplatiua* loquitur, ex eis transfugis originem duxisse. Neque enim commodius tempus assignari potest, quo Esseni natione Iudæi, quales prædicti erant, in partibus Ægypti commorari cœperint. In hoc ergo tempus præcipuè referendum credimus, quod Aubertus Miræus clarissimæ litteraturæ Auctor *in tract. de Orig. Carmelit.* dixit, videlicet: *Nec Palæstine, Syriauè tantum finibus cælestis institutio circumscripta est, in Ægyptum enim temporis excursu lectissimæ genti s Coloniæ, quos* Essenos *nuncupabant, deductæ sunt, vt Eliæ imitatione Alexandria quoque claresceret.* Item quod Adrianus Adrianius *in lib. de Monast. vitæ orig. cap. 2.* dixit, videlicet: *Iudæorum meliores Eliæ, atque Elisæi discipuli Esseni appellati sunt, atque è vicinioribus Engaddi locis totam peruaserunt Aegyptum.*

Essenis, & Assidæi in Aegypto.

Annus mundi 3890. ante Christum 163.

Iudæ Machabæi magnalia.



1 HOC etiam anno Iudæ Machabæi Ducis, & Pontificis Iudæorum magnalia valdè effulserunt, provt ex *cap. 4. lib. 1. Machabæorum* habetur, vbi sic: *Et sequenti anno congregauit Lysias virorum electorum sexaginta millia, et equitum quinque millia, vt debellaret eos, & venerunt in Iudæam, & castra posuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem millibus viris, & viderunt exercitum fortem, & orauit, & dixit: Benedictus es Saluator Israel, qui contriuisti impetum potentis in manu serui tui Dauid, & tradidisti castra alienigenarum in manu Ionatha filij Saul, & armigeri eius, conclude exercitum istum in manu populi tui*

tue Israel, & confundantur in exercitu suo, & equitibus; da illis formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione sua. Deijce illos gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui nouerunt nomen tuum, in hymnis. Et commiserunt prælium, & ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. Videns autem Lysias fugam suorum, & Iudæorum audaciam, & quod parati sunt aut viuere, aut mori fortiter, abijt Antiochiam, & elegit milites, vt multiplicati rursus venirent in Iudæam. Ex Lysiæ exercitu quinque millia occisi.

2 Qua victoria consecuta pius, & religiosus Iudas, qui veluti ex Assidæorum Ordine ea, quæ Templi erant, curare debebat, eiusdem purgationi, altaris noui extructioni, celeberrimæque dedicationi religiosè incubuit, sacro textu eiusdem *cap. 4. lib. 1. Machabæorum* sic perhibente: *Dixit autem Iudas, & fratres eius: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta, & renouare: & congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion, & viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atrijs virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, & pastophoria diruta. Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum, & ceciderunt in faciem super terram, & exclamauerunt tubis signorum, & clamauerunt in Cælum. Tunc ordinauit Iudas viros, vt pugnarent aduersus eos, qui erant in arce, donec emundarent sancta; & elegit Sacerdotes sine macula voluntatem habentes in Lege Dei; & mundauerunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et cogitauit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis consilium bonum, vt destruerent illud, ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes, & demolìti sunt illud, & reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & responderet eis. Et acceperunt lapides integros secundum Legem, & ædificauerunt altare nouum, secundùm illud, quod fuit prius, & ædificauerunt sancta, & quæ intra domũ erant intrinsecus, & ædem, & atria sanctificauerunt, & fecerunt vasa sancta noua, & intulerunt candelabrum, & altare incensorum, & mensam in Templum. Et incensum posuerunt super altare, & accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, & lucebant in Templo. Et posuerunt super mensam panes, & appenderunt vela, & consummauerunt omnia opera, quæ fecerunt. Et ante matutinum surrexerunt quinta, & vigesima mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octaui anni; & obtulerunt sacrificium secundum Legem super altare holocaustorum nouum, quod fecerunt secundum tempus, & secundum diem, in qua contaminauerunt illud gentes, in ipsa renouatum est in canticis, & citharis,*

Iudas Templi dedicationi incumbit.

Sancta mundantur.

De altari holocaustorum, quid actum.

tharis, & cinyris, & in cymbalis, & cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cælum eum, qui prosperauit eis. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum latitia, & sacrificium salutaris, & laudis. Et ornauerunt faciem Templi coronis aureis, & scutulis, & dedicauerunt portas, & pastophoria, et imposuerunt eis ianuas, et facta est lætitia in populo magna valde, et auersum est opprobrium gentium, et statuit Iudas, et fratres eius, et vniuersa ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, a quinta, et vigesima die mensis Casleu cum lætitia, et gaudio. His similia leguntur *in 2. Machabaeorum* 10. Iosepho *lib. 12. antiquit. cap.* 10. & Gorionide *lib. 3. cap.* 13. qui hoc factum tribuit Iudæ, & *omni piorum cætui*, iuxta versionem Munsteri. Hunc verò *piorum cætum* Assidæos denotare ex ipso Munstero *super cap. 6. lib. 4. Gorionidis* habetur. Vide & ipsum super *lib. 3. cap.* 21

Dedicatio facta octo diebus.

3 Ex eo, quod dicatur reposuisse lapides altaris holocaustorum in loco apto, *quoadvsque veniret Propheta, et responderet de eis*, non certò colligitur, vt aliqui putant, caruisse hoc tempore Iudæos Prophetis, poterant enim aliqui esse, quibus tamen Deus non reuelauerit, quid agendum esset de illis lapidibus. Veriùs videtur iam subodoratos magnum illum inter Prophetas Christum Dominum, de quo Deuteronom. 18. *vers.* 15. dicitur: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit Dominus*, iam instare. An verò omninò cessauerit Prophetia in Israel, a tempore solutæ captiuitatis, vel a tempore Malachiæ, diximus *sub anno* 3556. *num.* 3. & *sub anno* 3598. *num.* 6.

An caruerint hoc tempore Iudæi Prophetis.

4 Diuino cultu, & religione piè, feliciterque restitutis, prouidendum erat de præsidio, & munitionibus, vt tantum bonum perpetuum esset, nec facilè ab hostibus deijceretur. Montem ergo Sion, qui adiacebat monti Moria, vbi erat Templum, muniri fecit Iudas, & per circuitum muros altos, & turres firmas ædificari ad Templi custodiam. Insuper in rupe *Bethsura* nominata arcem insignem construxit, vt haberet populus munitionem contra faciem Idumææ. S. Scriptura 1. *Machabaeorum* 4. Iosephus *lib.* 12. *Antiquit. cap.* 11. De alijs Iudæ gestis, quæ ad hunc annum forsan ex parte pertinebant, in sequenti differemus.

Mons Sion munitur.

Annus

Annus mundi 3891. ante Christum 162.

1 BIISSE hoc anno Antiochum Epiphanem malorum, quæ acciderant Iudæis hoc tempore, auctorem, colligitur ex sacra Scriptura 1. *Machabæor. 6.* Iosepho *lib. 1. de bello Iudaic. cap. 1. & 12. antiquit. cap. 14.* & alijs. Mors autem ipsius in exemplum impiorum Regum, quæ iniusta bella alijs mouent, nobis iure referenda. Perambulabat infelix superiores Regni sui prouincias, corradendę pecuniæ gratia, & in congregandis thesauris occupatus. Audiens autem, quod in Perside esset ciuitas nobilissima, & ditissima, nomine *Elimaides*, seu *Persepolis*, Templumque in ea locuples valde, & illic velamina aurea, loricas, & scuta ab Alexandro Magno relicta, venit illuc putans capere, & deprædari ciuitatem, sed non potuit, quia innotuit sermo ijs, qui erant in ea, & insurrexerunt contra eum, fugauerunt, ac in Babylonem reuerti tristem, & mœstum coegerunt. Accepit tūc nuncium cladium, quas Iudas ducibus ipsius Nicanori, Lysiæ, & alijs intulerat, qualiter diruisset abominationem, quam ædificauerat super altare, & ciuitatem Bethsuram, quæ erat ipsius Antiochi. Rex propterea primò in furorem versus, iussit accelerari currum, & sine intermissione iter agere Ierosolymam versus, eam volens diruere, ac, vt ipse superbè dicebat, cōgeriem sepulchri Iudęorum facere. Sed cum, diuina prouidentia, de curru, in quo ferebatur, impetu nimis concito corruisset, grauiter colliso corpore, & diro intestinorum dolore correptus, ita vt in sella gestatoria portari ipsum deinceps oporteret, & morbus, tum ex tristitia ob calamitates, quæ illi in Perside, & Iudæa acciderant, tum ex eo, quod cum fœtore intolerabili vermes de eius corpore scaturirent, vehementer ingrauesceret, diuinā in se vltionem sentiens, ac mala, quæ in Ierusalem fecerat, recogitare incipiens, in illam vocem erupit: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Orabat etiam scelestus Dominum, proponens se liberam Ierosolymam facturum Templum Dei ornaturum, Iudæum se futurum, & Iudæos pro amicis habiturum. Sed quia hæc ipsius pœnitentia non vera, sed ficta, non de Dei offensa, sed de malis, quæ illi contigerant, erat, promissionesque eius inanes, & simulatæ credantur, quantumuis etiam litteras amicabiles ad Iudæos scripserit, morte nihilominus pessima a Deo impius punitus, in montibus vita functus est, Philippo vno de amicis suis super regnum constituto. Sacra Scriptura 1. *Machab. 6.* & 2. *Machabæorum 9.* Iosephus

Impij Antiochi mors.

Pergebat in Persidem.

Regredi conabatur in Ierosolymam.

Corruit grauiter correptus.

Orat multa promittens.

Morte pessima functus.

phus Gorionides *lib.3.cap.* 12. Eius epitaphium ex Danielis 8.ab illis verbis: *Rex impudens faciè*, habet Serarius in hæc loca ex libris Machabæorum; & aliud Salianus sub hoc anno num.22. quibus infamis Regis facinora graphicè describuntur.

Ob sanguinē Assidæorum effusum.

2 Sic miserè perijsse Antiochum inter alia ob sanguinem nostrorum Assidęorum, quem effuderat, ex dicto Gorionide loco relato expressè habetur, prout aliqui ex Hebræo vertunt apud Serarium loco relato: *Habuit* (inquit) *zelū pro ciuitate, Temploque suo, et pepercit populo suo, sanguinemque Assidæorum suorum de Antiochi manu requisiuit. Nam percussit eum vlcere pessimo*, &c. Nunc de Iuda Machabæo eorum Principe, quæ sub hoc tempore gesserit, requiramus.

Gentium vicinarum inuidia.

3 Audierant gentes, quæ erant in circuitu Ierusalem, quod ędificatum esset altare, & sanctuarium, sicut prius ante Antiochi vastationem erat, & inuidiæ liuore, vel potius timore Iudæ, & Assidęorum commoti, destruere cogitabant Iudæos, quos possent, eos persequendo, & occidendo. Iudas autem contra ipsos consurgens, in suorum vindictam feliciter pugnam inijt, prout in 1. *Machabęor.* 5. sic refertur:

Debellabat Iudas hostes Israel.

Debellabat Iudas filios Esau in Idumæa, et eos, qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israelitas, & percussit eos plaga magna. Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum, et in scandalum, insidiantes ei in via. Et conclusi sunt ab eo in turribus, et applicuit ad eos, et anathematizauit eos, et incendit turres eorum igni, cum omnibus, qui in eis erant. Et transiuit ad filios Ammon, et inuenit manum fortem, et populum copiosum, et Timotheum ducem ipsorum, et commisit cum eis prælia multa, et contriti sunt in conspectu eorum, et percussit eos: & cepit Gazer ciuitatem, et filias eius, & reuersus est in Iudæam.

Infausta alia populo Dei.

4 Inter hęc fausta alia minus prospera tunc Dei populo contigerunt. Cum enim Iudas ex Galaaditide regiones huc, illucque discurrens, contra hostes dimicaturus discessisset, congregatę sunt gētes, quę erant in Galaad aduersus Israelitas, qui erant in finibus illorum, eosque fugere compulerunt in munitionem *Datheman* nuncupatam, pluribus illorum interfectis. Vnde ad Iudam, & fratres pro auxilio obtinendo litteras miserunt Adhuc epistolę legebantur, & ecce nuncij alij ex Galilęa venerunt, tunicis conscissis, nunciantes Gentes a Ptolemaide, Tyro, & Sydone contra Iudęos conuenisse, totamque Galilæam implesse. Sacra Scriptura 1. *Machabæorum* 5. ex quo aptè coniectari possumus, non pauca ea tempestate mala ab ijs alienigenarum exercitibus perpessos fuisse Carmeli in illis partibus montis eremitas, quos a tempore Eliæ ibi iugiter commoratos fuisse

Et Carmeli incolis.

se *sub anno* 3128. diximus, etsi monumentorum penuria, & temporis diuturnitate qui, & quales fuerint, ignoremus.

5 Quæ verò tunc egerit Iudas cum fratribus, licet melius dare non possimus, quàm ipsis S. Scripturæ eodem 1 *lib. Machabæor. cap.* 5. verbis, sub compendio tamen ea sic redigimus. Prædictis nuncijs acceptis, consultatione cum suis præhabita, Iudas, relicta sub ducibus Iosepho, & Azaria parte exercitus, Simonem fratrem suum misit cum manu forti in Galilæam, qui fugatis feliciter, spoliatisque hostibus, & ad tria millia occisis plures secum in Iudæam traduxit. Iudas verò ipse, qui cum Ionatha, & alijs socijs in Galaaditidem Regionẽ profectus fuerat, cum semel, atque iterum Timothei exercitum profligasset, hostium ciuitates destruxisset, & facta ingenti præda cum omnibus Iudæis in illis partibus repertis, cum lætitia magna, & spolijs plurimis reuersus est in Iudæam, vbi in montem Sion, hoc est, in Templum ascendentes, obtulerunt holocausta Domino. Tristitiæ verò causam, qua, prout sæpius accidit, magna ipsorum lætitia temperata est, regressi repererunt. Nam Iosephus, & Azarias, quos reliquerat Iudas in Iudæa, vt renouatum Templum, ciuitatemque custodirent, audientes res benè gestas ipsius, & sociorum, voluerunt & ipsi, Iudæ præcepta contemnentes, cum hostibus pugnare. Quod fecerunt; sed exitu funesto: nam Iamiam abeuntes, cum hoc resciuisset Gorgias, & qui cum illo erant, & ipsis occurrissent, eos in fugam verterunt, duobus ferme millibus interfectis. S. Scriptura 1. *Machabæorum* 5. Iosephus *lib.* 12. *Antiquit. cap.* 12.

Simon mittitur in Galilęā

Iudas superatis hostibus reuertitur Ierosolymam.

6 Ex textu autem, vnde prædicta compendio retulimus, aliqua animaduerti possunt, quæ ad nostros Assidæos spectare videntur. Primò, quod Iosephus, & Azarias prædicti fugati ab alienigenis fuerint, duas rationes assignari in textu. Prima, *quia non audierunt Iudam, & fratres eius.* Secunda, quia *non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel,* seu, vt in Græco, *quibus Israelis salus data, vt ipsorum manu fieret*: quo denotatur harum victoriarum gloriā soli Iudæ Assidæorum Principi, & ipsis Assidæis a Deo esse concessam. Secundò, quod postquam percussit Iudas Timotheum, & exercitum ipsius, *diuertit in Maspha, & expugnauit, & cepit eam, & occidit omnem masculum eius, & sumpsit spolia eius, & succendit eam igni.* Quod non esse intelligendum de illa Maspha Iudææ, in qua congregauit Iudas populum, quia locus sacer erat, & de qua *sub anno* 3886. diximus: sed de alia Maspha in terra Gentilium asserunt Lyranus, Hugo, & Dionysius. Nec sanè credibile erat, vrbem Dei cultui sacrā, in qua & Ordinis Prophetici Collegium quondam fuerat, vt ibi di-

Assidæi.

Maspha vbi.

Quinam hi Scribæ.

ximus, a pijssimo Iuda hostiliter tractatam. Tertiò, Scribas illos populi, quos ad Torrentem aquæ statuisse Iudam dicitur in textu, etsi Lyranus credat fuisse, apud quos numerus militum descriptus erat; Salianus verò suspicetur fuisse centuriones, aut tribunos illic positos, vt auctoritate sua prohiberent populum, ne subsisteret cis Iordanem, sed transiret ad prælium, probabile etiam est Assidæos eos fuisse, quibus veluti securioribus aliorum cura committeretur. Nec mirũ est eos *Scribas* appellari, non solum quia 1. *Machabæorum* 7. cum illis coniunguntur, quasi ex illis, cum dicitur: *Congregatio Scribarum, & primò Assidæi*, sed etiam quia iuxta dicta sæpius præsertim *sub anno* 3230. Ordinis Prophetici alumni (quales erant ij Assidæi) *Scribæ* vocabantur.

Eupator Rex post Antiochũ

7 Regnauit post Antiochum filius eius Eupator, cum cuius etiã ducibus feliciter sæpè pugnauit Iudas, prout ex sacro textu habetur, quod & in hunc annum referendum videtur cum Torniello, & Saliano. Primò enim cum Gorgias vnus de regijs ducibus assumptis aduenis frequenter Iudæos debellasset, Iudas, & socij supplicationibus, & orationibus de more ad Deum præmissis (quod vtinam Christiani duces, & milites æmularentur, sic enim feliciùs res illis cederent) & facto in hostes impetu, multa Idumæorum loca obtinuerunt, & non minus viginti millibus hostium trucidarunt. Cum autem quidam in duas turres valde munitas confugissent, omnem apparatum ad repugnandum habentes, relicto fratre suo Simone ad illas expugnandas, ipse ad vrgentiores pugnas conuertebatur. Reuersus tamen omnes in eis existentes pariter interemit. Deinde cum Timotheus iam pridem a Iudæis superatus, conuocato exercitu peregrinæ multitudinis, & equitatu Asiano in Iudæã rediret, quasi eam capturus; Iudas post solitas supplicationes cum aggressus, ac cælesti quodam quinque equitum de cælo auxilio mirabiliter adiutus, eum contriuit, in fugam coegit, ac tandem occidit, viginti millibus, & quingentis, ac equitibus sexcentis interfectis. Sacra Scriptura 2. *Machabæorum* 10.

Gorgias superatur.

Timotheus occiditur.

Equites de cælo missi.

8 In hac Iudæ victoria de Timotheo reportata illud nostris Annalibus proprius est, quod equites isti de cęlo missi (Angeli procul dubio ea specie) in Iudæ subsidium, pro Assidæorum etiam speciali auxilio a Deo destinati fuerunt, duobus quidem pro ipso Iuda, tribus autem pro Assidæis. Primum locus relatus ex *secundo Machabæor.* 10. sic exprimit: *Sed cum vehemens pugna esset; apparuerunt aduersarijs de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæ præstantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum*

Pro Iuda.

tum incolumen conseruabant, in aduersarios autem tela, et fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. De alijs autem tribus, quorum textus sacer meminit, sic loquitur, iuxta quorundam versionem apud Serarium relatum, Iosephus Gorionides *lib. 3. cap. 13.* alios etiam duos non prætermittens: *Clamans ad Deum Iudas in medio profundi pugnæ ipsius, attollensque oculos suos vidit quinque iuuenes sedentes super equos, quorum indumenta erant aurea, & duo ex ijs stabant pro Iuda, vnus ab hoc latere, alter ab altero defendentes cum clypeis suis, & tres pugnabant aduersus Timotheum. Factum itaque est, cum vidisset eos Iudas, cognouit eos missos pro auxilio Assidæorum, & confirmans suos iuuenes, irruit in Timothei copias, & ex eis percussit 20500.* Ex quibus inferat lector Assidæos primos esse in huiusmodi prælijs, ac a Deo præ alijs auxilia promeruisse. Et Assidæis

9 Prosequitur sacer textus *2. lib. Machabæorum cap. 11.* aliam Machabæi victoriam præcedenti maiorem; vpote contra Lysiam Regis Procuratorem, propinquum, ac negotiorum Præpositum, quem iure summum omnium Ducem, ac Proregem appellare possumus. Lysias Procurator Regis. Hic grauiter ferens Iudę victorias audire, cógregatis nó minus octoginta millibus militum, equitatu vniuerso, ac octoginta elephantis aduersus Iudæos veniebat, existimans se ciuitatem capturum, Gentium habitaculum facturum, Templum in pecuniæ quæstum, sicut cætera delubra habiturum, ac Sacerdotium per singulos annos venditurum. Ingressus autem Iudæam, Bethsuræ præsidium expugnabat. Quod vt nouit Iudas, & qui cum eo erant, fletu, & lacrymis Deum precabantur, vt bonum Angelum mitteret in salutem Israel; quod ita contigit. Nam cum aduersus hostes procederent, apparuit Ierosolymis præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans, quem, sicut dubium non est, Angelum bonum fuisse, sic certum videtur *in veste candida* apparuisse, ad denotandum prę- Eques in veste candida. cipuè in auxilium Assidæorum, qui in eo exercitu erant, qui simili etiam veste vtebantur, iuxta dicta *sub anno 3545. num. 25.* a Deo missum fuisse. Tunc omnes simul benedicentes Deum de cælo habentes adiutorium, leonum instar irruentes in hostes, prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos, Lysiam autem, & alios in fugam turpem dederunt. Qui secum considerans Iudæos non humanis viribus, sed Dei auxilio innixos prorsus inuincibiles esse, pacis conditiones proposuit Iudæ, ipsoque annuente, eas a Rege confirmari fecit. Ijs autem firmabatur, quod Iudæi deinceps fideles essent Regi, ipsis verò liceret vbique legitima Patrum suorum obseruare, tam in Templo, quam in cibis, & alijs quibuscunque, &

ad bona in Antiochi Regno existentia proficisci quandocunque placeret: S. Scriptura 2. *Machabaeorum.* 11.

10 His factis pactionibus, Iudaei armis depositis, agriculturae operam dabant. Quod etiam de Assidaeis, qui cum illis erant, specialiter intelligendum; hoc enim illorum, seu Essenorum Institutum fuisse, perspicuè habet Philo *in libro, quod omnis probus sit liber*. Verumtamen caeteri duces Regis, inter quos vnus erat nomine Timotheus (diuersus sanè ab eo, quem Iudas interfecerat) & alter etiam Apollonius, diuersus quoque ab eo, de quo in superioribus dictum est, non sinebant Iudęos quietè viuere. Quamobrem coactus est Iudas contra ipsos arma capere. Et primò, quia Ioppitę callidè Iudaeos in nauibus susceptos in mare demerserant, contra eos exurgens portum noctu succendit, eorum naues exussit, & eos, qui ab igne fugerant, gladio peremit. Deinde Iamnitis, qui simile facinus in Iudęos cogitabant, portum etiam cum nauibus succendit. Vnde abiens prosperè cum Arabibus conflixit, & cum ijs, qui post pugnam remanserant, pacta pacis iniit. Mox Casphim vrbē valde firmam aggressus expugnauit, & in ea innumerabiles cędes fecit. Cum verò venisset ad vrbem aliam nomine *Characa*, & Timotheum, quem quaerebat, ibi non reperisset, pręsidiarios milites Timothei a Iudę ducibus perempti sunt; Machabęus verò cum sex millibus procedens aduersus Timotheum habentem 120. millia peditum, & equitum duo millia quingentos, Dei virtute hostibus timorem incutiente, prostrauit ex eis triginta millia, & ipsum Timotheum viuum cepit; sed pro redemptione captiuorum liberum dimisit. Ad Carnion pręsidium deinde egressus (viginti millibus interfectis, & totidem in Ephron ciuitate munita; eis verò, qui erant in Scytopoli, benignè conseruatis) Ierosolymam rediit ad Pentecostes festum celebrandum. Postea contra Gorgiam Idumęę Prępositum exiens, & cum eo congressus nonnullos amisit, qui in bello ciciderunt, & inter eos vnum fortem nomine Dositheum, qui dum conaretur Gorgiam viuum comprehendere, ab alio quodam equite percussus interiit, Gorgia effugiente, cum alijs è socijs. S. Scriptura 2. *Machabaeor.* 12. Iosephus Gorionides *lib.* 3. *cap.* 17.

Iudaei pacis negotijs student.

Iudas Ioppitarum portū succendit.

Timothei exercitum profligauit.

11. Cum autem occasione sepeliendi eos, qui in pręfato praelio ceciderant, reperisset Iudas sub tunicis clam donaria quędam Idolorum, quę apud Iamniam erant, surripuisse, quod Lege prohibitū erat *Deuteron.* 7. *vers.* 25. illis verbis: *Sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum, et aurum, de quibus facta sunt, nec assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quod abominatio est Domini Dei tui,*

cognouit

cognouit hanc esse causam, propter quam in bello cecidissent, Dei iustum iudicium laudauit,& hac occasione arrepta suos enixè exhortari cœpit, vt tali exemplo commoniti, deinceps a tali crimine cauerent. Quoniam verò sperabat illos non intentione colendi Idola, sed potius cupiditate, & auaritia vel solùm venialiter peccasse, vel si mortaliter, non sine pœnitentia decessisse: tum cunctorum precibus, tum 12. millibus drachmarum argenti Ierosolymam missis, vt pro defunctis sacrificia offerrentur, eorum peccata expiari curauit. S. Scriptura 2. *Machabæorum* 12.

Cadunt aliqui propter quædam Idolorum donaria surrepta.

Offert pro defunctis sacrificia.

12 Addit sacer textus, quod hæc fecerit Iudas *bene, et religiose de resurrectione cogitans*, seu, vt Salianus *hic num.* 111. animaduertit, quod ipse, & socij *virorum Religiosorum partes* accuratè expleuerint. Primò, quia ex tali Iudæ facto ad confusionem hæreticorum plura dogmata Catholici accipiunt, videlicet animarum immortalitatem, corporum resurrectionem, Purgatorij positionem, & sacrificiorum, ac suffragiorum pro mortuis oblationem. Nam si hæc omnia verissima non essent, vtique superfluum, & vanum Iudæ factum putaretur. Secundò, quia in eo, quod gessit, se Essenum, seu Assidæum religiosum demonstrauit. Essenorum enim proprium erat animarum immortalitatem confiteri contra Saducæos, vt expresè habet Iosephus *lib. 2. de bello Iudaic. cap. 2. et* 18 *antiquit. c. 2.* Quemadmodū ergo ex eo, quod Iosephus Gorionides huiusmodi Iudę factū prætermiserit, suspicio est ipsum ad Saducæos pertinuisse: *Si tamen* (inquit Salianus *num.* 114.) *eius interpres heretica fuligine tinctus Hebræa fideliter exhibuit*, sic è conuerso ex Iudæ pijssima actione infertur, eum Principem Essenorum, seu Assideorum esse, vt colligit Serarius *in Machabæor. Harmonia in cap. 14. lib. 2.* de Iuda loquens.

Iudæ religiose factum.

Esseni immortalitatem animorum fatebantur.

13 Idem pariter colligitur ex eo, quod habet sacer textus, videlicet: *Quia considerabat* (scilicet Iudas) *quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*. Essenorum namque, seu Assidæorum dogma erat, iustorum animas post eorum mortem præmijs a Deo decorari: sic enim habet Iosephus dicto 2. *lib. de bello Iudaic. cap. 7. Cum vero fuerint* (Animæ scilicet) *a carnalibus releuatæ vinculis, quasi de seruitute longissima releuatas ita illico lętari, sublimesque ferri. Et quidem bonas, concinnentes in hoc Græcorum sententijs, pronunciant vltra Oceanum degere, vbi eis sit reposita perfruitio. Illic quippe esse Regionem, quę neque niuibus, neque æstibus aggrauetur, sed quam Oceano oriens, zephyrus, et leniter aspirans amœnet.* In quibus etsi veritatem Catholicam de præmio sanctarum animarum perfectè purgatarum, quam Esseni credebant, odoratus fuerit

Essenorum, seu Assidæorū dogma.

Iose-

Iosepus, non tamen de loco talis fruitionis, ſicut neque de limbo ante Chriſtum mortuum aliquid agnouiſſe cernitur ipſe, quod tamen Aſſidæi illi, vtpote doctiſſimi, non ignorabant.

Annus mundi 3892. ante Chriſtum 161.

Iudæ magnalia.

1 EDEVNT ſub hoc anno, iuxta computum Ioſephi *lib.* 12. *cap.* 14. alia Iudæ Machabæi Eſſenorum Inſtituti alumni magnalia non pauca recenſenda. Cum enim, vt habetur 1. *Machabæorum* 6. hi, qui erant ex Gentibus in arce Sion, mulctis, vel cædibus, quas per excurſiones crebras faciebant, opprimerent Iudæos venientes ad Templum Domini contra pacis fœdera inita, Iudas cogitauit diſperdere eos, & arcem obſidere balliſtis, & armis præparatis. Cum autem obſidio arcta videretur, nec obſeſſis alia ſpes, niſi in Antiochi potentiſſimo exercitu poſita eſſet, exierunt aliqui ex arce, & adiuncti aliquibus impijs Iſraelitis, ad Regem abierunt auxilium poſtulantes, damna, quæ illis Iudas inferebat, & arcis Sion obſidionē ei referentes. Iratus Rex formidabilem exercitum contra Iudæos coëgit, ſimul cū Lyſia perſonaliter per Idumęam Iudæam veniens. Cui cum Menelaus pſeudo-Pontifex, de quo in ſuperioribus dictum eſt, ſe adiunxiſſet, Lyſia ſuggerente, de celſa turri, velut auctor malorum, quæ acciderant, præcipitatus eſt. Iudas autem, vt cognouit Eupatorem Regem cum ingenti bellico apparatu Iudæorum fines attigiſſe, recedens ab arcis Sion obſidione, deprecationeque coram Domino, & trium dierum ieiunio præmiſſis, caſtra mouit contra eum, & in ipſius caſtris quatuor millia, & maximum elephantorum ex triginta duobus, quos ſecum Rex portabat cum eis, qui ſuperpoſiti erant, vna nocte interfecit. At Rex, cognita Iudæorum audacia, Bethſuram, quæ erat Iudæorum præſidium, expugnare tentauit, reſiſtentibus tamen viriliter ijs, qui intus verſabantur, & Iuda neceſſaria miniſtrāte. Propterea ordinato exercitu, elephantiſque ad præliandum inſtructis, vuæ, & mororum ſanguine eis oſtenſo ad ipſos acuendum, contra Bethzacaram procedebat, ei occurrente Iuda cum ſuis copijs. Et primo quidem impetu ceciderunt de exercitu Regis ſexcenti viri, & de exercitu Iudæ memorabilis Eleazarus frater ipſius, qui cum vidiſſet elephantem cæteris eminentiorem loricis regijs loricatum, credens, quod in eo eſſet Rex, cucurrit audacter in medio legionis, interficiens a dextris, & a ſiniſtris, & ſubtus ventrem beſtię ingreſſus, eam viriliter perfodiendo interemit, ſuæque morti cauſam dedit

Cogitat diſperdere eos, qui erant in Sion.

Menelaus præcipitatus.

Hoſtes interempti.

Eleazari factum inſigne.

dedit, bellua super ipsum cadente. Sed cum Iudæi viderent se longe inferiores esse, qui possent cum validissimo Regis exercitu pugnare; Ierosolymã se receperunt. Tunc denuo Rex ad obsidendam Bethsurã rediit, quam escis deficientibus breui per deditionem accepit, & in ea præsidium reliquit. Post cum toto exercitu Ierosolymam adijt, vbi totis viribus nitebatur locum Sãctificationis iam ante a Iuda bene munitum, & in quem cum suis se receperat, expugnare. Fame tamen perurgente, cum diu acriter vtrinque pugnatum esset, vix se poterant Iudæi continere, quin Regi sub qualibuscunque conditionibus se traderent. Tunc verò diuinum auxilium, in quo spem suam reposuerant, euidentissimè adfuit. Siquidem derepente nuncius venit ad Lysiam, referens aduenisse Philippum de Perside cum exercitu, ac Regijs insignibus ab Antiocho Epiphane defuncto acceptis, vt Regni negotia administraret. Quo cognito suasit Regi, vt fœdus cum Iudæis iniret, & quantocyus aduersus Philippum rebellantem proficisceretur. Pace itaque breui composita, amplexatus est Rex Iudam Machabæum, ducem, & principem a Ptolemaide vsque ad Garrenos eum constituens. Exeuntes autem de munitione Iudæi, introduxerunt honorificè Regem in montem Sion. Qui reconciliatus obtulit sacrificium, honorauit Templum, & munera posuit; loci tamen munitionem, vt omnem Iudæis iterum a se deficiendi opportunitatem tolleret, violato, quod paulò ante præstiterat, iuramento, mandauit destrui, ac festinanter discessit. Lysias verò Ptolemenses indignatos propter amicitię conuentiones, oratione facta sedauit. S. Scriptura *1. Machab. 6. & 2. Machab. 13.* Iosephus *12. antiquit. cap. 14. & 15.*

Rex accipit Bethsuram.

Facem init cum Iuda.

2 Circa quę, etsi historię nostrę aliena non sint, cum ad Iudam Essenum, & Asidęorum Principem, vt diximus in superioribus, ea spectent, alia etiam propria expendi posse videntur. Primum, ex hoc Iudę principatu in Ptolemaidensem ciuitatem, siue eò cum Eupatore cōtenderit, siue in Iudęa permanserit, nō incongruè elici posse, eum Carmeli eremitis Ptolemaide, seu Acconi vicinis melius hac parta occasione fraternę charitatis, vtpote eiusdem communis pątris Elię filijs, subsidia impertitum fuisse. Eo pręsertim tempore, quo bellorū turbinibus grassantibus Iudęi omnes, vbicūque essent, miserè premebantur. Secundum, ex eo, quod *1. Machabaeorum 6. vers. 54.* dicatur de tempore obsidionis Sanctificationis, & Templi, de qua diximus: *Remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames, & dispersi sunt vnusquisque in locum suum*; non incongrue per *sanctis* intelligere nos posse Asidęos, seu Essenos: hoc enim eo-

Iudas an beneuolus Carmeli incolis.

Sanctiqui Vocentur.

dem

dem titulo vocantur ipsi *cap.7. sequenti*, dum ibi, & *psalm.78.* dicitur: *Carnes sanctorum tuorum*, &c. Similiter *psalm.49. num. 5.* illud: *Congregate illi sanctos eius*, sic legitur a quibusdam, *Assidaeos eius*. Præsertim, quia non solùm Esseni, seu Assidæi nomen a sanctitate dictum plures credant, sed etiam, quia ipsi sancti vocari poterant, vtpote Dei cultui, & religioni sacri, & addicti. Fatendum sanè communem Doctorum expositionem illud *Sanctis* ad locum sanctificationis referre, vt habet Hugo Cardinalis cum alijs, sed etsi hoc admittatur propter auctoritatem ipsorum, eam tamen, quam adduximus, textui sacro satis congruam, & probabilem esse docti refragari non poterunt.

Annus mundi 3893. ante Christum 160.

Demetrius Syriæ Rex.

1 ROFERT hic annus nouum Syriç Regem Demetrium, noua gesta, eaque præclara tum Iudæ Machabæi, tum Assidæorum, ipsorumque pro patrijs Legibus cædes; de quibus omnibus agendum, & prius de Demetrij Regno, quia ex hoc reliqua clariora fient.

2 Hoc ergo anno, qui centesimus quinquagesimus primus Regni Græcorum vocatur 1. *Machabaeorum* 7. Demetrius filius Seleuci Antiochi Epiphanis fratris, cum esset Romæ obses, & cognita morte

Roma fugit

Antiochi, desiderio regnandi flagraret, nec posset ad id habere consensum Romanorum, quibus tutius videbatur Regnum teneri ab Eupatore pupillo, quam a Demetrio viro, specie venationis ab Vrbe profectus, Ostiæ tacitus nauem conscendens, in Syriam delatus est. Venit igitur cum paucis viris fugæ comitibus Tripolim Syriæ, siue Phœniciæ vrbem, vbi singulari omnium fauore exceptus regnare cœpit, confluentibus vndique ad ipsum populis; ac pro legitimo

Regionem recupat.

ipsorum Rege eum salutantibus. Congregata deinde multitudine valida, regiones aliquas aduersus patruelem suum Eupatorem, & Lysiam ducem feliciter occupauit. Illos tandem ab exercitu ipsorum comprehensos, & ei oblatos noluit aspicere. Quare illis occisis, vltro se tradidit exercitus Demetrio, vt propterea deinceps solus, & quietus in Regno sedere cœperit. S. Scriptura 1. *Machabaeor.* 7. & 2. *Machabaeorum* 14. Iosephus 12. *Antiquit. cap.* 16. Iustinus *in calce lib.* 34. & alij.

3 Hac rerum nouitate in Iudæa percepta, continuò surrexerūt viri iniqui ex Israel, quorum dux erat Alcimus summus Sacerdos factus,

ctus, sed qui ob Idolorum cultum, vel Gentilium rituum acceptationem meritò a Machabæis de illa dignitate deiectus erat. Hic ergo cupiens Pontificatum obtinere, nec aliter se voti compotem fieri posse animaduertens, nisi nouo Regi exosos faceret Iudam, & Machabæos, ad illum venit, munera quędam aurea, quæ de Templo sublata creduntur, ei obtulit, & occasionem opportunam nactus, Iudæos Machabæum sequentes, Assidæos nostros præsertim, & eorum ducem Iudam grauiter accusauit, tanquam Regni perturbatores, bellorum, ac seditionum auctores, & amicorum Regis exterminatores: *Ipsi* (inquit) *qui dicuntur Asidæi Iudęorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones fouent, neq patiuntur Regnum esse quietum.* Subiunxit: *Sed oro his singulis, ô Rex, cognitis, & regioni, & generi, secundum humanitatem tuam peruulgatam, omnibus prospice.* S. Scriptura 1. *Machabæor.* 7. & 2. *Machabæor.* 14. Iosephus 12. *antiquit. cap.* 16. & 17.

Alcimus impius.

Regem adit.

Assidæos accusat.

4 Hic Serarius longam, sed vtilem, de Assidæis istis disputationem texit; asserens eos a pietate, & sanctitate dictos, non ab assiduitate cultus diuini (idest, non tam ab illa, sic enim intelligendum credimus) homines iustos, & sanctos, a cætero Iudæorum populo institutis, & nomine diuersos, societate verò inter se sancta, & religiosa fuisse deuinctos, diuinarum litterarum præ cæteris studiosos, atque peritos, & propterea in Scribarum numero repositos, & pręcipuæ apud Iudæos auctoritatis; eosdem cum Essenis, vel ipsorum partem; quæ nunc prætermittimus, quia de illis actum *sub anno* 3847. De Iuda etiam Machabæo Asidæorum Principe plura scribit, quæ a nobis nunc omittenda, cum de illis partim in superioribus dixerimus, partim in sequentibus aliqua dicturi simus.

Assidæorum Institutum.

5 Cæterum Iacobus Salianus cum *sub hoc anno num.* 19. Serarij doctrinam retulisset, nec improbasset, postea *num.* 48. quasi in ipsius declarationem inquit: *Asidæi autem, sicut & Esseni, Religiosi erant illorum temporum, sicut & filij Prophetarum, si qui tum Carmelum montem incolebant.* In quibus etsi verum sit id, quod de Assidęis, & Essenis asserit, fuisse videlicet veteris Legis Religiosos, sicut & filios Prophetarum, de quo & nos *sub annis* 3545. & 3847. plura diximus, nihilominus non debuit bonus auctor dubitare, quòd etiam sub hoc tempore aliqui ex filijs Prophetarum, vel eorum posteris, siue hoc, siue alio nomine vocarentur, Carmelum montem incolerent. Primò etenim, quia id sufficienter suadent, quæ diximus *in Apparatu cap.* 8. & *sub anno* 3128. *num.* 4. Deinde, quia ipsemet Salianus *sub anno* 3139. id satis insinuat, dum in commonitione, quam Eliam ante

Assidæi sicut Esseni an Religiosi.

An aliqui ex filijs Prophetarum Carmelum tunc incolerent.

raptum

raptum suis in Carmelo discipulis fecisse autumat, hæc dixisse n.14. meditatur: *Habete ergo in eo* (scilicet Christo) *spem salutis vestræ repositam, proque eius accelerando aduentu Deum indefessis precibus fatigate. Credo enim fore, vt non deficiat in vobis, posterisque vestris obseruationis sanctæ propositum, donec veniat is, qui est expectatio gentium.* Et *num.* 44. dum in Elogio Eliæ sic scribit de ipso: *Hic est, qui &c. Lectos Prophetarum, & Religiosorum in Carmelo, totaque Chananitide manipulos, seu æmulos, atque imitatores instituit, ad cælestem vitam mũdo ignotam, ac contemptam traducendam adduxit, tot seculis suarum precum, quasi facularum ardore calefecit, & ad hanc diem, tot inter rerum, locorum, temporumque varietates, constantes reddidit magnò sui Patriarchæ sectatores.* Item *sub anno* 3204. *num.* 18. in epitaphio Elisęi sic scribens: *Hic est*, &c. *qui innumerabilium Religiosorum parens, atque propagator, ea semina annis penè* 80. *iecit, quæ superueniens Euangelij gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit.* Quomodo ergo, quæ ijs locis de Carmeli Ordinis alumnorum iugi vsque ad Christum successione pro certo asserere videtur, loco relato sub dubio egregius Auctor relinquit? Sed iam ad alia pergamus.

6 Rex ergo Demetrius impij Alcimi verbis, quæ supra retulimus, aduersus Iudam inflammatus, præsertim quia subdiderat: *Quamdiu superest Iudas, impossibile est pacem esse negotijs*; eidem Pontificatum detulit, & cum eo vnum de præcipuis suis ducibus in Iudæam misit, Bachidem nomine, mandans ei facere vltionem in filios Israel. Is cum exercitu magno in terram Iuda veniens, nuncium pacis ad Iudam primò remisit; cui facile credentes Assidæi nostri, & congregatio Scribarum, eo quòd scirent Alcimum, cum quo Bachides venerat, de genere Sacerdotali esse, & propterea nihil de ipsis metuendum, ad eos conuenerunt, de pace tractaturi, contra voluntatem tamen Iudæ, vt videtur, qui ipsis fidem non adhibendam existimabat. Locutus illis tunc est Alcimus verba pacifica, iurans nihil illis mali illaturum, falsò tamen, quia sexaginta ex eis vna die occidi fecit. S. Scriptura 1. *Machabæorum* 7.

Rex credit Alcimo.

Mittit cum eo in Iudæam Bachidem

Assidæi conuenerunt ad Alcimum.

Sexaginta ex eis occidũtur.

7 Huiusmodi autem innoxius Assidæorum sanguis ab Alcimo iniustè effusus, propheticè decantatus est in Psalm. 78. qui incipit: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Ita enim expresè habetur in textu *cap.* 7. *lib.* 1. *Machabæorum relati.* Postquam enim dictũ fuit sexaginta hos viros ex Assidęis occisos fuisse, subditur: *Secundùm verbum, quod scriptum est: Carnes sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.* Quę sunt verba prædicti Psalmi. Vnde sic hunc Psalmum intellexerunt S. Augustinus

Horum occisio decantata erat ps. 78.

gustinus, Theodoretus, Euthymius, & alij tam vetusti, quam recentiores. Ex quibus Genebrardus notat Assidæos hic vocari *sanctos professione Religionis*. Quo magis firmatur id, quod sæpius diximus de Essenis, seu Assidæis, fuisse videlicet veteris Testamenti Religiosos, tales videlicet, quales Lex illa patiebatur.

8 Videns verò populus crudelem hanc Assidæorum occisionẽ Alcimi nutu patratam, iuramenti transgressionem, & iniustitiam commissam, aliorum malo sapientior effectus, cautiùs procedebat. Bachides autem, pluribus ex ijs comprehensis, & alijs mactatis, ac in puteum magnum proiectis, Regionem commisit Alcimo, partẽ exercitus ipsi relinquens, & ipse ad Regem rediens. Contendebat tunc Alcimus Principatu, & Sacerdotio fungi, eum adiuuantibus aliquibus ex populi perturbatoribus; sed illis adeo fortiter resistebat Iudas, vindictam sumens de ipsorum sceleribus, vt cogeret Alcimum iterum regredi ad Regem. Misit ergo Rex Nicanorem vnum ex Principibus suis nobilioribus cum exercitu magno in Iudæam, præcipiens ei, vt populum euerteret, Iudam viuum caperet, eius comites dispergeret, ac Alcimum in possessione summi Pontificatus constitueret. Tunc gentes, quæ de Iudæa fugerant, gregatim se Nicanori miscebant, miserias, & calamitates Iudæorum, prosperitates rerum suarum existimantes. Iudæi autem precibus ad Deum fusis, & in conspectu ipsius humiliati, pro populi sui libertate eum deprecabantur. Conuenerunt etiam in Castellum Dessau; sed Nicanor virtutem comitum Iudæ, & animi magnitudinem pro patria defendenda ipsorum agnoscens, veritus pugnare cum eis, tentauit per legatos pacificè res componere, prout factum est, Nicanore Ierosolymis manente, & nihil iniquè agente, quin potius Iudam verè, & ex animo diligente. S. Scriptura *1. Machabæor. 7. & 2. Machab. 14.* Iosephus *lib. 12. Antiquit. cap. 7.*

Populus cautius procedit.

Bachides quid gesserit.

Mittit Rex Nicanorem.

Qui res pacificè tractat cũ Iuda.

9 Hac occasione fœderis inter Iudam, & Nicanorem initi, cum eum sincerè, & ex corde diligeret, ad stirpem tanti viri propagandã matrimonium contrahere suasit. *Rogauitque eum* (inquit sacer textus *2. Machabæorum 14. vers. 25.*) *ducere vxorem, filiosque procreare*. Prosequitur textus, dicens: *Nuptias fecit, quietè egit*. Quæ ad Nicanorem refert Hugo Cardinalis, quasi ipse vxorem duxerit in Iudæa. Quia tamen communior aliorum sententia, textuique conformior ad Iudam id refert, de eo accipienda, ita vt ipse fuerit, qui vxorem duxerit, & quietè egerit. Sed quomodo Essenus vxorem ducebat? Facilè nodus soluitur, si aduertamus ex Iosepho *lib. 2. de bello Iudaico cap. 7.* quod etsi inter Essenos alij essent omnino cælibes, & ab omni mu-

Matrimoniũ inire suadet.

Iudas vxorem ducit.

liebri commercio alieni, de quibus loquuntur Plinius *lib. 5. cap. 17.* & Solinus *cap.* 44. alij tamen erant, qui vxores ducebant, in reliquis verò alijs Essenorum communibus legibus obtemperantes. Ex his ergo Iudas potuit esse, qui Nicanoris precibus, & quia id credebat ad bonum commune spectare, nuptias contraxit, nullatenus tamen ab Essenorum Instituto recedens. Vnde illud *quietè egit* rectè explicat Serarius, quem Salianus *sub hoc anno num.* 34. commendat, & sectatur, ipsum videlicet sese nihil commouisse, nihil a pristina viuendi ratione deflexisse, idest, in Essenorum viuendi Instituto constanter perseuerasse. Quare illud, quod sequitur, *communiter viuebant*, etsi Serarius, & Salianus ex Græco textu velint legendum, *viuebat*: quia scilicet vitam communem, absque aliquo proprio facultatum, possessionum, & diuitiarum, quemadmodum Essenorum Institutum erat, iuxta dicta *sub anno* 3545. gerebat, commodè etiam satis, iuxta Vulgatam nostram, quam alijs quibuscunque versionibus Catholici præponere debemus, retento verbo *viuebant*, explicari potest, ita vt referatur tam ad Iudam, quam ad reliquos Assidæos, seu Essenos, quibus Iudam præesse in eodem capite dictum fuerat. Vt sensus sit, eum vita prædicta communi, & veluti Religiosa, absque vlla proprietate cum Assideis, & Essenis, quorum Princeps erat, matrimonio non obstante, de cætero vixisse. Filium generasse affirmat Gorionides *lib. 3. cap. 21.* Cui meritò contradicit Serarius, non solum quia in sacra Scriptura nulla illius mentio fiat, cum tamen laudatissimi viri proles prӕteriri non deberet, sed quia, teste Iosepho vt supra, Esseni antequam vxoribus iungerentur, per triennium totum earum fęcunditatem explorabant, at sequens annus Iudam nostrum abstulit, vt dicemus. Ex quo ad minus sequitur, si prolem genuit, eam posthumam fuisse, & præpropera morte sublatam.

Nõ relinquẽs Essenorum Institutum.

Communiter viuebat.

10 Tabescebat interim inuidia Alcimus, quod cerneret Nicanorem, quem ad Iudæ perditionem attulerat, illi ex animo amicum comprobari; seque diu summi Sacerdotis dignitate expectata non potiri. Propterea tertiam profectionem ad Regem instituit, vt natam amicitiam dissolueret, & iterum Nicanorem contra Iudam impelleret. Falsis ergo criminationibus id egit, vt Rex exasperatus Nicanori scripserit, dicens, grauiter se ferre de amicitiæ conuentione, ac præcipiens, vt quantocyus Iudam vinctum mitteret Antiochiam. Doluit Nicanor de voluntate Regis, & quod amicitias cum Machabæo sibi charo, & a quo nihil damni acceperat, dissoluere cogeretur. Nihilominus quia iussio Regis vrgebat, opportunam occasionem expectabat, qua illum commodè, & absque tumultu capere posset,

Alcimi inuidia.

Regem prouocat in Nicanorem.

Nec

Nec interim præ interna animi perturbatione pristinam ei comitatem exhibebat. Quod præsentiens Iudas, paucis suorum congregatis, a Nicanore se occultauit. Sed cum ille nouisset se a Iuda præuentum, maximopere iratus ad Templum Domini venit, Sacerdotibus solitas hostias offerentibus virum sibi tradi iussit, ijsque negantibus scire vbi esset, iuramento protestatus est, nisi id fecissent, Templum euersurum, altare effossurum, & Libero Patri consecraturum: Illi verò manus protendebant in cælum, vt sacrum Templum impollutũ, & incontaminatum præseruaret. Recessit Nicanor, ad Regem, vt creditur, abiturus, tum vt se de criminibus ab Alcimo impositis purgaret, tum vt exercitum nouum sibi colligeret, quo posset Iudam capere, &, vt imperatum sibi fuerat, Antiochiam transmittere. Ierosolymam deinde secundò reuersus cum exercitu magno, cum iterũ Iudam dolo, & verbis pacificis comprehendere tentasset, idque Machabæo innotuisset, prouidè ab eo dilapsus est, nolens amplius ipsũ auscultare. Aperto iam marte bellum initum, & primo prælio iuxta Capharsalama superatus Nicanor est, de exercitu eius ferè quinque millibus interfectis, alijsque Ierosolymam fugatis. Ascendit postea in Templum Sacerdotibus ei occurrentibus, & sacrificia, quæ pro Regis salute offerebant, ostendentibus, irrisit, eos spreuit, iterũque superbè iram euomens iurauit Templum euersurum, nisi traditus ei foret Iudas. Quibus auditis Sacerdotes pro sacræ ædis incolumitate, & blasphemi hominis vindicta Dominum deprecati sunt. S.Scriptura 1.*Machabæorum* 7. & 2.*Machabæor.* 14. Iosephus *lib.* 12. *Antiquit. cap.* 16. & Gorionides relatus.

Nicanor capere vult Iudam. Recedit ad Regem. Iterum Iudã capere tentat.

11 Noui Assidæorum Ordinis alumni, virique celebris historia hoc tempore occurrit. Razias hic est, alijs *Razius*, alijs *Ricasius* appellatus, de senioribus Ierosolymitanis, sanctæ ciuiatis amator, magnæ apud omnes opinionis, Iudæorum Pater dictus, magnisque, & claris natalibus ortus. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuerat in Iudaismo. Erat enim Assidæus, vt habet Gorionides *lib.* 3. *cap.* 22. & sequuutur Serarius *hic*, & Salianus *sub hoc anno num.* 48. Addit Salianus. *Assidæi autem, sicut & Esseni Religiosi erant illorum temporum, sicut & filij Prophetarum.* Vnde & *num.* 51. eum *Religiosi professorem Instituti* vocat. Quo ea, quæ in superioribus sæpiùs inculcauimus, magis roborantur. Ex eo autem, quòd de hoc Razia in sacro textu 2. *Machabæorum* 14: dicatur: *Hic multis temporibus cõtinentiæ propositum tenuit in Iudaismo, corpusque, & animam tradere cõtentus pro perseuerantia*, etiam colligitur eum Essenum, seu Assidæum fuisse, & hoc *continentiæ propositum*, seu perseuerantiam, fuisse castita-

Razias. Assidæus. Castitatis amator.

tis aliquale votum, seu iuramentum, quod Esseni, aut Assidæi emittebant, iuxta dicta *sub anno* 3545. etsi enim aliter hic locus ab alijs exponatur, congrua tamen est hæc expositio, cui fauet Dionysius Carthusianus, & maximè Lyra, qui de continentia carnis illum intelligit, & subdit: *Ex quo patet, quod continentia carnis tempore veteris Testamenti fuit laudabilis.* Vnde Claudius Espinceus *lib. 1. de continentia cap.* 1. inter Eunuchos spirituales veteris Legis cum Elia ipsum refert; quod pro dictis *in Apparatu cap.* 4. valde deseruit. Hic ergo sic cõmendatus vir cũ delatus esset Nicanori, volens Nicanor odium, quod erga Iudęos habebat, manifestare, 500. milites misit ad eum capiendum, ex quo magnam cladem Iudęis allaturum existimabat. Quid verò Razias egerit, quia in ipso textu 2. *Machabæor.* 14. *vers.* 41. perspicue explicatur, ipsius verbis damus: *Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam disrumpere, atque ignem admouere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio se petijt, eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniurijs agi. Sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitauit semetipsum viriliter in turbas, quibus velociter locum dantibus casui eius, venit per mediam ceruicem: & cum adhuc spiraret, accensus animo surrexit, & cum sanguis eius magno fluxu deflueret, & grauissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransijt, & stans supra quamdam petram præruptam, & iã exanguis effectus, complexus intestina sua vtrisque manibus proiecit super turbas, inuocans dominatorem vitæ, ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet, atque ita vita defunctus est.*

Capitur a Nicanore.

Seipsum interemit.

12 Sed peruetus quæstio est, an seipsum interimendo Razias hic noster peccauerit. Affirmat S. Augustinus *epist.* 61. & *lib.* 2. *contra Gaudentium cap.* 23. quem sequitur S. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. In negatiuam tamen inclinant Lyranus super hunc locum, Canus *relectione de homicidio*, & Serarius *hic*. Nobis verò, debita reuerentia Augustino, & Thomæ Ecclesiæ luminaribus exhibita, id occurrit dicendum, quod si Razias sine aliquo speciali Dei instinctu, aut interno, & certo pręcepto id fecit, proculdubio mortaliter peccauit. Si tamen hic particularis instinctus, Deivè interna, & certa iussio non defuit, benè, & laudabiliter fecit. Communis enim sententia Theologorum est, ducibus eisdem Augustino *lib.* 1. *de Ciuitate Dei*, & sancto Thoma *loco relato*, quod occidere seipsum nullatenus licet, nisi in prædicto casu internæ, & certæ inspirationis, seu reuelationis Dei ita iubentis fieri, quemadmodum Samsoni, S. Apolloniæ, & alijs quibusdam sanctis contigisse creditur. An autem de facto Raziæ ita euenerit;

An sic faciendo peccauerit.

Quid vero sit illius.

nerit, etsi incertum sit, credibilior tamen pars affirmatiua: quæ satis, & abundè suadetur ex eo, quod vir tantæ probitatis, pietatis, & religionis in sacro textu describatur, ibi eius factum commendari videatur, & quòd Dominatorem mundi proximus morti, veluti eã ipsi oblaturus, deprecatus fuerit. In eo autem, quod gessit, satis se Essenum, aut Assidæum demonstrauit. Iosepho enim *lib. 2. de bello Iudaico c. 7.* testante de Essenis: *Mortem, si cum decore obeunda sit, iudicant etiam immortalitate meliorem:*

13 Iudas, qui hoc tempore absens erat a Ierosolyma, & in locis Samariæ versabatur, copias congregans contra Nicanoris ferocitatẽ, *cum audisset*, inquit Gorionides *cap. 22. Raziæ mortem, succensus furore misit ad Nicanorem, dicens: Quandiù accingis te? egredere in agrum, & ostendam virum, quem etiam intra penetralia quæsiuisti. En is expectat te in conualle, & planitie.* Iusta ergo indignatione commotus contra Nicanorem, quòd amici, socij, & eiusdem Instituti Esseni collegæ Raziæ morti causam dedisset, eum ad singulare certamen prouocauit. At ille, etsi superbus, timidus tamen, solus exire ausus non est, sed cum toto exercitu. Quid tamen acciderit, qualiterque ob ipsius blasphemam arrogantiam a Iuda de cælo confortato victus, & occisus fuerit, eiusque caput, & manus, quam prophanus homo contra Dei Templum extenderat, Ierosolymam delata, ipsius textus *2. Machabæor. 15. vers. 1.* verbis, quæ perspicua sunt, ostendemus: *Nicanor autem, vt comperit Iudam esse in locis Samariæ, cogitauit cum omni impetu die Sabbathi committere bellum. Iudæis verò, qui illum per necessitatem sequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter, & barbarè feceris; sed honorem tribue diei sanctificationis, et honora eum, qui vniuersa conspicit. Ille infelix interrogauit, si est potens in cælo, qui imperauit agi diem Sabbathorum, et respondentibus illis: Est Dominus viuus ipse in cælo potens, qui iussit agi septimam diem. At ille ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia Regis impleri. Tamen non obtinuit, vt consilium perficeret. Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus cogitauerat commune trophæum statuere de Iuda. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a Deo affuturum, et hortabatur suos, ne formidarent ad aduentum nationum, sed in mente haberent adiutoria sibi facta de cælo, et nunc sperarent ab omnipotente sibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de Lege, et Prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores constituit eos, et ita animis eorum erectis simul ostendebat Gentium fallaciam, et iuramentorum præuaricationem. Singulos autem illorum armauit, non clypei, et hastæ munitione, sed sermonibus optimis, et exhortationibus, exposito digno fide som-*

Iudas prouocat Nicanorẽ ad singulare certamen.

Recusat Nicanor.

Illius superbia

nio, per quod vniuersos lætificauit. Erat autem huiuscemodi visus Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum, et benignum, verecundum visu, modestum moribus et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum. Post hoc apparuisse, et alium virum ætate, et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum. Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israel, hic est, qui multum erat pro populo, et vniuersa sancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei. Extendisse autem Ieremiam dextram, et dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel. Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, et animi iuuenum confortari, statuerunt dimicare, et confligere fortiter, vt virtus de negotijs iudicaret, eo quòd ciuitas sancta, et Templum periclitaretur. Erat enim pro vxoribus, et filijs, itemque pro fratribus, et cognatis minor solicitudo: maximus verò, et primus pro sanctitate timor erat Templi. Sed et eos, qui in ciuitate erant, non minima solicitudo habebat pro his, qui congressuri erant. Et cum iam omnes sperarent iudicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ, equitesque opportuno in loco compositi, considerans Machabæus aduentum multitudinis, et apparatum varium armorum, et ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum inuocauit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Dixit autem inuocans hoc modo: Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Iuda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta millia, et nunc dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore, et tremore magnitudinis brachij tui, vt metuant, qui cum blasphemia veniunt aduersus sanctum populum tuum, et hic quidem ita perorauit. Nicanor autem, et qui cum ipso erant, cum tubis, et canticis admouebant. Iudas verò, et qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati. Cumque cessassent, et cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorem ruisse cum armis suis. Facto itaque clamore, et perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore, et animo mori pro ciuibus paratus erat, caput Nicanoris, et manum cum humero abscissam Ierosolymam perferri. Quò cum peruenisset, conuocatis contribulibus, et Sacerdotibus ad altare, accersijt et eos, qui in arce erant, & ostenso capite Nicanoris, et manu nefaria, quam extendens contra domũ sanctam omnipotentis Dei magnificè gloriatus est. Linguam etiam impij Nica-

Iudæ somniũ de Onia summo Sacerdote

Ieremias dat gladiũ Iudæ.

Iudæ oratio.

Prosternuntur 35. millia.

Caput, & manus Nicanoris Ierosolymã delata.

Nicanoris præcisam iussit particulatim auibus dari: manum autem dementis contra Templum suspendi. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum seruauit. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, vt euidens esset, & manifestum signum auxilij Dei. Itaque omnes communi consilio decreuerunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire: habere autem celebritatem tertiadecima die mensis Adar, quod dicitur voce Syriaca, pridie Mardochai diei.

14 De hac etiam iucundissima historia præter sacræ Paginæ expositores, tractant etiam Iosephus *lib. 12. Antiquit. cap. 16.* & Gorionides supra relatus, qui tamen in ijs, quæ sacro textui aduersantur, correctione egent. Iudæ autem postrema gesta sequens annus indicabit. Iosephus, & Gorionides i

Annus mundi 3894. ante Christum 159.

1 POST memoratam de Nicanore, & ipsius copijs Machabæi victoriam, cum proinde terra aliquantulum a prælijs quieuisset, & sub felici eius dominio pace frueretur, ad eam conseruandam intentus, &, vt Græcorum iugum a Iudæa auertere posset; cum Romanorum potentiam in dies magis, ac magis augescentem, magnas vbique terrarum reportatas victorias, humanitatem, benignitatem, ac fidelitatem in conseruanda cum socijs amicitia didicisset, elegit Eupolemum filium Ioannis, & Iasonem filium Eleazari, & misit eos Romam constituere cum eis amicitiam, & pacem. Hi Romam venientes, facilè a Senatu, Populoque Romano societatis, atque initi fœderis rescriptum in tabulis æreis obtinuerunt, & litteras ad Demetrium Regem, ne deinceps illos infestare auderet, alioquin à Romanis bellum terra, marique sine mora expectaret. Sacra Scriptura *1. Machabæorum.* 8. Iosephus *lib. 12. antiquit. cap. 17.* Mittit Iudas Romam Legatos. Acceptantur a Romanis.

2 Non dormiebat interim Demetrius Rex, qui clade Nicanoris, & suorum percepta, rursum misit alium de ducibus suis, Bachidē cum Alcimo impio, & cum exercitu valido in Iudæam; cuius expeditionis euentus, & qualiter exitiosus valde fuerit Iudæis, eorum summo duce Iuda interfecto, eisdem sacræ Scripturæ *1. Machab. 9. vers. 2.* verbis sic habemus: *Abierunt viam, quæ ducit in Galgala, & castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis, & occupauerunt eam, & peremerunt animas hominum multas. In mense primo anni centesimi, & quinquagesimi secundi applicuerunt exercitum ad Ierusalem & surrexerunt,* Rex mittit Bachidem. Hostium exercitus.

rexerunt, & abierunt in Bercam viginti millia virorum, & duo millia equitum. Et Iudas posuerat castra in Laisa, & tria millia viri electi cũ eo; & viderunt multitudinem exercitus, quia multi sunt, & timuerunt valde, & multi subtraxerunt se de castris, & non remanserunt ex eis, nisi octingenti viri. Et vidit Iudas, quòd defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & confractus est corde, quia non habebat tempus congregandi eos, & dissolutus est. Et dixit his, qui residui erant: Surgamus, & eamus ad aduersarios nostros, si poterimus pugnare aduersus eos: & auertebant eum, dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, & reuertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabimus aduersus eos, nos autem pauci sumus. Et ait Iudas: Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Et mouit exercitus de castris, & steterunt illis obuiam, & diuisi sunt equites in duas partes, & fundibularij, & sagittarij præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes. Bacchides autem erat in dextero cornu, & proximauit legio ex duabus partibus, & clamabant tubis. Exclamauerunt autem & hi, qui erant ex parte Iudæ etiam ipsi, & commota est terra a voce exercituum, & commissum est prælium a mane vsque ad vesperam. Et vidit Iudas, quod firmior est pars exercitus Bachidis in dextris, & conuenerunt cum ipso omnes constantes corde, & contrita est dextera pars ab eis, & persecutus est eos vsque ad montem Azoti; & qui in sinistro cornu erant, viderunt, quòd contritum est dexterum cornu, & secuti sunt post Iudam, & eos, qui cum ipso erant a tergo; & ingrauatum est prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his, & ex illis, & Iudas cecidit, & cæteri fugerunt. Et Ionathas, & Simon tulerunt Iudam fratrem suum; & sepelierunt eum in sepulchro patrum suorum in ciuitate Modin. Et fleuerunt eum omnis populus Israel planctu magno, & lugebant dies multos, & dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat populum Israel? Et cætera verba bellorum Iudæ, & virtutum, quas fecit, & magnitudinis eius non sunt descripta: multa enim erant valde.

Iudæ copiæ.

Committitur prælium.

Iudas cum aliis cecidit.

3 Circa quam historiam aliqua nobis annotanda occurrunt. Primum, non sine Dei speciali nutu, forsan reuelatione Iudæ facta, ipsius mortem contigisse. Ait enim Iosephus Gorionides *lib. illo tertio cap. 23.* sic: *Factumque est post reuolutum annum, vt appropinquaret dies mortis Iudæ, & præciperet Dominus Iudæ, vt clauderet diem suum, colligereturque ad populos suos Assidæos.* Verbum namque *præciperet* id denotat, pietasque, & religio Iudæ id facit credibile, præsertim cum huiusmodi reuelationes illi insolitas non esse, ea, quam in somnis

An reuelatũ illi fuerit mors

nis habuit de auxilio sibi præstando a Ieremia, & Onia, de qua *sub anno præcedenti* diximus, sufficienter suadent. Secundum, id quod subiunxit Gorionides: *Colligereturque ad populos suos Assideos*, non solùm probare eum ex Assidæis fuisse, sed ex Essenis etiam, qui & animæ immortalitatem, & loca illarum post separationem a corporibus admittebant, iuxta dicta *sub anno* 3545. Tertium, ex illis Iudæ verbis: *Si appropinquauit tempus nostrum, moriamur*, prorsus sine fundamento inferri, superstitiosam, fatalemque necessitatem, qualem hæretici constituunt, denotatam fuisse. Constat enim ex dictis *sub anno* 3545. Essenos (idem dico de Assidæis, qui eiusdem Instituti erant) ab hac labe omnino immunes extitisse. Potius illa verba maximam cum Dei voluntate conformitatem indicant, sicut ex illa Christi, *Matth. 26. vers. 46. Appropinquauit hora, surgite, eamus*. Quod plures alij sancti imitantes, cum mors illis imminebat, Deo dixerunt: Si aduenit hora mortis, *fiat voluntas tua*. Quartum, quod etsi aliqui, videlicet Rupertus *lib. 10. de victoria verbi Dei cap. vlt.* & alij ipsum secuti, existiment idcirco Iudam, immò & fratres eius Ionatham, & Simonem morte violenta cadere permissos fuisse, quod cum Romanis, qui erant Idololatræ, fœdera iungere non dubitassent, nihilominus id & incertum est, cum ad Dei iudicia inscrutabilia spectet, & certius sit licere fidelibus iure diuino, & humano infidelium auxilio vti contra alios infideles. An verò & contra fideles etiam, ipsi, qui hoc faciunt, viderint; neque enim desunt sic facientes, & Theologi (proh dolor!) ita consulentes, de scandalis, damnis, & magnis inconuenientibus, quæ inde fermè necessariò sequuntur, parum curantes. Illud maiori ponderatione dignum, quod ideo in hoc prælio Iudas cecidisse videatur, quod in textu relato nihil legatur de oratione, aut Dei inuocatione ab ipsis, sicut in alijs prælijs præmissa. Orationem namque hominis armaturam esse Patres sæpius inculcant; & experientia quotidie docet.

Assidæi.

An fato quidquam concessum.

An Iudas occisus propter fœdus cum Romanis initum.

An ob aliam causam.

Anni mundi 3895. vsque ad 3911. ante Christum 158. vsque ad 142.

1 
VMMVM Sacerdotium, & Principatum Iudæorum tenuit is annis Ionathas (quem inter Assamonæos, & Enosçeos refert Boulducus *lib. 1. de Eccles. ante Legem cap. 17.*) post Iudæ fratris obitum a populo electus, ea occasione, qua tota Regio sub Bachidis, & impiorum quorumdam, qui ab ipso constituebantur, dominio erat, prout

Ionathas Princeps.

prout *ex* 1. *Machabæorum* 9. habetur. Eos autem in vnum colligimus, quia quamuis plura eo tempore nostris Annalibus extranea contigerint, ex proprijs tamen pauca suppeditant sacræ, & humanæ litteræ, quæ tamen prætermittenda non sunt.

2 Ex illis vnum est, quod eo *cap.* 9. post obitum videlicet Iudæ sic refertur: *Elegit Bachides viros impios, & constituit eos dominos regionis, & exquirebant, & perscrutabantur amicos Iudę, & adducebant eos ad Bachidem, & vindicabat in illos, & illudebat.* Isti enim Iudæ amici proculdubio Assidæi erant, quibus ipse veluti Princeps, & Prælatus præerat, vt constat ex præcedentibus. Ex hoc autem elicitur Assidæos, seu Essenos multa perpessos mala sub hac Bachidis sæuitia; quæ Iosephus lib. 13. antiquit. cap. 1. sic explicat: *Quos torquens crudeliter occidebat.* Illudebantur ergo, & puniebantur, prout habetur ex sacro textu, quia, vt inquit Lyranus, contemptibiliter iugulabantur, immò tormentis, & cædibus vexabantur, prout colligitur ex Iosepho.

Assidæi Iudæ amici.

3 Secundum, id, quod notatur eodem *cap.* 9. videlicet, quod post electionem Ionathæ in Principem, cum id cognouisset Bachides, & vellet eum occidere, ipse, & Simon frater ipsius, & omnes, qui cum eo erant, *fugerunt in desertum Thecue, & consederunt ad aquā lacus Asphar*: Cum enim iste lacus Asphar sit idem, ac mare mortuum, seu lacus Asphaltites, vt habent Lyranus, & Dionysius, manifestè sequitur Iudæos Ionathæ socios tunc consedisse, seu, vt Iosephus habet, commoratos fuisse apud lacum Asphaltitem. Quia verò prope hunc lacum vetusta Essenorum habitatio erat, vt habet Plinius *lib.* 5. *cap.* 17. dicens: *Ab occidenti Asphaltitæ littore Esseni*, &c. cui fauet Solinus *cap.* 44. non incongrue suspicari possumus ab hoc tempore, si non primum, ibi habitare cœpisse Assidæos, qui Ionathę socij proculdubio erant, sicut & Iudæ fratris primitus extiterant. Desertum enim illud, loci spatium, & quietis amor eos ad id inuitare poterat, ea præsertim occasione, qua ab impijs Ierosolymitanum Templū tenebatur, & tota Regio bellicis tumultibus æstuabat. Erat enim & alia ratio, ob quā locus gratior esse posset, quòd scilicet fons Ierichuntinus, qui & Elisęi, propterea, quod ipsius precibus ab sterilitate liberatus fuerat, iuxta dicta *sub anno* 3139. versus illam partem scaturiret, vt habet Brocardus 1. *p.c.* 7. §. 35. & colligitur ex Iosepho *lib.* 5. *de bello Iudaic. cap.* 4. Parentis ergo Elisęi amore pij Esseni locum delegisse merito creduntur. Ad quod etiam accedebat, quod mansio circa Iordanis fluenta, ex ea præsertim parte, qua Iericho vicinior est, familiarissima, & deuotissima Prophetici Ordinis cultoribus

Lacus Asphar

erat,

erat, & propterea ab Essenis habitata, ea præcipuè de causa, quod idem Elisęus talis mansionis fundator extiterat, iuxta dicta *sub anno 3145.* vt constat ex Genebrardo *lib. 1. Chronolog. sub ann. mundi 3272.* & Iacobo Zeighero *in descript. Palęstinæ in monte Adumim fol.* 38. Genebrardi verba, quibus similia Zeigherus, sunt hæc: *Elisæus construxit Cellas in Ierichuntis solitudine. Manauit Institutum, & loci Religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque ad Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentiæ incredibilis.* Engaddi autem vicinissimum Asphaltiti, seu Asphar lacui, vel mari mortuo esse, ex tabulis Chronographicis habet curiosus.

4 Ijs verò, quæ diximus, maximè cohæret aliorum placitum de Essenorum conuersatione sub hoc tempore, ex quibus Flauius Iosephus *lib. 13. antiquit. cap.* 8. dum de Ionathę Principatu sermonem agit: *Eodem* (inquit) *tempore tres hęreses Iudęorum fuerunt, quæ de rebus humanis diuersa credebant, quarum vna Pharisæa dicebatur, altera Saducęa, tertia verò Essenorum.* Ex contextu namque sermonis, modoque loquendi eliciitur has hæreses (Instituta nempe, modosque viuendi, iuxta dicta *sub anno 3545. num.* 40.) non eo tempore cœpisse, sed iampridem inter Iudæos notas esse, prout eo anno contra Baronium ostendimus. Quo enim pacto Plinius, & Solinus ibi relati, qui eodem Christi seculo, vt ille, vel paulò post, vt iste, scripserunt, de Essenis dicere possent, *per seculorum millia*, prout Plinius, vel *per immensum spatium seculorum*, qualiter Solinus, perdurasse? Aut quomodo verum erit, quod Esseni tempore Christi, vel paulò ante cœperint, vt Baronius autumat, si ex Plinio, & Solino per tot secula transijsse, & ex Iosepho, quem solum audiendum credit, 150. circiter annis ante Christum viguisse ostenditur? Idem esto argumentum de Iosepho Gorionide, qui etsi de Essenis solum sub *Asidęorum*, & *piorum* nomine, sub toto Machabæorum, seu Hasmonæorum tempore loquatur, nihilominus de Ioannis Hircani, ęuo plusquam centum ante Christi ortum annis loquens *lib. 4. cap. 6.* fuisse tunc Essenorum sectam perspicuè scribit. In quo etiam animaduersione dignum est, non loqui de illa, sicut nec de alijs duabus, Saducæa, & Pharisæa, tanquam de recenter exortis, sed veluti de rebus iampridem subsistentibus, & cognitis apud Iudæos. Merito proinde sub hoc tempore Iudæ Esseni pietate, & Ionathæ fratris auctoritate auctum, & propagatum Essenorum Institutum existimare possumus.

Essenij sub hoc tempore.

Antiquiores Christo.

5 Clarius id habet Genebrardus lib. 2. Chronolog. sub Ionathæ Principatu, dicens: *Pharisæorum Ordo sub hoc oritur.* Iosephus *lib. 13. antiquit. cap. 9. 18. & lib. 18. cap. 2. & lib. de bello cap. 7. sic & Saducęorum*

Genebrardi sententia.

rum secta, Esseni valde augentur affines Pythagoreis. Ioseph.lib. 10.*c.* 13. *& Religiosis nostris lib.*2. *de bello cap.*12. Hæc ille. In quibus, etsi ea, quæ de Pharisæis, & Saducæis dicit, minus vera sint, propter dicta a nobis *sub anno* 3716. *&* 2807. quæ tamen de Essenis profert, veriora sunt, propter dicta. Quod etiam Pythagoricis affines fuerint, ea, quæ anno 3545. *num.* 17. scripsimus, manifestè conuincunt. Proprius diceret Genebrardus, Pythagoreos Essenorum alumnos, & veluti posteros, seu discipulos fuisse, propter ibidem dicta, & *sub anno* 3515. vbi ostendimus Pythagoram in Carmelo nostro philosophatum fuisse. Illud denique eiusdem Genebrardi de Essenis, quod affines etiam fuerint *Religiosis nostris*, vt ipse loquitur, quæ eo anno 3545. diximus, satis ostendunt.

6 Robur accipiunt ea, quæ diximus, ex Iosepho *lib.* 13. *Antiquit. cap.* 1. vbi loquens de Ionatha, & socijs ipsius, inquit: *In nemoribus Iordanis castra posuisse*, & ad oram Iordanis reuersos (scilicet Simonem, & Ionathã) ibi permansisse. Cum enim familiarissima fuerit Iordanis habitatio filijs Prophetarum, vt constat 4. *Reg.*2. *&* 6. & ex dictis *sub annis* 3139. 3145. & 3154. credi par est, maximè ab hoc tempore, quo pij omnes cum Ionatha in huiusmodi campestribus Iordanis Regionibus habitabant, Ierosolyma exules Essenos, & Assidæos, qui inter ipsos erant, ea loca deserta sibi ad incolatum elegisse.

Mansio Ionathæ, & Sociorum.

7 Reflorescentibus tamen postea rebus Iudæorum, eo quod Alexander Antiochi Nobilis nuncupati filius Ptolemaidem occuparet, bellumque contra Demetrium moueret, Ionathas in Ierusalem venit ædificare ciuitatem, montem Sion cepit, & ab vtroque Rege de amicitia solicitatus, Alexandro adhærens, ab ipso postea plurimum honoratus est, prout 1. *Machabæorum.* 10. habetur. Quo tempore proculdubio ad antiqua munia in Templo gerenda, de quibus *sub anno* 3622. dictum est, Assidæi, vel Esseni redire potuerunt. Aucta præterea eorum gloria eodem tempore fuit ob victoriam partam a veris Dei cultoribus Iudæis contra Samaritanos in cõtrouersia Alexandriæ agitata apud Regem de principatu Templi. Cum enim Samaritani contenderent suum Garizitanum Templum Ierosolymitano præferendum, & oppositum æquius Iudæi tuerentur, Rex Ptolemæus diem indixit, causam auditurus consedit, & pro Ierosolymitano Templo sententiam protulit, morte mulctatis aduersæ partis causidicis. Rem refert Iosephus *lib.*13. *antiquit. c.*4. & ad hæc tempora Eusebius *in Chronic.* & Salianus *sub anno* 3906. *num.* 1. referunt.

Ionathes Ierosolymam restaurat.

Assidæi, & Esseni.

Annus

Anni mundi 3912. vsque ad 3919. ante Christum 141. vsque ad 134.

FVALIS his annis fuerit nostrorum Essenorum status, ex varia Iudæorum fortuna, cum alia non extent monumenta, coniectari licebit. Capto proditoriè Tryphonis fraude sacrilega Ionatha summoSacerdote, & Iudæorum Principe, prout habetur 1. *Machabaeor.* 12. omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, quærebant eos conterere, eo quod Principe, ac duce carerent. Ipse etiam Tryphon, qui causa fuerat captionis Ionathæ, eum verbis pacificis Ptolemaidem introducens, & faciens a ciuibus, socijs trucidatis, comprehendi, exercitum copiosum congregabat, vt veniret in terram Iuda. Simon autem (quem etiam inter Assamonæos, & per consequens Enoscenos censet Boulducus *l.* 1. *de Eccles. ante Legem cap.* 17.) Ionathę frater videns populum in magno timore, ac trepidatione positum, aduocata publicè Ierosolymis concione, & breuiter commemoratis, quæ, & quanta ipse, & fratres eius fecissent pro sanctis, & patrijs legibus, mira animi generositate se offerens ad vindictam faciendam de inimicis eorum, ab vniuerso populo conclamatus est Dux, & Princeps loco fratrum suorum Iudæ, & Ionathæ. Tunc, congregato exercitu, Ierosolymam muris muniuit, validum præsidium in Ioppen misit, & contra Tryphonem copias mouit. Is artificiosissima proditione ad Simonem misit, dicens se comprehendisse Ionathàm pro argento, quod Regi debebat, eumque dimissurum, si centum talenta argenti, quæ debebat, & duos filios ipsius obsides ei misisset. Simon verò etsi probe intellexerit proditoris malitiam, nihil ominus ne fratris redemptionem neglexisse videretur, omnia misit. Verum Tryphon illis acceptis non modò Ionathan non dimisit, sed eum, & filios eius interfecit. Mansit ergo Simon pro fratre Dux, & Princeps Iudæorum, qui primum cadauera interfectorum in Modin ciuitate patris sui honorificè sepelienda curauit. Deinde litteras fœderis a Demetrio Rege impetrauit, Gazaram expugnauit, arcem Ierosolymorum obtinuit, festum celebrauit, & alia notabilia gessit, quæ 1. *Machabaeorum* 13, 14. 15. & 16. narrantur.

Ionathas captus proditoriè.

Simon cõclamatus Dux, & Princeps.

2 Quoad nostra illud notatu dignum occurrit ea tempestate, qua proditor hic Tryphon sęuiebat in Iudæos, non modica damna perpessos fuisse eos, qui ex Eliæ filijs Carmeli deserta incolebant, iuxta dicta *sub anno* 3128. credibile sanè esse. Primò, quia ipse (vt dici-

Deserti Carmeli incolæ incommoda perpessi.

tur 1. *Machabaeor. 12.*) *exercitum, & equites in Galilaeam, & in campum magnum misit*. Hic enim magnus campus, qui *Esdrelon* & *Mageddo*, & planicies Galilçæ vocatur, Carmelo vicinus est, immò ipsius Carmeli pars, vt habet VVolffgangus Verissenburgius *in d. scription. Terr. sanct. in Carmel.* Secundò, quia postea *cap. 13.* dicitur de eodem Tryphone, & illis, qui cum ipso erant in exercitu: *Girauerunt per viam, quae ducit Ador*, alijs *Dora*. *Ador* namque, & *Dora*, vt Iosephus habet *lib. 2. contra Appionem*, est ciuitas *iuxta montem Carmelum*. Cui fauet D. Hieronymus in locis Hebraicis, dicens Doram esse in nono milliario Cæsarçæ Palęstinæ pergentibus Tyrum, ex quo proculdubio vicina Carmeli denotatur, quæ in eadem ferme distantia est à Cæsarça versus Tyrum: idemque colligitur ex 1. *Machabaeor. 15.* vbi *Dora* ponitur iuxta mare, prout etiam erat Carmelus. Hanc verò ciuitatem non extare modò certum credimus, nisi forsan, variato nomine, aliquod ex ijs oppidis sit, quæ etiam his temporibus in Carmelo cerni ex nouissimis ipsius descriptionibus *sub anno* 5236. diximus.

Dora vrbs iuxta Carmelum.

3 Celebratur deinde *cap. 14. eiusdem primi libri Machabaeorum*, pax magna, tranquillitas, & requies Iudæorum toto tempore Pontificatus Simonis, & qualiter suum dilatauerit Imperium, acceperit Ioppen in portum, ex quo in mare, & insulas pro commercijs, & negotiationibus liceret excurrere, ac dominatus fuerit Gazarç, Bethsuræ, & arcis, quæ erant præcipua Iudæorum fortalitia, legemque exquisiuerit, sancta glorificauerit, & multiplicauerit. Ex quo absque vllo dubio inferre possumus, Institutum Essenorum, & Assidæorum valde tunc auctum, & propagatum fuisse. Omnium namque hominum iudicio certum est, pace vigente in Regnis, Religiosorum Instituta florescere, & propagari solita esse, sicut è contra bellorum turbinibus grassantibus, cuncta in ruinam, & destructionem vergere. Quod videtur indicari eodem *cap. 14. vers. 36.* vbi inter Simonis encomia illud refertur, quod abstulerit milites, qui erant in arce Ierosolymitana, qui suis militaribus eruptionibus *contaminabant omnia, quae in circuitu sanctorum sunt, & inferebant plagam magnam castitati*. Quod etsi de castitate fęminarum, quas illi rapiebant, & quibus abutebantur, exponat Lyranus, de castitate propria Essenorum intelligi nihil inconuenit. Cui fauet Serarius, dicens: *Valde illos impediebant, qui in Dei cultu casti, siue puri esse volebant, qui vt castitatem, siue puritatem assequerentur, ad Templum venire consueuerant*, vel vt Dionys. *Sacris ministris Templi.* Hoc enim Essenis accommodari posse ea, quę diximus de ipsorum assistentia ad Templum, satis comprobant.

Pax tempore Simonis.

Quid hic denotat castitatem.

Fuit

4 Fuit & hoc tempore Simonis Rex Antiochus alius huius nominis septimus dictus, filius Demetrij Regis, & alterius Demetrij frater in insula Rhodo (vt ait Appianus) qui litteras ad Simonem misit 1. *Machab.* 15. societatis, & amicitiæ, ac confirmatorias immunitatum, & priuilegiorum, quæ priores Reges illi concesserant. Cognomen huic Antiocho erat *Assidetes*, vt ex Rabbano affert Serarius, & approbat Torniellus *sub anno* 3915. Vocatus enim fuit *Pius* a Iudæis, vt habet Iosephus *lib.* 13. *antiquit. cap.* 15. propter pietatem, & religionem; similiter *Eusebes*, idest, Pius: ex quo dubitat Serarius, an ex eadem radice ac Assidæi, *Assidetes* appellaretur. Sed quidquid de hoc sit, sicut certum est eum non fuisse Assidæum, vtpote Ethnicum, sic etiam valde credibile est a Iudæis appellatum *Pium*, & *Assidetem*, propter pietatem, & religionis speciem, quam ostendit circa Dei cultum, & honorem Templi, mittendo scilicet tauros auratis cornibus, & pocula aurea, & argentea aromatibus referta in Templum Domini offerenda, vt habet Iosephus relatus. Ex quo firmatur id, quod sæpius inculcauimus, hanc pietatem, & religionem circa Dei cultum, & Templum veluti propria Assidæorum fuisse, vt propterea sicut ipsi pij, & Assidæi idcirco vocabantur, sic etiam alijs eadem æmulantibus similia cognomina communicarentur. Alius Antiochus. Pietas veluti Assidæorum propria.

5 In Ierichuntina prouincia, vbi nostros Essenos habitationem elegisse *sub anno* 3895. diximus, turbines, & tumultus summo Sacerdoti Simoni exitiales ambitio cruentissima bestia hoc tempore excitauit. Quidam enim Ptolemæus filius Abobi gener Simonis, & Dux in campo Iericho ab eo constitutus, opibus, & superbia elatus proditionem cogitauit aduersus socerum, filios eius, totamque familiam. Cum ergo Simon ciuitates Iudææ perambularet, & in Iericho descenderet, a Ptolemæo ad conuiuium cum duobus filijs in quadam munitiuncula, nomine *Doch*, inuitatus, proditoriè, medijs siccarijs, ipse, & filij ipsius interfecti sunt. S. Scriptura 1. *Machabæorum* 16. Iosephus *lib.* 13. *antiquit. cap.* 14. Turbauit hoc facinus Iudæorum pacem, & tranquillitatem, pijsque Essenis, seu Assidæis magnæ tribulationis, & angustiæ causa extitit. Turbines in Ierichuntina regione.

Anni mundi 3920. vsque ad 3950. ante Christum 133. vsque ad 103.

Ioannis Hircani Pontificatus.

1 OTVM hoc tempus Pontificatus, & Principatus Ioannis Hircani Simonis recitati filij in Iudæa in vnum coniungere necessarium fuit, cum post Simonis mortem Machabæorum libri, & totius veteris Testamenti historia, paucis de isto Ioanne enarratis, terminentur. Is ergo audito patris interitu, & quod eum etiam interficere vellet Ptolemæus, comprehensis, & occisis illis, qui venerant perdere illum, fugit in Gazam, vbi a ciuibus Ptolemæum ingredi volentem repellentibus tutatus, paternum Pontificatum, & Principatum adeptus est. Confestim exercitu comparato, contra proditorem egrediens, profligauit, ac in munitione quadam nomine *Dagon*, alijs *Digonam* supra Ierichuntam sita conclusum expugnare nitebatur. S.Scriptura 1.*Machab.* 16. Iosephus 13. *Antiquit. cap.* 15. Gorionides *lib.* 4. *cap.* 2. Addit vterque Iosephus in hac obsidione contigisse, vt quoties Ptolemæus se nimis arctatum agnoscebat, matrē Hircani, & fratres eius super murū ligans flagellaret, atq; omni genere verberū durissimè torqueret, quod videns Hircanus cessabat ab oppugnatione, quantūuis mater clamaret, ne sic faceret, sed patris vindictam contra proditorē sumeret, quod quia incertū est, cum ex S.Scriptura constare videatur cū patre Simone interfectos filios esse, nec de matre aliquid dicatur, ideo ad certiora, & magis propria properemus.

Obsidio Dagon.

2 Fuit hic Pontifex valde felix in ijs, quæ gessit. Ptolemæum enim patris, & fratrum interemptorem in Philadelphiam fugauit, Antiochum Pium, qui Ierosolymam magno exercitu obsederat, amicum sibi fecit, plures sibi Syriæ ciuitates subiecit, Templum Samaritanum Garizitanum subuertit, Idumęorum vrbes cepit, eosque ad circumcisionem amplectendam coegit, ac tandem strictam amicitiam cum Romanis composuit. Sed felicior, quia bonus, & probus creditus est, & quòd Deus cum illo esset, vt propterea futurorum præscium eum faceret. Quod contigit, dum in quadam vrgenti occasione a Deo audire meruit, quòd filij eius victores futuri essent in quodam prælio, & quòd non diu Principatu potituri erant, prout rerum euentus manifestauit. De quibus prolixiùs Iosephus *lib.* 13. *Antiquit. cap.* 15. 16. & 17. & Gorionides *lib.* 4. *cap.* 3. 4. & 5. Vnde ab Vvernero Rolevvinch *in Fasciculo temporum in* 5. *ætate* appellatur *Propheta Religiosus*, quod & approbare videtur Serarius *in Trihæres. lib.* 2.

Felix hic Ioannes.

Futurum præscius.

lib. 2. cap. 28. affirmans vlterius ab Alberto Magno in sua Litania vocari *Sanctum*. Nos autem, etsi *Prophetam* credamus propter dicta, & idcirco non approbemus traditionem eorum, qui dicebant spiritum Propheticum hoc toto tempore defuisse inter Iudæos, prout retulimus in superioribus, sanctum tamen vocare non audemus, quia Phariſęus fuit, & ad Saducæos propter iniuriam quandam illi a quodam Pharisæo illatam translatus. De quo Iosephus *supra cap. 17.* Genebrardus *in 2. lib. Chronolog. circa ann. mundi 3983. ex Seder olam*. Excusatur a Serario relato, sed res est valde incerta. Eum quoque inter Assamonæos, ac proinde inter suos Enoscæos refert Bouldncus *lib. 1. de Eccles. ante Legem. cap. 17.*

3 Erant tempore huius Ioannis inter Iudæos duæ prędictę Sectę Saducæorum, & Pharisæorum inter se valdè altercantes, dissidijsque populum diuidentes, vt habetur ex Iosepho *dicto cap. 17.* & Gorionide *lib. 4. cap. 6.* Cum autem Essenos commemorent, & nihil tale de ipsis asserant, manifestè denotant ipsos quietè, & pacificè, vt probos, & veluti Religiosos viros decet, vitam transegisse. Hoc denotat Philo Iudæus, dum *in lib. Quod omnis probus sit liber*, loquens de Essenis practicis Palæstinis, inquit: *Tela, iacula, gladios, galeas, thoraces, scuta nemo apud eos fabricat, sicut nec arma cętera, nec machinas, aut aliud quidpiam bello vtile*. Quo gentem omninò pacificè degentem fuisse demonstrat. Clariùs id colligitur ex eo, quòd id ipsum idem Philo *in lib. de vita contemplatiua* de Essenis Theoreticis asserit, cum eorum vitam humilem, modestam, pauperem, & cunctis amicabilem prædicat. Adhuc clariùs Iosephus *lib. 2. de bello Iudaico cap. 7.* dum eorum Institutum (quod propterea *probabilius*, quam Pharisęorum, & Saducæorum vocat) commendans, dicit: *Inter se mutuo amore coniunctissimi*. Infra: *Paci obsecundant*. Inferiùs de illo, qui de nouo recipitur ad contubernium, iurare dicit *erga homines seruare iustitiam, & neque propria sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse*. Deinde *lib. 18. Antiquit. cap. 2.* eorum etiam mores describens, omnino a litibus, & contentionibus alienos esse sufficienter denotat, dum eos cultu morum, atque conuersationis optimos, *& ad colendam terram omni studio* intentos dicit; maximè dum postea propter euitandam *seditionis opportunitatem*, seruis carere scribit. Hac etiam de causa, vt notauimus *sub anno 3807. num. 8.* cum Pharisæi, & Saducæi, vtpotè superbi, contentiosi, & superciliosi Christo Domino contrarij essent, nihilominus Esseni, quia ex opposito humiles, mites, & mansueti, nihil cum ipso contentionis habuerunt, nullatenus restiterunt, quin potius inter primos ipsius doctrinam

Pharisæi, ac Saducæi.

Esseni pacifici.

amplexati sunt, iuxta dicenda suo loco.

4 Inter eos autem Essenos, qui huius Ioannis Hircani tempore vixerunt, vnus erat clarissimus nomine Iudas. De quo Iosephus *lib. 1. de bello Iudaico cap. 3.* sic scripsit: *In hoc autem etiam Iudam quis non rectè miretur? Essenus erat genere, qui nunquam diuinando aberrauit, neque mentitus est.* Sed & *lib. 13. Antiquit. cap. 18.* hæc habet: *Admirari potest quilibet & Iudam Esseum genere, qui nunquam in his, quæ prædixit, mentitus est.* Iosephus autem Gorionides *lib. 4. cap. 7.* sic: *Aderat autem vir quidam nomine Iehudas ex probatioribus Assidæis.* Et *c. 8.* hæc; *Sapiens ille Iehudas vnus ex probatioribus Assidæis.* Hegesippus autem *lib. 1. cap. 6.* eum *Essenum* dicit, ac propter bonam vitam, vel mysticam obseruationem sæpius futura prædixisse. Serarius *in cap. 1. & 2. lib. 2. Machabæor. quæstiuncula 2.* hunc Iudam *Essenum* appellat, & *ob sapientiam, futurorumque prædicendorum scientiam magnæ apud omnes auctoritatis* fuisse affirmat: fermè similia *in Trihæres. lib. 5. cap. 9. §. Sextum nulla.* Salianus quoque *sub anno 3930. num. 8.* eum *secta Essenum, & virum Religione, & prophetiæ gratia celebrem, ideoque magnæ apud Iudæos omnes auctoritatis, præsertim circa ea, quæ ad Religionem, & Dei cultum pertinerent,* commendat. In quibus huius Iudæ encomijs (antequam ad ipsius egregia facta recensenda transeamus) aliqua pensanda sunt pro maiori luce eorum, quæ in superioribus scripsimus. Primum, eum, quem Flauius Iosephus, Hegesippus, & alij *Essenum* vocant, Iosephum Gorionidem *Assidæum* appellare; quo denotatur id, quod & nos *sub anno 3847.* diximus, videlicet Essenos, & Assidæos eiusdem Instituti homines esse. Vnde Munsterus sectarius eiusdem Gorionidis Scholiastes *in Scholijs dicti cap. 7.* eum modò *Essenum,* modò *Assideum* cognominat. Secundum, præfatos auctores hunc Iudam *Prophetam,* vel spiritu Prophetico, aut prædictionis donatum appellare; quo etiam magis roboratur id, quod in superioribus diximus, non defuisse scilicet inter Iudæos hoc tempore spiritum Prophetiæ. Tertium, quod cum iste Essenus, seu Assidæus fuisset, ac proinde Ordinis Prophetici, iuxta dicta *sub ann. 3545.* corroborari id, quod eo anno diximus, videlicet Essenos quandoque Prophetiæ dono a Deo decoratos fuisse, & quod *sub anno 3132. num. 2.* etiam scripsimus, Ordinis nempe Prophetici alumnis hanc gratiam sæpius Deum donasse. Quartum, quòd etsi vterque Iosephus, & Hegesippus huius Iudæ mentionem fecerint solum sub Aristobuli Ioannis Hircani filij, & successoris in Principatu, quia tamen iste Aristobulus vnico dumtaxat anno in Principatu vixit, ideo necessum est, vt etiam hoc tempore Hircani ipse floruerit, prout ex modò

Iudas Essenus

Ex Assidæis.

Futurorum præscius.

Propheta ab aliquibus censetur.

Ordinis Prophetici.

modò dicendis constabit, & supponit Salianus *loco relato*.

5 Clarissimum porro hunc Iudam Essenum fuisse, preter dicenda inferius, ex eo etiam manifestè conuincitur, quòd in epistola illa, quam Iudæi Ierosolymitani mittunt ad Iudęos in Ægypto commorantes, quæ habetur 2. *Machabæorum* 1. ipse solus specialiter cum Populo, & Senatu *versu* 10. nominetur; similiter *cap. 2. vers.* 14. ipse dicatur collegisse ea omnia, quæ in bellis eorum temporum contigerant. Quæ, vt magis perspicua sint, circa præfatam epistolam aliqua inquirere debemus, quæ nec sacræ Scripturæ studiosis inutilia erunt, & nobis satis proderunt pro huius Iudæ Esseni clariori notitia. Primum, an ea epistola vna dumtaxat sit, vel plures. Secundum, an Iudas ille in eo nominatus noster hic Essenus fuerit, an alius. Tertium, quinam illi Iudæi in Ægypto commorantes, ad quos litteræ scribuntur. Epist. Iudęor.

6 Et quoad primum, non vnam tantum, sed plures epistolas ibi numerari, duas scilicet, vel etiam tres, habetur ex Ruperto *lib.* 10. *de victor verbi Dei*; Lyrano *in 2. Machabęor.* Cano *lib. 2. de locis c.* 11. Michaele Medina *lib. 6. de fide c.* 13. Bellarmino *lib. 1. de verb. Dei c.* 15. & Torniello *sub anno* 3892. *num.* 10. Nihilominus verior sententia tenet ibi tantum esse vnam epistolam scriptam anno 188. continentem tamen aliam vel partem ipsius datam ante annos 19. anno videlicet 169. Ita expressè Serarius *hic*; Salianus *sub anno* 3930. *num.* 1. *&* 2. & ante eos Genebrardus *lib. 2. Chronolog. circa ann.* 3952. vbi totum secundum librum Machabæorum vnam epistolam vocat: *Iudęi* (inquit) *qui erant Ierosolymis, secundum Machabæorum librum in formam epistolæ scribunt ad Iudæos, qui erant in Aegypto 2. Machabæorum. 1. vers.* 10. Id probat primò ipse contextus, ita vt vim ei afferant oppositum asserentes. Secundò, quia id satis exprimitur in textu Gręco, cum enim dictum esset *vers. 7. scripsimus vobis*, &c. additur Græcè: *Et nunc, vt agatis dies Scenopegiæ*. Quasi diceret: Scripsimus vobis aliàs, vt dies illos festos ageretis, nunc verò iterum scribimus. Ex hoc enim denotatur eam tantùm esse vnam epistolam, insertam tamen habentem aliam aliàs scriptam. Tertiò, quia qui hic ponunt plures epistolas, coguntur illa verba *vers.* 10. *Anno centesimo octogesimo octauo, populus, qui est Ierosolymis, & in Iudea* disiungere; ita vt illud *anno centesimo octogesimo octauo* sit finis vnius epistolæ, & illud *Populus, qui est Ierosolymis* initium alterius, quod absurdum videtur (inquit Serarius) cum Codices correcti tam Latini, quam Græci hęc verba coniungant sine aliquo puncto medio, quod necessariò debebat apponi. Angit hoc argumentum Torniellum, & meritò, quia satis An ea epist. vna tantū sit.

ſatis efficaciter concludit intentum. Poſito ergo hanc vnam dumtaxat eſſe epiſtolam, reſtat ſatisfacere ſecundo quæſito, quinam ſcilicet ſit ille Iudas, qui ibi nominatur, dum dicitur: *Anno centeſimo octo. geſimo octauo populus, qui eſt Ieroſolymis, & in Iudęa, Senatuſque, & Iudas Ariſtobulo*, &c.

Quis hic Iudas.

7 Primò dicendum, eum Iudam, non fuiſſe illum celeberrimũ Machabæum, cuius ſtrenuiſſima geſta in ſuperioribus retulimus (quicquid Bellarminus, Canus, & alij cenſeant) euidens namque eſt eo anno 188. quo litteræ ſcriptæ ſunt, Iudam Machabæum in viuis non fuiſſe, qui ante annos 36. in prælio occubuerat, ſub anno ſcilicet 3894. qui triginta ſex annis anterior eſt ann. 3930. cui correſpõdet dictus annus 188. Imperij ſcilicet Græcorum. Quomodo ergo nominatur in ea epiſtola tanquam vnus ex eis, qui illam ſcribunt? Aliqui ſunt, qui fateantur Iudam, etſi iam mortuum, huic epiſtolæ ſcribendæ adfuiſſe, qualiter Eliæ poſt raptum diximus extare epiſtolam ad Ioram Regem Iuda miſſam anno 3148. Sed alia ratio eſt Eliæ, qui mortuus non eſt, ſed a communi conſortio ſeparatus, ac de Iuda, qui verè eo tempore diem ſuum obierat. Deinde mortuum viuis litteras ſcribere omnino miraculoſum eſt, ac proinde non niſi maiori fundamento aſſerendum. Sed ſiue viuus, ſiue mortuus Iudas Machabæus hanc epiſtolam ſcriberet, cur non primo loco nominatur, cum ſummus Sacerdos, Princeps, & Dux maximus populi eſſet? Quo iure poſt populum, & Senatum caput eorum recenſetur? Alia apud Serarium, & Salianum relatos contra hanc ſententiam videri poſſunt. Poſito ergo, quòd Iudas huius epiſtolæ ſcriptor ille Machabęus non fuerit, neceſſumque ſit fuiſſe virum aliquem magnæ auctoritatis apud Iudæos, alioquin nulla erat cauſa, cur cum Senatu, & populo ipſe ſolus nomine proprio cenſeretur, operæ pretium eſt id diligenter inueſtigare.

8 Et dicendum eſt, eum fuiſſe Iudam illum Eſſenum iam relatum. Ita habetur ex Ruperto *lib. 10. de victoria verbi cap. 15.* Serario, & Saliano relatis. Fundamentum eſt, quia in huiuſmodi Eſſeno Iuda concurrunt omnia ſigna, ex quibus ſatis perſpicuè conijci poteſt eum prædictæ epiſtolæ ſcribendæ adfuiſſe. Primò enim ipſe prædicto anno 188. Imperij Græcorum, & ſub Principatu Ioannis Hircani in viuis erat, cum conſtet ſuperſtitem fuiſſe vſque ad tempus Ariſtobuli filij, & ſucceſſoris Ioannis, vt habetur ex vtroque Ioſepho, Hegeſippo, & auctoribus relatis. Deinde ſenex, & prouectæ ætatis tẽpore prædicti Ariſtobuli fuit, vt colligitur ex Ioſepho *lib. 1. de bello cap. 3.* Item valde ſapiens, & pluriuma diſcipulorum Magiſter,

Sed iſte Eſſenus.

vt

vt ex eodem Iosepho tam ibi, quam 13. *Antiquit. cap.* 18. ac Gorionide *lib.* 4. *cap.* 7. & 8. etiam elicitur. Vir etiam probatæ vitæ, vt ex Hegesippo, & Gorionide colligitur: propterea enim ab ipso appellatur *ex probatioribus Assidæis*: prophetię quoque gratia valde celebris, adeo vt cum plura prædixisset, numquam falsum protulisse cõpertum erat. Ad quod accedebat ex Instituto Essenorum, seu Assidæorum esse, quod (vt ait Iosephus *lib.* 18. *Antiquit. cap.* 2.) inter Iudæos probabilius erat. Quid ergo mirum, vt tot, tantisque auctoritatis adminiculis in eo concurrentibus, præsertim circa ea, quæ ad Religionem, & Dei cultum promouendum spectabant, ipse solus veluti eximius, & celeberrimus in epistola illa referretur. Aliam congruentiæ rationem inferiùs afferimus. Hic verò solum expendendũ, in alijs eximijs eiusdem nominis viris, qui hoc tempore Ioannis Hircani viuebant, nequaquam tales conuenientiæ rationes, quales pro isto Esseno adduximus, reperiri, vt credibile sit aliquem illorum talis epistolæ scriptorem commendari. Etenim filium ipsius Hircani natu maiorem, qui etsi Aristobulus nominetur, etiam Iudam appellatum testatur Iosephus *lib.* 20. *Antiquit. cap.* 8. intelligi non conuenit. Esto enim Princeps esset, & Iudas appellaretur (si Iosephus non errat) non tamen credibile est in publicis litteris, omisso parente, qui summus Pontifex, & Princeps erat, filium iuuenem inscribi, quantauis gratia, & auctoritate polleret. Casu autem, quo ipse inscriberetur, cur post populum nominatur? Similiter Iudas alius auctor quarumdam traditionum, quem refert sanctus Epiphanius *hæres.* 33. & 42. potiori iure videtur rejiciendus; tum quia non constat, quo tempore vixerit, tum quia, esto alicuius auctoritatis esset, conferendus non videtur cum Esseno nostro Propheta eximio, probæ vitæ, & doctrinæ, ac celeberrimi Instituti alumno. Multo magis excludendus alter Iudas Simonis summi Sacerdotis filius, & Hircani frater. Is enim cum parente a Ptolemæo parricida interemptus iã erat, vt constat ex 1. *Machabæorum* 16. *vers.* 14. & 16. Præacto iam, quod solus Iudas Essenus sit ille, qui nominatim in dicta epistola refertur, restat tertij dubij solutio, quinam videlicet ij Iudæi in Aegypto commorantes essent, ad quos scribebatur.

Non filius Hircani.

Nec Iudas alius.

9 Et sanè licet credibile sit tunc in Aegypto fuisse plures Iudęos, tum per captiuitatem illuc ductos, tum voluntariè transfugas, vt putat Serarius *vt supra quæstiuncula* 3. probabilius tamen est, vt ipse etiam affert, eos præcipue fuisse, qui cum Onia illo Templi Heliopolitani fundatore, de quo sub *anno* 3889. diximus, illuc se contulerant, illicque manebant in eo Templo cultum Dei, ac in Ierosolymi-

Nec Iudas Simonis filius.

lymitano exercentes. Immò ex hoc sumitur noua ratio congruentiæ ad credendum Iudam, qui in eà epistolà nominatur, fuisse illum Essenum iam relatum. Cum enim inter eos, qui illum Oniam in Ægyptum euntem comitati sunt, aliqui fuerint ex Essenis, iuxta dicta eo anno, sanè conueniens valde fuit, vt vnus Essenus eximius specialiter nominaretur in ea epistola, qua de Religione, & cultu Dei admonebantur. Sic enim melius Iudæi Ierosolymitani intentum suum consequerentur, quod videtur fuisse reducere illos ab errore, in quo manebant, Deum in Templo illo Heliopolitano colentes contra Dei Legem. Propterea enim dicunt: *Adaperiat Dominus cor vestrum in Lege sua, & in præceptis suis.* Et rursus: *Et reconcilietur vobis, &c.* Immò & propterea monent illos, vt celebrent quasdam festiuitates, scilicet dati ignis tempore Nehemiæ, & Purificationis Templi tempore Iudæ Machabæi. Hoc enim totum pertinebat ad tollendum schisma eorum, qui in Ægypto aliud Templum erexerant: celebrando namque huiusmodi festiuitates, virtualiter confitebantur solum Ierosolymitanum Templum legitimum esse, & veram diuini cultus sedem. Idcirco etiam *cap. 2. vers. 18.* sperare se dicunt omnes congregandos *in locum sanctum*; idest in Ierosolymitanum Templum.

Causa scribendi

De quibus admonentur.

10 Cum autem in *cap. 2.* eiusdem libri 2. *Machabæorum* dicatur, quod Iudas congregauerit omnia, quæ acciderant Iudæis, & hoc de Iuda Machabæo non videatur intelligi, cum proximè inferius proprio nomine Iudas Machabæus ipse nominetur, intelligi id videtur de isto nostro Iuda Esseno, prout etiam Serarius *quæstiuncula illa 2.* relatus approbauit. Ex quo etiam egregium aliud eiusdem Iudę facinus referre possumus, eum scilicet fuisse auctorem huius secundi libri, quod etiam tenet idem Serarius *præloquio secundo in libros Machabæorum*. Et sanè id manifestè probatur ex dicto *cap. 2. lib. 2.* ibi enim *vers. 24.* dicunt auctores eius epistolæ se ab Iasone *Cyrenæo quinque libris comprehensa* vno volumine breuiasse. Cum ergo Iudas hic Essenus sit vnus ex ijs, qui epistolam scripserunt, proculdubio cum totus liber non sit aliud, quàm vna epistola, vt ex Genebrardo vidimus, rectè sequitur eum etiam fuisse auctorem libri. Vnde etsi (quod communiter a Doctoribus dicitur) ex Iasonis illius quinque libris hunc secundum Machabæorum compilatum esse verissimum sit, quia tamen si compilatorē ab eis petas, nescire se dicunt, & aliqui perperam Iosepho Flauio id tribuunt, ideo nos gratum obsequium sacræ Scripturæ studiosis facere putamus, si hunc Iudam Essenum huius secundi libri Machabæorum auctorem, seu compilatorem laudamus. De quo & alia in sequentibus.

Iudas Essenus

Auctor 2. lib. Machabæor.

Illu-

11 Illustratur & hoc tempus (vt aliquid de historijs exteris afferamus) natali duorum insignium valde in orbe virorum, M. Tullij Ciceronis, & Pompeij Magni, qui sub eodem anno 3948. & Consulibus Q. Seruilio Cepione, & C. Attilio Serrano nati sunt. De Tullio enim id colligitur ex Gellio, Plutarcho, & alijs, de Pompeio autem ex Velleio *lib.* 2. De vtroque, vtpotè suo seculo celeberrimo, aliqua in sequentibus erit nobis mentio.

Cicero, & Pompeius Magnus.

Annus mundi 3951. ante Christum 102.

1 ANNVS iste sigillatim nobis recensendus fuit, & quia Aristobuli Pontificatus, ac Principatus vnicus, & quia historia Iudæ Esseni, de quo in superioribus, id expostulat. Oportuit etiam Aristobuli, & Iudæ simul memoriam fieri, quia Iudaicæ historiæ auctores gesta vtriusque simul describunt. Ergo quæ Flauius Iosephus, Gorionides, & Hegesippus de illis memoriæ commendarunt, in medium proferamus. Mortuo Ioanne Hircano Pontifice summo, ac Principe Iudæorum, ex quinque filijs, quos genuerat, quorum præcipuè fuerunt tres, Aristobulus scilicet natu maior, Antigonus secundus, & Alexander tertius Aristobulus Principatum ascendit, & nomen Regis assumpsit. Regium diadema super caput suum primus imponens, eò quod plurimum Iudæorum terminos dilatauerit, Tyrum, & Sydonem expugnauerit, pluresque gentes, Ituræos maximè, suæ ditioni subiecerit. In rebus tamen domesticis, superbia, & æmulatione agitatus, pessimè se gessit: matrem enim, & fratres in vincula coniecit; Antigonum verò solum diligebat, quem & purpura induit, & magno honore decorauit. Misit etiam illum ad bellum contra quosdam Aristobuli rebelles, qui plurimos prostrauit, innumeros protriuit, & Ierosolymam cum magna gloria victor reuersus est tempore, quo populus solemne Scenopegię festum celebrabat. Cum verò ea occasione Rex ægrotus decumberet; Antigonus tum festum celebraturus, tum pro salute fratris vota facturus, Templum cum armatorum comitatu splendidissimè ornatus ingrediebatur. Accidit autem eo tempore, vt celebris ille Iudas Essenus, (de quo in superioribus diximus spiritu Prophetiæ inter Iudæos clarum esse) prædixisset mortem istius Antigoni futuram eo die, quo ipse veniebat ad Templum, & quod esset moriturus apud turrim quandam, quæ vocabatur *Stratonis*, quæ distabat ab Ierosolymis stadijs quingentis, aut sexcentis. Cum ergo vidisset eum ad Templum cum mili-

Aristobulus Pontifex.

Ipsius gesta

Iudas Essenus

Ipsius prædictio.

militibus accedentem, & quòd turris illa, apud quam moriturum prædixerat, tam longe aberat a Ierosolyma, vt impossibile esset ea die id accidere, & quod, re communicata cum discipulis, ipsi quoque affirmassent falsam euasisse illam ipsius prædictionem, valde dolens, & vanitatem existimans, quod spiritum Propheticum fuisse credebat, iacuit immobilis, quasi somno oppressus, fessus, vel fatigatus præ nimio cordis sui mœrore. At Deus, cuius prouidentia nunquam fallitur, propter occulta suæ sapientiæ iudicia, & interea, ne pius Essenus pseudo-Propheta existimaretur, permisit, vt ij, quibus studium erat excitare inter fratres discordias, occasionem nacti è rebus prosperè gestis ab Antigono, & pompa, qua vtebatur, venerint ad Regem ægrotum, rem exaggerantes, ac dicentes, ea iam esse supra priuati hominis conditionem, & affectati Regni manifesta indicia, aiebantque venturum breui cum valida armatorum manu ad occidendum Regem. Aristobulus autem, quamuis non ijs omnino crederet, vt tamen sibi consuleret, & suspicionem vitaret, collocauit satellites in obscuro quodam loco iuxta turrim, quæ etiam *Stratonis* vocabatur, sicut & illa, quæ longe erat a Ierosolymis, præcepitque eis, vt si frater Antigonus ad eum veniret sine armis, nemo eum attingeret, quod si armatus aduentaret, trucidaretur. Præmisit tamen ad eum nuncium dicens, quod inermis veniret; sed Regina, quæ Salome, & Alexandra vocabatur, & reliqui insidiatores proditoriè nimis nuncio persuaserunt, vt contraria diceret Antigono, videlicet Aristobulum fratrem audisse, eum armaturam eximiam sibi comparasse, cupereque ita armatum videri. Antigonus proinde nihil mali suspicatus, armatus veniebat ad Aristobulum. Cumque peruenisset ad nominatam turrim *Stratonis*, a satellitibus ibi absconditis percussus innocens interfectus est eo in loco, de quo Iudas Essenus Propheticè prænunciauerat, etsi non crederet ibi esse talem turrim *Stratonis* cognominatam, sed solum in remotis a Ierosolyma. Audita ergo Antigoni morte, etsi valde ipsi displicuisset, cognouit tamen suum oraculum verissimum, & a Deo fuisse. Rex verò tum dolore, tum tristitia de fratris morte, a Deo præsertim ob scelera in matrem, & fratres commissa punitus, paulò post miserè perijt. Hanc historiam scribunt Iosephus *lib. 13. Antiquit. cap. 17. & 18. & de bello c. 3.* Gorionides *lib. 4. cap. 7. 8. &* 9. & Hegesippus *lib. 1. c. 6. &* 7.

Discordia inter fratres.

Prædictio adimpleta.

2 Circa quam, in gratiam huius nostri Esseni Iudæ, aliqua animaduertenda occurrunt. Primum cum Saliano *sub hoc anno num. 9.* ex eo quòd ipse deceptus fuerit, existimans eã turrim *Stratonis*, apud quam occidendus esset Antigonus, fuisse illam, quæ longe erat a Ierosoly-

rofolymis, non quæ in vrbe erat, & iuxta quam mors Antigoni accidit, non inferri, eum non fuiffe Prophetam; non enim neceffe eft Prophetas intelligere omnia, quæ prænunciant, eo faltem modo, quo a Spiritu fancto intenduntur, vt colligitur ex illo *Ieremiæ* 4.*v.*10. *Heu, Heu, Heu, Domine Deus, ergo ne decepifti populum iftum, & Ierufalem, dicens: Pax erit vobis, & ecce peruenit gladius.* Item ex illo *Ieremiæ* 20.*verf.*7. *Seduxifti me, & feductus fum, fortior me fuifti, & inualuifti.* Maximè ex illo *Ioannis* 11.*v.*10. Caiphas enim prophetauit, dicens: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Quæ tamen ipfe Caiphas non intelligebat eo fenfu, quo a Deo intenta erat. De quo plura horum locorum Expofitores. Secundum, ex eo quòd ifte Iudas Effenus dicatur a Iofepho Flauio, Gorionide, & Hegefippo locis relatis habuiffe Difcipulos, immò ex eo quod filios eos vocaret, vt habet Gorionides *dicto cap.* 7. inferri non folum Ordinis Prophetici eum alumnum fuiffe, fed & Patrem, Præfectum, & Superiorem in eo Inftituto. Conftat enim ex dictis *in Apparatu c.* 3.*num.*12. *& fub anno* 3132. Præfectos, feu Superiores Ordinis Prophetici appellatos fuiffe *Patres*, ficut & fubditos, difcipulos, & *filios.* Specialiter quoque, quia Ordinis Prophetici affecla fuit, propterea inter noftræ Religionis Prophetiæ dono infignes in Catalogis noftrorum Hiftoricorum, & in eo, quem Laurentius Beyerlinck *in Theatr. vit. hum. to.* 6. *lib.* 16. *verbo Religiofus Religio*, collegit, refertur.

An Prophetæ nofcăt omnia.

Iudas Effenorū Præfectus.

Anni mundi 3952. vfque ad 3975. ante Chriftum 101. vfque ad 78.

1 OTO hoc viginti quatuor annorum fpatio Pontificatum & Regnum Iudæorum obtinuit Iannæus Alexāder filius Hircani, & frater Ariftobuli, de quibus in fuperioribus. Quod fimul in vnum cōiungimus, cum facra Scriptura nihil de hoc tempore habeat, & vterque Iofephus, ac Hegefippus, qui aliqua de ipfo fcribunt, pauca ad Propheticum noftrum Ordinem, & Effenum Inftitutum fpectantia eloquuntur. Prius ergo, etfi breuiter, quę ad iftius Iannæi hiftoriam, & poftea, quæ ad noftrum Inftitutum pertinent, perftringemus.

Iannęus Alex. Pontifex.

2 Fuit hic Iannæus is, de quo patri fuo Hircano Deus reuelauerat ipfius futurum fucceflorem, vt propterea, cum præ cæteris filijs Ariftobulum, & Antigonum dilexiffet, in Galilæa educari fecerit.

Gefta ipfius.

Post Aristobuli autem obitum Salome eius vxor, solutis eius fratribus, quos ipse vinxerat, hunc Iannæum Regem constituit, ætati, & modestia cæteros præcedentem. Regno potitus alterum fratrem insidiantem sibi interfecit; alterum contentum priuata, & otiosa vita in honore habuit. Ita Imperij sui rebus constitutis ad finitimos subiugandos, Regum Syriæ contentiones in sua lucra conuertens, progressus est. Ptolemaidenses primò obsedit, licet Ptolemæi Lathuri Ægypti Regis copijs confortatos deserere coactus est: Zoilum tamen Sydoniorum Regem superauit, ac fugauit, totamque illius Regionem cepit, & Raphiam, Gazam, & Anthidonem suo Imperio subegit. Accidit autem, vt cum quadam die in solemnitate tabernaculorũ ascenderet ad altare, iuxta morem Sacerdotum, vt inciperent Pharisæi, qui ibi erant, ludere cum pomis citreis, & surculis palmarum læti, & iucundi (mos enim Iudæis erat iste) Tunc quidam ex illis deliberato animo proiecit citrum in Regem; satellites verò id ęgrè ferentes, ad Pharisæos dixerunt: Cur sic facitis? quare sic contemnitis Regem, citrum in eum proijcientes? Responderunt, id non fit ex contemptu, sed ex consuetudine nostra, qua sic agere solemus. Opprobrijs proinde afficientes Regem, dixerunt eum filium esse prophanæ mulieris, atque ob id sibi non competere Sacerdotium. Vnde iratus plurimum Rex, diuertit ab altari, & exclamauit ad milites, vt occiderent Pharisæos, qui sex millia ipsorum peremerunt, totum Templi atrium cadaueribus implentes. Magna proinde bella inter ipsum, & Pharisæos exorta sunt, quæ per sex annos durarunt cum magno ipsorum detrimento. Ex quibus etiam octingentos crucifigi fecit, vt propterea à Iudæis Alexander Crucida appellatus fuit. De his, & alijs ab hoc Pontifice gestis Flauius Iosephus *lib. 13. Antiquit. cap. 19. 20. & 21. & lib. 1. de bello Iudaico cap. 3. & 4.* Iosephus Gorionides *lib. 4. cap. 9. 10. 11. & 12.* Hegesippus *lib. 1. cap. 9. 10. 11. 12.*

Contentio cũ Pharisæis.

3 Non modica interim hoc tempore perpessos incommoda Carmeli Eremi incolas, ex ijs, quæ tunc acciderunt plus æquo conijci datur. Cum enim Ptolemæus Lathurus Ægypti Rex Ptolemaidẽses adiuturus exercitum circiter triginta millibus militum constantem Sycaminum Phœniciæ vrbem inter Carmelum, & Ptolemaidem (vt Ptolemæus asserit) duxisset, inimicitiasque cum Iannæo Iudęorum Rege haberet, proculdubio Carmeli eremitæ, qui ex Iudęis erant, ab ipso, & ipsius exercitu eas clades, quas bellum inferre solet etiam insontibus, pertulerunt.

Incommoda Eremitarum Carmeli.

4 Nihilominus post hæc huius Iannæi tempore propagatum valde

valde fuiſſe Eſſenorum, & Prophetarum Ordinem etiam iuxta Carmelum ex propagatione Imperij huius Regis, ea præſertim parte, qua Carmelo ipſi proximum erat, non leuiter coniectari poſſumus. Primo enim *Doram* a Zoilo Sydoniorum Rege abſtuliſſe ſatis teſtatur Gorionides, dũ *lib. 4. c. 9.* in fine ait Iannæum totam terram Zoili accepiſſe, cum ergo, teſte Ioſepho *lib. 13. Antiquit. cap. 19.* Dora ſub Zoili poteſtate eſſet, recte ſequitur eã cepiſſe Iannæum. Erat autem *Dora*, vt ſub anno 3912. vidimus, Carmeli monti ciuitas vicina. Deinde, vt ait idem Ioſephus ibidẽ, ille habebat omnes ciuitates maritimas, Ptolemaide, & Gazia exceptis. Carmelus ergo maritimam tangens oram (propterea enim *Ioſue 19. verſ. 26.* appellatur *Carmelus maris*) ſub eius ditione erat. Clariùs ipſe Ioſephus eodem *lib. 13. cap. 21.* numerans Iudæorum ditionem ſub Iannæi Imperio, recenſet *iuxta mare quidem Stratonis turrem, Appolloniam, Ioppem, Iamiam, Azotum, Gazam, Anthidonem, Raphiam, Rinocholuram*. Et poſtea: *Carmelum montem, & Thaburium montem*. In comperto ergo ſit noſtrum Carmeli montem ſub Iudæorum pacifica poſſeſſione hoc tẽpore fuiſſe, nec locum dubitandi ſupereſſe, quo minus in eo monte noſtri Eremitæ tunc commorati fuerint, quod pro dicendis *ſub anno ſequenti* vtile erit.

Propagatio Inſtituti Eſſeni.

Annus mundi 3976. ante Chriſtum 77.

1 
VIVS anni hiſtoria ſigillatim nobis recenſenda eſt, ob ſingularem a Deo noſtris Carmeli Eremitis gratiam eo tempore, prout refertur, conceſſam de viſione, ſeu reuelatione quadam, aliquorum conſanguineorum, ſeu ſecundum ſanguinem Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, eiuſque immaculatiſſimæ Virginis Matris coniunctorum progeniem tangente. Hoc enim anno, qui 77. ante eiuſdem Ieſu Chriſti ortum erat, Iannæi Regis, & Pontificis Iudæorum vigeſimus quintus, Ptolemæi Auletis Ægypti Regis tertius, Olympiadis 175. annus etiam tertius, & Vrbis conditæ 675. Conſulibus Romanis M. Æmilio Lepido, & Q. Lututio Catulo eam contigiſſe auctores referendi aſſeuerant. Primo ergo eorum verba, quibus prędictam reuelationem deſcribunt, deinde qualiter accipienda, & a difficultatibus, quæ contra illam eſſe poſſunt, vindicanda, in medium proferemus.

Anni hiſtoria

Reuelatio facta Carmeli Eremitis.

2 Petrus ergo Dorlandus Carthuſianus grauis, & doctus auctor, vt ipſius ſcripta apud Poſſeuinum *in Apparatu ſacro littera P.* demonſtrant,

Relata a Petro Dorlando

ſtrant, & qui eodem Poſſeuino teſtante, anno 1490. in viuis erat, in *libro de vita ſanctæ Annæ*, quem ex Theutonico idiomate vertit Iodocus Badius, & habetur in fine libri *de vita Christi*, Lodolphi de Saxonia etiam Carthuſienſis *cap. 1.* ſic caſum deſcribit: *Appropinquante plenitudine temporis, qua per filium ſuum Deus humanū genus redempturus erat, ſeptuaginta ſeptem, vt D. Cyrillus Carmelita ait, ante diuini verbi Incarnationem annis floruit in Iudęa virgo quędam generoſiſſima ex Dauid ſtirpe nata, diues admodum, mirèque formoſa, optimè morata, validéque cordata, ac ſpei de redemptione Iſrael refertiſſima. Quæ cum parentum venia filios Prophetarum in Carmelo viſitare ſolita, ab eiſdem, moribus, & prudentia, ac ſanctitate plurimum illuſtrabatur, donec iam matura viro iam plenis nubilis annis, matrimonio ad generis propagationem a parentibus optimis, & prudentiſſimis ex veteri Inſtituto addiceretur. Quibus tamen virgo caſtis colloquijs imbuta, virginalique vitę aſſueta, animo deſtinato primum refragata rem ad Carmelitas retulit. Qui in ieiunio, & oratione Deum conſuluerunt, donec eorum tres in ſpiritu rapti radicem videre pulcherrimam, geminam ex ſe arborem emittentem; e quarum altera natus eſt ramus ſpecioſiſſimus tria diffundens ramalia; è quorum primo longe decentiſſimo natus eſt flos puriſſimus, atque fragrantiſſimus odore cælum, ac terram perfundens optimo. E reliquis quoq; prioris arboris ramalibus flores nati ſunt, ſi ſeorſum ſpectentur, pulcherrimi, ſed ad primi floris comparationem nihil. Ex altera verò arbore orta eſt virga ſane pulchra, pulchriorem producens florem, nec tamen primo comparabilem. Hac radice ſic viſa, audita eſt ſimul vox, dicens: Hæc radix eſt Emerentiana noſtra magnæ propagationi deſtinata. Qua re intellecta, virgo Deo, et parentibus obediens, Stollano viro iuſto, et Deum timenti nupſit.*

Emerentiana virgo.

Viſio.

3 Ioannes etiam Palęonydorus Batauus Dorlando fermè coætaneus, & inter Ordinis noſtri Hiſtoricos celebris valdè, ſic de hac re in opere de *antiquitate, et ſanctimonia Eremitarum montis Carmeli lib. 1. cap. 5.* loquitur: *Scribit etiam B. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro de Ortu Beatiſsimæ Mariæ Virginis, quem poſt habitum concilium Epheſinum miſit Cęleſtino Papæ primo. Quomodo ante Chriſti natiuitatem virgo Emerentiana Deo deuotiſſima ex ciuitate Bethleem, frequenter conſueuit cum ſua genitrice viros ſanctos in monte Carmeli viſitare. Quæ licet animo ſuo continentiam conſeruare ſtatuerit, tamen parentum voluntate, et diuina poſt modum reuelatione, ac ordinatione, ex conſilio Carmelitici montis tunc Eremitarum Dei oraculum conſulentium, Stollano viro fuit matrimonio iuncta. Poſt hæc peperit ſanctiſſimam Annam Dei Genitricis Mariæ Matrem, & Eſmeriam matrem Eliſabeth*

Eadem viſio ex Palęonydoro.

sabeth vxoris Zachariæ patris Ioannis Baptistæ.

4 Post illos Guillelmus Pepinus Doctor Parisiensis, & clarissimi Prædicatorum Ordinis egregius alumnus in *tomo concionum de sanctis serm. 2. de S. Anna* eamdem reuelationem, quam ex quodam antiquo libro Bibliothecæ Valencienensis Ordinis Prædicatorum extraxisse fatetur, *quæstiuncula* 3. sic describit: *Tertia quæstiuncula est, vtrum aliquid legatur de parentibus B. Annæ. Respondetur quod sic. Reperi enim, quod B. Cyrillus dudum inhabitator montis Carmeli, qui regnauit circa annum Domini 428. Scripsit de ortu B. Annæ, ostendens quis fuerit pater illius, similiter & mater. Refert ergo, quod anno circiter septuagesimo octauo ante Christi incarnationem fuit quadã virgo nobilis de genere & tribu Iuda, pulchra corpore, sed pulchrior mente, cui nomen erat Emerentiana. Hæc igitur honestissima virgo de licentia parentum visitauit quosdam fratres deuotos in prædicto monte Carmeli commorantes, & cum eis conferre cœpit de aduentu Messiæ, & de Prophetijs, atque promissionibus super hoc factis. Cumque illa attigisset annos nubiles, parentes voluerunt eam dare cuidam honesto iuueni in vxorem. Illa tamen consentire noluit, eo quòd in occulto promisisset Domino se seruaturam virginitatem, si modo Deo placeret. Recurrit ergo pro hac re ad dictos Patres, narrans suorum parentum voluntatem pariter, & suam. Qua audita, illi orauerunt Dominum, vt dignaretur ostendere super hoc voluntatem suam, quod cum triduo fecissent, tandem seniori inter eos pariter, & duobus alijs, qui erant magis deuoti, ostensum est arbustum quoddam, super quo erat quidam ramusculus portans pulcherrimum florem, fructum delectabilissimum in se continentem. Deinde facta est vox ad eos dicens, quod arbustum designabat Emerentianã, & eius bonam voluntatem cum Dei voluntate vnitissimam. Ramus verò significabat quandam filiam sanctissimam, quam in statu matrimoniali Deus sibi daturus erat. Flos autem designabat Virginem quamdam castissimam, quã filia ipsius Emerentianæ esset paritura, quæ Virgo permanens, fructum vitæ, idest, Filium Dei naturalem, qui per fructum prædictum designabatur, esset clausura in suo vtero virginali, & tandem tempori debito sine dolore paritura. Hanc igitur iussionem retulerunt prædicti patres Emerentianæ puellæ; quam audiens illa dixit: Fiat voluntas Domini. Ex tunc ergo illa consensit intrare matrimonium, orans humiliter Deum, vt nulli in matrimonium iungeretur, qui non timeret Deum. Cumque post hæc successiuè ad illam adducti fuissent sex viri, nulli eorum voluit copulari propter corruptam eorum intentionem, quam Spiritu sancto reuelante illa præcognoscebat. Postremo superuenit septimus, dictus Stollanus, qui Deum timebat, & qui non causa explendæ libidinis, cum illa esset speciosissima, vt dictum est, sed potius causa susci-*

Emerentiana.

Visio.

Matrimonio iungitur Stollano.

suscitandæ prolis eam quærebat habere in sponsam. In hunc igitur Stollanum consentit. Facto ergo inter eos honesto matrimonio, illa concepit filiam, quam Annam vocauit. Hæc Cyrillus.

5 Sequenti tempore Petrus Morales inter celebres Iesuiticæ familiæ scriptores nobilis auctor eamdem historiam in commentarijs in Matthæum *cap. 1. lib. 1. tract. 6.* his verbis amplexatus est: *Conceptio sanctissimæ Annæ fuit diuino munere a Deo reuelata quibusdam sanctis viris Religiosam vitam in monte Carmelo agentibus, vt refert Petrus Dorlandus Carthusianus in tractatu, quem de nostra gloriosissima Anna composuit, & habetur in fine vitæ Christi a Lodolpho Saxonensi etiam Carthusiano descripta. Inquit enim Dorlandus: Annam nostram filiam fuisse Stollani, & Emerentianæ sanctorum coniugum, & quod Emerentiana procreata fuit (secundum sanctum Cyrillum) anno septuagesimo septimo ante incarnationem Christi, quæ semper in maxima Religione, & virtutū splendore, castitatis, & virginitatis præcipuè, vitam gessit, quoad vsque conuenit Religiosos viros in monte Carmelo habitantes, qui post longam ieiuniorum, & orationum præparationem debitam, tres eorum in spiritu rapti visionem huiusmodi acceperunt. Radicem videre pulcherrimam geminam ex ea arborem emittentem, è quarum altera natus est ramus speciosissimus, ex altera verò arbore nata est virga sanè pulchra, pulchriorem producens fructum, & florem: hac radice sic visa, audita est simul vox, dicens: Hæc radix est Emerentiana nostra magnę propagationi destinata; Qua re intellecta, virgo Deo, & parentibus obediens, Stollano viro iusto, & Deum timenti nupsit. Ex quo matrimonio, & ex radice Emerentianæ duæ frugiferæ arbores prodiere: altera fuit Sobe mater S. Elisabeth, & auia Præcursoris Baptistæ; altera verò arbor speciosior, nostra gloriosissima Anna mater sanctissimę Deiparæ Mariæ, & Christi auia.* Hæc ille.

Ex Petro Morales.

Stollanus, & Emerentiana.

Visio.

6 Perplures quoque nobiles alij auctores hanc reuelationem in scriptis suis commendarunt. Specialiter Ioannes de Robles Canonicus Regularis *in vita sanctæ Annæ*, Ioannes Cartagena Minorita *tom. 4. homil. lib. 7. homil. 1.* Syluester Marulus Cisterciens. *in Ocean. Relig. lib. 4.* Honuphrius Manescalcus *tom. 4. Concion. in Concion. B. Mariæ de monte Carmeli*, & ex nostris historicis Didacus de Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 2. cap. 13.* Thomas de Iesu *de Antiquitat. Carmeli lib. 1. cap. 15.* Franciscus Vaersius *in lib. cui titulus: Giardino de tesori spirituali della Religione Carmelitana*, Emmanuel Romanus *in Indice Alphabetico de antiq. Ordin.* Muñoz. *in Propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 1. cap. 3. art. 3.* Laurentius Cuperus *l. de vita S. Annę*, & alij.

Auctores.

7 Quibus iam præmissis dubitandi locus non superest, quin huiusmodi reuelatio inter eas referenda sit, quæ probabilem fidem, assensumque

Probabilem fidē meretur.

sensumque merentur. Cum enim tot doctorum virorum, qui ipsam retulerunt, calculo veluti firmetur, nec contra ipsam vel ex sacra Scriptura, traditione, aut Patribus aliquid extrahi possit, habeatque omnes conditiones, quas pro similibus visionibus comprobandis sacri Theologi assignare solent, vt discurrenti per singula compertum erit, proculdubio inter alias æquo iure solum piè credendas recenseri debet. Ad quod accedit, quod cum de huius temporis historia sacræ Litteræ nihil prodant; post Machabæorum namque gesta vsque ad Christum nullæ canonicæ extant scripturæ, & auctores Ethnici, ac prophani, qui huius æui historias texunt, non nisi Ethnica, & prophana tractent, Hebræi etiam Scriptores, Iosephus videlicet, & Gorionides nihil minus, quam de rebus huiusmodi ad Christum, & eius Matrem sanctissimam, aut parentes, vel consanguineos ipsius spectantibus agant, certè credendum videtur præfatis auctoribus doctis, & pijs, esto ea, quæ dicunt, in probatioribus historijs non reperiantur.

8 Emergunt tamen aliquot dubia pro maiori elucidatione examinanda. Primum est, qui sit iste sanctus Cyrillus Carmelita, qui primus eam litteris commendasse a prædictis auctoribus refertur. Et quidem Cyrilli solum nomine audito suspicari quis posset, eum fuisse Cyrillum illum Græcum Doctorem, ac Eremitam montis Carmeli, qui circa annum Christi 1200. vita, Prophetiæ dono, & diuinis illustrationibus in eo monte claruit (de quo in Apparatu cap. 10. diximus) & qui ex eius incolatu, quasi per manus acceptum a maioribus, nosse potuerit hanc visionem eo Montis Carmeli loco prędecessoribus a Deo manifestatam fuisse. Verumtamen cum in præfatis auctoribus expresse habeatur eum Cyrillum fuisse illum Alexandrinum, qui tempore Cælestini Papæ, & Concilij Ephesini mundi iubar erat, proculdubio alius eiusdem nominis quærendus non est. Quo autem titulo, quoue iure Carmelita vocetur, in secundo Annalium nostrorum Tomo pro posse ostendemus. Interim tamen vel relatis auctoribus credendum, vel saltem Ecclesiæ testimonio, cuius auctoritate sæpius, Diplomatibus Pontificijs, vel sacræ Congregationis Rituum decretis approbatum manet pro Ordine nostro officiũ eiusdem Cyrilli, in cuius lectione quarta habetur: In Carmelo monte *cum aliquot pijs hominibus illic degentibus, cęlestem vitam in terris aliquandiu egit.* Quis hic Cyrillus.

9 Maiorem difficultatem ingerere videtur, quod liber *de ortu seu natiuitate B. Virginis,* vel *sanctæ Annæ,* ex quo talis reuelatio desumpta dicitur, hucvsque incognitus sit, nec inter sancti Cyrilli Ale- Quis ille liber Cyrilli.

xandrini

xandrini opera relatus. Sed nec hoc magnum viris doctis scrupulum afferre poterit. Eis namque compertissimum est, plurima sanctorum Patrum scripta, tum temporum, tum hominum quorumdã iniuria omnino perijsse; alia diu latuisse, & ex tineis, & blattis, ipsisque tenebris studiosorum diligentia post multum tempus erutos luci commendatos fuisse. Et ne extera exempla requiramus, in hoc nostro Cyrillo Alexandrino, de quo est sermo, clarissimè id conspicitur. Etenim cum certissimum sit, ipsum duodecim libros in Ioannem scripsisse, nihilominus quatuor illorum, videlicet quintus, sextus, septimus, & octauus a multis annis desiderantur, ita vt a Iodoco Clictouæo adiecti fuerint, ex Chrysostomo, & alijs Patribus collecti. Scripsisse etiam dicitur Cyrillus in Prophetas, vt notat Bellarminus *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & tamen solùm in Isaiam Commentaria ipsius extant, & Homiliæ dictæ in Danielem, Oseam, & Abacuch, ac Commentaria in duodecim Prophetas minores in Bibliotheca Vaticana, vt ait Posseuinus, reseruata. Thesaurus etiam (eodem Bellarmino teste) creditur imperfectus, ita vt plura ex ipso perierint. Testante quoque Cassiodoro *in præloquio institutionis suæ diuinarum lectionum*, S. Cyrillus diuinam Scripturam ab initio vsque ad finem interpretatus est. Quæ tamen monumenta nullibi extant, *nisi quod* (vt ait Posseuinus) *subinde prodeunt nonnulla eiusdem Patris, quæ hactenus alibi delituerant*. Liber etiam alius nomine S. Cyrilli Alexandrini Romæ prodijt de plantarum, & animaliũ proprietate nuper ab Hieronymo Brunello Iesuita editus. Liber quoque cui titulus, *Apologi Morales S. Cyrilli* a Balthasario Corderio eiusdem Instituti editus, acumen, leporem, & grauitatem eiusdem S. Cyrilli redolet, vt notat Cornelius *in fine Commentariorum in Ecclesiasticum*. Demum eiusdem sancti Cyrilli Lexicon secundum Alphabetum extare Constantinopoli M. S. aliqui asseuerant. Quid ergo mirum, si dicamus hoc etiam opusculum cum alijs Cyrilli, quæ desiderantur, tempus absumpsisse, vel occultasse? Illud autem extitisse, nec commentitium esse auctores relati, qui ex ipso dictam reuelationem hausere, testimonium perhibent. Quibus iungitur Trithemius, qui in *opere de Scriptoribus Ecclesiasticis* inter Cyrilli opera hunc etiam librũ commemorat. Similiter idem Trithemius *in lib. de Laudibus S. Annæ cap. 6.* numerans eos, qui de sanctæ Annæ gestis scripserunt, hunc Cyrillum Alexandrinum commemorat. Ait enim: *S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus cultor quondam montis, & Ordinis Carmeli, cum de ortu B. Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ ad Cælestinum Papam scriberet; de vita, & conuersatione S. Annæ multa laudum præconia inseruit.*

Plures Cyrilli libri latent.

Extat

Extat hic liber opera Ioannis Busæi Iesuitæ editus Coloniæ 1624.

10 Difficile etiam in ea reuelatione videtur, quod de parentibus sanctæ Annæ, Stollano, & Emerentiana dicitur, vtpotè alijs historijs contrarium, in quibus aliter appellantur. Sed neque hoc magni ponderis argumentum est. Cum enim neque sacro Euangelio, aut alia canonica scriptura, Ecclesiæ definitione, traditione, Patrúvè consensu aliquid de sanctæ Annę parentibus habeatur proculdubio nihil certi de illis, eorumque nomine affirmari potest. Hinc in varias Auctores distrahuntur sententias. Quidam enim ex sancto Hippolyto martyre apud Nicephorum in *Ecclesiast. histor. lib. 2. cap. 3.* volunt S. Annæ parentes vocatos Mathan, & Mariam. Alij matris nomine suppresso Garizim patrem ipsius vocant ex quadam historia, quam apocrypham asserit Torniellus *sub anno* 4037. *num.* 4. Alij verò eiusdem Annæ patrem Isaac appellant, matris nomen non referentes. Ita enim habebatur olim in antiquo Carmelitano Breuiario anno 1495. Venetijs impresso, & ab Ordine reiecto. In tanta demum sententiarum varietate, nostra hæc reuelatio, & qui illam referunt, Stollanum, & Emerentianam parentes sanctę Annæ nuncupatos existimant. Quibus eo magis assentiendum videtur, quod vt apocryphæ reijciantur historiæ relatæ, in qua aliud nomen patri Annæ conceditur, & id, quod ex sancto Hippolyto adductum est, etsi maiorem fidem mereatur, vt propterea Baronius *in Apparatu ad to. 1. Annal.* ei cum alijs subscribat, nihilominus incertum quoque esse, vel ex ipsis verbis Hippolyti conijci datur. Eis enim asserit tres fuisse sorores Bethleemiticas, scilicet Mariam, Sobam, & Annam filias Mathan Sacerdotis, & Mariæ coniugis eius sub Cleopatrę, & Cassoparis Persæ Regno. Dubitari namque potest, & meritò, cur, cum de rebus ad Iudæos duntaxat spectantibus ageret, Cleopatræ Ægypti Reginæ, & Cassoparis Persæ Regis mentionem fecerit? Cur non potiùs Iudæorum summum Sacerdotem, aut Principem commemoratus fuit? Deinde esto propter aliquam causam horum extraneorum Principum recordari debuerit, vt habet Torniellus *sub anno* 3414. *num.* 10 certè valde incertum est, quis fuerit iste Cassoparis. Et si enim ipse Torniellus putet fuisse Pacorum Parthum, tamen nec nomen, nec gens, nec Regis officium ei conueniunt, vt habet Salianus *sub anno* 4016. *num.* 12. Quæ dicta sint non tam ad infirmandam huiusmodi Hippolyti verborum auctoritatem, si eam habet, quam ad ostendendum nihil certi in hac parte de parentibus Beatæ Annæ vsque modo haberi. Ac proinde inter dubia, incerta, & probabilia sustineri posse id, quod ex relata reuelatione adduximus, vocatos videlicet,

S. Annæ parentes.

Diuersorum opiniones.

Stollanus, & Emerentiana.

S. Hippolyti sententia.

delicet Stollanum, & Emerentianam. Quod etiam sequuntur doctissimus Ioannes Eckius *in serm. sanctæ Annæ*, Ioannes Trithemius *in Tract.* relato *de Laudib. sanctæ Annæ cap.6.* Alphonsus Villegas in *Flos sanctorum in vita sanctæ Annæ*, & alij.

Anni mundi 3977. vsque ad 3978. ante Christum 76. vsque ad 75.

1 VO isti vltimi anni fuerunt vitæ, & Principatus Alexandri Iannæi inter Iudæos. De morte autem ipsius, & qualiter Pharisæorum voluntati suum cadauer, & Regnum astutè commiserit, quidve ipsi egerint, vterque Iosephus latè scribit. Flauius quidem *lib. 13. Antiquit. cap. 21.* & Gorionides *lib. 4. cap. 13.* Rei summa est, quòd, cum morti vicinus vidisset Alexandram coniugem suam valde desolatam, ac corā se flentem, consuluerit ei, vt si vellet securè cum filijs Regnum obtinere, cum Ierosolymam rediret, Pharisæis, qui plurimum apud Iudæos auctoritate valebant, cadauer ipsius traderet, vt quod placeret, de ipso facerent, atque ex ipsorum sententia Regnum administraturum promitteret. Ita enim (dicebat) & tu securè dominaberis, & mihi magnificentior, quam a te sepultura parabitur. Quæ omnia cum Alexandra accuratè obseruasset, Pharisęos sibi ex infensis beneuolos reddidit, & ipsi progressi prædicabant plebi Alexandri res gestas, & Regem iustum se amisisse conquerentes, populum ad eum luctum, & mœstitiam prouocauerunt, vt nullum ante id tempus Regem sumptuosiùs funerauerint.

Iannæi mors. *Consilium datum Côiugi.*

2 Ex hac autem Pharisæorum pietate in cadauer Alexandri Regis ipsis infensi inimici roboratur id, quod *sub anno* 3807. diximus, eos scilicet ab Essenis ortum habuisse. Ea namque Essenam pietatem redolere videtur, de qua *sub anno* 3545. aliquid dictum est, maximè ex Iosepho *lib. 2. de bello cap. 7.* vbi inter alia, quæ illos adiurare, cum ad societatem admittuntur, dicit, vnum est, *neque propria sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse*. Cum tamen in huiusmodi Iudæorum Reipublicæ rumoribus numquam Esseni auditi fuerint, sed solum Pharisæi, colligi datur, quòd sicut illi præcursores fuerunt perfectorum Religiosorum Legis nouæ, qui soli Deo vacantes sui Instituti operibus assidui insistunt, sic & isti imperfectorum, qui terrenis rebus, & secularibus negocijs plus æquo implicantur.

Corollarium. *Pharisæi præcursores imperfectorum Religiosorum.*

Anni

Anni mundi 3979. vsque ad 3987. ante Christum 74. vsque ad 66.

1 IVDÆORVM Regni clauum moderabatur hoc toto tempore Alexandra Alexandri Iannæi iamdudum Regis, & Pontificis vidua, nec sine tumultibus propter superbiam Pharisæorum. Cum enim penes ipsos tota fermè Regni administratio esset, omnia ipsorum Instituta, quæ a Ioanne Hircano antiquata fuerant, denuo sanciebantur, & cædes perpetrabantur eorum, qui tempore Iannæi ipsis aduersarij extiterant. Fauebat autem inimicis ipsorum Aristobulus minor Alexandræ filius. Hircanus verò natu maior Pontificatum gerebat. Iosephus *lib. 13. Antiquit. cap. vlt. & lib. 1. de bello c. 4.* Alexandra. Pharisæorum superbia.

2 Dum autem Pharisæi Reipublicæ perturbationi suis corruptis moribus intendebant, Esseni è contra, a quibus Pharisæi, iuxta sui nominis etymon, diuisi, & separati erant, silentio, solitudini, scripturarum diuinarum meditationi, & Prophetarum imitationi assidui vacabant, vt propterea Christus Seruator, qui iam prope in ianuis erat, hoc eodem seculo natus, & cum hominibus conuersatus in Pharisæis multa, in Essenis autem nulla obiurgasset, iuxta dicta *sub anno* 3807. Non tamen omnino quietè eo tempore illos, qui Carmeli deserta incolebant, vitam duxisse, ex bellis, & tumultibus per proxima loca tunc grassantibus, conijci potest. Iosepho enim *vt supra* testante, Tigranes Armeniorum Rex cum incredibili militum copia Syriam inuasit, & Ptolemaidem Carmelo vicinam vrbem obsedit. Seleuce etiam aliàs Cleopatra Ægypti Regina aliquas Phœniciæ vrbes, ad quam Carmelus spectat, suo imperio subiecit. Essenorum exercitia. Rumores circa Carmelum

Anni mundi 3988. vsque ad 4005. ante Christum 65. vsque ad 48.

1 HOC annorum spatium, quod est inter Alexandrę Reginæ obitum, & Iulij Cæsaris Imperium simul coniungimus propter rerum Iudaicarum, Principumque Iudæorum confusionem, quæ eo tempore fuit. Primò ergo varios, qui tunc acciderunt, euentus, deinde (quæ ad nostros Annales proprius spectant) Essenorum gesta recensebimus. Alexandræ obitus.

2 Vix Alexandra è viuis excesserat, cum eius filius Aristobulus, qui

Aristobulus bellum infert fratri. qui, ipsa viuente, magnam Regni partem occupauerat, Hircano fratri maiori, & summo Pontifici, quem illa successorem constituerat, bellum inferre cœpit. Commisso autem ad Hericuntem prælio, cũ multi ex Hircani militibus ad Aristobulum confugissent, victor iseuasit. Actum deinde de pacis conditionibus inter fratres, & datis dexteris statutum, vt Aristobulo Regnum cederet, Hircanus autem vita priuata, ex proprijs facultatibus vitam ageret. Erat tunc Ierosolymis Antipater quidam Antipæ filius, & Herodis postea Regis pater, genere Idumæus, vel, vt alij, Ascalonita, fortunis diues, ac potens, natura tamen factiosus, & industrius, qui Hircano amicus, & Aristobulo infensus, occultis obtrectationibus seminabat inter fratres discordias, Iudæorum potentiores contra Aristobulum incitans, ac iniquum esse dictitans sinere eum quietè agere, qui regnum fratri natu maiori abstulisset. Pariter & Hircanum incitabat, subiungens etiam nec vitam illi in tuto esse, nisi matura fuga saluti suæ prospiceret, quòd Aristobuli amici de ipso è medio tollendo consultarent. Obtinuit tandem importunis suasionibus, vt ad Aretam Arabum Regem eum deferret, ageretque cum illo, vt in Iudææ Regnum restituere tentaret. Aretas ergo quinquaginta millibus militum instructus contra Aristobulum venit, prælio commisso vicit, fugauit, ac in Ierosolymitano Templo occlusum obsedit. Cum autem Scaurus Romanorum Dux a Pompeio missus in Iudęã venisset, & ad eum Legatos cũ muneribus pro ipsius auxilio postulando Aristobulus, & Hircanus misissent, ipseque Aristobulo fauisset, coacti sunt Hircanus, & Aretas obsidionem soluere Romani exercitus metu: quin eos post Aristobulus persequens, prælio vicit, multis illorum interfectis. Veniens postea Pompeius in Iudæam, inter fratres arbiter factus, & ex eorum rixis occasionem nactus, Ierosolymitanum Templum obsedit, ingressus prophanauit, Pontificatum Hircano detulit, Ierosolymam Romanis stipendiariam fecit, muros eius euertit, & vrbes, quas Iudæi in Cælesyria sibi subiugauerant, illis ademptas proprio Præsidi parere iussit. Romam quoque properans, Aristobulum vinctum cum duabus filiabus, totidemque filijs, quorum vnus Alexander in itinere aufugit, secum abduxit. Hic porrò Alexander Iudæam, & Hircanum valde incursionibus exercuit, donec a Gabinio Romanorum Duce superatus, & in castello *Alexandrio* dicto inclusus, veniam petere coactus fuit. Interim Aristobulus Roma profugus in Iudæam veniens, & cum Romanis male pugnans, iterum ab eisdem captus Romam remittitur, ac vinculis mancipatur. Post hæc M. Crassus alius

Antipater Herodis genitor.

Perturbat pacem.

Pompeius in Iudæa.

Aristobulus Roma profugus.

alius Romanornm Dux in Iudæam veniens, Ierosolymitanum Templum adijt, & pecuniam, quam Pompeius piè non tetigerat, impiè surripuit cum toto pariter auro, quod ibi reperit, ac aurea trabe immensi pretij. Orto deinde summo illo, maximoque ciuili bello inter Iulium Cæsarem, & Pompeium, Cæsar Aristobulum solutis vinculis in Iudęam mittere decreuit, etsi a Pompeianis veneno sublatus, spe, vitaque frustratur. Nec multo post Alexandrum eiusdem Aristobuli filium, Scipio, cui eodem tempore Syria obuenerat, in Antiochia, mandante Pompeio securi, percuti iussit, eo quòd aliquoties a Romanis rebellasset. Frater verò eius Antigonus cum duabus sororibus apud Ptolemæum Mennæum Chalcidis (vrbs est Libani) Dynastam se recepit. Et Philippus dicti Ptolemæi filius alteram illarum nomine Alexandram duxit vxorem. Sed mox Ptolemæus, perempto filio, eam sibi matrimonio iunxit, huiusque affinitatis gratia germanorum curam habebat. De his plura Iosephus *lib. 14. antiquit. c. 1. 2. 3. 4. & sequentibus, & lib. 1. de bello cap. 4. 5. & sequentibus.* Varij eius casus.

3 Quod ad Essenos nostros attinet, illud pro comperto videtur esse, vt in huiusmodi communibus Iudæorum Reipublicæ turbinibus, eorum quoque quies valde fluctuaret. Bellici enim illi tumultus, quos Hircanus, & Aristobulus dimicantes circa Ierichuntinam Regionem excitarunt, obices proculdubio erant pacifico eorum Instituto, qui in illis desertis morabantur. Bellum quoque illud ab Areta Arabe contra Iudęos susceptum, sacrique Ierosolymitani Templi obsidionem ab ipso tentatam, quis refragabitur incommoda attulisse grauia illis, qui soli Deo, & Templi obsequijs assiduè, vtpote ex Assidæis, incumbebant? Quod certius suspicari possumus euenisse, dum idem Templum a Pompeio, & Crasso Romanis ducibus sacrilegè prophanabatur. Nec incongruè etiam affirmari potest in huiusmodi Romanorum exercituum in Iudæam, & sanctam ciuitatem inuasionibus contigisse id, quod Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Institut. Monachorum cap. 3.* accidisse refert; plures videlicet promiscui sexus ex Iudæis has oppressiones a Gentilibus Dei populo illatas ferre non valentes, propriam patriam reliquisse, & in alias regiones ad habitandum properasse, quorum filios in exteris illis Regionibus natos postea Ierosolymam, & Iudæam tempore pacis, & tranquillitatis reuersos, Prophetici Ordinis professoribus adiunctos, eorum Institutum recepisse. De hoc tamen aliàs in sequentibus. Essenorum quies fluctuat. Templum a Pompeio, & Crasso prophanatur. Ioan. Ierosolymitanus.

4 Erat tamen tempore hoc inter Essenos vnus celebris, vitę probitate insignis, & Prophetiæ spiritu valde clarus, Manachemus nomine, Manachemus celebris Essenus.

mine, qui Herodi tunc puero, vel adolescenti, Antipatri, de quo supra, filio (natus enim creditur sub anno mundi 3982. prout ex Iosepho eliciunt Torniellus, & Salianus *ibidem*) Regnum, Regni diuturnitatem, & felicitatem, simulque obliuionem pietatis, & æquitatis, aliaque ipsius peccata futura prænunciauit. Casum ex Iosepho *lib. 15. Antiquit. cap. 13.* sic damus: *Quidam Essenorum nomine Manachemus fuit per omnem vitam benigna voluntate probatus, præscientiam a Deo futurorum habens. Is dum adhuc Herodem puerum ad Doctores pergentem vidisset, vt Regem Iudæorum salutauit: qui illusum se putans, commonebat eum sermone adhuc priuatus, Manachemus hic ridens, & feriens manu posteriora eius: Regnabis, inquit, feliciter, nam iam a Deo dignus iudicatus es, & recole Manachemi plagas, vt hoc tibi sit signum de peccatis in regno committendis: nam optima est ratio, si iustitiam, & Dei pietatem dilexeris, & modestiam circa ciues habueris, sed non talem te futurum intellige, dum omnia cognoscam. Felicitate namque omnes præcelles, & habebis gloriam æternam, obliuionem verò pietatis, & æquitatis possidebis. Hæc non latebunt Deum in vltimo vitæ pro tuo facinore.* Subiungit Iosephus: *Quibus statim nullatenus animum intendit, dum spes Herodi deesset*, intellige, Regni adipiscendi. Meminit huius Manachemi Esseni Bergomensis *in Compend. lib. 8. circa ann. Christi 30.* licet malè dicat, hunc Herodem, cui talia prędixit, fuisse Herodem Antipam, non enim fuit, nisi Herodes iste antiquior Antipatri filius, vt diximus. De eo etiam Palęonydorus *lib. 1. c. 5.* loquitur, Prophetam dicens, & quod tempora Herodis maioris, & Antipatri eius genitoris decorauerit, ac quod causa ipsius Rex omnem Carmeli familiam honorificè tractauerit; de quo nos in sequentibus. Serarius etiam hunc quoque Manachemum Essenum commemorat, & inter Prophetas Iudæorum refert.

Casus ex Iosepho.

Herodis pueritia.

Præsagium de Herodis moribus.

5 Maximè verò Iosephus alter Gorionis filius *lib. 5. Historiarum Iudaicarum cap. 23. in fine*, eum vocat Manahem, & dicit, quod fuit *vir iustus, & sapiens*. Deinde *cap. 24. sequenti* sic de eo scribit: *Non autem fuerunt sapientiores homines in mundo, quam fuerit populus Domini, nec regnauit sapientia in alio populo, quam in populo Dei. Id quod facile agnoscent, & deprehendent cunctæ gentes in memorato Manahem, in quo fuit eximia sapientia, sicut & in alijs Israelitis collegis eius. Nam cum esset Herodes iuuenis, & discendi gratia veniret ad sapientes, Manahem autem sederet in loco seniorum, atque eorum, qui decernebant iustitiam, videns puerum, incuruauit se coram eo, & ait: Viuat Rex. Rex putans se irridere a Manahem, maledixit sapienti. Sapiens verò apprehendens eum percussit cum manu sua in fimbrijs eius, more puerorum, qui se se inuicem.*

Ex Gorionide.

Herodes iuuenis.

inuicem percutiunt, & ait: Regnabis in diuitijs multis, & magnis, & magnificabitur valde Regnum in populo Domini. Cumque sederis in solio Regni tui, recordare percussionis istius, qua te percussi, quia signum scelerum, & iniquitatum, quas perpetrabis, facturus plurima mala, tametsi bona quoque facturus sis. Audi propterea vocem meam, & prosequere ea, quæ recta sunt, quæ autem peruersa, dimitte. Sed frustra arguo te bis verbis, videns, quod futurum sit, nam non cessabis mala facere. Flens itaque Manahem apprehendit eum iterum, & percussit eum in fimbrijs eius. Commotus autem puer ad fletum, abijt in viam suam. Hęc iste Gorionides. Plura etiam de isto Manahemo habet Drusius *in lib. de tribus sectis Iudæorum lib. 4. cap. 3.* Plura nos quoque in sequentibus. Prædictio Manachei.

6 Solum sub hoc tempore Herodis videtur Baronius *tom. 1. Annal. sub anno Christi 64. § verum.* agnouisse in mundo Essenos: *Nulla enim* (inquit) *antiquior apud Iosephum de ipsis habetur memoria.* Sed quantum in hoc deficiat grauissimus auctor, ex his, quæ *in Apparatu cap. 7.* & *sub anno 3545.* diximus, liquidò comprobatur. Ibi enim ostendimus antiquissimos fuisse inter Iudæos, vtpote non solum ex vetustissimis Cinæis, sed & eosdem cum Assidæis, & Rechabitis, seu filijs Prophetarum. Esto etiam, quòd adeo vetustum ipsorum Institutum non esset, mirum sanè est, quod cum apud Iosephum *lib. 13. antiquit. cap. 18.* & *lib. 1. de bello cap. 3.* sermo sit de alio Esseno, *Iuda* nomine, de quo *sub anno 3920.* diximus, & qui tempore Ioannis Hircani a multis annis in Iudæa vixit, nihilominus Baronius asserat nullam ante Herodis tempus antiquiorem a Iosepho de ipsis memoriam haberi. Omittimus de vtroque Esseno, Iuda, & Manachemo mentionem facere tam Iosephum, quam alios, qui de ipsis loquuntur, tanquam de sectatoribus peruetusti cuiusdam Instituti, non noui, aut recentioris. Baronij placitum. Impugnatur.

7 Ex eo autem, quod Iosephus astruat huiusmodi nostrum Manachemum Essenum futura prædixisse Herodi puero, cum constet effectu ipso vera comprobata fuisse, elicitur verum quoque esse id, quod nos in superioribus diximus, numquam a Prophetico Ordine spiritum Propheticum defecisse. Verum quoque id, quod & notauit idem Iosephus *in fine dicti cap. 13.* nec caruisse Iudæorum fidelem plebem vllo tempore hac notionis futurorum gratia, prout etiam aliàs notauimus. Spiritus Propheticus an defecerit.

8 Nec incongruè ex eo, quod Herodem puerum, quo tempore ad scholas studij gratia pergebat, tam familiariter Essenus iste allocutus fuerit, terga manu percusserit, totque ipsi euentura bona, & mala domesticè prædixerit, suspicandi locus datur, vt credamus Herodes educatus ab Essenis.

puerum Herodem in ipsa Essenorum schola educatũ fuisse, vt propterea facilè hęc cum illo fieri possent. Ad quod accedit, quod iuxta dicenda *sub anno* 4053. *num.* 13. Essenis mos erat, sicut & filijs Prophetarum, vt extraneorum filios veluti proprios bonis litteris imbuendos susciperent, quod facile credi potest in casu præsenti. Idque maximè confirmant alterius Iosephi, Gorionidis scilicet, verba illa relata superius: *Cum esset Herodes iuuenis, & discendi gratia veniret ad sapientes; Menahem autem sederet in loco seniorum, atque eorum, qui decernebant iustitiam, videns puerum incuruauit se coram eo, & ait: Viuat Rex*, &c. His enim clarius demonstratur Herodem apud hunc, & alios Essenos, hic vocatos *Sapientes*, studij gratia aduentasse.

Gorionidis verba.

Ortus S. Elisabeth.

9 Necesse est affirmare S. Elisabetham sanctissimi Ioannis Præcursoris Christi genitricem circa id tempus, annum videlicet 3988. natam fuisse. Cuius historiam nobis extraneam non credimus, nedum quia mater Ioannis Baptistæ eximij Eliani, & Prophetici Ordinis sectatoris, vt sub anno 4053. ostendemus, sed & quia ipsa cum filio inter Essenos Eremitas ipsorum Institutum, & Essenam vitam per aliquod tempus in desertis egerit iuxta dicenda *sub eodem anno* 4053. Ipsius porrò ortum in hoc tempus referimus, quod iuxta Euangelicam historiam *Luc.* 1. Angelus de ea dixerit: *Concepit filium in senectute sua*. Cum ergo id actum sit circa annum 4051. vt ibi dicetur, vt verum teneat in senectute concepisse, cogimur affirmare eo tempore quinquagenariam circiter fuisse, ac proinde annorum computo retrogrado circa tempus præsens ortam.

Annus mundi 4006. ante Christum 47.

Iulius Cæsar Orbis caput.

1 
VRE hic annus sigillatim recensendus venit, quod ipsius historiam singularissima sit. Eo enim tempore orbis ferme totus vnum supremum caput, & cõmunem Principem C. Iulium Cęsarem veluti miratus agnouit. Is post Prætoris, & Consulatus Romæ munia gesta, Galliam obtentam, Belgium superatum, Germaniam deuictam, Hispaniam receptam, ac Italiam occupatam, Pompeium, qui non minori felicitate ex Africa triumphauerat, Hispaniam obtinuerat, Syriam subiugauerat, Iudæam præsertim Romano Imperio subiecerat, superauit, fugauit, ac in Ægyptum, vbi dolosè interemptus est, secedere coegit, primique Romanorum Imperatorum, a quo alij Cęsares dicti, sibi nomen ambitiosè arrogauit. Sub

hoc

hoc anno rem accidisse cum Eusebio *in Chronic.* Saliano, & alijs existimamus.

2 Impletum præterea est illud a tot iam ante seculis a Daniele Prophetæ Nabuchodonosori pronunciatum *c. 2. vers.* 40. suæ Prophetiæ. De quo etiam *sub anno* 3453. diximus: *Et Regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc.* Etenim Romanorum Imperium, quod a Iulio Cæsare Imperatore tunc veluti enascebatur, & quartum Regnum, ordine scilicet temporis, vocatur, omnia, quæ Chaldæorum, Persarum, & Græcorum Monarchiæ (quæ sunt tria Regna a Daniele ea prophetia designata) possederant, domans, conterens, & comminuens, suæ ditioni subiecit. Sed quia vna veluti sola Ægypti prouincia desiderabatur, eam Cæsar armis inuasit, Regem occidit, Cleopatram loco fratris Reginam constituens. Appianus *lib. 2. de bellis ciuilibus*, Eutropius *lib. 6. Rom. Histor.* Oros. *lib. 6. c.* 15. 16. & alij.

Danielis Prophetia impleta.

Romanum Imperium.

3 Interim Iudææ, & nostrorum Essenorum ibi commorantium res quietiùs gerebantur. Cum enim, victo, & mortuo Pompeio, Antipater Herodis pater in Cæsaris clientelam se contulisset, & in Ægyptiaco bello multis in rebus eidem opem attulisset, de Hircani summi Sacerdotis mandato, Cæsar vicissi n transiens per Iudæam contra Pharnacem Ponti Regem dimicaturus (quod adeo feliciter, & celeriter fecit, vt tunc dixerit illud: *Veni, vidi, vici.*) Antipatrum multis immunitatibus donauit, Iudææ Procuratorem fecit, & auctoritatem reficiendi mœnia Ierosolymæ, quæ Pompeius euerterat, concessit, ac Hircano Pontificatum confirmauit. Iosephus 1. *de bello cap.* 7. & 8. & *lib.* 14. *antiquit. cap* 14. 15. & 16. Appianus, *vt supra*, Sigon. *in fastis*, & alij. Meritò proinde, vt diximus, existimandum hoc pacis, & tranquillitatis Iudaicæ tempore Essenos diuino cultui, puerorum educationi, alijsque pietatis operibus sibi de more solitis expeditiùs vacasse.

Quid de Essenis.

Anni mundi 4007. vsque ad 4010. ante Christum 46. vsque ad 43.

1 ÆSARIS fortuna his annis ad supremum euecta, pondere tandem suo veluti oppressa impetuosè concidit. Cum enim ille post Pompeij mortem pluribus in Vrbe priuilegijs, & honoribus decoratus, Pompeianos tum in Africa, tum in Hispania compressisset, diadema illi oblatum non sincerè reiecisset, Senatui ad se venienti non assurrexisset, Regis nomen Romanis odiosissimum, quin & honores veluti diuinos ipsi fieri non recusasset, adeo plurium odiũ, & inuidiam excitauit, vt a coniuratis (inter quos primi erant Cassius, & Brutus) tribus, & viginti plagis confossus in Senatu inter fectus fuerit. Appianus *lib. 2. de bellis ciuilibus*, Plutarchus *in vita Cæsaris*. Eutropius *lib. 6.* & alij.

Cæsar interfectus.

2 Eo autem tempore Iudaicus populus, & Essenorum Collegium in eo existens in pace versabatur, sub regimine Antipatri prouinciæ Procuratoris a Cęsare constituti. Is enim ante omnia, disiecta per Pompeium Ierosolymæ vrbis mœnia restituit, & Regionem obeundo, nouarum rerum cupidos sanioribus consilijs, minisque compescuit. Cum autem Herodi filio Galilæam curandam commiserit, prout ex Iosepho *lib. 14. antiquit. cap. 18.* alij depromunt, credibile valde est in ea prouincia, Carmelo maximè eidem finitimo, commorantes Essenos piè Herodem fouisse, fauoribusque protexisse, vel memorem, quòd ipsorum discipulus esset, iuxta dicta in superioribus. Hoc enim ex ijs, quæ postea Rex factus gessit, & in sequentibus recensebimus, conijci potest.

Antipater Procurator.

Anni mundi 4011. vsque ad 4014. ante Christum 42. vsque ad 39.

1 B hoc tempore initium Principatus Octauiani Cæsaris Augusti desumendum est. Post Iulij namque Cæsaris necem cũ in filium ab ipso in testamento adoptatus esset (erat autem ex filia sororis nepos) Cæsaris nomen assumpsit, & heredem illius esse professus est. Consulatum deinde petijt, & obtinuit, Iulij percussores damnari curauit, ac M. Antonio gratia, & affinitate coniunctus, cum ipso, & Lepido triumuiratum constituit. Diuiso postea cum Antonio Romano

Augusti Cæsaris Imperiũ

Gesta illius.

mano Imperio, illud cum ipso primùm, deinde solus gubernauit per multos annos, & inter alia felicissimus, quod eius Imperij tempore Redemptor noster Iesus Christus inter homines nasci dignatus est. De ipso multa Romanarum rerum scriptores; specialiter Appianus, Dio, & Plutarchus.

2 Ciceronis Latinorum eloquentissimi obitus eodem quoque tempore contigit. Clarissimus hic vir vtramque fortunam expertus, nunc Consul, nunc Patronus, nunc etiam Imperator appellatus, ab inimicis calumnias perpessus, patria, bonis, honore, ipsaque vita ætatis anno 64. priuatus occubuit. De ipsius gestis plena sunt Scriptorum monumenta, Plutarchi præsertim *in eius vita:* Appiani *lib.* 4. Vellæi *lib.* 2. quæ collegit Marcus Duran. *in eius historia.* Ciceronis mors.

3 Iudæa interim, Ierosolyma, & Carmelus noster bellorum turbinibus, ac tumultibus agitabantur. Cum enim Antigonus Aristobuli quondam Iudæorum Regis filius paternum Regnum contra Hircanum patruum summum Sacerdotem, & Herodem, qui illi fauebat, affectaret, locus datus est ijs domesticis bellis, & vt Parthi Syriã inuaderent. Horum ergo Dux vnus a Pacoro Regis filio in Iudæam missus Carmelum depopulatus est, vt habet Iosephus *lib.* 1. *de bello cap.* 11. quo non mediocria Carmeli pios nostros Eremitas sustinuisse damna, vel ex eo, quod hæc inuasio ab hostibus Iudæorum, & Ethnicis facta sit, plus æquo colligi datur. Subiungit idem Iosephus *lib.* 14. *antiquitat. cap.* 22. quosdam Iudæorum è Carmelo monte venisse ad Antigonum paratos ad auxilia ipsi ferenda, & eorum auxilio Ierosolymam ingressum fuisse. De quibus iure dubitari potest, quinam ipsi fuerint. Non enim congruè credi videtur, ipsosmet eiusdem Carmeli Anachoretas, Prophetarum Eliæ, & Elisęi discipulos, vel Essenos huiusmodi bellicis actibus affuisse; præsertim cum Antigoni intentio ea videretur esse, vt Hircanus summus Pontifex a sede deponeretur; sed potius existimandum, fuisse vulgares alios Iudæorum Carmeli vicinarum vrbium, Dora præsertim, de qua *sub anno* 3012. diximus, incolas, & habitatores. Sed nec hoc conuincit intentum. Cum enim Assidęi, qui eiusdem cum Essenis Instituti erant, iuxta dicta *sub anno* 3847. bella Machabæorum tempore gessisse describantur, 1. *Machabæorum* 4. *vers.* 42. 1. *Machabæorum* 7. *vers.* 13. & 2. *Machabæorum* 14. *vers.* 6. de quo & nos in superioribus egimus, probabiliter etiam dici potest, ipsos quoque Carmeli Eremitas Essenos, vel Assidæos Antigoni partes non contra Hircanum Pontificem, sed contra Herodem, & Phaseolum fratrem suum tuendas suscepisse, quod crederent ipsi Regnum iure deberi,

Ierosolyma, & Carmelus bellis agitabantur.

Quinam hi fuerint.

beri, ac proinde ex eis fuisse Iudæos illos, quos è Carmelo monte Antigono auxilia præbituros descendisse, a Iosepho notatur.

Prædictio Manachemi. Adimpleri incipiebat hoc eodem tempore prædictio prophetica Manachemi illius Esseni, de quo *sub anno* 3988. dictum, quæ Herodi tunc iuueni Regem Iudæorum futurum prænunciauit. Cum enim Herodes post multa prælia feliciter commissa, & alia, quæ ipsi non ita ad placitum contigerunt, præsidij inueniendi causa, primùm ad Malchum Arabum Regem, deinde ad Cleopatram Ægypti Reginam, ac tandem Romam confugisset, ibique tum Antonio, tum Cæsari labores, quos tulerat, & quæ contra ipsum Antigonus egerat, enarrasset, Antonij prius, deinde Cæsaris animos sic ad commiserationem commouit, accedente odio, quo Romani Antigonum prosequebantur, vt eum in Senatu Iudæorum Regem commendarent, & crearent, ac postea inter Antonium, & Cæsarem medium in Capitolium Religionis ergò deducerent, conuiuioque exciperent, de nouo Regno congratulantes. De quo Iosephus *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 23. & *lib.* 1. *de bello cap.* 11. Gorionides *lib.* 5. *cap.* 11. (Herodis gesta.)

5 Venit post hæc Herodes ex Italia Ptolemaidem, collectisque non mediocribus copijs, tum ex conductitio, tum ex suæ gentis militibus properabat per Galilæam contra Antigonum. Vnde quotidie eius vires crescebant; præsertim cum tota fermè Galilæa eidem se tradidisset, vt habet Iosephus *d. lib.* 14. *cap.* 24. Colligi inde potest Carmeli incolas Ptolemaidi confines armis inuasisse, eisque damna aliquot intulisse, vel eo prætextu, quod Antigono aduersario ipsius opem præstitissent ad obsidionem Ierosolymæ. (Venit Ptolemaidem.)

6 Eodem tempore circa annum videlicet 4014. vel 4015. ex occasione cuiusdam tributi ab Augusto Cæsare Hispanis impositi cœpta est noua ratio computandi tempora, quę vocatur Æra Cæsaris, vel ab *Aere*, quod soluebatur, vel (vt alij volunt) ab *Hera*, idest dominatione ipsius Cæsaris, vel (vt quidam putant) ab ijs litteris *A. ER. A.* idest, Anni erant Augusti. Vtcumq; sit, hæc Æra cœpit 38. annis ante Christi natiuitatem. De ea Genebrardus *sub finem lib.* 2. *suæ Chronolog.* Scaliger *lib.* 5. *de emendat. temp. cap. de æra Hispanica*, & Torniellus *sub anno* 4014. *num.* 2. (Incipit Aera Cæsaris.)

Anni

Anni mundi 4015. vsque ad 4018. ante Christum 38. vsque ad 35.

1 VANTVMVIS Herodes a Senatu Romano in Regem Iudæorum, vt diximus, institutus fuisset, at vt actu possideret Regnum, necesse illi fuit armis cōtra Antigonum procedere, & Ierosolymam expugnare, prout feliciter egit Romanorum auxilio confortatus. Antigonus enim captus est, ad Antonium perductus, & postea occisus: vrbs etiam, ingenti hominum cæde facta, in ipsius potestatem venit. Sicque Machabæorum stirps in Iudææ Regno defuit, Herode Romanorum potentia intruso. Iosephus *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 24. 25. 26. *&* 1. *de bello cap.* 12. *&* 13. Herodis Regnum.

2 Ex ijs liquido constat Manachemi Esseni prædictionem de Herodis Regno, de qua *sub anno* 3988. diximus, & quam Iosephus *lib.* 15. *Antiquit. cap.* 13. illis verbis comprehendit: *Regnabis feliciter, nam iam a Deo dignus indicatus es*, verissimam fuisse, siquidem Regnum iam quietè possidere sub hoc tempore cœpit. Cœpisse autem *feliciter* regnare, vel ex duplici casu, qui illi contigit, conijci datur. Primò enim de repentina cuiusdam triclinij ruina, in quo fuerat cōuiuatus, mirabiliter ereptus est; deinde, dum se in quodam cubiculo lauaret, a tribus militibus, qui eum nudum interficere possent, mirabili etiam Dei prouidentia vitæ discrimen euasit. Iosephus *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 25. Gorionides *lib.* 5. *cap.* 11. *&* 12. Manachemi prædictio.

3 Habetur etiam veram quoque fuisse eiusdem Manachemi prædictionem, quam eidem Herodi manifestauit, dum dixit dicto *cap.* 13. *lib.* 15 apud Iosephum: *Recole Manachemi plagas, vt hoc tibi sit signum de peccatis in Regno committendis: nam optima est ratio, si iustitiam, & Dei pietatem dilexeris, & modestiam circa ciues habueris; sed non talem te futurum intelligo, dum omnia cognoscam. Felicitate namque omnes praecelles, & habebis gloriam aeternam, obliuionem vero pietatis, & aequitatis*. Et apud Gorionidem *lib.* 5. *cap.* 24. sic: *Recordare percussionis istius, qua te percussi, quia signum scelerum, & iniquitatum, quas perpetrabis*. Hæc enim omnia adimpleri incipiebant, his etiam primis Regni annis. Plura enim tunc mala commisit, quę idem Iosephus *lib.* 15. *Antiquit. cap.* 1. sic recensuit: *Cum autem totius Iudaeę Principatum Herodes sumpsisset, quantoscunque priuatos sui fautores inuenit, in dignitatibus eos constituit; illos autem, qui contraria elegerant, non destitit tormentis singulis diebus afficere*. In quo tum crudelitas, Verificabatur Herodis gesta

tum

tum acceptionis personarum vitium cernebantur. Deinde (prosequitur Iosephus) *cum Ierosolymam venisset Herodes, omnem ornatum ciuium auferens in aula colligebat. Ex quo multum pondus argenti, & auri Antonio, vel amicis eius donabat. Interfecit autem quadraginta quinque Primates partis Antigoni: nam & custodes per portas muri disposuerat, ne quid deportari posset cum defunctis. Cadauera verò dum exeuterentur, siquid argenti, vel auri, vel aliud necessarium fuisset inuentum, Regi ferebatur. Nullus verò malorum terminus erat, nam auaritia Rectoris malè conquisita deteriùs expendebat.* In quibus etiam nedum Herodis auaritia, sed & eius sęuitia ostendebatur.

Accersijt Manachemum.

4 Dubitari autem potest, an illud, quod ipse Iosephus *d. lib.* 15. *cap.* 13. subiunxit de Herode, & Manachemo Esseno, videlicet: *Paulatim verò cum eleuatus vsque ad Regnum fuisset, & feliciter Principatum egisset, accersijt Manachemum, & de tempore, quantum regnaret, consuluit eum*, &c. his prioribus annis Regni ipsius euenerit? Dubitandi namque ansam præbet, quod alter Iosephus, Gorionides videlicet, qui *lib.* 5. *cap.* 24. eamdem historiam refert, hoc contigisse dicat anno decimo octauo Regni Herodis, non igitur hoc tempore. Si autem dicatur cum Gorionide, decimo octauo Regni Herodis anno id factum esse, contra historiæ veritatem videtur, sic enim Herodes vltra quadraginta & octo annos regnasset, siquidem Gorionides dicit eo anno decimo octauo dixisse Manachemum Herodi interroganti, si adhuc regnaturus esset? *Decem etiam, viginti, immo triginta, & vltra.* Triginta enim & vltra supra decem & octo plusquam quadraginta & octo efficiunt; quod, vt diximus, veritati aduersatur, cum primo Christi anno Herodes mortuus fuerit, vt eo tempore dicetur.

Iosephus probatur.

5 In re ergo dubia arbitrari possumus Flauium Iosephum veritati conformiùs loqui, dum hoc primùm tempore Regni Herodis prædicta indicat contigisse. Idque suadet Herodis ingenium, & ambitio, quæ duo, accedente etiam plagarum inflictione, dum puer esset, procul dubio memorem eum facerent prædictionis Manachemi Esseni ipsi Regnum promittentis. Neque enim solent homines in re tanti apud ipsos momenti immemores esse. Quid ergo tunc acciderit, eodem Flauio teste, sic habemus. *Accersijt* (scilicet Herodes) *Manachemum, & de tempore quantum regnaret, consuluit eum. Manachemus autem cum omnino nihil respondisset, sed tacuisset, interrogauit eum; si decem tantum anni Regni sui essent; respondit: Et viginti, & triginta, sed finem non addidit. Herodes autem his contentus Manachemum cum honore dimisit.*

Conse-

5 Consequenter etiam id, quod idē Iosephus subiunxit, hoc quoque tempore principij Regni Herodis accidisse existimandum · *Omnes Essenos propter illum* (videlicet Manachemum) *honorauit*. Quod & tenet Drusius *de tribus sectis Iudaeorum lib.* 4. *cap.* 3. Idem etiam sequitur Bergomensis *circa annum Christi* 30. dicens: *Hos Essenos, seu Esseos propter Manachemum quemdam inter eos virum sanctum Herodes Antipas* (fallitur in hoc, quia non fuit hic Herodes Antipas) *dum vixit honorauit*. Et Palaeonydorus *lib.* 1. *cap.* 5. dicens de ipso: *Ob quem Rex omnem Carmeli familiam honorificè tractauit*. Estque id valde credibile, cum eodem Iosepho *lib.* 15. *cap.* 1. testante, etiam Pharisaei, Pollio videlicet, & Sumaeus apud ipsum honorarentur: cur ergo non Esseni, qui probiores, & sanctiores Pharisaeis erant, & per consequens aptiores ad intentum Herodis, quod erat de sui Regni conseruatione? Immò ex verbis Palçonydori habemus etiam Essenos, seu filios Prophetarum in Carmelo Eremitas, quantumuis ipsi infensi fuissent, & Antigoni fautores, iuxta dicta *sub anno* 4011. honorificè tractasse. Esseni honorati ab Herode

Anni mundi 4019. & 4020. ante Christum 34. & 33.



1 HOS duos annos idcirco in vnum coniungimus, quia pro vno, vel altero ipsorum ortus creditur S. Iacobus Alphaei, frater Domini appellatus, vnus ex Christi Apostolis, & inter Essenos, seu Rechabitas illius temporis clarissimus putatus, vt dicemus: vt proinde ipsius historia ad nostros Annales propriè spectet. Hoc autem tempore natum communiter scriptores tenere debent, cum concorditer etiam astruant animam Deo reddidisse nonaginta sex annos natus, septimo Neronis anno, prout ex Breuiarijs Romano, & Carmelitano habetur. Septimus namque Neronis annus sexagesimo tertio Christi correspondet, cui si adiungantur triginta tres, vel triginta quatuor, qui ab hoc tempote vsque ad Christi ortum numerantur, praedictus nonagesimus sextus aetatis annus efficietur. Verum quidem est plura esse difficilia valde in his, quae de hoc Iacobo dicuntur, si hoc tempore, cum communi sententia, natus credatur. Primùm, quod frater Domini appellatus sit: si enim dicatur talem nuncupatum, quia Beatissimae Virginis filius extiterit, putidissimum mendum id erit contra Deiparae perpetuam virginitatem sępissimè ab Ecclesia eliminatum. Omittimus etiam, nec fratrem Domini S. Iacobus Alphaei. Circa hoc tēpus natus.

appel-

appellari potuisse, quia filius fuerit S. Iosephi patris putatiui Christi. Etsi enim hoc placuerit aliquibus Patribus, præsertim Hippolyto, Origeni, Hilario, Epiphanio, & alijs; cum Hieronymo tamen Ecclesiæ lumine, & plerisque ipsius sectatoribus perpetuò virginem Iosephum censemus, vt & sic aptior virginitatis sanctissimæ Deiparæ custos diceretur. Sin verò id dictum credatur, quia consobrinus Christi fuerit, prout communiter dicitur, filius videlicet Mariæ sororis germanæ sanctissimæ Dei Genitricis, & filiæ sanctæ Annæ, & alterius mariti (quod ipsa tres successiuè maritos habuerit, ex eoque tres *Mariæ* nomine vocatas filias genuisset, in nouas tricas descendimus, cum hoc communiùs Doctores reijciant, quia nec sanctæ Annæ honestati, nec veræ historiæ id congruere existimant. Sunt enim aliqui, qui hanc opinionem de tribus maritis, & filiabus sanctę Annæ vulgarem appellant. In quo certè falluntur, cum Auctores, qui illam tuentur, videlicet Glossa ordinar. *sup. cap.* 1. *epist. ad Galatas*. Hugo Victorinus *ibidem*. D. Anton. 1. *p. histor.* Magister historiæ in *Histor. Euangel. cap.* 42. Ludolphus *de vita Christi cap.* 5. Ecchius *in sermon. sanctæ Annæ*, Petrus de Natalibus *in Catalogo*, & alij vulgares non sint, præsertim cum eisdem faueant ex Patribus, Hieronym. *Matth.* 12. *& contra Heluidium*, Isidorus *in lib. de vita, & morte sanctorum*, Theodoret. *ad Galat.* 1. Beda *Luc.* 6. & alij. Præterea si frater Domini hic Iacobus vocetur, quia etsi nec vere frater, nec consobrinus, sed tantum consanguineus fuerit, cum nullus alius consanguinitatis gradus illi aptiùs competere possit, nisi quod filius fuerit Mariæ Cleophæ, quæ *Ioann.* 19. vocatur soror consobrina ipsius, & quæ ex Alphæo viro Iacobum genuerit, prout Torniellus *sub anno* 4037. habet, certè dubium restat, cur Iacobus *Minor* appelletur respectu alterius Iacobi Zebedæi, cum constet istum ætate fuisse minorem. Et quia posset responderi Iacobum Zebedæi prius a Christo vocatum ad Apostolatum, ideoque *Maiorem* appellatum; idcircò vlteriùs inquiri potest, quomodo Iacobus hic noster, qui ęqualis Christo Domino in gradu consanguinitatis erat, cum eorum matres consobrinæ essent, triginta tribus, vel triginta quatuor annis maior Christo esse potuerit? rursus si tam grandæuus, cur *frater Christi* appellari potuit? Si recurratur cum sancto Ignatio ad corporis delineamenta, & morum honestatem, in quibus quamsimillimus Christo describitur, non omnino quiescit animus, cum & hoc certum non sit, nec liquido constare possit.

Quis ille fuerit. — *Quomodo frater Domini appellatus.*

Tres Iacobi a quibusdā introducuntur.

2 Propter hæc plures Doctores tres Iacobi nomine vocatos distinguendos censent, duos ex numero Apostolorum, Iacobum scilicet

licet Maiorem, & Minorem, & tertium fratrem Domini appellatum Ierosolymorum primum Antistitem. Alij verò tam hunc Iacobum, quam alios fratres Domini vocatos non veros Christi consanguineos credunt, sed putatiuos tantum, instar sancti Iosephi, qui pater Christi solum putatiuus fuit. Quarum sententiarum patronos, & fundamenta affert Suarez *tom. 2. in 3. par. disp. 5. sect.* 4. apud quem videri possunt; nobis enim necesse non est de hac re disputare, sed solum, vt ad propriora pergamus, hunc Iacobum fratrem Domini vocatũ, ac primum Ierosolymitanum Episcopum Esseni, & Rechabitici Instituti alumnum fuisse, ac propterea ipsius historiam ad nostros Annales pertinere pro posse roborare.

3 Qua in re Nicolaus Serarius huius seculi celebris auctor in *opusculo Triharesium nuncupato lib. 3. cap.* 9. verisimile sibi videri scripsit, Iacobum Apostolum Essenum fuisse: *Nam certè (*inquit*) quę de sanctissimi huius Apostoli virginitate, abstinentia, precandi assiduitate, summaque apud Iudaeos auctoritate grauissimi tradidere scriptores, ad Esseorum mores quadrant optimè*. Quin *cap.* 18. §. *alterum argumentum*, eum appellat *Essaeorum Christianorum Principem*. Idque defendit contra Scaligerum dubiæ fidei auctorem in *Mineruali lib. 5. cap. 26*. Serarij doctrinam sequitur Iacobus Boulducus *in lib. de Ecclesia post Legem cap.* 7. §. *alij scientes*, approbans Iacobum Apostolum *statum Essenorum professum fuisse, vt multi (*inquit*) graues auctores scribunt*. Deinde *cap.* 8. §. *Et primo de Circumcisione*, eum vocat *Essenum*, seu *Rechabitam*, & *in exposit. epist. Iudæ vers.* 1. §. *Quantum ad tertium*, illum dicit vixisse iuxta priscorum *Rechabitarum*, & *Prophetarum* modum. Sed & §. *Quia tunc*, eum iterum *Rechabitam* appellat, & §. *sequenti* eum ab Eunuchis Rechabitis perpetuæ virginitatis obseruantiam didicisse confirmat. Item *lib.* 1. *de Eccles. ante leg. cap.* 17. §. *Quartò quòd*, dicit hanc sententiam esse ferè omnium cum Hegesippo. Munozius etiam noster *in Propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 1. cap. 2. artic. 5. num.* 10. eum vocat *Essenum, & Rechabitam*.

S. Iacobus Essenus fuit.

4 Et sanè inspicientibus ea, quæ nos superiùs *sub anno* 3545. de Essenis, & *sub anno* 3847. de Assidæis, qui eiusdem professionis cum Essenis erant, diximus, & cum S. Iacobi gestis, & moribus comparantibus, clarissimè innotescet ipsum Rechabitarum, seu Essenorum Instituti conspicuum fuisse professorem. Primò enim vel nomen ipsum *Iustus*, Hebraicè *Chasid*, quo vulgo vocabatur teste Hegesippo in 5. *lib. histor.* id denotat: hoc enim Epitheton, iuxta dicta *eo anno* 3847. *num.* 3. veluti fontalis origo nominis Assidæorum est. Similiter & nomen Alphæi, qui pater fuit S. Iacobi. Alphæorum

Instituti Rechabitarum, seu Essenorũ.

enim nomen familiam significat ab Essenis ortum ducentem, vt habet Boulducus *in lib. de Ecclesi post Legem cap. 7.* Vtebatur Iacobus albis vestibus, lineis scilicet, vt idem Hegesippus refert, quod & indicat Essenorum Ordinis fuisse, qui simili albicanti indumento tegebantur, iuxta dicta *sub eo anno 3545. num. 25.* Hinc Epiphanius *Heres. 78.* putauit hunc illum fuisse, qui relicta sindone nudus passionis Christi tempore aufugit, *Marc. 14* idcirco hæc opinatus, quòd eum linea sindone semper indui solitum crediderit. Sed obstat Euangelicus textus, qui hunc vocat adolescentem (Iacobus autem, si vera sunt ea, quæ superiùs diximus de ipsius ætate, tempore passionis Christi plusquam sexagenarius erat. Vinum, & siceram non bibisse testatur idem Hegesippus, quod & Essenum, seu Rechabiticum Institutum erat, prout dictum *sub anno 3431. num. 2.* Idem dicito de singulari ipsius abstinentia, & parsimonia, de qua Hegesippus, eamque Essenorum etiam temperantiam sapit; de qua Philo in *lib. de vita contemplat.* Nec Nazaręatus Iacobi, quem idem Hegesippus commemorat, ab intento discordat; cum constet ex dictis *in Apparatu cap. 3. num. 3.* & *sub anno 3124. num. 5.* Prophetici Ordinis cultores Nazaræos fuisse. Virginitatem coluisse semper ex relato Epiphanio habemus, quo & Esseni Ordinis alumnus, immò ex illis rigidioribus, qui semper cœlibes erant, de quibus *sub anno 3545. num. 17.* diximus, demonstratur. Singulare quoque illud Iacobi encomium, quod in Templum intrare solus solitus esset, atque ibi genibus humi positis pro populi peccatis veniam postulare, ita vt eius genua, quòd tam assiduè, tum ad Deum religiosè orandum, tum ad veniam precibus populo exposcendam procumberet, cameli instar tuberculis contractis obdurarentur, frons etiam ob iugem in pauimento prostrationem callo obducta fuisset, prout in eodem Hegesippo, & Chrysost. in *Matth. hom. 5.* legitur, etiam indicat Essenorum, & Assidæorum mores. Illi enim, prout ex Philone *vt supra*, elici potest, tota fermè die orationibus incumbebant. Dicit enim: *Quotidie bis precari solent, mane, ac sub vesperam.* Et post pauca: *Medium verò matutini, vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur.* Isti verò, iuxta dicta *anno 3622. num. 2.* nunquam ferè a Templo discedebant. Quin & illud eximium, quod de Iacobo refertur, scilicet illi permissum fuisse ingredi Sancta Sanctorum, prout sanctus Epiphanius de illo dicit *heres. 29.* Assidæum fuisse denotat. Etenim tam familiarem, & iugem conuersationem in Templo habere solùm ad Assidæos spectare videtur, qui continui Tēpli veluti erant, iuxta dicta *eo anno 3622. num. 2.* Hoc autem priuilegio potitum fuisse

S. Iacobi mores.

Essenorum iugis oratio.

se S.Iacobum non solum ex S.Epiphanio, & alijs habetur, sed ex Ecclesiæ testimonio in Breuiarijs ab ipsa approbatis. Vnde mirum est doctos aliquos id in dubium reuocasse, tametsi etenim ex vi Legis veteris, vt docet Paulus *ad Hebræos 9. vers. 7.* in Sancta Sanctorum *solus Pontifex*, & *semel in anno* ingredi posset, hoc tamen non tollit, quo minus ex speciali priuilegio, & propter eximiam scilicet Iacobi sanctitatem hoc ipsi concederetur, eo præsertim tempore, quo, vt inquit Boulducus loco relato in *epist. Iudæ*, Sacerdotium Aaronicum *admodum languescebat, antiquabatur, senescebat, ac prope interitum erat, ministri quoque eius, ac Sacerdotes erant veluti homines morientes*. Quod si hoc alicui inconueniens videatur, nec menti Pauli cohærere, fateatur saltem S.Iacobo permissum fuisse in aliquem Templi locum ingredi, ad quem alij aditum non haberent. An in Sancta Sanctorum ingressus fuerit Iacobus.

5 Pari ratione videtur philosophandum de alio singularissimo S.Iacobo concesso, vt dicitur, priuilegio, quod scilicet in vtero matris iustificatus fuerit, prout referũt Hegesippus relatus, sanctus Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Ecclesiast.* & alij, ita scilicet, vt licet communi lege, & iuxta vniuersales S. Scripturæ regulas omnes homines peccatores ex vtero nascantur, ex speciali tamen priuilegio ipse in vtero sanctificatus fuerit, vt alter Baptista, & iuxta plures, Ieremias. Sed quia res est valde incerta, & lex communis filiorum Adæ satis expressa in sacris Litteris, nec testimonium Hegesippi, ex quo S.Hieronymus, & alij rem sumpserunt, multum vrgeat, propterea probabilius sentiendum est oppositum. Potest tamen dici *ex vtero sanctificatus*, idest, destinatus, seu præparatus ad vitam sanctissimam, Apostolatum, Martyrium, &c. Verbum enim Hebraic. *Cadas* Latinè *Sanctifico*, sæpius in sacra Pagina destinationem, seu præparationem significat, vt *Isai. 13. v. 3. Ierem. 6. v. 4. Ierem. 12. vers. 3. & Sophon. 1. vers. 7.* An in vtero matris sanctificatus.

6 Inter huius æui Essenos etiam recensendus forsan Alphæus pater eiusdem S.Iacobi, quem quia ex Alphæorum schola, seu familia esset, *Essenum*, seu *Enoscenum*, & virum *Religiosæ professionis* appellat relatus Boulducus *in expositione epistolæ Iudæ vers. 1. §. quantum ad tertium quæsitum*, respectu cuius, & non alterius Iacobi Zebedæi existimat ibidem §. *quorum Patrum*, & sequentibus, vocatum fuisse nostrum Iacobum Minorem. Credit enim hunc Iacobi patrem appellatum Iacobum Alphæum, seu Cleopham, & propterea filium ipsius Iacobum Alphæi, seu Minorem Iacobum. Quæ etsi probabilia sint, præsertim cum auctor iste non mediocriter in sacris Litteris versatus conspiciatur, quia tamen incerta, nec nostro intento Alphæus pater S.Iacobi.

Fff 2 neces-

necessaria, alijs eorum discussionem relinquimus, ad certiora properantes. Quid autem sentiendum sit de alijs huius Alphæi filijs, scilicet Iuda, Simone, & Iosepho, & an ad Essenum Institutum attineant, alibi dicetur.

Anni mundi 4021. vsque ad 4033. ante Christum 32. vsque ad 20.



1 IRIS, varijsque mundi, & rerum mundanarum vicissitudinibus tempus hoc tredecim annorum superabundat, vt propterea a nobis omnino saltem prætermitti non debeant, sed coniungi cum ijs, quæ ad Essenorum Institutum proprius accedunt.

Rerum vicissitudo.

2 De exteris ergo rebus hæc suggerunt historiæ. Primò cum Sextus Pompeius Magni Pompeij filius, qui post mortem patris mũdum turbauerat, a Cæsare in bello ciuili Siculo victus, ac fugatus esset, & postea a quodam Antonij ministro interfectus, Cæsar, & Antonius, inter quos Imperium diuisum erat, contra se inuicem pugnare cœperunt. Apparatus ad bellum pro vtraque parte maximus fuit, Cæsarem enim omnis Italia, Hispania, Gallia, Illyricum, & Africa sequebatur; Antonium autem Asia vniuersa, Thracia, Græcia, & Ægyptus cum Insulis adiacentibus. Copijs iam ingentibus terra, marique vtrinque congregatis, famosa illa Actiaca naualis pugna, ad Actium nempe Epiri Promontorium, commissa est, in qua Cæsar, victo, fugatoque Alexandriam Antonio, totius Romani Imperij dominium solus obtinuit. In Ægyptum deinde pergens, vbi Antonius cũ sua Cleopatra morabatur, ipsum iterum superatum, vt sibimet mortem inferret, Cleopatræ præsertim cooperante fraude, quę idem effecisse finxerat, coegit. Illa verò, cum nec Cæsarem sibi vllatenus reconciliare posset, & Romam deferri pro triumpho pertimesceret, sibi etiam vitam eripuit, siue aspidis morsu inter herbas latentis, siue acu veneno illita, qua capillos componere solebat, & in hunc nouissimum vsum reseruauerat. Sic ergo improba mulier, quæ in bonis dies suos duxerat, in puncto ad inferna descendit. Quam Cæsar mortuam misericordia prosecutus, insigni pompa, & eadem cum Antonio vrna sepeliuit, vtriusque filios honorauit, etsi Cæsarionem (quem ex Iulio Cæsare suscepisse Cleopatra prædicabat) supplicio affecerit. Strabo *lib.* 17. Suetonius *in Octauiano Augusto*, Sigonius *in fastis*, & alij.

Sextus Pompeius victus.

Augusti Cæsaris victoria de Antonio.

Cleopatra se occidit.

3 De Iudæorum, & ipsorum Regis Herodis gestis illud perspicuum,

ſpicuum, manifeſte comprobata hoc tempore fuiſſe ea, quæ Manachemus Eſſenus noſter illi prædixit, iuxta Ioſephum *lib.* 15. *Antiquit. cap.* 13. ſic: *Felicitate omnes precelles, & habebis gloriam æternam, obliuionem verò pietatis, & æquitatis poſſidebis*. Et iuxta Gorionidem *lib.* 5. *cap.* 24. ſic: *Regnabis in diuitijs multis, & magnis, & magnificabitur valde Regnum in populo Domini. Cumque ſederis in ſolio Regni tui, recordare percuſſionis iſtius, qua te percuſſi; quia ſignum ſcelerum, & iniquitatum, quas perpetrabis, facturus plurima mala, tametſi bona quoque facturus ſis*. Etenim ſummum Sacerdotium a Machabęis, ſeu Aſſamonæis abſtulit, cuidam Ananelo obſcuro homini tradidit, ipſique abrogatum Ariſtobulo adoleſcenti decem & ſeptem annorum filio Alexandræ ſocrus ipſius poſtea conceſſit; quem tamen aliquo interiecto tempore in aquis præfocari fecit. Cum vero à matre defuncti iuuenis ad Cleopatram Ægypti Reginam, & Antonij amicam pro delicti vindicta delatus eſſet, eaque Antonium ad vltionem incitaret, ab ipſo Herodes vocatus, ad iudicium venire coactus eſt. Muneribus tamen, ac dulcibus verbis Antonio placato, in propria regreſſus, Ioſephum, cui Regni curam commiſerat, interimi iuſſit, Alexandram ſocrum in vincula coniecit, & Mariannem vxorem zelotypiæ ſtimulis agitatus penè occidit. Veritus deinde poſt Actiacam pugnam, & Antonium deuictum Hircani ſummi Sacerdotis nobilitatem, ne fortè ad ipſum Iudææ Regnum deuolueretur, quod vltimus ex Aſſamonæis, ſeu Machabæis eſſet, calumnijs appetitum interfici fecit, ſicut & Mariannem vxorem, & ſocrum Alexandram, ac nobiles alios. Cæſaris præterea gratiam conſecutus, & ab ipſo magnis beneficijs ornatus, viciſſim in honorem ipſius Athletica certamina quinto quoque anno celebranda inſtituit, Amphitheatrum extruxit, ædes duas Cæſaream, & Agrippium vocatas in ſuperioris vrbis parte, alteram Cæſari, alteram Agrippæ Cæſari amiciſſimo dicatas ædificauit, & *Stratonis* olim turrim dictam *Cęſaream* ab ipſo nominatam inſtaurauit; Samariam quoque iam in cineribus ſedentem a fundamentis ſuſcitans, in honorem Augusti *Sebaſtem*, quod idem eſt, ac *Auguſtam* appellauit. Ioſephus *lib.* 15. *Antiquit. pene per totum, & lib.* 1. *de bello Iudaico cap.* 13. 15. & 16.

Manachemi prædictio vera

Herodis geſta.

In gratiam Cæſaris, quæ geſſerit.

4 Ex ijs iam ad noſtrorum Annalium propriora accedentes, patet, vt diximus ſuperius, rectè prædixiſſe Manachemum Eſſenum Herodi puero multa mala geſturum in Regno, etſi cum eis aliqua bona, plura namque ex iſtis crudelitatem, & ſæuitiam ſapiunt, aliqua verò generoſitatem. Circa Sebaſtes, ſeu Samariæ inſtaurationem illud animaduerſione eſt dignum, eam vrbem circa ann. 3940. a Ioanne Hir-

Mala geſta Herodis prænunciata.

Fff 3 cano

cano deuastatam fuisse, ac solo æquatam, vt habet Iosephus *lib. 13. Antiquit. cap. 17.* ex quo consequenter habetur pseudo-Essenos, de quibus *sub anno 3545. num. 41.* diximus, eo tempore ibi non habitasse. An verò, ea de nouo ab Herode instaurata, illuc denuo confugerint, incertum est, etsi credibilior pars affirmans, siquidem Christi Domini tempore in eo vetusto errore persedebant Samaritæ de Deo colendo in Garizitano phano, vt constat ex *Ioann. 4. vers. 20. & Luc. 9. vers. 51.* Esseni etenim, seu Assidæi Templum sequebantur; veri quidem Ierosolymitanum, falsi verò Samaritanum, iuxta dicta in superioribus.

5 Circa constructionem verò Cæsareæ vrbis, quæ etiam Cæsarea Palestinæ appellatur, id etiam animaduertendum occurrit, eam ciuitatem Carmelo proximam fuisse, inter *Doram* videlicet, & *Ioppem*, in ipsa maris ora; vt habet Iosephus *lib. 1. de bello cap. 16.* vt proinde, cum postea in Episcopalem sedem erecta fuerit, sub eius Diœcesi Carmelus reponatur a Mantuano nostro *in Apolog. pro Carmelitis*, & propterea etiam aliqualis memoria de ipsa hoc loco fieri debeat.

Cæsarea constructa.

Annus mundi 4034. ante Christum 19.

1 ONTIGIT hoc anno, qui 18. possessionis Regni Herodis erat, licet vigesimus primus a collatione ipsi Romæ facta, id quod Gorionides *lib. 5. cap. 24.* de ipso refert, recordatum nempe ea, quæ illi adolescenti prædixerat Manachemus Essenus de Regno futuro, illum ad se vocasse, ac interrogasse de vitæ, & Regni diuturnitate, gratèque accepisse, quæ illi Essenus respondit. Eis similia prioribus Regni annis contigisse, prout a Iosepho *lib. 15. Antiquit. cap. 13.* indicatur, suspicati sumus *sub num. 4015.* quia tamen Gorionides expressius casum refert, & hunc 18. Herodis Regni annum commemorat, ideo hoc tempore prætermitti non debent. Gorionides ergo sic habet: *Cumque Regno potiretur Herodes, vt illi prædixerat Sapiens, recordatus verborum istorum, vocauit Manahem, & ait illi: Impleta sunt verba tua, quæ prædixisti, & ob id video esse in te sapientiam Dei, & nunc cupio a te scire, quot annis regnaturus sim, quotq; annis victurus. Tacuit autem Sapiens, & nihil respondit. Vidensque Rex, quòd non responderet ei verbum, stupefactus, ait in corde suo: Vere Sapiens iste vidit appropinquasse dies meos, & ob id tacet. Et interrogans eum rursum Rex, dixit ei: Indica mibi, si adhuc regnaturus sim,*

Recordatur Herodes prædictionis Manachemi.

Illum ad se vocat.

sim vel decem annis? Respondens Manahem, ait: Decem, etiam viginti, immò triginta, & vltra. Ait Rex: Quot vltra? Tacuit Sapiens, & non respondit ei vltra ad sermones istos. Lętatus est tamen Rex propter verba Manahem, & credidit ei, honoransque eum, dedit ei diuitias magnas. Contigerunt autem ista in populo Domini eo tempore, quo Herodes impleuerat decimum octauum Regni annum. Honorat eum

2 Expendenda tamen sunt illa, *honoransque eum, dedit ei diuitias magnas.* Non enim constat, quomodo illum honorauerit, aut quas diuitias contulerit. Nec de hoc aliquid vterque Iosephus, præter id, quod inferius afferemus. Nec etiam id apparet conforme Essenorum Instituto. Philone enim in libro, *quod omnis probus sit liber* attestante, *diuitias, honores, voluptatesque contemnunt fortiter.* Rectius ergo rem videtur explicasse Flauius Iosephus loco relato, dum dixit: *Manachemum cum honore dimisit, & omnes Essenos propter illum honorauit.* Quo pacto id acciderit.

3 In eo tamen hic honos ab Herode Essenis exhibitus conspici potuit, quòd cum ipse firmandi sui Regni causa fidelitatis iuramentum a cunctis fermè suis subditis extorqueret, aliquos ex Pharisæis sibi amicos ab hoc onere exemit. *Sed nec Essenos* (inquit Gorionides, *vt supra cap. 23.*) *qui de Collegio piorum erant coegit ad iuramentum propter Manahem iustum, qui fuit vir iustus, & sapiens in diebus illis.* Alter verò Iosephus loco relato: *Liberati,* inquit, *sunt etiam de hac necessitate hi, qui dicuntur apud nos Esseni.* Et infra: *Essenos autem ex hac causa sic honorabat, quia maius quiddam de his sentiebat, quam de mortali natura.* Iuramentum ab Essenis nō extorquet.

4 Ex quibus Iosephi posterioribus verbis magnum pro Essenorum vita, & Instituto desumi potest testimonium, quippe cum vir impius Herodes tam altè de ipsis conciperet, vt supra mortalem naturam eos existimasse videretur. Similiter ex eo, quod Gorionides hunc Manachemum *de piorum Collegio* vnum vocet, sequitur verissimum esse id, quod *sub anno 3847. num. 5.* diximus, scilicet Essenos, & Assidæos eiusdem Ordinis, & Instituti fuisse. Gorionides namque hoc *piorum* titulo suos Assidæos appellare solet, vt eius libros legenti constabit. Pariter ex eo, quòd Essenorum congregationem vocet Gorionides *Collegium*, tum loco relato, tum in alio inferiùs referendo, clarè elicitur & verum esse id, quod eo loco *num.* 4. diximus, Assidæos, seu Essenos importare quoddam Institutum, Ordinem, vel Congregationem. Encomium magnum Essenorum.

5 Quia etiam diximus *sub anno 3230.* Sapientes, Scribas, seu Doctores veteris Legis ad Ordinem Propheticum spectasse, id etiam

hoc

Sapientes, & Scribæ Ordinis Prophetici hoc loco, etsi obiter, comprobare possumus ex alijs eiusdem Gorionidis verbis. Loquens enim de isto Manachemo *dicto lib. 5. cap. 24.* sic habet, prout *sub anno 3988.* retulimus: *Non autem fuerunt sapientiores homines in mundo, quam fuerit populus Domini, nec regnauit sapientia in alio populo, quam in populo Dei; id quod facile agnoscent, & deprehendent cunctæ gentes in memorato Manahem, in quo fuit eximia sapientia, sicut & in alijs Israelitis collegis eius. Nam cum esset Herodes iuuenis, & discendi gratia veniret ad Sapientes, Manahem autem sederet in loco seniorum, atque eorum, qui decernebant iustitiam, videns puerum, incuruauit se coram eo, & ait: Viuat Rex. Rex putans se irrideri a Manahem, maledixit Sapienti; Sapiens vero apprehendens, &c.* Quibus verbis clarè eum fuisse ex numero Scribarum (ij enim erant, qui apud Hebræos vocabantur *Sapientes*) denotat. Idem colligitur ex eodem Gorionide *lib. 5. cap. 44.* vbi loquens de quodam, quem Iosephus *lib. 17. Antiquit. cap. vlt.* vocat *Essenum*, & Simonem nomine, ipsum appellat *Sapientem*, & vnum *de Sapientibus*. Ex hoc loco enim deducitur hos Essenos Scribas populi fuisse. Ne tamen propterea quis eis calumnietur fuisse participes mortis, & passionis Christi, quæ in Euangelio tribuuntur Scribis, & Pharisæis, animaduertat in primis ab hac labe liberos extitisse Essenos, iuxta dicta *sub anno 3545 num. 11.* Deinde etsi nos dicamus Essenos fuisse Scribas, quia scilicet plures, vel omnes tales essent, non tamen è contra dicimus omnes Scribas Essenos fuisse. Alij enim præter Essenos Scribæ erant, vt Pharisæi, iuxta dicta in superioribus, ex optima doctrina Abulensis. Quomodo etiam Scribarum Institutum circa tempora Christi valde iam a primæua sui institutione declinasset, vt propterea ex eorum deprauatis moribus nota aliqua Essenis impingi nequeat, diximus *sub anno 3230. num. 4.*

Simõ Essenus

Anni mundi 4035. & 4036. ante Christum 18. & 17.

1 VM in superioribus dixerimus Herodi Regi valde charos fuisse Essenos, illos honorasse, & veluti maius aliquid supra mortalem naturã in eis suspexisse, præsertim propter Manachemũ Essenum, qui tam grata illi de Regni consecutione, & diuturnitate prædixerat, constet etiam Essenos, seu Assidæos veluti continuos æditvos, & quasi vigiles, & custodes Templi Ierosolymitani fuisse, iuxta dicta *sub anno 3622. num. 2.* suspicari valde possumus celebrem illam

illam eiusdem Templi instaurationem, eisdem instantibus, poscentibus, vel proponentibus, ab eodem Herode factam fuisse. Casu tamen quod ita non esset, res tam notabilis, & pro quibusdam sacræ Scripturæ locis intelligendis valde necessaria, prætermitti non debuit. In hoc autem tempus referenda est, prout communius Historici censent, licet in anno differant, quo fieri cœpit. De quo Carol. Sigon. *in Sulpitium*, Genebrard. *lib.* 2. *Chronolog.* Torniell. *sub anno mundi* 4032. & Salianus *sub anno* 4035.

Templi instauratio.

2 Templum ergo Ierosolymitanum, quod prius Salomon Rex a fundamentis erexerat, ac magnificentissimè exornauerat, & Ioas Rex Iuda, & post eum Iosias. 2. *Paralipom.* 24. *vers.* 4. *&* 4. *Reg.* 22. *vers.* 4. *&* 2. *Paralipom.* 34. *vers.* 8. instaurauerant, ac postea cum à Nabuchodonosor Rege Babylonis fuisset incensum, & demolitum, deinde sub Zorobabele Iudæorum Duce post reditum è Babylonica captiuitate denuò fuit reędificatum, iuxta dicta *sub anno* 3536. hoc tempore ab Herode Iudæorum Rege iterum instauratum, dilatatum, & amplificatum est.

Herodes restaurat Templum.

3 Est verò non leuis difficultas, an a fundamentis erectum omnino, & excitatum ab Herode fuerit, an verò solum instauratum, dilatatum, & amplificatum, vt diximus. Prius enim tenent Iosephus *lib.* 15. *Antiquit. c.* 14. Gorionides *lib.* 5. *cap.* 25. Ribera *in Aggeum cap.* 2. *num.* 43. Torniellus *sub anno* 4032. *num.* 2. & alijs. Posterius verò Hegesippus *lib.* 1. *cap.* 35. Serarius *in opusc. de Herode cap.* 22. Villalpand. *lib.* 2. *in Ezech.* Iordanus *in ann.* 10. *Herodis*, & Salian. *loco relato num.* 5. cui posteriori sententiæ, vtpotè rationi magis conformi proculdubio adhærendum est. Id suadet primo Prophetia illa Aggæi *cap.* 2. *vers.* 4. vbi sic habet: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Iesu fili Iosedech Sacerdos magne; & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum, & facite, quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum, verbum, quod pepigi vobiscum, cum egrederemini de terra Ægypti; & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere, quia hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cęlum, & terram, & mare, & aridam; & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

An a fundamentis.

Amplificatur.

Cuius

Cuius optima expositio . planissima , & communissima hæc est, vt Propheta loquens de Templo, quod a Zorobabele , & Iesu summo Sacerdote post reditum è Babylone ædificabatur, consoletur populum mœrentem de vilitate illius præ gloria Salomonici, eo quod gloria ipsius maior futura esset, quam prioris, non propter maiorem auri, & argenti quantitatem, sed propter præsentiam Christi, qui est *desideratus cunctis gentibus*, & in illud ingressurus erat. Ex hoc autem manifestè sequitur Templum Zorobabelis glorificandū fuisse præsentia Saluatoris, ac per consequens stasse viuente Saluatore, nec Herodem nouum à fundamentis condidisse Templum, sed illud, quod antea erat, instaurasse; aliàs non illud Zorobabelicum, sed istud Herodianum Christus decorasset sua præsentia. Id etiam suadet illud *Ioannis 2. vers. 20* Cum enim Christus dixisset: *Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, Iudæi obiecerunt illi: *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Ex hoc enim habetur Templum illud, quod Christi tempore extabat, quadraginta sex annis cōstructum esse, aliàs Iudæi in re omnibus nota, & patenti, & de qua a Christo, & alijs redargui possent, mentiti essent, quod non est credibile. Atqui Templum Herodianum anno 9. cum dimidio completum fuit, teste Iosepho *lib 15. Antiquit. cap. 14. prope finem*. Ergò Templum, quod stabat tempore Christi, Zorobabelicum illud erat. Vrgetur hoc argumento Baronius *sub anno Christi 31.* & respondet alterum de duobus dici debere, vel quod Iudæi hallucinati fuerunt, vel Iosephus mentitus, sed primum non subsistere sufficienter probatum est, secundum autem gratis dicitur, vt bene Torniellus loco relato *num. 5. & 6.* Subsistat ergo id, quod nos retulimus.

Et instauratur

4 Siue autem dicamus cum ipso Torniello, & alijs Ierosolymitanum Templum ab Herode omnino extructum esse, siue cum alijs, vt probabilius duximus, solùm instauratum, & amplificatum, illud certius est, non potuisse ab illo ædificari gloriosius, aut magnificentius, quam erat a Salomone constructum. Adeo enim euidens res hæc est, vt non nisi iniuria in dubium reuocetur. Salomon enim ditissimus, locupletissimus, & potentissimus Rex, innumera auri, & argenti talenta, æris, ferri, lignorum, & lapidum pondera, quæ pater ipsius congregauerat, & quæ ipse attulerat ex Ophirinis aurifodinis, & quæ illi a Regibus, & Principibus circumuicinis, ac subditis acceperat, hæc omnia fermè in tam sumptuosum opus expendit. Herodes autem, qui solum Regulus erat, Romani Imperij tributarius, qui Cæsari, Antonio, & Cleopatræ plura donauerat, & in ipsorum

Non fuit gloriosius, quam Salomonicum

rum

rum gratiam maiora expenderat, bellis, & sumptibus consumptus, insidiarum timore perculsus, ac mille alijs oneribus obligationum obstrictus, quomodo tam sumptuosum opus moliri posset? Nec Iosepho, aut cuilibet alij in hoc credendum, vt optimè Salianus loco relato subiungens *num.* 18. tria millia millionum auri in Salomonico Templo extruendo collocata esse, vt inde ridiculosum prorsus sit, Herodem tales expensas, immò multo minores efficere potuisse. Tria millia millionum in Templo Salomonico expensa.

5 Circa hæc tempora, vt colligitur ex Eusebij Chronico, mors contigit Virgilij Maronis, ob clarissimam Poesin iure celeberrimi, & in omnibus historijs commendandi. Ea namque nihil castius, nihil pictius, nihil purius, aut incorruptius, nihil grauius, eruditius, aut sapientius; vt meritò proinde etiam futurorum Poetarum Princeps à cunctis meruerit prædicari. Illa ipsius morientis carmina sunt eorum, quæ scripsit: Virgilij mors.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini Pascua, Rura, Duces.

Anni mundi 4037. & 4038. ante Christum 16. & 15.

1 NON sine laudis præconio anni isti præteriri possunt, quod eo tempore sanctissima, & immaculatissima Christi Genitrix Maria concepta, & nata fuerit. Ipsius autem purissimam conceptionem octauæ diei Decembris prioris anni, & natiuitatem octauę etiam Septembris posterioris tribuendas, Ecclesiæ auctoritate, quæ ijs diebus ipsas solemnizat, conuincimur. His verò annis assignandas, cum nullum aliud de hac re certius, aut antiquius extet monumentum, Euodij Antiocheni Episcopi testimonio, quod refert Nicephorus *lib. 2. cap. 3.* standum videtur, prout tradunt Baronius *in Apparatu ad Annales*; Torniellus, & Salianus hic, qui propterea felicissimum gloriosissimæ Virginis ortum Consulatui C. Furnij, & C. Iunij Silani huius temporis Consulũ tribuunt. Erant etiam isti anni Imperij Romani 31. & 32. Augusti Cæsaris 26. & 27. Herodis Regis Iudæorum a tempore, quo in Senatu Romano Rex declaratus est, 23. & 24. Conceptus, & ortus sanctiss. Dei Genitricis.

2 Nata porrò creditur Augustissima Virgo illucescente aurora, sicut reuelatum fuit cuidam Religioso, vt tradunt Durandus *lib 7. cap. 28.* Azorius *tomo 2. lib. 1. cap. 19. quæst. 8.* Spinellus *tract. de festis num. 3.* & Ioannes Baptista Nouatus *in lib. de eminentia Virginis cap. 4. quæst. 1.* vbi rectè pro congruentia affert, cur Virgo auroræ Qua hora diei nata.

tempore

tempore orta fuerit, quod ſcilicet ipſa Aurora vocetur, tum in ſacra Scriptura, tum apud Patres.

Quo loco. 3 De loco tamen, in quo nata eſt, diſſentiunt doctores. Vrbes enim Palæſtinę de Virgine ſanctiſſimę patria decertare videntur, potiori cauſa, quam pro Homero ſeptem ciuitates Græciæ, de quo diſtichon illud:

Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ius, Argos, Athenæ.

Rabbini cuiuſdam opinio 3 Primò enim antiquus quidam Rabbinus apud Galatinum *lib. 7. cap. 12.* in Bethlehem Iudæ natam affirmat, ſed communior ſententia hoc negat. Salianus *ſub anno* 4038. *num.* 1. clarum eſſe exiſtimat, ortam in Nazareth Galilæę, eo quod S. Hippolytus apud Nicephorum *l. 2. cap. 3.* dicat, S. Annam in terra Galilæę nupſiſſe. Sed neque hoc eſt clarum, vt conſtabit ex dicendis, neque colligitur ex eo, quod ſancta Anna in Galilæa nupſerit: potuit enim ibi matrimonio S. Ioachimo iungi, & poſtea Ieroſolymam domicilium transferre, maxime ſi vera eſt traditio, quæ habet eamdem ſanctam Annam per 20. annos ſterilem manſiſſe. Quid enim vetat, quo minus hoc temporis ſpatio ad alium locum perrexerit? nihilominus

Nazareth nata perhibetur plurium ſententia eſt Nazareth ortam fuiſſe Virginem Beatiſſimam. Ita habet auctor *libelli de ortu Virginis*, qui inter opera Hieronymi extat. Idem refert Abulenſis *Matth. 2. quæſt. 91.* Fauet Mantuanus noſter *in Apologia pro Carmelit.* & ſequitur Baronius *in Apparatu n.* 48. & alij. Quia tamen fundamenta horum auctorum, ex eo videlicet ſumpta, quod ſanctus Hippolytus relatus affirmauerit in Nazareth ſanctam Annam nupſiſſe, & quod eo loco ab Angelo ſalutata fuerit ſanctiſſima Virgo *Luc. 1.* debilia videntur, vt de primo iam diximus, & de ſecundo eſt manifeſtum: ideo quamuis hæc opinio probabilis valde ſit, probabilior tamen cenſetur ea, quæ aſſerit Ieroſolymis natam eſſe. Eam indicat Petrus Dorlandus *in vita S. Annæ cap.* 5. quæ

Vel potius Ieroſolymis. extat in fine libri de vita Chriſti Ludolphi Carthuſiani. Ita etiam Ioannes Nouatus *lib. de eminentia Virginis cap. 4. quæſt. 2.* cuius fundamentum ſumitur ex antiqua eiuſdem ſanctæ Ciuitatis traditione, qua domus ſanctæ Annæ, in qua dicitur ſanctiſſima Dei Genitrix orta, notatur in ea, iuxta illum locum, in quo erat Probatica Piſcina. Sic enim habent Guillelmus Blandeſel *in Itinerario Terræ ſanctæ*, Cotouicus etiam *in Itinerario lib.* 2. Adrichomius *in deſcriptione Ieruſalem num.* 37. nec diſſentit Barradius *tom. 1. lib. 6. cap.* 5. Teſtis autem fidiſſimus huius traditionis videtur eſſe ſanctus Damaſcenus 4. *de fide cap.* 15. vbi inquit: *In lucem editur Virgo in domo probatica Ioachim,*

idest

idest in domo Ioachim vicina Probaticæ Piscinæ, & *Orat. 1. de natiu.* dicens: *Fausta ibi sint omnia, o Probatica, Reginæ domicilium, ô Probatica seminum Ioachim.* Et infra: *Semel quot annis Angelum Dei excipiens aquam turbantem, & vnum valetudini restituentem.*

4 De alijs porrò mirandis, quæ in conceptu, & ortu Beatissimæ Virginis contigerunt, prænunciatam videlicet fuisse per Angelum conceptionem puram ab omni peccati noxa, sanctitatis, ac charismatum donis eximijs etiam in vtero donatam prodijsse, & an sine dolore matris in partu exortam, Patres, & Doctores Theologi multa miraque scripserunt, vt nobis ea vel referre necessum non sit, qui nec digni, nec sufficientes simus tantæ rei præconijs.

Miranda in Ortu Virginis.

5 Illud non prætermittendum in sanctissimæ Virginis primordiali luce, cælum, & terram exultasse. Sed quid ni faceret vniuersus orbis, cum ipsius Regina, *nauis institoris de longe portans panem vitæ, puteus aquarum viuentium, scala Cæli, ianua Paradisi*, & desiderata cunctis gentibus prodijt? De quo communi gaudio, & lætitia plena sunt volumina Patrum, & Doctorum.

Gaudium in vniuersi mundi.

6 Si autem totius Orbis communis lætitiæ causa fuit huius Augustissimæ Virginis infantulæ felicissimus ortus, quid non de Carmelitis dicemus, qui tot titulis eam sui Ordinis venerantur Patronam? Prius tamen, quam de huiusmodi Patronatu aliquid dicamus, prout in sequentibus faciemus, vt gloriosissimæ Virginis ortū iure specialissimo ad hunc Ordinem spectasse, ac propterea ipsi singularissimæ lætitiæ occasionem attulisse comprobemus; recolenda in primis sunt ea, quæ *sub anno 3976.* diximus, ipsius nempe ortum tribus Carmeli Eremitis per visionem a Deo reuelante factam innotuisse; ea namque fuit ramus ille, ex quo in hac visione, prout a Petro Dorlando refertur, natus dicitur *Flos purissimus, atque fragrantissimus odore cælū, ac terram perfundens*, Iesus videlicet Saluator mundi, seu prout a Guillelmo Pepino describitur, ipsa est Flos ille pulcherrimus, *fructum delectabilissimum*, Christum nempe, in se continens. Ex hoc enim elicitur titulo singulari Conceptionem, & Ortū Mariæ Carmeli filijs iucunditatem afferre potuisse. Ad quod maximè accedit, quod eiusdem Virginis purissimæ ortus mysteria Ordinis Protoparenti Eliæ in visione illa nubeculæ paruæ de mari ascendentis, de qua 3. *Reg* 18. *vers.* 44. & nos *sub anno* 3126. demonstrata sunt, prout late noster Ioannes Ierosolymitanus *in lib. de instit. Monachor. cap.* 32. sic describit: *Postquam autem Professores huius Religionis fuerunt per Apostolos baptizati, & in sacri Euangelij eloquijs eruditi, intellexerunt plene illud mysterium esse impletum, quod per Deum fuerat Pro-*

Carmeli specialiter.

Eius ortus Eliæ reuelatus.

pheta Elia in monte Carmeli reuelatum, legimus enim in libro Regnorum, quod Elias ascendit ad montem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dicit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare, qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quicquam, & rursum ait illi: Reuertere septem vicibus, in septima autem vice, ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari in Carmelum. Ab eo autem loco Carmeli montis, vnde puer ascendebat vsque ad summitatem montis, vnde poterat mare prospici, erant decem gradus, quos cum puer semel ascendens prospexisset contra mare, mandauit illi Elias (sicut est dictum) vt iterum alijs septem vicibus per eosdem gradus reuertens contra mare prospiceret. Et in septima vice reuersionis vidit puer nubeculam illam, quasi vestigium hominis de mari ascendentem in Carmelum; & dixit ei Elias: Ascende, & dic Achab: Iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis. Quid autem sacramenti rerum futurarum, præter historiam, visio illa intrinsecus contineret, & quid ingiū mysterij Deus Eliæ tunc stanti prono per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperire non palam hominibus, sed secretius consortibus. A quibus traditum tenemus, Deum sub figurata visione reuelasse tunc Eliæ quatuor magna mysteria, quæ per ordinem explicabo. Primò, quod quædam infantula nasceretur, quæ ex vtero matris suæ ab omni peccato munda egrederetur. Secundò, tempora, quibus hoc adimpleretur. Tertiò, quod hæc infantula virginitatem perpetuam ad exemplum Eliæ amplecteretur. Quartò, quod Deus iungens naturam suam humanæ, de Virgine illa homo nasceretur. Per hoc namque, quod ille puer Eliæ vidit de mari nubeculam paruam oriri, reuelauit Deus Eliæ, quòd quædam infantula (scilicet Beata Maria) per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parua nasceretur de humana natura peccatrice designata per mare. Quæ infantula iam in suo ortu esset munda ab omni peccatorum sorde, quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro, sine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter eiusdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis. Mare quippe ponderosum est, & amarum; sed nubecula illa leuis fuit, & dulcis. Sic quamuis in quolibet alio homine natura humana instar maris sit in sua origine ita amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere pressa, vt fateri cogatur: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Beata tamen Maria de hoc mari (idest natura humana) aliter fuit orta, quia in suo ortu non fuit*

In visione nubecula.

Quid viso illa nubeculæ denotaret.

Munditiès B. Virginis a peccatis.

fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum. Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa, de qua per Moysem figurate est scriptum: Ecce gloria Domini apparuit in nube.

7 Prosequitur idem Ioannes eodem libro *cap.* 33. eiusdem nubeculæ visionis explanationem natiuitati sanctissimæ Virginis eam accomodans sic: *Significauit autem Deus Eliæ in prædicta visione, quo tempore nubecula illa (scilicet Beata Maria) videretur a discipulis Eliæ de mari (idest de amara, & vitiosa natura humana) oriri, & descendere. Nam ostensum fuit in eadem visione, quòd nullus eorum videret eam ascendere, antequam ipse semel per decem gradus ascendens contra mare prospiceret, & iterum alijs septem vicibus ad eosdem gradus ad contemplandum contra mare rediret. Dixit enim Elias ad puerum suum*: Ascende, & prospice contra mare: *qui cum ascendisset, & contemplatus fuisset, ait*: Non est quicquam. *Quare ergo quid fuerit, puerum Eliæ semel per decem gradus ascendere ad prospiciendum contra mare, & tunc ei nihil apparere? Certe hoc nihil aliud fuit, nisi quod puer (idest cætus discipulorum Eliæ) contemplando ascendit per illas decem generationes humanas à B. Luca in genealogia Christi positas, quæ fuerunt ante diluuium ab Adam vsque ad Noe in prima mundi ætate, & per eas discurrendo totum tempus, quod fuit à Noe vsque ad Adam, puer prospexit, si forte eo tempore nubecula (idest infantula) aliqua esset nata*, contra mare, *idest, contra solitam amaritudinem in vitiosa propagine natura humanæ. Et quia nubecula illa non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mundi, ideo puer dicit*: Non est quicquam. *Precepto tamen Eliæ redijt iterum puer septies per decem gradus ad prospiciendum contra mare, & rursum ait illi*: Reuertere septem vicibus, *& in primis sex vicibus nihil illi apparuit. Hoc autem, scilicet quod puer, idest cætus Discipulorum Eliæ, sexies per decem gradus rediens nihil vidit, denotat eum vlterius per alias sex ætates generationum humanarum contemplando descendisse in genealogia Christi, quam Beatus Lucas texit a Sem filio Noe vsque ad Iamne filium Ioseph. Quarum generationum ætas prima incipiens a Sem filio Noe terminata fuit in Thare filio Nachor. Secunda verò ætas ab Abraham filio Thare terminata fuit in Salmon filio Naason. Tertia incipiens a Booz filio Salmon, terminata fuit in Iona filio Eliachin. Quarta incipiens a Ioseph filio Iona, terminata fuit in Elmadan filio Her. Quinta, incipiens a Chosan filio Elmadan terminata fuit in Ioseph filio Iuda. Sexta, incipiens a Semei filio Ioseph, terminata fuit in Iamne filio alterius Ioseph. Per has quidem sex ætates generationum a Beato Luca in genealogia Christi positarum*

Nubecula B. Virginis typus

Pura ab omni peccato.

Sex ætates.

ascendit puer, idest, cœtus discipulorum Eliæ discurrendo totum tempus, quod fuit a Iamne vsque ad Sem, & contemplando, si forte eo tempore nubecula (idest infantula) illa esset nata. Et quia in toto illo tempore nata non fuit, ideo tunc discipulis Eliæ minimè apparuit. In septima autem reuersionis vice nubecula eis apparuit, quia in tempore comprehenso infra septimam illarum generationum ætatem Beata Maria nata a discipulis Eliæ visa fuit. Vnde vice, inquit, vna, ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari. *Prædictus namque Iamne, in quo sexta illarum generationum ætas terminatur, genuit filium, nomine Melchi, in quo incepit harum generationum ætas septima. Hic autem Melchi genuit Leui, & iste Leui duos habuit filios, vnum, qui a Beato Luca appellatur Mathat, sed ab illo dicitur Melchi, nomen aui sui retinens; & alium, qui vocatus fuit Panthera. Iste verò Panthera genuit filium nomine Barphanthera, & hic Barpanthera genuit filium nomine Ioachim, qui ex Anna vxore genuit Beatam Mariam. Et ita in vna reuersionis vice (hoc est in vna generationum ætate, quæ fuit vna ab illa, in qua homines per Dei præceptum reuersi fuerunt post diluuium ad multiplicandum genus) nata fuit B. Maria, scilicet in medio illius ætatis septimæ, quæ etiam fuit defuncta, antequam prædicta generationum ætas septima esset terminata.*

Septima generatio.

Ioachim, & Anna parêtes B. Virginis.

8 Circa quæ aliqua notatione digna occurrunt, quæ prætermittenda non sunt. Primùm, nubeculam illam ab Elia visam, typum, & imaginem Deiparæ Virginis fuisse, non solum præfatum Ioannem, sed & plures alios confiteri, specialiter Vvaldens. *tom. 3. de sacramentalibus tit. 9. cap. 89.* Ferdinand. Salazar *de Concept. Virg. cap. 38.* Carthagenam *tom. 4. homiliar. homil. pro Carmelit.* & quod magis est, Sacra Congregat. Rituum *in offic. commemorat. solemnis Beatiss. Virginis de Monte Carmeli*, vbi illam nubeculam appellat *Virginis typo insignem*. Fauet Beauxamis *in Harmon. Euangelic. tom. 2. fol. mihi* 565. dum ex visione nubeculæ astruit Eliam Incarnationis sacramentum præcognouisse. Secundum, ex illis verbis *cap. 32.* relatis, *a quibus traditum tenemus*, colligi mysterium de immunitate sanctissimæ Dei Genitricis ab originali contagione, quasi per manus traditum inter discipulos Eliæ a multis seculis haberi, prout ante nos animaduertit Petrus Oxeda Iesuita *in Informat. pro immaculata Virginis Conceptione fundamento primo*, vbi simul congratulatur Religioni nostræ, quod a duobus millibus quingentis, & supra annis huius veluti traditionis testimonium proferre possit. Probare etiam contendit verba Ioannis relata non solum de ortu Virginis extra vterum, natiuitate videlicet, sed etiam de ortu intra vterum, seu conceptione esse accipienda,

Traditio inter discipulos Eliæ.

Meritò

Meritò proinde plures ex nostris, quos tertio Tomo recensebimus, quasi rem propriam versantes, huius piç opinionis de immaculata Virginis Conceptione scriptis suis propugnatores extiterunt contra strenuissimos alios in re Theologica Athletas oppositæ sententiæ defensores,& sine ipsorum offensione. Deinde, id quod subiungit Ioãnes, videlicet in ea visione Deum Eliæ reuelasse, qualiter infantula hæc sanctissima virginitatem perpetuam ad ipsius exemplar amplexura esset, moderatione eget,adhibenda inferius *sub anno* 4040. neque enim decens videtur affirmare Deiparam Virginem,quę omniũ virtutum post Christum exemplar primum futura erat,ad instar Eliæ virginitatem seruasse. Sed de hoc dicto loco loquemur. Virginitas perpetua sanctiss. Virginis.

9 In præsenti tamen non prætermittenda visio quædam eiusdem Protoparẽtis Eliæ facta Rabbino magno apud suos *Haeados* nomine in epistola Neumiæ filij Haccanæ ad Haccanam filium, quam Paulus de Heredia Hispanus Latinitate donauit, typis edidit, & in Bibliotheca Patrum Clericorum Matris Dei in *Campitello* hic Romæ vidi,& ab Hippolyto Marracio eiusdem Ordinis in suo *de Marianis Fundatoribus opusculo cap.*1. insertam; ex qua plura ad intentum, & pro dicendis vtilia elici valent. Sic autem ibi habetur: *Cum Rabbinus Haeados (aliàs Heccas) sanctitatis, ac doctrinæ laude apud suos celebris, Magister sanctus nuncupatus sæpenumero in hac quæstione, scilicet, cur Isaias cap.*8. *cum dicit*: Et accessi ad Prophetissam, & concepit, peperitque filium, *nobis non fecit notam huiusmodi Prophetissam, quæ sit, quo nomine vel ipsa, vel pater eius nuncupetur, cuiusve sit Tribus, quemadmodum in omnibus Prophetis, & Prophetissis; & quodam die ingressus fuisset Patrum speluncam, vbi sepulti sunt Adam, Eua, Abraham, & Sara, Isaac, & Rebecca, Iacob, atque Lia, vt illic adoraret, ibi inuenit Eliam Prophetam, quem cum de hoc percuntatus esset, talia ab ipso accepit: Hac Prophetissa, & Mater Regis Messiæ, quem Deus se missurum pollicitus est ad Israel: dicta est autem Prophetissa, quia suo vaticinio scit omnia a primordijs ad finem vsque, quod nemo vnquam Prophetarum cognoscere potuit; ipsaque est Domina, ac magistra omnium Prophetarum; & hac est Alma illa, de qua dixit Salomon Prouerbiorum* 30. Et viam viri in adolescentula. *Item Isaias cap.*7. Ecce Virgo concipiet. *Item de ea vaticinatus est Michæas cap.*5. Et tu Bethlehem Ephrata, *& reliqua,* propter hoc dabis eos vsque ad tempus, in quo parturiens pariet. *Propterea de Rege Messia, quem ista Prophetissa paritura erat, dixit Isaias cap.*9. Quia enim paruulus natus est nobis. *Quod autem interrogasti, quo nomine vocetur Prophetissa? Maria est nomen eius, atque adeo Isaias cecinit*: Quia enim paruulus natus est nobis, & multipli- Visio Eliæ cuidam Rabbino.

cabitur Imperium. Quæ verba significant Messiam a Deo generandum fore, qui multiplicabit Imperium, quia est Dominus totius Orbis. Nascetur etiam Maria Sarah, quod Maria Domina interpretatur, & hoc ide ostendit Lemarbeh hammisrah, hoc est multiplicabitur Imperium, a quibus dictionibus nascitur Maria Sarah hoc modo. Si acceperis L. M. & R. conficient primam particulam, videlicet Lemir. Si autem acceperis H. ex Lemarbeh, & H. huius dictionis Hammisrah, quarum singularum numerus est quinque, decem conficiunt, significantque Iod, huius dictionis Miriam: addito autem M. huius dictionis Hammirah, ecce tibi Miriam. Ex his autem dictionibus Hammirah restat Sarah, quæ tribus litteris scribitur, ecce tibi Miriam Sarah, quod Maria Domina interpretatur, vt nobis innotescat hanc Mariam esse Dominam, & superiorem vniuersi, & Cælorum Reginam. Diuisa est autem Iod in duo He, vt nobis secreta admirabilia panderet, vt quemadmodum He ex Daleth, & Vau, hoc modo ד est Daleth, hoc ו est Vau: & He componitur ex Daleth, & Vau hac figura ה. Ita Rex Messias componitur ex diuinitate, & humanitate, hæ duo He, quæ sunt duo D, & ab ijs procedunt duo Vau, tanquam duo filij, qui ab ipsis oriuntur; ita in substantia Regis Messiæ inuenientur duæ filiationes, quarum vna est Diuinitas, Dei Filius, altera humanitas Filius huiusce Prophetissæ: & quemadmodum harum litterarum Daleth, & Vau, quæ conficiunt He, vnaquæque distincta est a se, quanquam vna sit littera: ita in Messia substantia Diuinitatis erit distincta a substantia humanitatis; & è conuerso, quæ duo simul coniuncta, sunt Messias. Quod autem Bethlemarbeh in medio nominis Miriam positum sit, ostendit huius Prophetissæ mentem, & cogitationem omnem esse, vt suam virginitatem conseruet, eritque Virgo mente, & actu, quoniam Beth significat Bethulah, quæ virgo interpretatur. Mem verò clausum huius dictionis Lemarbeh, cuius numerus est sexcentum, ostendit ab hora, qua vaticinatum fuit: Ecce Virgo concipiet, vsque ad Messiæ passionem, in qua ipse Legem implebit, quod sexcenti anni transigentur ad vnguem. Quod autem petisti, cuius esset filia, cuiusve Tribus, animaduertere debes parentem eius duplex nomen habiturum, vnum Heli, alterum Ioachim: Heli, quod est nomen deriuatiuum, ostendit eum ad sublimem gradum ascensurum: Ioachim verò, quod compositum est, significat in eius manu Deum suscitaturum salutationem maximam Israel. Tribus autem Iudæ descendit ex domo Zorobabelis filij Salathielis, vt refert Zaccharias cap. 4. Quis tu mons magne coram Zorobabel in planum educet lapidem primarium, qui quidem Lapis est Mater Regis Messię. Hęc, etsi Rabbinica, nostro Instituto inutilia nullus asseuerabit, vel ex eo saltem, vt proinde dicamus, specialiori modo

ri modo ad magni Prophetæ Eliæ posteros spectare ortum tantæ Virginis suppliciùs venerari.

Annus mundi 4039. ante Christum 14.



1 DVBIVM emergere potest historia nostra dignum, an hoc anno, qui veluti intermedius erat inter Virginis natalitium, & eum, quo Deo in Templo a parentibus oblata est, notitia aliqua de ipsius sanctissima natiuitate ad Eliam, & Prophetici Ordinis alumnos, siue in Carmelo, siue in alijs Eremis, & Terræ sanctæ locis degentes, felici forsan sorte peruenerit. Cum enim, iuxta dicta ex Ioannis Ierosolymitani doctrina, veluti *per traditionem acceptum* haberent, per nubeculam illam paruulam in Carmelo Eliæ ipsorum Protoparenti visam denotatã fuisse Virginem quamdam nascituram ab omni peccati næuo immunem, quæ virginitatem perpetuam amplexuta esset, & Mater futura Dei hominis facti, creditu dignum videtur reuelatam ipsis fuisse illius natiuitatem. Accedit, quod cum iuxta dicta *sub anno* 3976. eiusdem sanctissimæ Virginis ortus ab aliquibus Carmeli cultoribus præcognitus, & auiæ Emerentianæ 77. annis ante Christi natiuitatem prænunciatus fuerit, prout eo loco ex pluribus, diuersisque scriptoribus adduximus, conuenienter etiam dici videtur ob eamdem rationem, vt eiusdem iam natæ Virginis notitia ipsis manifestaretur. Præsertim, quia, vt sæpius in superioribus inculcatum est, nunquam Ordini Prophetico spiritus Prophetiæ defuit.

An ortus Virginis notus.

Reuelatus.

2 Nihilominus quia ipse Ioannes *dicto lib. cap.* 34. & 35. solum affirmat sanctissimæ Virginis ortum huius Ordinis professoribus cognitum fuisse, postquam ipsa in Templo a parentibus oblata perpetuam virginitatem vouisse, summo Templi Pontifice id testante, reperta est, ideo ante hoc tempus patefactum eis fuisse, cum nullum extet fundamentum, affirmare non possumus: quæ enim adducta sunt, rem non conuincunt, vt de se patet.

Post oblationem in Templum agnitus.

3 Potuit per id tempus Herodes Rex beneuolentiam, quam erga Essenos, & Carmeli cultores habebat ob Manachemi sibi factam de Regno, Regnique diuturnitate prædictionem, iuxta dicta in superioribus, copiosius demonstrare. Cum enim Agrippa Augusti Cæsaris intimi familiaris, suppar, & gener ab eo in Syriam cum summa potestate missus esset, eumque adijsset Herodes, donis, & muneribus honorasset, ac splendidissimè multis in locis, præsertim Cæsareæ

Herodis beneuolentia erga Essenos.

ſareæ Carmelo confini portu excepiſſet, ab eo viciſſim multa obtinuit pro ſe, & alijs Iudæis, prout refert Ioſephus *lib. 16. antiquit. c. 2.* Inter quæ, quia plura erant ad Templi, & Religionis cultum maximè ſpectantia (cuius rei Eſſeni zelatores aſſidui erant, iuxta dicta in ſuperioribus) ideo facile credi poteſt in re dubia huius Agrippæ magnificentiæ Herodis fauore participes illos etiam fuiſſe.

Anni mundi 4040. & 4041. ante Chriſtum 13. & 12.

Præſentatio B. Virginis.

1  LTERO ex his duobus annis neceſſe eſt contigiſſe deuotiſſimam Beatiſſimæ Virginis in Templum Præſentationem. Cum enim, teſte Euodio Antiochenſi Epiſcopo *in epiſtola*, quam refert Nicephorus *lib. 2. c. 3.* ſanctiſſima Virgo *trimula cum eſſet, in Templum eſt præſentata*. Quem ſequuntur Germanus Conſtantinopolitanus referendus, liber *de ortu Virginis*, qui inter opera Hieronymi circumfertur, D. Bonauentura *in Meditationibus de vita Chriſti cap. 3.* & alij, ſiue hoc trium annorum ſpatium expletum ſit, ſiue quoad duos annos completum, & quoad tertium inchoatum, oportet affirmare altero ex ijs annis id factum eſſe. De parentum voto oblatam Virginem fuiſſe tradunt Patres, ſpecialiter Gregorius Nyſſenus *orat. de natiuitate Chriſti*, Nicephorus *lib. 1. cap. 7.* German. Conſtantinopolitanus *in orat. de oblat. Virginis*. Fuiſſe verò in ipſum Templi locum, qui *Sancta Sanctorum* dicebatur, introductam non ſolum Euodius relatus, ſed & Germanus etiam *in ſermone de Præſentatione Virginis*, & Gregor. Nicomedienſis *in orat. de Præſentat.* affirmant, quos aliqui Recentiores ſequuntur. Alijs verò diſplicet omnino hęc ſententia, cum ex Paulo *ad Hebræos 9. verſ. 7.* conſtet ſoli ſummo Sacerdoti in eum locum ingredi, & ſemel tantum in anno permiſſum eſſe. Propterea etſi valde probabile ſit, Virgini ſanctiſſimæ ob eius eximiam ſanctitatem, & ex ſpeciali priuilegio aliquando in abditiſſimum locum illum Templi, *Sancta Sanctorum* nuncupatum, ingreſſum fuiſſe conceſſum (quis enim eidem denegare poterit, quod ſancto Iacobo Apoſtolo à pluribus cōceditur, iuxta dicta *ſub anno* 4019. præſertim cum rationes ibi pro eo adductæ magis militent pro Virgine Beatiſſima?) Eo tamen loci eſſe reſeruatam, aut cuſtoditam pro toto tempore, quo manſit in Templo, incredibile ſane eſt, nec Patres adducti id intendere poſſunt, cum forſan nomen *Sancta Sanctorum* pro toto Templo acceperint, vt habet Ioannes Nouatus *de*

An ex Parentum voto.

An in Sancta Sanctorum introducta.

De alijs myſterijs Præſentationis.

Præ-

Præsent. Virgin. cap. 5. quæst. 3. De alijs mysterijs, quæ in sanctissimæ Virginis Præsentatione acciderunt, vtputa de quindecim illis gradibus Templi in tenella ætate ab ea sine vllius leuantis, seu ducentis manu ascensu superatis, & similibus piè, & doctè discurrunt inter recentiores Suarez *tom. 2. 3. par. disp. 7. sect. 1.* Barradius *tom. 1. lib. 6. cap. 6.* Morales *in cap. 1. Matth. lib. 1. tract. 10.* Carthagena *tom. 1. lib. 3. homil. 1.* Et Nouatus *de eminentia Beatissimæ Virginis cap. 5.* ad quos remittimus lectorem, cum ad nostrum Institutum non valde ea pertinere videantur, solumque agendum de loco Templi, in quo eadem sanctissima Virgo cum alijs virginibus diuino cultui nuncupata habitauit, quod ad nostræ historiæ intentum proprius deseruiet, vt ex dicendis constabit.

2 Est enim verissima sententia astruens in Templo Salomonico fuisse locum quemdam pro fœminis Deo deuotis, seu diuino cultui mancipatis, quæ vel a parentibus deuotæ erant, vel seipsasmet adulta ætate deuouebant, tutè, & honestè custodiendis accomodatum, in quo potuit Beata Virgo instar Samuelis a matre Anna Dei obsequio oblata commorari. Colligitur primò ex 4. *Reg. 11. v. 2.* vbi habetur Iosabam filiam Regis Ioram sororem Ochoziæ tulisse Ioas filium Ochoziæ de medio eorum, qui interficiebantur ab Athalia, & abscondisse eum in Templo Domini, *eratque cum ea sex annis clam in domo Domini*. Ex hoc enim sequitur in Templo Domini fuisse locum pro fœminis honestè viuentibus, aliàs Iosabas, & ancillæ eius non possent ibi custodiri. Clariùs id colligitur ex 2. *Machabæorum 3. v. 19.* vbi cum Heliodorus a Rege missus vellet prophanare Templum, & propterea non modica per vniuersam Ierosolymam trepidatio esset, *Virgines* (inquit textus) *quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras aspiciebant*. Per quas, vt habent aliqui apud Lyranum *hic*, Suarez *2. to. in 3. p. disp. 7. sect. 1.* Serar. *in Harmon. Machabæor. in cap. 3. & 4. lib. 3.* Mendoza *in quodlib. q. 2. exposit. num. 5. & q. 4. exposit. num. 9.* Petrus Crespessius infra referendus, Torniellus *sub anno 4032. n. 14.* Salianus *sub anno 3870. num. 9. & 10.* & alij, intelliguntur fœminæ virgines in Templi quodam loco conclusæ. Fauet textus Græcus, qui eas vocat *clausas*. Fauent & quædam loca Iosephi, quæ aliqui ipsorum referunt. Maximè fauent S. Ambrosius *lib. 1. de virginibus*, illis verbis: *Etiam Templo Ierosolymis fuisse legimus virgines deputatas*, Nyssenus *orat. de Christi natiuit.* & alij. Fuit autem hic mos ex antiquo Tabernaculo desumptus: vt enim legitur *Exod. 38. n. 8.* Moyses *fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant*

In Templo locus pro fœminis Deo deuotis.

Virginis clausæ.

babant

babant in ostio tabernaculi. Quæ erant, vt Expositores docent, fœminæ quædam, quæ seculi pompæ atque delicijs renunciantes, sese vnà cum suis rebus ministerijs Domini mancipabant, assiduis intentæ precibus ad ostium tabernaculi. Vbi etiam mortificationis operibus vacasse ex septuaginta Interpretibus habetur, qui sic legunt: *De speculis ieiunantium, quæ ieiunauerunt apud ostia tabernaculi.* Inter istas reclusa creditur a pluribus Iephtæ filia, & hanc fuisse mortem, quam ipsius pater illi inflixit, iuxta dicta *in Apparat. cap.* 4. *num.* 17. Harum castitatem commaculabant impij filij Heli 1. *Reg.* 2. *vers.* 22. vbi dicitur: *Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Pro quo videndus Abulensis 1. *Reg.* 2. *q.* 12. De his etiam plura Canisius *lib.* 2. *de Deipara cap.* 12. Baronius *in Apparatu ad Annales* §. *Si fidem adhibendam*. Spenceus *lib.* 3. *de continentia cap.* 7. Serarius relatus, Petrus Crespetius *in Summ. Catholic. Fidei ad Clem. VIII.* Tamburinus *de Iure Abbatissarum disput.* 18. *quæsit.* 2.

3 Ex quibus iam, vt ad nostræ historiæ institutum gradiamur, colligi valet, non rectè plures alios graues, & doctos inficiatos fuisse in veteri Lege virginitatis, & castitatis obseruantiam, in fœminis maximè reperiri. Oppositum namque, tum ex modò adductis, tum ex ijs, quæ diximus *in Apparatu cap.* 4. sufficienter ostenditur. Vbi etiam quomodo hoc nullatenus aduersetur eorum Patrum testimonijs, quæ Beatissimam Virginem primiceriam in Virginitatis custodia appellant. Probabiliter etiam ex dictis colligi potest, aliquas ex ijs fœminis ex aliquali voto virginitatem, seu castitatem seruasse. Præterquam enim hoc ex adductis aliquo modo probatur, vlterius etiam suadetur, ex eo quod de Nazaræorum voto diximus *in Apparatu dicto cap.* 4. *num.* 18. illa enim lex tam fœminas, quàm viros comprehendebat, vt colligitur ex Glossa, Ruperto, Lyrano, Abulensi, Lorino, Cornelio, & alijs in illud *cap.* 30. *Numeror.* Similiter tam deuoto continentiæ, quàm de alijs intelligebatur, vt ex eisdem auctoribus, ac Ruperto *ibid.* colligitur. Accedit quòd de Essenorum fœminis, seu Therapeutidibus diximus *sub anno* 3545. *num.* 27. si enim coniunguntur cum eo, quod eo anno *à num.* 31. scripsimus, scilicet, professores Instituti Esseni illud ex aliquali, etsi imperfecto voto, seu iuramento obseruasse, rectè sequitur fœminas Essenas castitatem eiusdem voti vinculo firmare solitas fuisse. Id quoque confirmatur ex adductis *sub anno* 3976. de Emerentiana S. Virginis Mariæ auia. Item quod de Eunuchis spiritualibus diximus *sub anno* 3341. etiam fœminis applicari potest. Prout enim latè probant Decius *Regula fœmina num.* 110. *ver.* 3. *quæstio.* Tiraquellus *de Retract. lignia-*

Virginitas veteris legis.

An ex voto.

gier.

gitr. §. 1. *gloss.* 9. *num.* 221. Menoch. *de adipiscend. possess. remed.* 4. *n.* 61. Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 16. *num.* 89. quos sæpius *in mea Summa quæstionum Regular.* secutus sum, sub masculino nomine etiam fœmininus sexus comprehendi solet. Quare sicut Eunuchorum spiritualium nomine viros castitatis voto astrictos Patres, & Doctores accipiunt, sic & fœminas eiusdem Instituti. Quod innuit Ecclesia, dum illud *Matth.* 19. Euangelium de Eunuchis, *qui se castrauerunt propter Regnum Cælorum*, in festo S. Agathæ Virginis recitat. Et admittunt Canisius *præfat. in lib.* 2. *de B. Virgine*, Michael Medina *de sac. hom. ecnt. lib.* 3. *cap.* 2. & alij. Id etiam constat ex modo, quo Doctores de huiusmodi mulieribus loquuntur. Abulensis enim loco relato, videlicet 1. *Reg.* 2. *quæst.* 12. eas vocat mulieres *multum Religiosas, & deuotas, scilicet, quòd manebant die, ac nocte in Templo in ieiunijs, & orationibus, & vigilijs, nunquam inde recedentes.* Torniellus etiam loco relato sic: *Oportet in Templo extitisse locum, seu loca quædam ad perpetuam, vel temporalem quarundam virginum, mulierumque Religiosarum habitationem, &c.* Salianus quoque *tom.* 3. *sub anno* 2907. *num.* 10. de ipsis loquens, dicit: *Videntur enim fuisse, quantum rudia illa tempora ferebant, quasi Moniales Domino consecratæ.* Legantur ad intentum Petrus Crespesius *in Summa Cathol. fidei ad Clem.* 8. & Mēdoza *in Quodlibet. quæst* 2. *exposit. num.* 5. & *quæst.* 4. *exposit. num.* 9. hunc locum, vbi hæ virgines clausæ tenebantur, veluti Monasterium, seu Conuentum Sanctimonialium appellans. Vt autem locum demus debitum sanctissimæ Virginis Deiparæ voto, & conformiter ad Patrum mentem, quorum aliquot retulimus *in Apparatu cap.* 4. & præsertim cum alij eam *Virginitatis primiceriam* appellent, dicendum est, has virgines Templi vel non nisi ad tempus virginitatem vouisse, cum tamen Beatissima Virgo ad perpetuam virginitatem fœminarum prima se Deo consecrauerit, iuxta ibidem dicta; vel ipsarum votum solùm conditionatum, & imperfectum, quatenus rudis illa lex patiebatur, fuisse; Beatissimæ autem Virginis omnino, & vndequaque perfectum, omnibusque numeris absolutum.

4 Fatentur autem Doctores, præsertim Suarez, & Torniellus relati, inter huiusmodi pias fœminas in Templo excubantes, vnam fuisse Annam illam, de qua *Luc.* 2. *vers.* 36. sic dicitur: *Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de Tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua, & hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de Templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, & die.* Ex ijs enim clarè habetur hoc tempore, quo Beatissima Virgo in Templum præsentata fuit, ibi habitasse Anna Prophetissa.

bitasse

bitasse sanctam hanc viduam, siue dicatur cum sancto Ambrosio *super hunc locum Lucæ*, octoginta quatuor illos annos fuisse viduitatis ipsius, siue etiam natiuitatis, vt nonnulli arbitrantur. De quo Torniellus *sub anno mundi 3968. num. 3.* Huius porrò Annæ historiam nostris Annalibus alienam omnino non esse facilè comperiet, qui titulos, quare ipsam inter Prophetici Ordinis alumnas recensere possimus, animaduertet. Primus est nomen *Prophetissæ*, quo eam Sanctus Lucas appellat. Iuxta dicta enim *sub anno 3297.* hoc nomen Ordinis Prophetici sectatricem demonstrat. Secundus, quòd a sancto Cyrillo Ierosolymitano *catech. 10.* Baronio *tom. 1. Annal. anno 1. Christi §. verum enim verò*, & alijs appelletur *Religiosissima Monialis*, quo nedum Ordinis Prophetici cultrix, sed & inter eas numeranda, quæ castitatem perpetuam (post viri obitum) obseruabant. Hinc plura ipsius encomia Origenes *homil. 17. in Lucam.* S. Hieronymus *in epist. ad Furiam*. Ambrosius *in lib. de Viduis*. S. Fulgentius *in epistola de statu viduali ad Probam*; & alij. Nec absque continentiæ voto, hanc viuendi rationem elegisse, colligi potest, ex Hugone Cardinali in *Postill. sup. Euang. tot. ann. Dom. infra oct. nam Natiuit.* Crespesio supra relato, & Costerio *sermon. in Dominica infra octauam Natiuitatis Domini*.

An Ordinis Prophetici.

Pij ss. Beatiss. Virginis vita.

5 Sed quam vitæ pijssimam rationem cum hac, & alijs deuotis fæminis in Templo commorantibus sanctissima Virgo egerit, Doctores disquirunt. Illud certius, soli Deo vacasse, formam virtutis effectam, vt de ipsa dixit sanctus Ambrosius *lib. 2. de Virginibus*. Eo etiam tempore cibum ministerio Angelorum accepisse, ex Hieronymo refert D. Bonauentura *in lib. Meditat. vitæ Christi cap. 3.* Gregorius Nicomediensis *homil. de oblat. Virgin. in Templo*, & Cedrenus *in Compend. histor.* Quod enim priuilegium Paulo primo Eremitæ concessum creditur, cur Virgini Deiparæ denegandum? Crebrius ab Angelis visitari solitam ex D. Ambros. *lib. 2. de Virginibus* colligitur. Toto etiam illo tempore ardentissimis desiderijs, ac frequentissimis orationibus Incarnationem Filij Dei postulasse tanto maiori amore, merito, & efficacia, quam omnes superiores Patriarchæ, ac Prophetæ, quanta eos perfectione gratiæ, ac sanctitatis superabat, optimè habet Suarez relatus. De pluribus etiam alijs Deiparæ Virginis encomia tangentibus pulchrè, & piè Mantuanus noster *lib. Parthenices Marianæ*, & alij.

Votum sanctiss. Virginis.

6 Habet vlterius Ioannes noster Ierosolymitanus libro illo de *Institut. Monachorum cap. 34. & 35.* summum Sacerdotem cognouisse Beatissimam Virginem instar Eliæ votum Castitatis emisisse, idque

idque manifestasse Ordinis Prophetici professoribus, vt propterea ipsi cognouerint aduentum Christi iam in proximo esse, & sanctam Virginem fuisse Nubeculam illam paruulam, tanquam vestigium hominis in Carmelo eidem Eliæ ostensam. Quia tamen credibilius est sequentibus annis id contigisse, ideo ibi commodius de hoc agetur. Hic solum dicendum, quod etsi huiusmodi historia certa omnino non sit, immò & apud aliquos apocrypha, quia tamen ab Auctore ante 1200. annos nominato tradita est, nec aliquid sanæ doctrinæ contrarium continet, probabilem fidem merebitur, si doctioribus ita bene visum fuerit. Illud certius hoc tempore clausuræ Beatæ Virginis cum pijs illis Templi fæminis, sacrarum Deo Monialium Institutum sacrasse dici posse, non solum obedientiæ, castitatis, & paupertatis Religiosæ, sed etiam abstinentiæ humilitatis, & mortificationis magistram effectam. In hoc enim sensu locutus videtur Propheta *psalm.*44. dicens: *Adducentur Regi Virgines post eam, &c. adducentur in Templum Regis.* De quo Ioannes Nouatus *in lib. de eminentia Virginis cap. 5. quæst. 2.* Et Munozius noster *in propugnaculo Eliæ lib.2.tit.2.cap.3. art.2.*

7 Addit idem Munozius ibidem *num.*4. affirmari etiam posse Beatam Virginem in Templi penetralibus existentem Essenum, & Elianum Institutum consecrasse, & Carthagena 4. *tom. homiliarum homil. de Carmelit.* eandem sanctissimam Diuam Eliani Instituti sectatricem extitisse. Quod tamen eatenus solum accipiendum videtur, quatenus eminentissima suæ vitæ ratione, quicquid in Esseno, & Eliano Instituto probitatis, & perfectionis erat, amplexata sit, iuxta modum, quo similiter de Christo dicemus intelligendos eos, qui ipsum vitam Essenam æmulatum fuisse dixerunt. De quo inferiùs.

An Essenum Institutum seruauerit.

Anni mundi 4042. vsque ad 4050. ante Christum 11. vsque ad 3.

1 NTER mira alia, quibus Virginis Mariæ sanctitas hoc tempore, quo in Templi sacris ædibus cum alijs sodalibus habitans emicabat, illud erat, quod virginitatem suam Deo ex voto consecrasse summo Templi Pontifici indicasse credatur, & quòd is ea re cognita Prophetici Ordinis Professoribus, qui tunc Ierosolymis erât, Essenis videlicet, vel Assidæis, qui propter specialitatem deuotionis erga Dei cultum, veluti Templi familiares æditui, iuxta dicta in superio-

Virginitatem Deo nuncupauit.

Pontifici indicatum.

perioribus, erant, Virginis sanctum propositum manifestauerit. Cum verò ipsi, vtpotè in Eliana schola educati, animaduertissent id, quod quasi per manus traditum a maioribus tenebant, videlicet Virginem illam per Eliæ nubeculam designatam, eam futuram, quæ instar Eliæ votum virginitatis emissura, & Verbum incarnatum enixura esset, statim cogitare cœperunt Christi aduentum iam prope, & in ianuis fuisse. Quæ omnia cum alijs concernentibus Ioannes noster Ierosolymitanus libro relato *de Institut. Monachorum cap.* 34. *&* 35. doctè satis, in sensu præsertim allegorico, perstrinxit. Capite ergo 34. sic: *Quemadmodum hæc nubecula (scilicet Beata Virgo Maria) in septima generationum prædictarum ætate fuit nata: ita etiam in eadem septima ætate fuit a discipulis Eliæ visa in Carmelum spiritualiter ascendere. Nam antequam decem generationes ascendissent à Melchi, à quo (sicut dictum est) ætas vna incepit: fuerunt docti professores huius Religionis in Hierusalem à summo Templi Pontifice, quod Beata Maria virginitatem Deo seruare proposuerat, ad exemplum Eliæ, sicut præostensum fuit in prædicta visione. In vna (inquit) vice*, ecce nubecula parua *(scilicet Beata Maria)* quasi vestigium hominis *ascendebat in Carmelo. Quæ ideo visa fuit, quasi vestigium hominis ascendere in Carmelum: quia in hoc suo spiritali ascensu non fœminam, quam imitaretur, sed hominem habuit in exemplum. Alioqui nunquam nubecula illa ascenderet in Carmelum, ad quem ascenderunt vtique Elias, & puer suus. Ascendit, inquit, Elias in verticem Carmeli. Interpretatur autem Carmelus scientia circumcisionis, ad quam scientiam ille præcipuè ascendit, qui ita scit præputium impudicitiæ a sua carne, & mente circumcidere, vt non solùm se ab illicito carnalis cogitationis cœno alienum per castitatem reddat, verum etiam ab omni impudicæ voluptatis experimento se immunem per virginitatem custodiat. Propterea quippe data fuit circumcisio in veteri Lege, vt facta in virili membro, in quo libido solet dominari, castitatem mentis, & corporis seruandam, & pudicitiam restringendam indicaret. Nemo autem vnquam ad hanc ascendit circumcisionis scientiam, prius quam Elias, & puer suus (idest cœtus filiorum Prophetarum, & discipulorum eius) ipsi namque primi virorum seipsos Deo per virginitatem perpetuam sponte dedicantes, castrauerunt prorsus venereis voluptatibus suas mentes: & propterea appellati sunt Carmelitæ, quod est interpretatum scientes circumcisionem. Quia hoc quod circumcisio indicat cæteris præcellentibus hominibus altiùs inchoantes, sciuerunt perfectè in se adimplere. Ad montem quoque Carmeli, idest, ad hanc altam circumcisionis scientiam nubecula illa (scilicet Beata Maria ideo quasi vestigium hominis ascendebat: quia non fœmina, sed homo (scilicet Elias) exem-*

Io. Ierosolymitanus.

Summus Pontifex Templi.

Circumcisio veteris legis.

Carmelitæ quid.

exemplum ascendendi ei praebat, quem ipsa imitari satagebat. Nam sicut Elias prius praeputium impudicitiae sciuit a sua carne, & mente prorsus circumcidere, dum primus inter homines studuit virginitatem perpetuã sponte inchoare: ita postea Beata Dei Genitrix praeputium impudicitiae sciuit exemplo Eliae a se penitus circumcidere, dum quasi vestigium hominis *illius elegit prima faeminarum propter Deum in virginitate perpetua viuere. Hinc est, quod sponsus in epithalamio illi dicit gratulabundus:* Caput tuum vt Carmelus, *vbi per caput intelligitur recte anima mens: quia sicut in corporis membris caput praeminet, ita in viribus animae mens est dignior. Et sicut a capite membra: ita a mente caetera vires animae reguntur. Carmelus verò cognoscens circumcisionem interpretatur. Recte igitur sponsus huic Virgini congratulans ait:* Caput tuum, *idest, mens tua, ò Dei Genitrix, est* vt Carmelus, *idest, vere cognoscens circumcisionem. Quia prima faeminarum per spontaneam voluntatem, & virginitatem sciuisti a te prorsus circumcidere omnem veneream voluptatem.*

Elias virginitatem perpetuam coluit.

Carmeli interpretatio.

2 Deinde *cap.* 35. sequenti sic ampliat idem intentum: *Tandem demonstratum est discipulis Eliae in eadem visione, quo ordine nasceretur Dei Filius de hac Virgine. Nam mox vt puer Eliae (scilicet coetus discipulorum eius) vidit nubeculam illam de mari,* quasi vestigium hominis *in Carmelum ascendere, dixit Elias puero suo:* Ascende, & dic Achab: Iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia. *Signum quippe expressum imminentis Incarnationis Filij Dei fuit, scilicet, quod coetus discipulorum Eliae vidit nubeculam, & infantulam illam, quasi vestigium hominis ascendere per modum praedictum in Carmelum: hoc est, tantam habere circumcisionis laetitiam, & scientiam, vt seruare vellet continentiam. Vnde cum coetus professorum huius Religionis audisset in Ierusalem iuuenculam illam vouisse Deo virginalem continentiam, confestim perpendit, quod aduentus Filij Dei prope, & in ianuis erat. Et quemadmodũ Elias praeceperat, ita ascendit tunc coetus discipulorum eius per orationem ad Achab, qui fraternitas paternitatis interpretatur. Significat enim Dei Filiũ, inter quem & genus humanũ, antequam ipse incarnaretur, erat fraternitas tantũ paternitatis, quia a quo patre fuit Dei Filius aeternaliter genitus, ab eodem patre fuit creatum humanum genus, ita vt Dei Filius non confundatur patrem suum appellare patrem eorũ, dicens: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum. Sed quia inter genus humanum, & Dei Filium, antequã ipse incarnaretur, non erat fraternitas maternitatis, quoniam Dei Filius nondũ erat ex matre natus. Ideo optans coetus discipulorum Eliae, vt haec fraternitas inter eos fieret, ascendit per orationem ad Achab, idest, ad Dei Filium, & sicut Elias praeceperat, ita suppliciter Dei Filio dicebat:* Iũge currũ tuũ. *Currus quidem a currendo est dictus. Est enim vehiculi rota circularis fi-*

Incarnationis mysterium.

Coetus discipulorum Eliae

gura,& habilis ad portandum onus. Significat autem diuinam Filij Dei naturam, quæ est circularis, id est, æterna, & carens fine instar rotarum carri quæ principio, & fine carent. Per quam naturam diuinam ipse exultauit vt Gigas ad currendam viam, *portans (vt ait Apostolus)* omnia verbo virtutis suæ. *Dicebat ergo suppliciter tunc illi puer, id est, cœtus discipulorum Eliæ: Iunge (naturæ scilicet nostræ) currum tuum, id est æternã naturam tuam, & descende ad nos, ne te occupet, id est, retardet, sed magis prouocet pluuia, scilicet, quòd descendes* sicut pluuia. *Decet enim te, sicut pluuia in vellus descendere, quoniam vellus pluuiam in ipsum sine strepitu descendentem accipiendo, vel reddendo, nõ rumpitur, sed integrum seruatur. Ita quoque te decet taliter, & absque strepitu operationis humanæ in nubeculam, id est, in Virginem Mariam placido illapsu descendere, & currum tuum, id est, æternam naturam tuam humanæ naturæ in vtero Virginis iungere: vt Virgo te Deum simul, & hominem concipiendo, deinde pariendo, non rumpatur, sed integra in sua virginitate conseruetur. Fuerunt autem exauditi Eliæ discipuli in hac supplici eorum deprecatione, sicut sequitur in prædicta visione. Cumque, inquit, se verterent huc, scilicet ad contemplandam in adolescentula spontaneam virginitatem, atque illuc, scilicet ad deprecandam pro descensu filij summam Deitatem,* ecce cæli contenebrati sunt, *& nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis. Per cælos honor, virtus, & celsitudo Filij Dei intelligitur; cuius aduentum præstolans Propheta dicebat:* Domine inclina cælos tuos, & descende. *Per nubem Virgo Maria, sicut dictũ est, designatur; per ventum verò spiritus sanctus indicatur, quemadmodũ per Prophetã dicitur:* Flabit spiritus eius, & fluẽt aquæ. *Ideo cæli, & nubes, & ventus fuerunt tunc cõtenebrati, quando virtus altissimi obumbrauit ei. Ideoq; & quod natũ est ex ea sanctum, vocabitur Filius Dei. Et tunc facta est pluuia gratiæ grandis, quoniam* Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriã quasi vnigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis. *De cuius plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, vt ait Io: Euan.* Hæc ille.

Filij Dei natura.

Sicut pluuia.

Deiparæ virginitas.

Pluuia gratiæ.

3 Pro quorum maiori luce, inspiciendum primò est, quo tempore sanctiss. Virgo votũ hoc virginitatis perpetuę emiserit. Et quidẽ ex Ioanne relato nihil de hoc constare potest. Etsi enim c. 34. dixerit, quòd B. Virgo virginitatem Deo seruare proposuerat, & postea: *Elegit prima fœminarũ propter Deũ in virginitate perpetua viuere.* Et infra: *Prima fœminarum per spontaneam voluntatem, & virginitatem, &c.* & c. 35. *Vt seruare vellet continentiam.* Et infra: Vouisse Deo *virginalem continentiam:* Et inferius: *Spontaneam virginitatem.* nihil tamen de tempore, quo hoc votum, seu promissionem emisit, affirmat. Ex alijs ergo Doctoribus res sumenda est. Inter quos etiam a primo Conceptionis momen-

Quo tempore B. Virgo votũ emiserit.

momento id votum emissum probabile iudicant aliqui, quos sequitur Ioannes Nouatus *de eminentia Beatæ Virginis cap. 7. quæst. 28.* Et sane cum Beatiss. Virgini magna pars Theologorum etiam pro eo instanti vsum rationis cum scientia infusa concedat, pium valde, & credibile est, quod sicut tunc se totam Deo ex charitate obtulit, sic quod & virginitatem ex voto eidem nuncupauerit. Esto autem in Conceptionis momento illud non emiserit, saltem quando in Templum ingressa est, id fecisse probabilissimum credimus. Colligitur ex testimonijs Ioannis relatis, & maximè ex illo *psalm.* 44. relato: *Adducentur Regi Virgines post eam,* adiuncto illo: *Adducentur in Templum Regis.* Quo denotatur in Templo fuisse Beatam Virginem virginum Deo ex voto consecratarum Antesignanam. Ad minus tamen ante contractum matrimonium cum Iosepho id factum esse, ex communi sententia Theologorum tenet Suarez *tom. 2. in 3. p. disp. 6. sect. 2.* de quo Baronius *in Apparatu ad Annales*, §. *sed antequam cætera.* Quod certissimum putamus, & habetur ex reuelatione eiusdem Virginis ad S. Brigittam *lib. 1. reuelat. cap. 10.*

Quorumdam placitum.

Quando in Templum ingressa est.

4 Id verò, quod idem Ioannes dicto *cap.* 34. dicit, scilicet Beatam Virginem seruare proposuisse virginitatem *ad exemplum Eliæ.* Et infra: *In hoc suo spirituali ascensu non fœminam, quam imitaretur, sed hominem habuit in exemplum.* Et inferius: *Non fœmina, sed homo (scilicet Elias) exemplum ascendendi ei præbebat, quem ipsa imitari satagebat.* Adhuc inferius: *Exemplo Eliæ elegit prima fœminarum propter Deũ in virginitate perpetua viuere*; quamuis aliquibus scrupulum ingesserit, indignum videlicet credentes, quod Beata Virgo Eliæ imitatrix fuerit in virginitate seruanda, vel vouenda; re tamen bene inspecta; nihil est in hoc animaduersione dignum. Intentum etenim Ioannis solum est, Eliam priùs tempore B Virgine huic se virginitatis obseruantiæ mancipasse; quod est verissimum. Cum etiam verissimum sit, nec Ioannes id refragetur, Beatissimam Virginem primam dignitate, eminentia, intentionis, & perfectionis ordine in huiusmodi prærogatiua extitisse. Quemadmodum enim licet innocentia Abel, obedientia Isaac, patientia Iob, & aliæ Patrum priscorum eximię virtutes tempore priores Christo fuerint, præstantia tamen, excellentia, ordine intentionis, & dignitate, charismatibus similibus eiusdem Christi cedunt, sic pariter de virginitate Elię, cum sanctissimæ Deiparæ virginitate censendum, ita vt illa prior tempore fuerit, hęc verò prior in intentione, dignitate, & excellentia. Vnde licet aliquo modo, spectata scilicet temporis diuturnitate, B. Virginem ad Eliæ exemplum eam obseruasse, & vouisse dici possit (quo sensu Ioa-

Quomodo ad exemplum Eliæ.

nes relatus loquitur) simpliciter tamen, & absolutè loquendo, potius
Virginitas Deiparæ exemplar aliorum. è contra affirmare debemus, virginitatem videlicet sanctissimæ Virginis exemplarem causam, & veluti finalem virginitatis Eliæ, & aliorum Prophetarum fuisse. Si enim, iuxta dicta, ex illa nubeculæ visione in Carmelo sibi a Deo ostensæ cognouit Elias; Dei Matrem Virginem futuram, virginitatemque suam Deo ex voto sacraturam, quid mirum, quod ipse, & discipulorum cœtus, ipso monente, tantæ Virginis exemplum æmulari studuerint. Præsertim, quia, vt dicemus *sub anno* 4086. *num.* 44. Elias hunc Ordinem in eiusdem Virginis honorem, & sub ipsius Patronatu instituit.

Virginis Patronatus.

Quod aptè satis expressit Vvaldensis noster *tom.* 3. *de Sacramentalibus tit.* 9. *cap.* 89. *n.* 9. asserens contra Vviclephum, Ordinem præfatum inchoatum fuisse ab Elia *ad sanctæ Virginis patronatum*, quo dignitatis, & intentionis ordo designatur; subiungens tamen: *Quæ prima Virgo Propheta in virginitatis perpetuæ voto successit*, solum temporis, & executionis Ordinem indicauit. Vide verba Methodij *eo anno num.* 43. referenda; ex eis namque colligi datur, potius virginitatem Eliæ in honorem B. Virginis ab ipso obseruatā fuisse. Quod etiam indicat Ioannes Geometra Græcus, & vetustus auctor eo loco referendus. Et habent Petrus Vvastelius noster in *vindic. lib. Ioannis Ierosolymitan. artic.* 4. §. 5. *obiect.* 2. ac Ioannes Silueira eiusdē Instituti alumnus *lib.* 2. *in Matth. cap.* 9. *quæst.* 10 Methodij verbis inhærentes, alij quoque eo *num.* 43. referendi.

5 Quomodo autem id, quod in fine *cap.* 35. subiungit idem Ioannes, quòd scilicet filiorum Eliæ orationes exauditæ sint pro descensu, & Incarnatione Verbi, ea quæ in proximè sequentibus annis dicimus, manifestè demonstrant. Prius tamen, quę Baptista Mantuanus Poeta clarissimus de huiusmodi voto virginitatis sanctissimæ Deiparæ adinstar Eliæ, & discipulorum (modo explicato) cecinit

Baptista Mantuanus.

lib. 1. *Parthenicæ Marianæ*, hic placuit describere. Introducit Mantuanus sanctam Annam Dei Genitricis matrem illam poscentem, vt matrimonij legibus subdi patiatur, & postea Virginis responsum sic:

Vocibus his Virgo in fletus prorupit, & ibant
Per roseos vultus lacrymæ: quas chara legebat
Admoto siccans oculos velamine mater.
Dedidicit fletum, & pressis singultibus orsa est:
Chara parens tantum materni flumen amoris,
Quod lacrymis, gemituque tumet, quod plenus acerbis
Significat curis, & sollicitudine sermo:

Quæ

Quæ non corda domet vel ferrea; lumina quæ non
Miserit in fletus: tepidoque impleuerit imbre?
Hæc tua tanta parens pietas mea viscera dudum
Stringit, & accensam mouet ad suspiria mentem,
Si finerer, quo inclinat amor, vestigia ferre.
Nec tot opus lacrymis, nec tot singultibus esset:
Namque animus totis vota in tua viribus iret:
Nec fuit à teneris quicquam mihi dulcius annis,
Quam curam gerere: & votis parere parentum.
Sed cœleste meum tulit in contraria pectus
Numen: & impatiens studijs ingentibus ardor
Sollicitat: cogorque nouo parere furori.
In noua cœpta meos sensus, imasque medullas
Impulit æthereus genitor, magis ardua nobis,
Et melior tentanda via est: Deus ire per altum
Suadet iter, quod si est vobis aliena voluntas,
Curaque, non eadem; veniam diuina sequenti
Iussa date, & quo fert Cœlum conuertite mentem.
Me mea virginitas, impollutique pudoris
Immortalis amor gratam fecere Tonanti.
Ille meo amplexu fruitur, semperque virentis
Flore pudicitiæ: Thalamum fortasse subire:
Atque maritales potero coniungere tædas.
Non poterit maculare meum Venus illa cubile,
Virgineumque decus: custodiet ipse pudorem,
Qui dedit hæc mihi vota Pater, castique nitorem
Corporis, & mentem nullum mihi polluet æuum.
Hæc eadem sanctos mouit sententia Vates,
Et magnos habet auctores: temeraria forsan
Diceret: & propriæ male consuluisse saluti
Ausa per ignotos calles, si prima fuissem,
Vadere, & ambiguis solam me credere ventis,
Rumpereque audaci nondum vada cognita gressu.
Clara per hos magnus liquit vestigia calles
Elias: Eliadesque viri gratissima cœlo
Progenies visura suo de semine diuos.
Sic stat: & immotum tenet hæc sententia pectus.
Tu Genitrix patiare oro: & solare parentem
Longæuum, curæ sese sciat esse Tonanti,
Ipse aderit: senioque graues solabitur annos:

Virginitatis amor.

Eliadum progenies.

Sic

Sic Virgo, & mater lacrymantem amplexa recessit.

Ioannis proinde,& Mantuani doctrinam supponunt Iodocus Badius, Ascensius, & Sebastianus Murrho eiusdem Mantuani commentatores super hunc locum *lib.1.Parthenic.* sequuntur etiam alij, specialiter Ioannes Suarez Episcopus Conimbricensis *in Comment.in Matth. cap.2.tract.* 1. affirmans Beatiss. Virginem in voto virginitatis emittendo habuisse *exemplum in Elia, & Elisæo.* Dominicus Sotus inferius referendus, dum votum virginitatis Deiparæ Augustissimæ exẽplum aliquod in Iudæorum progenie, Prophetis maximè, Isaiâ,Elisæo, & Ieremia, ac Essenorum Collegio habuisse, demonstrat. Qui omnes (& si qui alij fuerint) eo solum sensu accipiendi, quod scilicet Elias, & discipuli primi tempore Mariæ id votum emiserint, & propterea, vt diximus, aliquo modo ipsos æmulata dicatur, cum tamen simpliciter, & absolute ipsa Virgo sanctissima dignitatis, eminentiæ, & præstantiæ ordine primum exemplar, & veluti ipsorum finis in re tam ardua amplectenda appellari debeat.

Virgo sanctiss. omnium exẽplar.

6 Pro his tamen, quæ adduximus, magis roborandis prætermittendum non est grauissimum clarissimi Theologi Dominici Soti testimonium. Is enim *in 4.dist.30.quæst.2.art.1.* loquens de voto virginitatis S. Virginis, expresè asserit ipsam in virginitate colenda exemplum habuisse in sua gente, Isaia nempe, Eliseo, Ieremia, & Essenis. Sic enim scribit: *Veritas hac praterea multis Prophetarum exemplis comprobatur. Isaias namque, Elisæus, & Ieremias, vt Hieronymus l.1.contra Iouinianum auctor est, compluresque alij à re vxoria se prorsus abdicarunt, circumeuntes (vt ait Paul.ad Hebr. 11.) in melotis, & in pellibus caprinis, in solitudinibus oberrantes, & in speluncis, & cauernis terra. Et Iosephus l.18. Antiquit. & Solinus in Polyhistoria c. 48. referunt ante Christi aduentum Essenorum collegium in deserto Iudeæ more nostrorum Anachoretarum sanctissimam deguisse vitam, ab vxoribus prorsus, & ab omni conspectu fœmineo semotissimam: quorum Institutum secutus est Ioannes Baptista. Vnde quamuis nullam aliam habuisset B. Virgo reuelationem, exemplum in sua gente haberet virginitatis colendæ.* Hæc grauis doctor, satis aptè ad intentum nostrum: ijs enim comprobatur virginitatem Dei Genitricis exemplum habuisse (temporis videlicet prioritate) in Prophetis, & Essenis.

Sotus.

Annus

Annus mundi 4051. ante Christum 2.

1 NTER varias, multiplicesque de Christi ortus anno, in quas nedum antiquissimi Patres, sed & moderni Doctores dissecti sunt, sententias, & in quibus iudicem agere nec nostri otij, nec nostrarum virium opus est, illam sequimur, quæ sequentem annum 4052. eiusdem Incarnationi, & Natiuitati, præsentem verò Virginis desponsationi designat. Tuetur eam diligens valde auctor Iacobus Salianus sub his annis, varijs notis, ac fundamentis eam confirmans, quæ nos, vt diximus, prætermittimus, ad alia properantes. Ipsius desponsatio.

2 Sit ergo sub hoc anno, qui quartus decimus erat ætatis sanctissimæ Virginis eiusdem cum iustissimo Iosepho desponsatio, quæ sic contigit. Vndecim annorum spatium in Templi sacris ædibus cum Virginibus, & fœminis Deo dicatis peregerat, cum ad annos pubertatis deueniens, matrimonij legibus subijcienda videbatur. Obstabat tamen virginitatis votum, cum rei Deo oblatæ hominem dominum facere absurdissimum esset. Deliberantes igitur Templi ministri, Deo illuminante, in hanc sententiam deuenerunt, vt eam connubij nomine Iosepho viro iustissimo, & eiusdem Tribus cum Virgine, sine violandæ virginitatis periculo, traderetur. Sic ferme ex Euodio apud Nicephorum *lib. 2. cap. 3.* Nysseno *in orat. de Natal. Christi:* reuelatione eiusdem Virginis ad sanctam Brigittam *lib. 1. cap. 10.* & alijs fuisse; nihilominus inter ipsam, & Iosephum verum matrimonium rectè probant Theologi, præsertim ipsorum coryphæus S. Thom. *3. par. quæst. 29. art. 1.* quem tota schola sequitur, ex *Matth. 1.* illis verbis: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* & rursus: *Iacob genuit Ioseph Virum Mariæ.* Item: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* & *Luc. 1.* illis verbis: *Ad Virginem desponsatam Viro, &c.* vt propterea illorum plures hanc rem ad fidei dogmata pertinere existiment, de quo Suarez *3. tom. in 3. par. disp. 7.* Petrus Morales *in cap. 1. Matth.* & alij. Vndecim annis fuit in Téplo. S. Iosepho traditur.

3 Cur autem Beato Iosepho, & non alijs ex Virginis contribulibus in matrimonium tradita sit, ex *lib. de ortu Virginis* inter opera D. Hieronymi relato id habetur. Pontificem videlicet Dei oraculo commonitum nouisse cunctos de domo, & familia Dauid nuptui habiles non coniugatos virgas suas allaturos ad altare, & cuius virga floresceret, atque in eius cacumine spiritus Domini in specie columbæ consedisset, eum esse, cui Virgo desponsari, & commendari deberet. Cur ipsi, & non alijs. Historia de virga florescente.

beret. Quod cum in Iosepho feliciter contigisset, liquido omnibus patuisse, Virginem ei desponsandam fore. Sic etiam fermè legitur in vita sanctæ Annæ per Petrum Dorlandum Carthusianum descripta, c. 6. quæ habetur in fine libri *de vita Christi*, Ludolphi de Saxonia; & apud alios auctores, quos refert Petrus Morales *in cap. 1. Matth. l. 2. tract. 2. num.* 8. & sequitur Ioannes Nouatus *in lib. de eminentia Virginis cap. 6. quæst.* 4. eamque historiam confirmant nonnullæ antiquæ in Ecclesia picturæ, in quibus prædicta repræsentantur, & congruentia, quia si virga Aaron *Num.* 7. floruit in signum, quod ipse a Deo electus esset Sacerdos, iure etiam id in Iosepho contingere poterat, qui ad tantam dignitatem, vt Virginis Sponsus esset, & Christi pater putaretur, euehebatur. Rem sic ex celeberrimo Mantuano *Parthenic. Marianæ lib.* 2.

Baptista Mantuanus.

Tum diuina preces mens, quæ non despicit æquas,
Ad summum secreta dedit responsa choragum
Sacrorum, tenues fugit leuis ille per auras
Ingressusque senis nocturna cubicula somnos
Abstulit, & alit est aggressus voce pauentem:
Sumere thraicia virgas de fronde tribules
Quemquam suam: & ferri sumptas in templa iubere.
Mane reuertantur, cuius frondere cacumen
Videtis, illius domino coniunge puellam.
Hæc ait: & motis abiens euanuit alis.

Et post alia, quæ omittimus, qualiter S. Iosephus, cuius sola virga floruisse reperta fuit, iuuenibus alijs reiectis, ad Virginis connubium admissus sit, sic cecinit:

Ducitur in medium senior, plausuque sonoro
Susceptus: iussusque gradu discumbere summo
Obstupuit, nec enim senio iam fractus Ioseph
Ad tam insperatos animum tollebat honores:
Venerat edicto cupidus parere: relictam
Mens vel ad incudem, vel ad ærea signa vocabat:
Et tanta hæc fieri de se spectacula nunquam
Crediderat: iuuenes post tam manifesta repulsam
Omina perpessi demissis frontibus ibant;
Et rerum ignaris, tam florida Virginis ora
Non bene coniungi gelidæ, turpique senectæ
Murmur erat: tamen & virgæ noua signa virentis
Mæsta per ancipites ducebant pectora curas.
Discessere loco: virgisque abiere relictis.

Hinc

4 Hinc credibilior fiet historia, quam graues aliquot auctores referunt de Agabo vno inter eos iuuenes, qui Virginis sanctissimæ connubium desiderabant. Hic enim cum casto eiusdem Virginis amore teneretur, nec id assequi posset (forsan enim ex illis fuit, cuius virga florescens non est visa) rem magica arte sciscitans, nihil scire potuit, præter quam quod in Virgine magnum lateret sacramentum. Rem sic enarrat Petrus Dorlandus in vita sanctæ Annæ *c.6.* de qua supra: *Vox diuina ex propitiatorio ad Pontificem audita est, iubens omnes viros cælibes de sanguine Mariæ, & stirpe Dauid postridie ad Templum conuenturos cum virga arida; quæ in cuius manibus florere inciperet, eum Virginis sponsum declararet. Interea Agabus casto Virginis amore captus euentum magica arte sciscitans, nihil scire potuit, præterquam magnum in Virgine latere sacramentum. Quocirca repulsam passus ad Carmelitas se contulit, vbi sanctam vitam vixit vsque ad Apostolorum prædicationem, qua illis (vt eorum attestantur actus) coniunctus est.* Optimè etiam Mantuanus loco relato:

Agabus.

Petrus Dorlandus.

Horum vnus vetitas artes edoctus: vt almum
Intempesta diem tacitis nox abstulit vmbris
Solus in aeriæ turris fastigia secum
Arma, togasque ferens sacrauit manibus aram
Sub dio: testis nemo nisi ventus, & astra:
Nocturnasque preces iterans præscire volebat
Parthenicesne sibi thalamum sperare liceret.
Ecce per aereos tractus magno agmine ab orco
Spiritus obscuris ad turrim annauigat alis.
Qualis vbi veniens ad fœda cadauera vultur:
Brachia præcipiti iactat plumosa volatu,
Atque gradum sistens nigro sic incipit ore
Fare: Quid infernas nocturnis cantibus aures
Sollicitas? quæsita dari responsa vetantur,
Æthereæ prohibent animæ, numenque triforme.
Altius abstrusum latet hac in Virgine quiddam,
Quod disci scirique nefas.

Et post alia tanti Poëtæ inter Christianos Principis digna:

Perculsura trepida iuuenem formidine fortis
Pœnituit, secumque putans audita seueros
Carmeli Patres adijt, (tunc omnis Eremi
Cura fuit penes hos: & cælibis otia vitæ)
Moribus auxilium fractis habiturus, vt altam
Se tulit in montis requiem, syluasque silentes

Perse-

Persecrete tulit gressum Spelea: virumque
Viuendi cæleste genus miratus amorem
Imbibit immensum cæli: seque ipse perosus
Incola Carmeli vixit, tandemque voluto
Tempore cum magno fidei mysteria Paulo
Edidicit: Mariæ primus cum patribus ædem
Vertice Carmeli posuit, sociosque vocatos
Ad Iordanis aquam lustralibus abluit vndis,
Cum Baptista nouæ iaceret primordia gentis
Hispidus hirsutæ villoso tegmine capræ:
Protographus Lucas Agabum vocat, omnia multo
Ante videns animo fuit.

Auctores varij Quam etiam historiam referunt Mantuani eiusdem Commentatores Iodocus, Badius, Ascensius, & Sebastianus Murrho relati (lege illos) Laurentius Masellus Iesuita *in vita sanctæ Mariæ Virginis* apud Petrum Sarracenum *in Menolog. Carmelitar. in vita S. Dionys. Papæ*. Carthagena *tom. 4. homil. hom. pro Carmelit.* Didacus Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 6. cap. 3.* Ioannes Pintus de victoria *in Hierarch. Carmelit. tract. 2. cap. 7.*

Ordinis Prophetici. 5 Illud tamen certius videtur, hunc Agabum inter Ordinis Prophetici professores numerandum esse, prout habent Honuphrius Menescalus *in concione B. M. de monte Carmelo*; Carthagena *tom. 4. homiliar. homil. pro Carmelit.* colligitur tum ex modò dictis, tum ex testimonijs S. Paginæ, vbi Propheta vocatur, videlicet *Act. Apostol. cap. 11. vers. 27. & 28. & cap. 21. vers. 10.* hoc enim nomine, iuxta dicta *in Apparatu cap. 2.* regulariter denotatur Eliani, & Prophetici Ordinis alumnus. Quod maximè confirmatur ex Eusebio Cæsariensi *lib. 2. histor. Eccles. cap. 3.* vbi veluti exponens locum relatum ex *c. 11. Act. Apostolor.* qui talis est: *In his autem diebus peruenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam, & surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram*, dicit: *Apud Antiochiam florentissima congregatur Ecclesia, in qua erant etiam Prophetici Ordinis viri quamplurimi.* Et paucis interiectis: *Qua tempestate Agabus quidam vnus ex his, qui aderant Prophetis, famem magnam futuram diuinis præsagiebat oraculis.* En clarè qualiter hic Agabus & *Propheta*, &
Agabi historia *Prophetici Ordinis* vir appelletur, quia scilicet idem vtroque nomine importatur. Eos autem, quos ibi Eusebius *Ordinis Prophetici* appellat, nostris ascribendos esse ex alio testimonio Luitprandi *in fragmentis*, quæ Dom. Thomas Iamaio de Vargas Catholici Regis Historicus Typis mandari fecit a paucis annis, clarè habetur. Sic enim ibi

ibi *fragmento 256.* dicitur: *Mihi valde probabile est, & legitur in Orientis historijs, Elpidium, & reliquos Episcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hispanias, & ab ipso Iacobo baptizatos, fuisse de numero Carmelitarum, qui in Hispania, & per alias Regiones Monachatum introduxerant. Istos vocat Eusebius lib. 2. c. 3. Prophetici Ordinis.* Propterea ipsius Agabi gesta nostrorum Annalium historiam concernunt. Antiochenum patria fuisse plures tenent, etsi id incertum videatur, cum fuerit ex tribu Iuda, alioquin Virginem sanctissimam, quæ ex eadem tribu erat, in sponsam habere non affectasset. Nisi dicatur ortum habuisse ex Iudæis Antiochiæ commorantibus, vt propterea patria Antiochenus, genere tamen Iudæus esset. Vnus fuit ex 72. discipulis, prout ex Dorotheo *in Synopsi* recentiores accipiunt. De eo plura in sequentibus, maximè Tomo 2.

Annus mundi 4052. & primus Conceptionis, & Natiuitatis D.N. Iesu Christi.

1  IACOBI Saliani inter Annalistas celebris auctoris placitum, vt diximus, sectantes huic anno omnium maximo, felicissimo, sacratissimo, & omnium seculorum veluti centro, cardini, fini, & scopo assignandum credimus miraculosissimum, & gloriosissimum Verbi diuini facti hominis ex Virgine Matre Conceptum, & Ortum. Erat ille, iuxta computum nostrum, ætatis eiusdem Virginis 15. sextę mundi ætatis 537. Imperij Romani 47. Augusti Cęsaris 42 Herodis Regis Iudęæ 36. & 39. ab Vrbe condita 751. Olympiadis 194. annus 3. In quo etsi tot mysteria contigerint, vt nec Angelico captu cõprehendi possint, pro nostro tamen modulo, nec prætermissis his, quæ historiam nostram concernere videntur, ea perstringemus. Christi Incarnatio.

2 Hoc ergo anno sub die 25. Martij integris nouem mensibus ante Natiuitatem, vt sentit vniuersalis Ecclesia Patrum testimonio roborata, cum sanctissima recens desponsata Virgo in Nazarethana humili Galilæę vrbe cum Ioseph sponso moraretur, missus est ad eam Angelus Gabriel a Deo lætissimum de Saluatoris ex ipsa concipiendi sacramentum annuncians, diuinaque Incarnationis, ac Redemptionis humani generis mysteria adaperiens. Cui cum Virgo virginitatis perpetuæ, quam vouerat, amantissima difficultatem, quę propterea ex parte sua esse poterat, proposuisset, & Angelus satisfecisset, humillima sui in Deum resignatione illis verbis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum*, præbita; protinus in castis- Annunciatio B. Virginis.

ſimo, & intemerato ipſius vtero, cooperante Spiritu ſancto, *Verbum caro factum eſt*. De hoc *Luc.* 1. & *Ioann.* 1. Expoſitores, alijque Patres plura dicunt, nec ſufficienter pro tanti myſterij dignitate, ac maieſtate. Hæc, quia omnibus obuia, prætermittimus. Quæ verò Mantuanus noſter piè, & ſtudiosè de ipſo in 2. *lib. Parthenic. Marianæ* decantauit, referre placeret, niſi ad alia vocaremur.

Myſterium cunctis deuotiſſimum.

3 Deuotiſſimum hoc cunctis Adę filijs Incarnationis, & Annũciationis ſacramentum ſpecialiorem in noſtris Eliæ, & Carmeli alũnis deuotionem efflagitat. Quia illud eidem Eliæ Parenti in eodem monte ſub nubecula paruulæ, inſtar veſtigij hominis, viſione adumbratum eſt, iuxta dicta in præcedentibus, & quia alijs eiuſdem Carmeli incolis ſub ſpecie floris puriſſimi, atque fragrantiſſimi odore cœlum, ac terram perfundentis delineatum, iuxta ea, quæ diximus *ſub anno* 3976. Accedit, quod & Nazareth tanti myſterij celebrandi, veluti ſacrum theatrum eidem Carmelo vicina, & in proſpectu poſita Ciuitas eſt, vt Terræ ſanctæ deſcriptiones intuenti manifeſtè conſtabit. Adeo vt vallis illa, ſeu planities inter Carmelum, & Nazareth interiecta *Carmelon* nuncupetur, & ad Carmelum ipſum ſpectet, vt habet Vvolffangus Vveiſemburgius *in deſcript. Terræ ſanctæ.* Hinc Deo prouidente ſacra Nazarethana domuncula, in qua Virgo intemerata morabatur, & in qua ab Angelo ſalutata nuncium de Verbi Incarnatione ſuſcepit, ſub Carmelitarum cura olim fuit, & tempore, quo in Terra ſancta manſit, & aliquot annis poſt quam Lauretum tranſlata eſt, vt monſtrabimus in ſequentibus Tomis, & referunt noſter Baptiſta Mantuanus in *Hiſtoria Lauretana*: Horatius Torſellinus *in eadem hiſtoria lib.* 2. *cap.* 5. & 17. Octauius Pancirollus *in lib. cui titulus Teſori naſcoſti dell' Alma Città di Roma*, loquens de Eccleſia ſancti Iuliani ad trophęa Marij, & Bzouius *in Annalibus ſub anno Chriſti* 1489. *num.* 17. Omittere etiam non poſſumus, quæ impij aliàs auctores Magdeburgenſ. *Centuria* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. ſcripſerunt, ijs enim denotari videtur, ſuppoſitis præmiſſis, Virginem ſanctiſsimam cum Carmeli incolis hoc tempore ante Chriſti ortum conuerſatam fuiſſe. Sic autem habent de Nazarę is loquentes: *Habitauit in eo Maria inter pios homines ab infantia enutrita, qui ardentibus votis Meſſiam expetiuerunt.*

Nazareth ſitus.

Viſitatio S. Eliſabeth.

4 Subſecuta mox eſt viſitatio ſanctæ Eliſabethæ ab eadem Virgine Maria facta, de qua *Luc.* 1. *verſ.* 39. Patres, & Expoſitores, noſterque Mantuanus Poëſeos Chriſtianæ ornamentum *lib.* 2. *Parthenic. Marianæ*. Saluatore ergo concepto Beatiſsima Virgo abijt in montana, videlicet Hebron ciuitatem Tribus Iuda ſacerdotalem, vt pa-

ter,

tet Iosf. cap. 21. verf. 11. ad visendam cognatam suam prægnantem Elisabeth Zachariæ sacerdotis ibidem morantis, vxorem. Quæ vt primum audiuit salutationem Virginis, exultantem in vtero suo fœtum sentiens, & Prophetico acta spiritu, ipsa quoque eidem Virgini prædixit proculdubio implenda fore, quæ dicta ei fuerant a Domino. Quod audiẽs Virgo Deo plena, confestim cecinit preclarum illud cãticum, *Magnificat anima mea Dominum*, & quæ sequuntur. Ibique postea mansit tribus ferè mensibus, nimirum in oratione, ac humilibus cognatæ suæ obsequijs iugiter occupata, & mox reuersa est in domum suam, vt narrat sanctus Lucas *cap. 1. verf. 30. vsque ad 57.*

5 Inter hæc montana, quo perrexisse Beatissimam Virginem Elisabeth inuisuram diximus, habuit quondam Ordo noster Cœnobium, etsi incertum sit a quo tempore. Testante enim Mantuano nostro *in Apolog. pro Carmelit.* quam ad Sigismundum Gonzagam Cardinalem Ordinis Protectorem descripsit, in Iudææ Montanis, per quæ in hac occasione transiuit Maria, fratres nostri morabantur, quibus Gotfredus Bullonius, qui Terram sanctam de Sarracenorum manibus occupauit, eleemosynas impertiebatur: *Habeo* (inquit) *apud me decretum Gotfredi, qui capta Ierosolyma de Syris triumphauit super quadam pietate, quam omni Sabbato iubebat exhiberi fratribus nostris, qui tunc incolebant montana Iudęa, per quæ transiuit Maria, cum ad salutandum Elisabeth se conferret.* Et infra: *Attulit autem decretum hoc ex Cypro cum quatuor Bullis Romanorum Pontificum in fratrum nostrorum fauorem ad Patriarchas Ierosolymitanos olim missas frater Iordanis Mantuanus Ordinis nostri, qui loca Terræ sanctæ visitauit, & ad videndas pyramides Regum Ægyptiorum Memphim quondam vrbem clarissimam, modo Chairum appellatam, vsque peruenit.* Quæ dixerimus, vt deuotionem nostrorum fratrum erga hoc mysterium Visitationis sanctissimæ Dei Genitricis ostendamus.

Ordinis Cœnobium inter hæc montana.

6 Mansit Beata Virgo cum Elisabetha vsque ad Ioannis Baptistæ natiuitatem, cognatæ seniori, & infirmiori in periculoso puerperio humilissima Virgo obsequia præstitura seruitutis. Ita enim communior sententia Patrum tenet, præsertim Ambrosij, Bedæ, Euthymij, Antonini, Cardinalis Hugonis, Glossa, Simonis Cassiani, Comestoris, Bonauenturæ, & aliorum, quos sequitur Barradius *to. 1. lib. 7. cap. 13.* licet oppositum tueatur Torniellus *sub anno* 4051. *num.* 4. ex eo, quòd textus Euangelicus prius ponat reditum Mariæ, dum *Luc. 1. verf. 56.* dicitur: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.* Et postea: *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi. &c.* Quod tamen non cogit, cum sæ-

Quanto tempore mansit B. Virgo cum Elisabetha.

Iii 2 pius

pius in sacra Scriptura per præoccupationem aliquando narretur præposterè, quod prius factum est.

7 Eo ergo tempore, nimirum die 24. Iunij, prout Ecclesia tenet, natiuitas contigit Ioannis Baptistæ Præcursoris Domini, ab Angelo nunciata, miraculis comprobata, & sanctorum Patrum, ac doctorum scriptis, dum *cap. 1. Lucæ*, vbi hæc historia continetur, commentarijs illustrant, celeberrima. Hæc ipsis remittimus, solùm pro nostræ historiæ intento probare contendentes hanc Ioannis natiuitatem propriè ad nostros Annales pertinere, quod ipse Eliani, Esseni, & Prophetici Instituti clarissimus extiterit propagator, & cultor.

S. Io. Bapt. ortus.

8 Quod primò ostenditur sacræ Paginæ testimonijs, præsertim *Luc. 1. vers. 17.* vbi Angelus Gabriel, qui ipsius ortum Zachariæ patri prædixit, inter alia ipsius encomia, illud protulit: *Præcedet ante illum* (scilicet Christum) *in spiritu, & virtute Eliæ*; idest omnino, & prorsus in viuendi modo Eliæ similis. Vnde Hieronym. *in Matth. 11.* ideo inquit hoc dictũ fuisse, *quia vitæ austeritas, rigorque mentis Eliæ, & Ioannis pares sunt; ille enim in Eremo, iste in Eremo; ille zona pellicea cingebatur, & iste simile habuit cingulum.* Sic etiam ibidem Theophylactus: *In virtute, ac spiritu Eliæ venit Ioannes, eo quod Eremita fuit etiam ipse, & frugalis vitæ, &c.* Clarius sac. Theol. *lect. 12. in Ioannem*, dicens: *Non fuit ergo* (Ioannes) *Elias in persona, sed in spiritu, & virtute, quia scilicet similitudinem Eliæ in suis operibus ostendebat.* Et infra: *Secundò, quantum ad viuendi modum, quia Elias in desertis morabatur, parco vtebatur cibo, & duris vestibus operiebatur, vt dicitur 3. Reg. 19. & 4. Reg. 1. & Ioannes in desertis erat, cibus eius locustæ, & mel siluestre, & zona eius de pilis camelorum.* Vide Bedam *hic*, & Origenem *hom. 3. in Matth.* quæ est *in cap. 17.* vbi similiorem Eliæ credere videtur Ioannem, quam Elisæum, vtpotè quia Elisæus solùm in spiritu, Ioannes verò spiritu, & virtute par ipsi dictus sit. Secundò id colligitur ex *Matth. 11. vers. 14.* vbi de Ioanne Christus dixit: *Ipse est Elias:* quo etiam proculdubio eadem Ioannis, & Eliæ paritas, seu similitudo in viuendi formula denotatur. Vnde Lyranus ibidem: *Non in persona, sed spiritu, quia fuit similis Eliæ, & hoc in tribus. Primo austeritate pœnitentiæ, &c.* Abulensis *ibi quæst. 40.* sic: *Christus vocauit Ioannem Eliam, non quantum ad substantiam, sed quantum ad officium, vel virtutem. Erat enim Ioannes similis Eliæ: primo in austeritate pœnitentiæ, &c.*

Eliæ sectator.

Io. alter Elias.

9 Accedunt aliorum Patrum, & Doctorum testimonia eamdem Ioannis, & Eliæ paritatem comprobantia. Ex quibus Augustinus *tract. 4. in Ioannem* dicit: *Sibi dederunt similitudines suas*, Elias

scilicet

ſcilicet, & Ioannes: Immò ibidem vicem Eliæ Ioannem geſsiſſe denotat. Auctor etiam eiuſdem Auguſtini nomine inſignis *in quæstionibus vet. & noui testam. quæst. 26.* vocat *Parem Ioannem Eliæ.* Cæſarius *dialog. 3.* in ſpiritu, & virtute Eliæ Ioannem veniſſe dicit, propter gratiæ æqualitatem, & adminiſtrationis ſimilitudinem. Nyſſenus *in orat. Baſilij fratris* eum vocat, alium ſecundum Eliam. Petrus Damianus *ſerm. 2. de S. Vitali Mart.* vnam virtutem, & vnum ſpiritum cum Elia Ioannem habuiſſe deſcribit. Et *ſermone 2. de S. Ioanne,* inquit: *Par ergo Elia Ioannes videtur.* Chryſologus *ſerm. 88. de ſancto Ioanne,* ait ipſum Eliam omnibus virtutibus repræſentare. Haimo *in Dom. 3. Aduent.* plura ad intentum: item Paſchaſius *lib. 6. in Matth. 11.* Abulenſis *4. Reg. 1. quæst. 16.* loquens de Ioanne: *Putatus est Elias, quia in nullo differebat ab eo.* Dixerat autem *quæst. 25.* de eodem: *Secutus est per omnia vitam Eliæ, ita vt a Iudæis putaretur eſſe Elias.* Plura alia prætermittimus, quæ in Patribus, & Doctoribus cuique obuia eſſe poſſunt. Legatur Beauxamis *in Harmon. Euangel. tom. 1. in Ioann. fol. mihi 164.* cuius aliqua verba infra damus, & Antonius Ferdinandez *in viſionibus veter. testamenti viſion. 9.* vbi Ioannem Eliæ ſectatorem vocat. Patrum teſtimonia.

10 Deinde Ioannem Eliæ æmulatorem in ritus, formaque viuendi extitiſſe, vel ex mutua vtriuſque collatione conſtare liquidò poterit. Porrò Eliam graphicè, & eleganter Gregorius Nyſſenus in *orat. ſancti Baſilij.* ſic deſcribit: *Virum,* inquit, *qui curationem, & cultum corporis deſpiceret, facie ſqualenti, qui multitudine ſuorum crinium obumbraretur, qui peculiari viuendi ritu vteretur, aſpectu venerandum, vultu triſti, ac riſus experti, obtutu oculorum recto, & eodem, quo intendiſſet, vergenti, pelle caprina tantum de corpore tegentem, quantum abſcondi magis decorum est, reliqua parte corporis ad aera perdurantem, & nihil iniquitatem, & iniuriam vel æstus, vel frigoris curantem.* Quæ omnia Ioannis Baptiſtæ veluti delineamenta corporis eſſe inficiabitur nemo: Sed ſigillatim cuncta, in quibus haud diſſimiles ambo hi duo Heroes extiterunt, inſpiciamus. Vterque Propheta, vterque Eremita, Nazaræus, cælebs, pauperrimus, melote indutus, zona præcinctus, diſcipulorum præceptor, veritatis prædicator coram Regibus, & propterea Reginis lethaliter infenſus. Quæ omnia cum ex ſacræ Paginæ teſtimonijs clarè innoteſcant, maiori probatione non egent. Mirè etiam Beauxamis relatus ſic de hac re ſcribit: *Magna inter vtrumque conformitas. Primò, in viuendi Instituto a mundo ſeiuncto, quale tunc Eſſæis, & olim Prophetarum filijs in vſu erat, in montibus, & cauernis, & ſpeluncis terræ. Hebræorum 11.* Ioann. Eliæ æmulator.

Secūdò, in victu, quia Elias herbis, & cibo Angelico, Ioānes locustis. Tertiò, in potu, quia vterque aqua cōmunis. Quartò, loco, cum Elias Carmeli incola fuerit, Ioannes verò ad Carmelum in Iordane habitarit. Quintò, vestitu, quia vtriq; austerus fuit, cū & vtriq; zona pellicea circa lūbos fuerit. Sextò, zelo, qui maximus fuit, & ad principes, & plebem vtrique. Addit etiam, propterea Sacerdotes, & Leuitas interrogasse Ioannem: *Elias es tu?* quia *viuendi Institutum Ioannis conforme Eliæ Iudæi attendebant.* Quia autem in superioribus Monachum, & Monachorum Principem Eliam descripsimus, ne vel in hoc dissimilis Ioannes esset, idem de ipso Patres enunciarunt. Ex quo etiam id, quod probandum assumpsimus de ipsius inter Prophetici Ordinis cultores annumeratione, inter eos etiam, qui virginitatem Deo ex voto consecrarant, iuxta doctrinam Suarez *tom. 2. in 3. par. disp. 24. sect. 6.* de quo inferius liquidius innotescet. Cum enim, iuxta ea, quæ *in Apparatu cap. 5.* diximus, Elias, Elisæus, & filij Prophetarum Principes, Duces, & Antesignani omnium Monachorum, seu Eremitarum tam veteris, quam nouæ Legis fuerint, manifestè sequitur Ioannem, si verus Monachus, aut Monachorum Legis nouæ Princeps asseratur, sub Eliano vexillo in Monastica palæstra veluti militem sub duce, aut Principe militasse. De ipso ergo Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 5.* hæc habet: *Denique Ioannem Baptistam Monachorum, & Eremitarum Principem fuisse scribunt fere omnes Patres.* Affert autem Nazianzenum *orat. in S. Basilium*, qui eum *Monachum* appellat, quia cum Ioanne Baptista comparat. Affert etiam Chrysost. *homil. 1. in Marcum dicentem: Sacerdotum Principes sunt Apostoli, sic Monachorum Princeps Ioannes Baptista est.* Et Hieronymum ad Eustochium *de seruanda virginitate.* Item Cassianum *collat. 18. cap. 6.* Sozomenum *lib. 1. hist. c. 12.* Isidorum *lib. 2. offic. cap. 15.* & D. Bernardum *in sermon. de excellent. Ioann. Baptistæ.* Afferre & nos possumus etiam sanctum Hieronymum *in vita Pauli Eremitæ* quosdam referentem, qui Ioannem Eremitarum primum Principem dixerunt. Item eundem Chrysostomum *in homil. eiusdem Ioannis*, sic clarè loquentem: *Considerate Monachi dignitatem vestram, Ioannes Princeps vestri est dogmatis. Ipse Monachus.* & Isidorum Pelusiotam *lib. 1. epist. 5. ad Nilum.* Maximè autem Ioannem Ierosolymitanum *lib. de institut. Monachorum cap. 18.* his verbis: *Successores igitur illorum sanctorum Prophetarum, qui, sicut dictum est, in Eremo montis Carmeli, & in solitudinibus prope fluenta Iordanis, ac in alijs desertis, & in vrbibus terræ promissionis habitabant, ab ipsis Prophetis incunctanter traditum (vt præmittitur) tenebant, Christum pro humani generis redemptione incarnandum, moriturum, & glo-*

Io. Monachus & Monachor. Princeps.

gloriose resurrecturum: quem ex totis eorum præcordijs desiderabant, & sperabant venturum. Quos sicut Deus per Eliam, & cæteros eiusdem propositi Prophetas instituere de aduentu Christi futuro dignatus fuit: ita etiam, vt de præsentia Christi in mundo per eius Præcursorem eos doceret, disposuit, quòd dictus Præcursor sic ante Christum in spiritu Eliæ, & virtute præcederet, vt iam in sua præsentia Monasticam eorum vitam Ereміticam ab Elia Propheta institutam assumeret. Quod nec Lucas Euangelista siluit de ipso Præcursore dicens: Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis. *Notandum autem, quod ait Lucas, in desertis, quia Ioannes tam in desertis solitudinis Iordanis, sicut filij Prophetarum, quàm in desertis montium latuit, sicut Elias, & Elisaus.* His iunge auctorem vitæ S. Pachomij, Paphnutium *in vita S. Honuphrij*, S Ephremum *in Consil. de vit. spirit. cap. 90. & Paran. 1.* Nazianzenum *orat. 11. aduers. Arrian. orat. 19. & orat. de laudibus S. Basilij*, Auctorem *sermon. ad fratr. in Eremo* apud August. *serm. 39.* Sollium Sidon. *in carm. 16.* Antiochum *homil. 89. & 112.* Auctorem epist. *ad fratr. de monte Dei* apud Bernardum, Hugon. Victorin. *sermon. 72.* quos omnes imitatur Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ tom. 6. lib. 16. verbo Religiosus Religio §. Ioannes Baptista*, illis verbis: *Ioannes Baptista insuper Monachorum, & Eremicolarum pater, & Princeps fuit.*

11 Hinc propterea grauissimi Doctores, Bellarminus *loco relato*, Petrus Canisius *lib. 1. de corruptelis verbi Dei*, & Cardinalis Baronius *tom. 1. Annal. sub anno Christi 31.* contra Centuriatores Magdeburgenses vehementer insurgunt, quod impiè, & temerè negauerint Ioannem Monachum esse, & Monachorum Antesignanum. *Eò* (inquit Baronius) *deuenerunt stultitiæ, vel potius meræ iniquitatis, vt malint corrumpere verbum Dei, & Ioannem vita otiosa, & delitiosa infamare, quàm Monasticam ab eodemmet Ioanne dimanantem vitam in Ecclesia altissimis defixam radicibus Euangelica attestatione, vt subripi, aut euelli vsquam possit, adstipulari, vel profiteri velle.* Sectarij refraguntur.

12 Ex eo autem, quod Ioannes Monachus, & Monachorum Princeps a Patribus appelletur, infert bene Suarez *tom. 2. in 3. par. disp. 24. sect. 6.* eum non modò virginalem vitam duxisse, sed ex voto etiam Deo consecratam; hoc etenim ad veram Monastices rationem requisitum esse apud omnes pro comperto habetur. Ex eadem quoque Monachi appellatione, aliorum votorum, obedientiæ videlicet, & paupertatis professorem fuisse pari iure elicere poterat, cum Monastici status ratio hæc omnia sibi essentialiter vendicet. Ex quo etiam magis firmatur id, quod intendimus Ioannem An ex voto Ioan. virginitatē coluerit.

nem videlicet, inter Eliæ asseclas connumerandum.

Ioannes inter Essenos.

13 Id etiam ex eo suadetur, quod ipsum inter Essenos Essenam vitam egisse plures astruant Auctores: inter quos Beauxamis relatus *num.* 10. satis id indicat, sed perspicuè Dominicus Sotus Theologus iure celeberrimus *in* 4. *sentent. dist.* 30. *quæst.* 2. *art.* 1. §. *Veritas hac*, sic habet: *Ante Christi aduentum Essenorum collegium in deserto Iudaa more nostrorum Anachoritarum sanctissimam degisse vitam, ab vxoribus prorsus, & omni fœmineo conspectu semotissimam, quorum institutum secutus est Ioannes Baptista.* Hæc ille. Clarè etiam Ferdinandus Vellosillus *in aduertent. Theologic. ad S. Ambros. Quæst.* 13. dicens: *Iosephus lib.* 18. *Antiquit. ait ante Christi aduentum fuisse in deserto Iudaa Collegium Essenorum, more nostrorum Religiosorum, & Anachoritarum, qui sanctissimam ducebant vitam, ab vxoribus abstinentes, quorum institutum secutus est Ioannes Baptista.* Item Ioannes Carthagena 4. *tom. homiliar. homil.* 2. *obiect.* 10. inquiens: *Sine dubio Ioannes vitam egit in desertis illis inter filios Prophetarum tunc dictos Essenos, qui Eliæ disciplinam profitebantur.* Ad hæc Iacobus Zeglerus *in descriptione Palæstinæ in Monte Adumini fol.* 38. sic: *In huius solitudinis parte sedit Eliahu Propheta, & Eliasab construxit cellas Prophetis. Manauit Institutio, & loci Religio ad posteros; fuitque desertum hoc vsque ad Enghadi habitatum ab Essenis, hominibus incredibilis continentia, sub quorum Institutis educatus fuit Ioannes Zacharia, & habitus in Essenis vnus predicata sanctitatis.* Alia huius Auctoris pro hoc intento referimus *sub anno* 408 1. Fauet Adrichomius *in descriptione Terra sancta in Beniamin num.* 97. dicens: *Quarentana desertum inter. Ierusalem, & Ierico incipit iuxta Anathoth, & extenditur supra Galgala vsque ad desertum Tecue, & Enghadi iuxta mare mortuum. Hic commoratus est Ioannes Baptista, inibique in eius memoriam extructa fuit Ecclesia, & Monasterium, quod Graci Monachi inhabitabant.* Cum enim in hoc loco habitauerint Esseni, iuxta dicta *sub anno* 3545. *num.* 36. ex Plinio, Solino, & Genebrardo, si Ioannes ipsum incoluit, rectè sequitur cum illis commoratum fuisse; nec incongruè inde elicitur eorum Institutum imbibisse. Fauet Henriquus Guthberlotus in *Chronolog. pag.* 182. Fauet etiam Petrus Opmerus in *opere Chronograph. anno* 3992. postquam enim dixit Baptistam habitasse circa Iordanē, *vbi torrens Carith in flumen decurrit, apud quem Elias a coruis fuerat pastus* (vt & in hoc etiam Eliæ compar probaretur) subiungit postea: *Habitabant ijs in oris Esseni, gens sola, & in toto orbe preter cæteras mira sine vlla fœmina omni venere abdicata, sine pecunia, &c.* Ioannes ergo inter Essenos deserti colonus fuit, eorumque Instituti concors.

Auctorum testimonia.

Essenorum habitatio.

Clariùs

Clariùs tamen Iacobus Boulducus *in lib. 1. de Ecclesia ante Legem cap. 13. §. de istis amplissimè*, tenet Ioannem Essenorum duxisse vitã. idem habet *c. 16. §. Præterea, quod diximus*, & *cap. 17. §. Sexto quia Lucianus*. Libro etiam *de Ecclesia post Legem cap. 14. §. Secundo diximus*, expresſè dicit Ioannem *eiusdem cum Elia Spiritus, & instituti* fuisse, quo Essenum quoque denotat.

14 Et sanè Ioannis Baptistæ vitę rationem intuentibus, ac cum Essenorum moribus, ritibusque viuendi, eorum præsertim, qui rigidiorem viam sectabantur, & *Theoretici* dicti sunt, de quibus Philo *in libro de vita contemplatiua*, conferentibus, ipsum eorum Institutum amplexatum fuisse facili negotio manifestum erit. Singularissima namque illa Ioannis abstinentia, qua *mel*, & *locustas* duntaxat manducasse *Matth. 3. vers. 4.* describitur, non procul abest ab ea *incredibili continentia*, quam in Essenis laudant auctores. Altum illius silentium, propter quod a teneris annis Eremi deserta petijt, canente Ecclesia: Ritus viuendi in Elia, & Io. similis. Silentium.

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
famine posses.

proculdubio etiam Essenorum taciturnitatem a Philone, & alijs celebratam designat. Summa quoque Ioannis paupertas, cœlibatus, & vestium despectus quid aliud prætendunt, quam eorum religiosè viuendi institutionem? Nec discordat, quod ille discipulos habuisse in sacra Scriptura *Matthæi 9. vers. 14. & cap. 11. vers. 2. Luc. 5. vers. 33. Ioann. 3. vers. 25. Marci 2. vers. 18.* describatur. Etenim etiam inter Essenos hunc morem inualuisse, vt vnus veluti Magister, & Doctor esset, alij autem auditores, clarè habetur ex Philone relato *dicto libro de vita contemplatiua*. Quin & ipse baptizandi vsus idem indicat. Essenis enim lustrationes istę, vt postea dicemus, familiarissimæ erãt. Vnde *Ioann. vers. 25.* Pharisæi eidem Ioanni neganti, quod esset Christus, Elias, aut Propheta, obiecerunt: *Quid ergo baptizas, si non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Ac si dicerent, vt Boulducus *l. 1. de Eccles. ante leg. cap. 14. in fine* rectè expendit, *Christum solum, aut ipsum Eliam, aut alium, qui esset Propheta, idest, ex ipso Eliæ Instituto, huiusmodi baptismo vti posse*, &c. Cœlibatus. Discipuli.

15 Immò, si intimius ex Euangelico textu rem perscrutemur, quòd tam Ioannis discipuli, quàm eorum Magister Ioannes de Essenorum schola fuerint, haud difficilè demonstrari potest. Elicitur enim *Matth. 9. vers. 14.* quod accesserunt discipuli Ioannis ad Christum

stum dicentes: *Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Item *Marci 2. vers. 18.* dicitur: *Et erant discipuli Ioannis, & Pharisæi ieiunantes, & veniunt, & dicunt illi*, scilicet Christo: *Quare discipuli Ioannis, & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant?* Clariùs *Luc. 5. vers. 33.* sic: *Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter Pharisæorum, tui autem edunt, & bibunt?* Ex ijs enim locis manifestè colligitur Ioannis discipulos strictioris alicuius sectæ, vel Instituti fuisse supra communem Iudæorum populum, siquidem dicuntur ieiunia, & obsecrationes frequentius obseruasse, quam Christi discipulos, qui proculdubio ea, quæ communis Iudæorum plebs, exequebantur; cum Christus Dominus exactissimus fuerit Legis, & piarum consuetudinum obseruator, sicque docuerit facere suos discipulos. Similiter cum in prædictis locis Ioannis discipuli a Pharisæis distinguantur, manifestum absque dubietate erit, eos ex aliqua secta extitisse a Pharisæis distincta, quæ tamen ieiunijs, & orationibus arctiùs insisteret. Cum ergo inter Iudæos tantum tres præcipuæ sectæ essent, vt compertum apud omnes est, scilicet Essenorum, Pharisæorum, & Saducæorum, cum discipuli Ioannis ex Saducæis non essent, quia isti pessimi erant, nec ieiuniorum, aut orationum curam tam solicitè gerebant; neque ex Pharisæis, vt ex dictis patet, liquidò constat ex Essenis fuisse, qui talibus obseruantijs addictissimi erant, vt colligitur ex Philone, & alijs auctoribus, qui de ipsis scripserunt. Simile argumentum efformari potest ex illo Ioannis 3. *vers. 25.* vbi dicitur: *Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione.* Hæc enim verba supponunt Ioannis discipulos speciales aliquot purificationes habuisse, quas reliquus Iudæorum populus non amplecteretur. Ex hoc autem elicitur, eos ex Essenis fuisse, qui huiusmodi lustrationibus exercebantur, vt habetur ex Iosepho *lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. ante medium.* Nec obscurè indicatur ex eo, quod Elisæus, qui ex antiquis Essenis erat, Naaman Syrum septies in Iordane ablui iussit, vt notat Boulducus *de Eccles. post Legem cap. 9. §. de sacramento Baptismi.*

Discipuli Ioannis cuius instituti.

Lustrationes Essenorum.

16 Nec modò Essenum Institutum amplexatum Ioannem, sed & inter ipsos Principem, & Primatem extitisse, non difficilè comprobari potest. Primò, ex excellentissima ipsius morum probitate, qua cæteris iure, meritoque prælatum fuisse ambiget nemo. Secundò, ex testimonio Ecclesiæ in lectionibus ab ipsa pro Ordine nostro, & officio commemorationis solemnis Dei Genitricis Mariæ approbatis. Lectione namque quarta, dum sermo est de viris illis sacra die

Essenorum Princeps Ioannes.

die Pentecostes ab Apostolo baptizatis, *qui vestigijs sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi institerant*. Subditur, quod *Ioannis Baptistæ præconio ad Christi aduentum comparati fuerant*. Inter eos enim Essenos plures fuisse, cum de hoc mysterio agetur, sufficienter probabitur. Ex hoc autem elicitur, eos Ioannis auditores, & discipulos extitisse. Indicat hoc Zeglerus *supra num.* 13. relatus non solùm dum Ioannem sub Essenorum institutis educatum adstruit, sed quatenus ait: *Et habitus in Essenis vnus prædicata sanctitatis*. Hoc enim d notat ipsum inter eos Principem, aut præcipuum extitisse. Fauet Laurentius Beyerlinck inferius referendus, dum eum Eliæ comparat in hoc, quòd sicut Elias *Religionem Carmeli inchoauit in veteri Lege, sic in noua S. Ioannes circa Iordanem eam continuauit*; quo Principem talis Instituti pro Lege noua eum agnoscere videtur. Item compendium priuileg. Mendicant. Casserrubij, & Sorbi, de quo infra, dum Carmelitarum Institutum a Ioanne Baptista, & alijs *Viris Apostolicis* (vt inquit) primam traxisse originem testatur.

17 Hinc propterea graues auctores (ex quo maximè id, quod intendimus, comprobabitur) eundem Ioannem Carmelitis annumerandum censent. Hi sunt Ioannes ille Ierosolymitanus *lib. de Institut. Monach. cap.* 28. & 29. Philippus Abbas Hieropolitanus *in illud Ioannis, Miserunt Iudæi &c.* apud Palæonydorum *lib.* 2. *cap.* 1. illis verbis: *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem Baptistam habitantem cum Carmelitis confratribus suis in Eremo propè fluenta Iordanis.* Alludit Ioannes Trithemius *in lib. de laudibus Carmelitarum cap.* 3 & sequuntur Guillelmus Eynsengreneus *in Centenar.* 1. 3. *p.* 1. *disc. de Monach. Carmelit. tempore Prophetarum*. Basilius Sanctorus *in Prato Spirituali* 2. *p. lib.* 6. *cap.* 2. Didacus Iepes *in Concione inserta libro de vita S. Theresiæ*. Leander de Granata *in discurs. super reuelat. S. Getrudis discurs.* 4. Ioannes de Carthagena *tom.* 4. *lib.* 17. *hom.* 2. *obiect.* 10. vbi Baptistam *Monachum, & Monachum Carmelitam* appellat. Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ tom.* 6. *lib.* 16. *verb. Religiosus Religio*, vbi de Ordine Carmelitarum agens, §. *In lege autem gratia*, sic inquit: *Igitur, vt Elias Religionem Carmeli inchoauit in Lege veteri, sic in noua Sanctus Ioannes circa Iordanem, & B. Enoch quidam in Carmelo eam continuarunt, alijsque post se tradiderunt*. Inferius etiam in Catalogo Sanctorum Ordinis nostri eum primo loco recenset. Alphonsus Cassarrubius, & Hieronymus a Sorbo *in compend. priuileg. Mendicantium* de Carmelitis loquens. Iacobus Bouldu-cus *in lib. de Ecclesia post Legem cap.* 14. §. *Secundò dicimus*, dum Ioannem *eiusdem instituti cum Elia* fuisse scribit. Quibus etiam fauent

An inter Carmelit. Eremitas

graues

graues alij Doctores in concionibus habitis de sancta Theresia, quos refert Ioannes Pintus de Victoria *in Hierarchia Carmelit. tract. 4. c. 3.* idemque omnes nostri Ordinis historici amplectuntur, vt inter eos nouissimè Ioannes Silueira *lib. 1. in Matth. cap. 9. num. 34.*

An' Carmelũ aliquandiu incoluerit.

18 Pro quorum robore illud facit, quod Ioannem Baptistam in Carmelo quoque habitasse aliquandiù multis valde probabile est. Primò enim id colligere videtur Ioannes Ierosolymitanus *de instit. Monach. cap. 28.* ex eo, quod *Luc. 1. vers. 80.* dicitur de eodem: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis.* Quod ex eo dictum autumat, *quia Ioannes tam in desertis solitudinis Iordanis (sicut filij Prophetarum) quam in desertis montium latuit, sicut Elias, & Elisæus.* Latuit ergo in Carmelo, sicut Elias, & Elisæus. Idem clariùs prosequitur Mantuanus noster *de sacris diebus lib. 1. in mense Iunio*, dum de ipso Ioanne deserta colente hæc carmina scripsit:

Et modo Carmelo residens in monte virorum
Heliadum saltu, qui versabantur in illo,
Discebat mores, & delectatus eorum
Relligione, diu gelidis habitabat in vmbris

Sumere id potuit ex Ioanne Grossi Ordinis Generali in Tractatulo *Viridarium* appellato *Claui 1.* Insinuatur ab Hugone Cardinali, qui explicans illud *Michææ 7. vers. 14. Pasce populum tuum &c. habitantes solos in saltu in medio Carmeli*, quod de Carmelitis exponendum esse diximus *sub anno 3303.* dicit: *Pasce eos, sicut Eliam, & Ioannem vitam Eremiticam diligentes, &c.* Indicat & Carolus de Tapia *in Auth. ingressi cap. 17. num. 2.* dicens Ioannem Baptistam sua sanctitate multos ad habitandum in Carmelo concitasse. Item Laurentius Beyerlinck superius relatus, dum Baptistam inter Elianos commoratum fuisse testatur. Insuper Beauxamis supra *num. 10* relatus, dum Ioannem ad *Carmelum in Iordane* habitasse scribit. Similiter in illud *Luc. 3. vers. 3. in omnem regionem Iordanis tom. 1. fol. mihi 131.* sic ait: *Non longe a solitudinibus Eliæ, & Prophetarum.* Sed omitti non debet ad intentum, prout idem Beauxamis *in Matth. 3. tom. 1. suæ Harmoniæ fol. mihi 148.* notat, quòd Gregorius Nyssenus *in lib. de sanct. Baptismate* ex eo, quod Ioannes Iordanis fluenta sua præsentia decorauerit, & ipse Elię imitator fuerit, qui Carmelum incoluerit, inferat fluuio illi decorem Carmeli iuxta propheticum assertum, datum fuisse, quo sanè denotatur Ioannem ad Carmelum pertinuisse. Nysseni verba, quæ pio Lectori ruminanda proponimus, sunt hæc: *Quoniam enim Elias Carmelum incolabat, Ioannes autem Baptista in spiritu Eliæ resplendens Iordanem sanctificabat, idcirco Propheta vaticinabatur honorem Carmeli illi fluuio*

li fluuio datum iri. Accedit & Balæus, etsi ob hæresim, & apostasiam a fide improbus Auctor, *qui in Tract. de suo Ordine* clarè Baptistam inter Carmeli incolas censet carmine illo:

Tempore nam Christi montem Baptista Ioannes

Carmeli, &c. intellige coluit, vt ipse in sequẽtibus prosequitur.

19 Hæc porrò omnia propterea a nobis prænotari debuerunt, vt ostenderemus Ioannis Baptistæ gesta nostrorum Annalium proprijssima esse, ac proinde ipsa referre instituti nostri partes fuisse. Nunc ad alia pergamus. Ipsius gesta.

20 Hoc enim eodem anno vigesima quinta Decembris, prout sancta recipit Ecclesia, Natiuitas fuit Domini nostri Iesu Christi, ex purissima, & immaculatissima semper Virgine Maria, in Bethleem Iudæ, quò cum sponso Iosepho aduenerat edicti Augusti Cæsaris occasione totum orbem describi iubentis. Dies sanè mirabilis, sacratissima, expectatissima, finis, & plenitudo temporis, ac seculorum omnium, tam quæ præcesserunt, quam quæ deinceps secutura sunt, veluti centrum. Tunc nubecula illa Eliæ in Carmelo visa mundo rorem, pluuiamque frugiferam profudit. Tunc ex pulcherrima virga pulchrior, & venustior flos processit, iuxta visionem eiusdem Carmeli Patribus manifestatam, de qua superius dictum est. De tanto mysterio plura Patres, & Doctores, nec omnino dignè, etsi sapientissimè scripserunt, ad quos Lectorem remittimus, & ad Mantuanum nostrum, qui in *Parthenice Mariana lib. 3.* de huius mysterij arcanis piè, & eleganter discurrit. Natiuitas D. N. Iesu Christi

Annus mundi 4053. Christi primus.

1 
QVAMVIS Christi Domini Natiuitas anno præcedenti contigerit, quia tamen ex illo solum septem dies tanto bono frui potuerunt, ideo, illis veluti prætermissis, hic annus primus a Christi ortu ab Annalistis computatur; quo plura fidei mysteria perfecta sunt, Circumcisio videlicet Domini, Epiphania, Virginis Matris Purificatio, & Infantis Iesu in Templo oblatio, fuga in Ægyptum, & Innocentium interfectio. Quibus iungitur Herodis mors, & Archelai in regnum successio; de quibus omnibus, cum ijs, quę nostram concernunt historiam, aliquid dicere operę pretium est. Christi mysteria.

2 Prima ergo anni die, quæ octaua Natalis erat, innocens Agnus Iesus circumcisus, pretiosi sui sanguinis, pro hominibus in Cruce fundendi, veluti arrham dedit, lacrymante tenello infante, lacry- Christi circumcisio.

mante & pijssima Matre. Facta porrò est circumcisio non in Templo, sed in spelunca, vel stabulo, vbi natus est, vt habet Epiphan. *Heres.20. contra Herodianos*. Indicat Iustinus *in disp.cum Tryphone*, & sequitur Baronius *sub hoc anno*; licet alij in domuncula alia loco vicina id actum non improbabiliter putent. Quid de sacerrima præputij ipsius carne actum sit, habet Lector ex Toleto *in cap.2.Lucæ*.

Magorum adoratio.

3 Sexta die Magorum adoratio contigit, quam sic describit Euãgelista Matthæus cap. 2.vers.1. *Cum ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo, & congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam*: Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel. *Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethleem, dixit: Ite, interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent Regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde, & intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & procidentes adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in Regionem suam.*

Qui fuerint hi Magi.

Quinam verò Magi isti fuerint, ex qua Regione venerint, an veri Reges, quæve munera, aut qua quantitate Christo puero obtulerint, sapientissimis Patribus, Doctoribus, & Expositoribus Euangelij *Matthei cap.2.* ac Mantuano nostro *in sacris diebus*, dùm de Epiphania canit, qui rem exactissimè discusserunt, discernendam relinquimus.

An ex reliquijs Essenorum.

4 Illud nostri instituti proprius videtur, quod huiusmodi Magos, qui Christum adoraturi ex Orientis partibus venerunt, ex Essenis, seu Enosçeis fuisse, licet ex ijs, qui paulo licentiùs viuebant, vir doctus Iacobus Boulducus *lib.2.de Eccles. ante legem c. 17.* asseuerauerit, & de eis crediderit locutum Sophoniam *cap.3. vers. 10.* illis verbis: *Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei filij dispersorum meorum deferent munus mihi*. Hoc enim supplicum nomine appellat Philo *lib.de vita contemplatiua* Essenos illos suos Theoreticos, seu Therapeu-

rapeutas. Titulus namque illius libri est de *vita contemplatiua, seu supplicum virtutibus*. Probare id videtur ex huiusmodi Magorum instituto, quod iuxta varia scriptorum de ipsis testimonia valdè simile Essenorum fuisse videtur. Strabo namque *lib.5.* vocat eos *vitæ cuiusdam venerabilis, & sanctæ sectatores*. Laertius etiam *lib.1.proœm.* de aliquibus eorum dicit, quod albis amicti procederent, culcitram è frondibus vilem, ac humilem pro lecto haberent, olus in cibum sumerent, ac tritico, & pane vili vterentur. Marcellinus *lib.23.* villas ipsos inhabitasse nulla murorum corona munitas asserit. Et Xenophon *lib.8.Cyriped.* simul ac dies illucescebat Deos hymnis celebrasse, rebusque diuinis operam dedisse.

5 Verumtamen etsi credamus hos Magos, qui ad Christum infantulum adorandum Ierosolymam venerunt, non præstigiosa, & excantatoria magia, sed vera, naturalique astrorum scientia prǽditos fuisse, ac proinde non improbos aliquos, aut superstitiosos, sed inter Ethnicos aliqualiter pietatis, & Religionis cultores, prout ex pluribus vetustioribus Patribus alij recentiores Doctores deducunt. Similiter etsi valde probabile sit eos ex Essenis antiquis, siue Rechabitis ortū, & originem traxisse, prout Boulducus probat. Quid enim inconuenit, quod quemadmodum Pythagorici, qui ex Græcis erant, & ex Hebræorum consuetudine Essenum Institutum, quoad plura saltem dogmata, suxerunt, iuxta dicta *sub anno 3545. num.* 17. sic de Persis, Arabibus, vel Chaldæis, ex quibus isti Magi erant, & qui æquā, vel maiorem cum Iudæis necessitudinem habere potuerant, idem asseratur? Nihilominus ad Essenos, prout de illis in præsenti loquimur, spectasse nullatenus asserendum autumamus. In præsenti namque historia solum illos Essenos computandos credimus, qui in fide pura Dei veri cultui sub ritibus, & ceremonijs specialibus inseruiebant. Necesse ergo est Ethnicos, & Gentiles, quales isti Magi fuerunt, a vero Essenorum Instituto excludere. Nec quia ex Essenis orti fuerint, propterea Essenorum nomen illis adaptatur. Constat enim hæreticos ex Catholicis prodijsse, qui tamen Catholicorum nomenclatura digni non sunt. Similiter Pharisæos ex Essenis traxisse originem *sub anno* 3807. diximus, qui nihilominus Esseni appellari non possunt, propter deprauatos ipsorum mores, fidemque non sinceram. Sic ergo de Magis istis philosophandum, saltem ante veræ fidei professionem.

Auctoris sententia.

6 Die post Christum natum 40. legitimo puerperarum tempore expleto, Virgo sanctissima cum sanctissima quoque prole, sanctoque Iosepho sponso ad Templum venit, vt Legem purificationis

Purificationis mysterium.

adimpleret, filium sacratissimum, aliorum primogenitorum more, Dei Templo obtulit, & pretio Siclorum quinque Lege taxato, eum, qui totum genus humanum redempturus venerat, ipsa redemit. Tunc Simeon homo iustus, & timoratus Infantulum in manus suas accipiens, Canticum, *Nunc dimittis, &c.* deuotissimè cecinit, cœpitque de ipso, ac matre grandia vaticinari. Similiter & Anna Prophetissa eadem hora superueniens confitebatur Domino, ac magnificè admodum de Infantulo loquebatur omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. De quibus omnibus luculenter in sacra Scriptura *Luc. 2. vers. 22.* & apud expositores. Vide & Mantuanum nostrum *lib. 3. Parthenices Marianæ, & de sacris diebus in mense Februarij.*

Quis hic Simeon.

7 Dubitari tamen potest, quis fuerit hic Simeon, qui tunc Ierosolymis agebat, *iustus*, & *timoratus* appellatus, & de quo dicitur, quod *Spiritus sanctus erat in eo*, an scilicet ad Ordinem Propheticū, quemadmodum de alijs Prophetis in superioribus diximus, spectauerit? Videtur enim ita dicendum, propter ea, quæ de ipso ait Galatinus *lib. 1. de arcanis cap. 3. in fine*, quę talia sunt: *Simeon postremo Hillelis filius, quem ob eius præcipuam sanctitatem Thalmudici Czadich, idest Iustum cognominant, in quo (vt in Pirke Auoth, idest capitulis Patrum dicitur) Academiæ magnæ Synagogæ sceptrum defecit. Multa de Messia dixit, & tandem cum vltima senectute a Spiritu sancto responsum accepisset, non visurum se mortem, nisi oculis Messiam Dei Filium videret, Christum ipsum in vlnis suis suscipiens, quæ de eo a Spiritu sancto edoctus docuerat, ipso præsente confirmauit. Cuius egregia dicta a Thalmudicis in libris sparsim reperiuntur.* Ex ijs enim omnibus euinci videtur, ipsum ex Essenis, seu Assidæis fuisse. Primò, quia cognomen *Czadic*, vel *Iustus* proprium Assidęorum est, iuxta dicta *sub anno mundi 3847. num. 3.* Secundò, quia cumplures ex illis viris Synagogæ magnæ, ex Scribis antiquioribus fuerint, vt colligitur ex ipso Galatino *lib. 1. c. 1.* Scribæ autem Ordinis Prophetici alumni, iuxta dicta *sub anno 3230.* non incongruè idem elici videtur de hoc Simeone Iusto. Accedit, quòd sanctus Epiphanius *in lib. de vit. Prophetarum* etiam istius Simeonis vitam refert inter alios plurimos, quos Ordinis Prophetici alumnos fuisse in superioribus diximus. Adijce quod Genebrardus *lib. 2. chronolog. circa ann. mundi 4011.* postquam de eo dixit fuisse discipulum Hillelis Doctoris insignis, subdit: *Is est Simeon, in quo Spiritum Synagoga magna, qui erat Prophetico minor, communi maior, defecisse auctores sunt Thalmudici in tract. Pirke auoth. Rabbi Mose Ægyptius non tantum discipulum, sed & filium Hillelis fuisse scribit, Gamalie-*

Hillelisque (ad cuius pedes legem Paulus didicit) præceptorem, imò vero & patrem in præfat. Maimonim; quo ipsum ex antiquioribus Scribis fuisse denotare videtur. Illos verò Prophetici Ordinis asseclas existimandos *sub dicto anno* 3230. diximus. Item Boulducus *lib. 1. de Eccles. ante leg. cap.* 17. §. *Quartò quod*, ipsum Essæum, seu Enoscęum appellat.

8 Verumtamen res est incerta, & si consulamus sanctum Hieronymum *in cap. 8. Isai. vers.* 14. illis verbis: *Duabus domibus Israel*, quem sequitur Genebrardus *lib. 2. chronolog. circa ann. mundi* 3952. videbimus sic loquentem: *Duas domus Nazarei, qui ita Christum recipiunt, vt obseruationes Legis veteris non amittant, duas familias interpretantur, Sammai, & Hillel, ex quibus orti sunt Scribæ, & Pharisæi, quorum suscepit scholam Akibas, quem magistrum Aquilæ proselyti autumant, & post eum Meir; cui successit Iohannan filius Zachai: & post eum Eliezer, & per ordinem Delphon: & rursum Ioseph Galilæus, & vsque ad captiuitatem Ierusalem Iosue. Sammai igitur, & Hillel non multo, prius, quam Dominus nasceretur, orti sunt in Iudæa, quorum prior Dissipator interpretatur; sequens Prophanus: eo quòd per traditiones, & δευτερώσεις suas Legis præcepta dissipauerint, atque maculauerint. Et has esse duas domus, quæ Saluatorem non receperint, qui factus sit eis in ruinam, & in scandalum.* Quo sanè denotatur huiusmodi Sammai, & Hillel viros improbos fuisse, ac per consequens indignum esse credere, Simeonem iustum, & timoratum, qui Israelis consolationem expectabat, de Hillelis schola extitisse, immo potius contra eos idem Simeon prophetasse videtur, *Luc. 2. vers.* 38. illis verbis: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur.* Quo proculdubiò allusionem facit ad illa ex *Isai. 8. vers.* 14. quæ D. Hieronym. refert ex Nazaræis ad duas domos Sammai, & Hillel scilicet: *Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scãdali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus in Ierusalem.* Sed quia nec hæc omnino conuincunt intentum, ideo sacræ Scripturæ studiosioribus res decidenda remittitur.

Res incerta.

Sammai, & Hillel qui.

9 Quanta verò probabilitate de Anna illa Phanuelis filia, de qua supra diximus, magnificè de infantulo Iesu prælocutam omnibus, qui expectabant Redemptionem Israel, affirmari possit ad Ordinem Propheticum pertinuisse, ea, quæ adduximus *sub anno* 4040. sufficienter ostendunt.

Anna Prophetissa.

10 Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, & Præsentationis in Templo pueri Iesu mysterijs peractis, reuersi sunt Maria, & Ioseph

Quo reuersi Maria, & Ioseph.

ſeph in Galilæam, Nazareth ſcilicet, vnde diſceſſerant. Quo tempore Ioſeph diuinitus per Angelum in ſomnis edoctus, quòd Herodes quæſiturus eſſet puerum, vt occideret eum; confeſtim nocte conſurgens cum eo, ipſiuſque matre, ſeceſſit in Ægyptum, *Matth. 2. verſ. 13. & 14.* Expoſitores ibidem, Baron, *ſub hoc anno:* Mantuanus noſter *in Parthenic. Mariana lib.* 3. Quãto autem tempore ſacra Chriſti familia in Ægypto manſerit, quibus in locis fuerit, & an inde aliquid in noſtrorum Eſſenorum gratiam dici poſſit, in ſequentibus afferemus.

11 Interim Herodes tum videns, quod illuſus eſſet a Magis, qui eo inſalutato per aliam viam regreſſi ſunt in patriam ſuam, nihil illi nunciantes de recens nato puero, tum ob rumores, qui per vrbem circumferebantur de Prophetijs Simeonis, & Annæ Meſſiæ natiuitatem annunciantibus, vehementer agitatus, pro complemento veluti ſcelerum, & iniquitatum, quas perpetraturum illi prædixerat Manachemus Eſſenus, iuxta dicta in ſuperioribus, in immaniſſimũ, illud ſcelus incidit, vt Chriſti nati vitam eripere tentaret. Mittens ergo impius Rex milites ſibi fidentiores in Bethleem Iudæ, vbi natum eſſe Meſſiam a Scribis intellexerat, iubet in ea vrbe, & in omnibus finibus eius confeſtim, & ſine vlla miſeratione interfici cunctos infantes a bimatu, & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat a Magis, vt ſcribit S. Matthæus *cap. 2. verſic. 16.* ideſt, omnes natos biennio ante diem vigeſimum quintum Decembris tunc proximè præteriti. Cum enim eadem die nouam ſtellam in ſignum iam nati Meſſiæ conſpici cœpiſſe a Magis didiciſſet, certè nihil ſibi, ſuiſque ab ijs, qui poſtea nati eſſent, timendum putabat. Voluit autem a bimatu paruulos occidi, vt ſecuriùs periculo proſpiceret, Torniellus *ſub anno* 4051. *num.* 27. Salianus *ſub anno* 4053. *num.* 34.

Herodis ſæuitia in Innocentes.

12 Hoc etiam tempore occiſionis infantium credibile valde eſt, Herodem timore nati Regis exagitatum, cum audiſſet mirabilia, quę acciderant in conceptione, & natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtæ, nimirum quòd ab Angelo nunciata fuiſſent, quòd parens Zacharias non credens priuatus eſſet vſu loquendi vſque ad tempus nati filij, & quod communiter de illo diceretur: *Quis putas puer iſte erit?* & etiam: *Manus Domini erat cum illo*, veritum fuiſſe, an ille eſſet Chriſtus, & natus Rex a Magis prænunciatus, & propterea, etiamſi ſciret illum non in Bethleem, ſed in montanis Iudæ ortum, quæri fecerit, vt occideretur, parentes tamen diuinitus admonitos eum ad deſerta, inuiaque loca deportari, ibidemque clam ali, ac educari curaſſe. Sic fermè Torniellus *ſub anno* 4051. *num.* 28. Salianus *ſub anno* 4053.

Facile etiam voluit perdere Io. Bapt.

4053. *num.* 33. & noster Ioannes Silueira *lib.* 1. *in Matth. cap.* 9. *n.* 35. Id sumere potuerunt ex sancto Petro Alexandrino *in serm. de pœnit.* qui habetur *tom.* 2. *Bibliothec. Patrum*, Nicephoro *lib.* 1. *cap.* 14. Cedreno *in compend. histor.* & nostro Beauxamis *in Harmon. Euangelic. tom.* 1. *fol. mihi* 121. quibus etiam fauent alij, qui Ioannem ab incunabulis, vel fascijs ipsis infantilibus Eremi cultorem faciunt. De quo Origenes *homil.* 9. & 11. Chrysostomus *homil.* 10. *in Matth.* & Metaphrastes *in vita eiusdem.* Nec dissentit ipsa sacra Pagina: Lucæ etenim 1. *vers.* 80. de eo post eius natiuitatem relatam dicitur: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.*

13 Quomodo autem ali potuerit Ioannes in deserto in tam tenella ætate, difficile valde videtur, & quidem ex Petro Alexandrino relato habetur miraculosè apertum fuisse montem quemdam, & ibi ab Angelo custoditum cum matre Elisabetha; sed quia historia est incerta, & prodigiosum miraculũ sine necessitate adstruit, fides ipsi non videtur adhibenda. Probabilius ergo, & sine miraculi alicuius introductione apparet dicendum, primò id, quod plures ex relatis auctoribus supponunt, videlicet ab ipsius parente Elisabetha alitum, & educatum fuisse Ioannem in deserto. Quorsum enim ipse huius exilij spontanea comes facta est, nisi vt eum amore materno lactare, & confortare posset? Dicimus probabiliter secundò, Essenorum curæ, & institutis a matre traditum fuisse, & ab illis ad maturam vsque ætatem educatum. Ita sentit Munozzius *in propugnaculo Eliæ lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1. *art.* 1. Pro cuius confirmatione plures adduci possunt cõgruentię; quæ in re incerta, & de qua auctores ferè nihil scripserunt, pro sufficienti fundamento erunt. Prima, quia, vt dictum est *sub anno præcedenti*, Ioannes Institutum amplexatus est Essenorum: cum ergo de tempore, quo ipso imbui cœperit, liquidò non constet, sanè si de hac occasione, qua in eremum primò petijt, id affirmetur, quod, scilicet ab Essenis educatus, & enutritus fuerit, nullum erit inconueniens. Deinde, si deserti latebras quærens Elisabeth secum filium ad eremum deduxit, proculdubio credibile videtur eremi cultoribus Essenis, qui illius temporis Eremitæ, & Anachoretæ erant, illum commendasse. Accedit, quod teste Cedreno, *vt supra*, post quadraginta dies discessus Ioãnis cum Elisabetha in deserti latibula, mors contigit matris; cui ergo, vel quibus illum pia mater cõmendare debuerat, nisi pijs deserti illius habitatoribus? Maximè id confirmat, quod mos Essenorum erat, vt ipsis traderentur educandi, & instruendi alieni filij. Vt enim Iosephus *lib.* 2. *de bello cap.* 7. habet:

Quid Ioannes in deserto.

An Essenorũ curæ traditus.

Alienos

Alienos filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos pro cognatis habent, suis moribus diligenter instituunt. Idem scribit Porphyrius apud Eusebium Cæsariensem *Praparat. Euangelic. l.9. cap. 3.* dicens: *Alienos liberos, dum ad capessendas disciplinas molles adhuc, & flexibiles ij sunt, educandos suscipiunt.* Sic mulier illa, cuius filium suscitauit Elias, illum tradidit *ex deuotione* ipsi erudiendum, vt scribit Lyranus *3. Reg. 19. vers. 3.* Sic etiam Prophetarum (quorum Institutum Esseni sectabantur) vsus erat, iuxta dicta ex Abulensi *4. Reg. 6. quæst. 1. in Apparatu cap. 4. num. 11.* Quid ergo mirabile erit, quod idipsum Elisabetha fecerit, Ioannem imbuendum Essenis offerens?

Quid de S. Elisabetha.

14 Addunt, & satis probabiliter aliqui ex nostris, videlicet Coria *in Chronic. Carmelit. lib. 6. cap. 28.* & Munozzius *in Propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 2. cap. 1. art. 1.* eamdem Elisabetham Ioannis parentem cum eisdem Essenis idem vitæ genus per aliquod tempus tenuisse. Suadetur id ex Philone *lib. de vita contemplatiua*, ibi apertissimè docet inter Essenos fuisse & fœminas, anus plerasque, eiusdem Instituti sectatrices, quas *Therapeutidas* appellat. Maximè roboratur ex sancto Ambrosio *lib. 10. epist. epist. 82. ad Vercellensem Ecclesiam prope medium*, vbi loquens de illis, qui vitam Monasticam, seu Eremiticam exercuerunt, inquit: *Hinc illi præcesserunt viri Elias, Eliseus, Ioannes, Elisabeth, qui pelliceis tunicis, & caprinis exuuijs induti, inopes, atque egentes, angustijs, & doloribus afflicti in solitudinibus errabant inter alta, & condensa montium, inuia rupium, speluncarum horrida, fouearum vadosa, quorum conuersatione dignus orbis terrarum non erat.* Cum enim his verbis inter antiquos Eremitas, Propheticique Ordinis cultores (de quibus verba Pauli *ad Hebræos 11.* vnde ista deprompta sunt, intelliguntur, iuxta dicta *in Apparatu cap. 2.*) Elisabetham recenseat, proculdubio denotat ex ipsorum Collegio cum Ioanne, per aliquod saltem tempus, fuisse. Fauet & Salianus *tom. 4. Annal. sub ann. 3124. num. 7.* dicens: *Elisabetham B. Virginis cognatam referunt auctores idonei cum infantulo Ioanne in eremum profugisse, eam declinantem carnificinam, quam immanis tyrannus aduersus innocentem infantiam exercebat, ibique deinde defunctam, etc.*

Herodis mors

15 Soluit tandem hoc eodem anno impius Herodes scelerum suorum pœnas dignè expertus, quæ illi Manachemus noster Essenus prædixerat, dicens: *Hæc non latebunt Deum in vltimo vitæ pro tuo facinore*, vt ait Iosephus *lib. 15. antiquit. cap. 13.* In hunc enim annum eius incidisse mortem colligitur ex Eusebio *lib. 1. hist. cap. 8.* Iosepho *lib. 17. antiquit. cap. 8.* & expresè tuentur Torniellus *sub anno 4051. num. 30.* & Salianus *sub anno 4053. num. 21.* Si quis verò pessimam ipsius

ipsius mortem, & crimina sæua vsque ad vltimum spiritum plus æquo Esseni vaticinia adimplentis nosse desiderat, eumdem Iosephum *lib. 17. cap. 8. et 9.* legat. De eius autem successore in sequentibus dicemus.

Annus mundi 4054. Christi 2.

1 EREGRINVS erat hoc tempore puer Iesus in Ægypto cum Matre, & ipsius sponso Iosepho; hoc enim ad minus colligi videtur ex *Matth. 2. num. 22.* vbi habetur non regressum fuisse, nisi regnante Archelao Herodis filio in Iudęa. Is autem cum hoc tempore Romæ apud Augustum pro Regno obtinendo contenderet cum Antipa fratre suo, & alijs Iudæis, qui ipsi aduersabantur, vix potuit in Iudæam reuerti. Quem autem locum, quasue vrbes Ægypti sanctissima Christi familia lustrauerit, inquirendum nobis est, quia ex eo aliquid pro nostrorum Essenorum laude dicere poterimus. Pueri Iesu peregrinatio.

2 In quo diuersi auctores diuersa scripserunt. Primò enim ex Sozomeno, & Nicephoro approbat Baronius, *sub anno Christi primo*, Hermopolim venisse. Tostatus *quæst. 60. in cap. 2. Matth.* in Heliopoli fuisse docet. Iansenius *in concordia in cap. 2. Matth.* scribit Beatam Virginem inhabitasse Mathareæ. Mansisse etiam Memphi testatur Gerson *in proœm. Iosephinæ*. Antonius Maginus *in sua Geographia* refert fuisse etiã Babylone. Ad minus commoratam esse inter Babylonem, & Heliopolim colligitur ex Brocardo *in descript. Terræ sanctæ*, & adstipulantur Baronius loco relato, & Beauxamis noster *in Harmon. Euangelic. tom. 1. in Matth. c. 2.* fol. mihi 120. sed Mantuanus etiam noster Pharum, Hermopolim, Thebem, & Memphim perlustrasse *lib. 3. Parthenic. Marianæ* sic describit: Quæ loca lustrauerit. Ex Mantuano

Territus hoc monito senior vicina petiuit
Regna Phari, & Libycis contermina syrtibus arua,
Hermopolimque domum totam perduxit in vrbem:
Mox Theben, quondam portis celeberrima centum
Mœnia pensilibus tectis, templisque Deorum
Claruit, imperium cum Rex Busiris habebat.
Dehinc Memphitis agros, feriunt vbi sydera celsæ
Pyramides, opus æterna memorabile fama.
Hic tandem hospitio Patrum susceptus amici
Artifices versare manus, victumque labore

Rimari,

Rimari, & duræ studuit succurrere sorti.

An in loco vbi Esseni. 3 Quia tamen Philo *in libro de vita contemplatiua*, loquens de Essenis Theoreticis, ipsos inhabitasse docet non solùm circa Alexandriam, sed maximè in loco quodam ipsorum præstantissimo sito ad stagnum *Mariam* nuncupatum, in mentem venit cogitare hunc locum eiusdem Virginis præsentia nobilitatum fuisse, & propterea ab Essenis ipsius deuotis inhabitatum, & Mariæ titulo insignitum. Philonis porrò hæc sunt verba: *Maxime tamen in Aegypto frequentatur per præfecturas singulas, præsertim circum Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quisque Therapeutarum, tanquam in huius generis patriam colonus mittitur in locum quemdam aptissimum, situm ad stagnum Mariam in terreno colle accliui leuiter tutum simul, & laudatum ab aeris temperie. Securitatem enim ei præstant villa, vicique proximi: aerem verò temperat emissorium stagni exonerantis se in mare, & auræ nũquam non ex alto aspirantes tenuiter, sicut crassiores feruntur è stagno, quibus præmixtis temperamentum existit saluberrimum.*

Fundamenta suspicionis. 4 Huius autem suspicionis ansam præbet, quod illi Esseni, de quibus ibi Philo loquitur, Christiani erant, maiori saltem ex parte, vt Tomo sequenti ostendemus, & Christo, ac eius Matri Mariæ deuoti, & ætate fermè coæui, sicut & ipse Philo. Quid ergo mirum erit existimare hunc locum ab ipsis eidem dicatum, & *Mariæ* nomine vocatum, quod nouerint in eo per aliquod tempus, dum Ægyptũ lustrabat, commoratam fuisse? Accedit, quòd eamdem ob causam alia loca in Ægypto in veneratione esse habent Brocardus, & Maginus relati, qui de sacello B. Virgini dicato in loco, in quo ipsa cum infante Christo latuisse dicitur, cum ob Herodis tyrannidem ex Iudæa profugit, memoria faciunt. Accedit etiam testimonium Baronij, vt supra dicentis: *Porrò non modo Aegyptum Domini præsentia illu-*

Baronius. *stratam, sed & ipsam solitudinem, per quam transiuit esse nobilitatam tradunt, quæ tunc quodammodo semen benedictionis suscipiens, postea suo tempore, quod idem ait Propheta (*scilicet Isaias*) germinans germinabit, & florebit solitudo sicut lilium, tot sanctorum Monachorum illic quaquauersum incolentium produxit sacra germina*. Quæ aptè nimis huic loco stagni Mariani, vbi Esseni considebant, congruunt. Quod si hęc Lectori non arriserint, tradat ipse meliorem huius cognominis *Mariæ* stagno illi concesso originem, & acquiescemus.

Anni

Anni mundi 4055. & 4056. Christi 3. & 4.

1 VB hoc tempore, altero videlicet ex his duobus annis; credibile est Archelaum Herodis filium Roma in Iudæam redijsse. Redijt autem, non cum titulo Regis, sed Ethnarchę, seu Toparchæ tantum, & in dimidia parte Regni patris sui, cum promissione tamen Regiæ dignitatis, cum primum se tali honore dignum reddidisset. Diuisit etiam Cæsar dimidiam aliam partem in alios duos Herodis filios, Philippum, & Antipam. De ea re Iosephus *lib.* 17. *antiquit. cap.* 17. quamuis autem Archelaus Rex non esset, quia tamen in Iudæa dominabatur, ideo *Matth.* 2. *vers.* 22. dicitur, quòd regnaret in Iudæa, vt rectè Torniellus *sub anno* 4052. *num.* 1. Archelai reditus.

2 Veri etiam Iudæorum Regis, immò totius orbis Imperatoris Iesu Christi reditus in Iudæam eodem tempore contigit, postquam videlicet Archelaus Roma redierat. Colligitur ex illo *Matth.* 2. *vers.* 22. de Iosepho: *Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ*. Hoc enim denotat non reuersum fuisse, donec Archelaus in Iudæa dominaretur. Contigisse autem altero ex ijs duobus annis ex eo conijcimus, quod æquũ non erat Christum inter Ægyptios diutius immorari, ne a Iudæis tanquam alienigena reijceretur. Et ita huic computandi rationi fauent S. Epiphanius *hæres.* 20. 51. & 78. Nicephorus *lib.* 1. *cap.* 14. Druthamannus *in Matth.* 2. Onuphrius *in Chronic.* Torniellus *sub anno* 4054. *num.* 1. & Salianus *sub anno* 4055. *num.* 2. Quod enim aliqui huiusmodi mansionem Christi in Ægypto ad septem annos, vel etiam ad nouem (vt Baronius) protrahant, meritò alijs displicet. De die reditus certius constat fuisse septimam Ianuarij, prout ex Martyrologijs, Romano, Bedæ, Vsuardi, & Adonis approbat idem Baron. *sub anno Christi* 9. Iesu Christi in Iudæam reditus.

3 An verò similiter cessante Herodis persecutione, ob ipsius mortem, Ioannes Baptista redierit è deserto in paternam domum, sicut Christus ex Ægypto in Galilæam, dubium esse potest: in quo Torniellus *sub anno* 4051. *num.* 28. probabilius esse credit redijsse, etsi postea, cum septennis esset, ipse vltro desertum iterum petierit. Hoc enim indicare videtur Ecclesia illis hymni verbis: An Ioannes redierit è deserto.

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens petisti, &c.

Sed

Sed quamuis de hoc nihil certi affirmari possit, cum nec ex Scriptura, neque ex Patribus aliquid de hoc pro comperto educatur, credibile valde nobis est, iugiter in deserto permansisse vsque ad tempus prædicationis suæ. Fauet illud *Lucæ 2. vers.* 80. vbi post narratam ipsius natiuitatem dicitur: *Puer crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.* Quo ipsius mansionem in desertis iugem fuisse, & non interpolatam denotatur. Fauet quod diximus *sub anno* 4053. ex Cedreno, matrem videlicet Ioannis, postquam ipsum in desertum detulit, obijsse quadragesimo peracto die, ex quo fit credibile ab eo tempore, & in ea tenella ætate Essenis traditum fuisse ad erudiendum, & educandum, cum ipsi iuxta ibidem dicta ex Iosepho id munus exequi soliti essent circa *alienos filios adhuc molles.* Quod etiam roboratur, si verum est, quod plures tradunt Patres, quos refert, & sequitur Baronius *sub anno* 1. *Christi*, Zachariam videlicet eiusdem Ioannis patrem, Herodianæ persecutionis tempore, vel circiter occisum fuisse. Mortuo namque vtroque parente, multo credibilius est sub Essenorum cura nutriendum, & erudiendum permansisse. Ad quod accedit, quod cum Ioannes fuerit Spiritu sancto repletus, adhuc ex vtero matris suæ, vt habetur *Luc. 1. vers.* 15. fuerit etiam vsu rationis maturissimè donatus, vt Patres, & Theologi sentiunt, iudicandum de illo est adhuc in tenerrima ætate, sicut de viro prudentissimo, ac per consequens credendum, solitariam vitam, & Anachoretarum illius æui, Essenorum videlicet societatem semel degustatam nunquam dimisisse, vtpote cōmodissimam ad finem excellentissimæ sanctitatis, quam Deus illi prædefinierat. Neque verba hymni relati oppositum conuincunt, Sufficienter namque illis satis fit, dicendo illud, *teneris sub annis*, tenellam Ioannis ætatem solum adumbrasse. Quæ autem his annis in eremi egerit solitudine, ex Simone de Cassia *lib. 3. de gestis Saluatoris* sic damus: *Desertum incoluisse credendus est, & loca quæsiuisse custodiæ remotioris consistentiæ apta contemplationi, orationi congruentia, & amica mæroribus, vbi tandiu stetit diuinis reuelationibus vacans, & ex omni se diuinis theorijs intendens, quousque mandato Domini ad Israel in opere sacri ministerij monstraretur.* Vbi verbum illud *Theorijs* Theorethicorum Essenorum munus indigitat.

Zacharias Ioānis pater.

Quid Ioan. in desertis.

Anni

Anni mundi 4057. vſque ad 4060. Chriſti 5. vſque ad 8.

1 V B hoc tempore Chriſtus Seruator noſter Nazarethi morabatur cum ſacra ipſius familia. Sic enim colligitur ex *Matth. 2. verſic.* 23. vbi poſt reditum ex Ægypto dicitur: *Et veniens habitabat in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur*. Ex hoc autem, quod Chriſtus Nazareth commoratus fuerit, & ea ciuitas ſita ſit in Galilæa duæ nobiliſſimæ (etſi impijs hominibus viles) ortę ſunt Chriſti, & Chriſtianorum nomenclaturæ, quod ſcilicet tam is, quam illi Nazareni, & Galilæi nuncupati fuerint. De titulo Nazareni conſtat in ipſo Chriſto, tum *Matth.* 2. loco relato, tum *Marc.* 16. *verſ.* 6. *Actor.* 2. *verſ.* 22. 3. *verſ.* 9. 4. *verſ.* 10. & 26. *verſ.* 9. vbi hoc titulo vocatur ab Angelo, & Apoſtolis. Eodem etiam appellatos fuiſſe omnes Chriſtianos in principio naſcentis Eccleſiæ conſtat ex *Actorum* 24. *verſ.* 5. vbi Iudæi accuſantes Paulum, dicebant: *Hunc inuenimus hominem peſtiferum*, &c. *& auctorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum*. Poſtea verò hæc nomenclatura ad quoſdam hæreticos tranſijt, vt habetur ex Epiphanio *hæreſ.* 29 ſic etiam Galilæum vocabant Chriſtum Iudæi, vt patet *Matth.* 26. *verſ.* 69. & *Luc.* 23. *verſ.* 6. & Apoſtolos illi duo Angeli, qui *Actor.* 1. *verſ* 10. apparuerunt tempore Aſcenſionis Chriſti. Item Chriſtianos omnes Porphyrius, Lucianus, & Iulianus Apoſtata, vt conſtat ex Nazianzeno, & Chryſoſtomo. In contumeliam tamen, & opprobrium, propterea, quod Galilæi apud Iudæos veluti contemptibiles haberentur, & factioſi, propter ea forſan, quæ in ſequentibus dicemus de Iuda Galilæo.Glorioſum nihilominus Chriſtianis erit hoc titulo nuncupari, quo Chriſtus, Apoſtoli, & Chriſtiani primi appellati ſunt. Glorioſum etiam Ordinis Prophetici cultoribus non modò propter eaſdem cauſas, & quia Carmelus Ordinis natale, & primordiale ſolum in Galilæę confinio ſitus eſt, vt ſæpius diximus, ſed etiam, quia in ea prouincia fuerunt multa eorum collegia, in quibus plures ſanctiſſimi ex illis vixerunt, etſi alij etiam ſolo nomine tales. De quo pro nobis Iacobus Boulducus in *lib. de Eccleſia poſt legem cap.* 4. §. *Præterea vtraque*, hoc protulit teſtimonium: *Præterea vtraque Galilæa etiam poſt Iſraelitarum in ea incolatum repleta erat Prophetarum ſcholis, qui Cedmonæorum, id eſt, antiquorum, iuxta neoticas leges, & traditiones filiorum Dei, ſeu Prophetarum, vitam agebant.*

Ieſus in Nazareth.

Chriſtiani Nazaræi, & Galilæi.

In Galilæa plura prophetarum collegia.

bant, Licet inter eos multi essent falsi Prophetæ, & Idololatræ. Bonorũ quidem, & Orthodoxorum sub Elia, & Elisæo erant Collegia, seu Cœnobia in Carmelo, in Samaria, in Bethsam, in Sina; in Galgala, in Bethel, in Iericho, & alibi. Malorum autem, & idololatrarum magnus quoque erat numerus, & colligitur ex illis quadringentis quinquaginta Baalistis, & quadringentis alijs, quos Elias vocat Prophetas Aseroth.

S.Amator cõiux Veronicę.

2 Hoc verò tempore pueritiæ Iesu Christi Saluatoris vixisse oportet S.Amatorem coniugem Veronicæ, cui Dominus faciei suæ imaginem expressam dedit, Deiparæ Virginis, ac Iosephi famulum, ac eiusdem Iesu Christi nutritium, de quo inter Luitprando attributa fragmenta, quæ ex Bibliotheca Dom. Thomæ Tamaio de Vargas Catholici Regis Historici eruta, & Typis edita ab ipso fuerunt Parisijs anno 1635. *num.* 209. sic habetur: *S. Amator coniux Veronicæ, cui Dominus faciem suam expressam dedit, famulus S.Virginis Mariæ, & Ioseph, & Domini baiulus, ac nutritius, post discessionem eius ad Cælos, eius hortatu S. Martialem cum coniuge sequutus est ad Gallias, vbi, sicut viderat prope Nazareth eremitas montis Carmeli eam vitam in editissimo monte sequutus est. Vixit ibi multos annos, agens vitam magis cælestem quam terrenam, creditur discessisse anno 75. celebratur prima die Nouembris.*

Quid Baiulus

3 Circa quod testimonium, antequam quid de illo sentiendum dicamus, animaduersione dignum est, nomen illud *Baiulus* non solum significare eum, qui onera portat, sed & operarium etiam, vt constat ex Calepino, Antonio Nebrissen. & Thesauro linguæ Latinæ, antiqui enim operarios baiulos vocabant. Hac ergo acceptione, quia scilicet hic Amator famulus erat, seruitor, & familiaris domus Dei Genitricis, & ipsius filij sanctissimi, eiusdem *Baiulus* appellatur.

4 Quis verò fuerit hic sanctus Amator, qui etiam maritus Veronicę dicitur, operosius inquirendum. Plures enim hoc nomine vocatos inter Sanctorum Menologia reperimus. Vnus est Amator Cordubæ Martyr, de quo S.Eulogius *in Memoriali sanctor.l.3.cap.13.* & quem passum fuisse dicit 30.Aprilis, æra 893. id est, anno 855. sed ex hoc euidenter conuincitur non fuisse illum Amatorem, de quo in præsenti. Idem dicendum de alio eiusdem nominis Antissiodorensi Episcopo, de quo Vsuardus, Ado, & Baronius sub prima Maij, siquidem obijsse creditur anno 421. Ac de alio Augustodunensi Episcopo, de quo Beda, Vsuardus, Ado, & Baronius sub 26. Nouembris, creditur enim esse illum, qui S. Siluerium Papam litteris est consolatus, ex eo enim sequitur sexto Christi seculo floruisse. Fuit ergo hic

bit noster Amator is, de quo sanctus Antoninus 1. *par. histor. tit. 6. cap. 5.* §. 2. hæc scripsit: *Venit autem cum B. Petro Apostolo Romam S. Martialis, & per eum missus fuit in Galliam habens in comitatu suo Amatorem, & coniugem eius Veronicam, quæ familiaris, & præcordialis amica fuit Virginis Mariæ. Sanctus verò Amator in rupe, quæ modo Amatoris dicitur, solitariam vitam egit, ibique obijt.* Consonat ergo S. Antoninus Luitprandi testimonio relato, etsi in Luitprando expressiùs habeatur eum famulum fuisse B. Virginis, & S. Iosephi, Christi baiulum, & nutritium, & vitam solitariam egisse, *sicut viderat prope Nazareth Eremitas montis Carmeli*. Quæ sicut omnino certa non videntur, veritati tamen conformia sunt, si dicta in superioribus memoriæ reuocantur. Diximus enim sæpius nunquam a Carmelo eremiticam hanc vitam agentes defuisse, ab Elia præsertim vsque ad Christi æuum, Carmelum vicinum fuisse Nazarethi vrbi; eamque vitæ rationem a pluribus, Essenis præsertim, amplexatam esse. Eam quoque secutos quamplurimos etiam post Christum secundo Tomo dicemus, vbi & iterum de hoc Amatore copiosior redibit sermo. Quæ verò ex sancto Antonino retulimus, refert etiam Franciscus Biuarius *in Annotationibus ad chronic. Flauij Dextr. sub ann. Christi* 48. loquens de Veronica Amatoris vxore.

Anni mundi 4061. & 4062.
Christi 9. & 10.

1 PRODIT hoc tempore nouus quidam professione Essenus, & idcirco historia nostra dignus, Simon nomine, qui Archelao anno iam nono, vel decimo regnanti, seu potius, iuxta dicta in superioribus, titulo Toparchæ, seu Ethnarchæ in Iudæa dominanti velut alter Ioseph Pharaoni, vel Daniel Nabuchodonosori somnium, quod illi contigerat, exposuit, quo postea, rei euentu comprobato, veridici Vatis nomen sibi acquirere valuit. Rem ex Iosepho *lib. 17. Antiquit. cap.* 19. sic damus: *Sed antequam Romam vocatus fuisset Archelaus, somnium suis amicis tale recitauit: Vidisse se namque dicebat spicas decem numero plenas, turgentesque frumentis, vigoremque integrum possidentes, quas videbat a bobus comedi. Sed hoc videns, magnis fluctibus eius animus fatigabatur, a quibus dum sciscitaretur, illi per diuersas contrariasque opiniones, solutionesque diffunduntur. Tunc Simon vir Essenus veniens, mutationes rerum illo somnio significari dicebat Archelao; non sane in rebus secundis, aut commodis prouenturam. Boues namque labores,*

Nouus Essenus Simon.

Iosephi testimonium.

& miseriam significare firmabat, eo quod soleat illud genus animalium laboribus affligi, & conteri, mutationem autem rerum illo somnio demonstrari dicebat, quod terra boum laboribus, & operibus exarata in seipsa permanere penitus non sinatur: per spicas autem decem, periodum decem annorum terminari manifestabat: vnam quippe futuram æstatem, & tempus suppleri asseuerabat Archelao, quo de principatu suæ potestatis exiret. Et ille quidem hoc modo somnium illud exposuit. Paulo aliter casum descripsit idem Iosephus *in lib. 2. de bello Iudaic. c. 6.* his verbis: *Nonoque Principatus sui anno legatis contra se ab vtrisq; ad Cæsarem missis, ipse quidem in exilium pellitur Viennam Galliæ ciuitatem. Patrimonium verò eius fisco Cæsaris adiudicatur: quem quidem prius, quam euocaretur ad Cæsarem, huiusce modi somnium vidisse commemorant: Nouem spicas plenas, & maximas a bobus comedi somniauerat: accitos deinde vates, Chaldæorumque nonnullos, quidnam illo putarent indicari somnio, consuluerat. Alijs autem aliter interpretantibus, Simon quidam Essenus genere, dixerat spicas annos arbitrari, boues que rerum mutationes, eo quod agros arando verterent, ac mutarent. Ideoq; regnaturum quidem illum esse tot annos, quot significasset numerus aristarum: varias autem rerum mutationes expertum, esse moriturum.*

Gorionidis verba.

2 Alter verò Iosephus, Gorionides scilicet, *lib. 5. cap. 44* sic rem narrat: *Archelaus quoque vidit in somno, & ecce nouem spicæ plenæ, & optime stantes in culmo vno, leuatisque oculis vidit bouem vnum magnum stantem iuxta spicas, & proferentem linguam suam, decerpentemque spicas, & deuorantem eas. Et cum euigilasset somnio suo, narrauit ipsum vni ex Sapientibus. Dixitque Sapiens ei, nouem spicæ nouem sunt anni, quibus regnasti, & bos, quem decerpentem vidisti, est Cæsar Imperator, qui hoc anno auferet Regnum a te.* Hunc vnum ex Sapientibus fuisse prædictum Simonem Essenum non solum habetur ex dictis in superioribus, vbi ostendimus hoc titulo cognominari solitos ab hoc auctore *Essenos*, sed etiam ex alio Iosepho Flauio, qui proprio nomine Simonem eum vocat, & ex Munstero, qui *in hunc locum Gorionidis* idem affirmat.

Simonis prædictio vera.

3 Hanc autem Simonis prędictionem verissimam fuisse ex rei euentu postea secuto manifestè conuincitur. Testante enim Iosepho *dicto lib 17. Antiquit. cap.* relato: *Quinto die postquam illud somnium Archelao fuerat demonstratum, etc. in Iudæam venit a Cæsare destinatus.* Et *in lib. 2. de bello Iudaico* etiam adducto: *Archelaus quinque diebus post ad causam dicendam est euocatus.* Gorionides verò relatus sic: *Factum est autem post quinque dies, vt ascenderet contra eum exercitus Cæsaris Imperatoris, & ligaret eum catenis, duceretque Romam.*

Hinc

4 Hinc mirum, Salianum *sub anno* 4061. *num.* 4. de hac historia dubitasse, quam enim non solùm Iosephus Flauius, sed & Gorionides, & partim Hegesippus *lib.* 2. *de excidio cap.* 3. referunt, quo iure in dubium reuocare possumus? Aut cur non potius totam istorum historiam falsidicam credemus? At, inquit, Prophetiæ iam pridem apud Hebræos cessarant. Hoc tamen negandum, vt ostendimus sæpius, & saltem quòd inter Essenos, qui vitæ probitate alijs Iudæorum præibant, spiritus prædictionis conseruatus fuerit, habent idem Iosephus, Porphyrius, Cedrenus, & Serarius *sub anno* 3545. *num.* 35. relati, & constat manifestè in Iuda Esseno, & Manachemo etiam Esseno, de quibus in superioribus diximus. Imò ex eo Iosephus dicto *cap.* 19. *lib.* 17. *Antiquit.* adducit hunc casum de somnio Archelai a Simone isto Esseno exposito, *vt exemplo*, inquit, *vera probentur dicere illi, a quibus immortalitas disputatur animarum.* Quales erant Esseni iuxta dicta etiam in superioribus. Immerito Salianus dubitat.

5 Ergo Archelaus Romam ductus est, in Galliam perpetuò relegatus, & Iudæa in Prouinciam Syriæ redacta, sub Præsidibus Romanorum, Philippo, & Antipa Herodis filijs in suis tetrarchijs perseuerantibus, Philippo quidem in Traconitide, Antipa verò in Galilæa. Hic verò Antipas fuit idem ac Herodes, qui cum Pilato amicitias fecit, a quo Christus illusus fuit, & Ioannes decollatus. Archelaus Romam ductus.

Annus mundi 4063. Christi 11.

1 INDICARI oportet sub hoc tempore nostrum Essenorum collegium, cui immeritò aliqui sectæ cuiusdam inter Iudæos Galilæorum nuncupatæ auctorem attribuunt, cum euidens sit non fuisse Essenum, vt constabit ex dicendis. Prius tamen de huius sectæ occasione, deinde de ipsius auctore aliqua dicemus. Esseni vindicati.

2 Venerant in Syriam, & Iudæam, quæ Syriæ adunata erat, Cyrenius quidam, alijs Quirinus, vel Quirinius, vir consularis a Cæsare destinatus, prouinciam moderaturus, de domo Archelai prouisurus, & vniuersorum substantias depretiaturus, censumque cunctis impositurus. Cui etsi inuiti, suadente tamen Pontifice Iozan, coacti, nihil amplius hæsitantes colla subdiderunt Iudæi. Sed Iudas Gaulonites homo ex ciuitate, cui nomen erat Gamala, patria, Galilæus, Sadochum Pharisæum sibi coniungens, huius census impositi occasione Cyrenius. Iudas Gaulonites.

populo suadebat solùm Deum habendum vt Principem, ac illi soli obtemperandum, non hominibus, quantumuis sublimibus. Ita colligitur ex Iosepho *lib. 18. antiquit. cap. 1. & 2. & lib. 2. de bello Iudaico c. 7.* vbi eum vocat Simonem Galilæum, & secta Sophistam.

Essenus creditur.

3 Hunc igitur Iudam talis nouitatis auctorem Essenum fuisse aliqui putarunt; quidam videlicet Abrahamus Salmanticensis apud Boulducum *in lib. de Ecclesia post legem cap. 4. §. Insuper diligenter*, cui fauet Valentinus Schindlerus *in Lexicon Pentaglotton verbo Chasid*, vbi eum videtur facere Essenorum, seu Assidæorum auctorem, qui tamen per multa secula ipso priores fuerunt.

Sed sine fundamento.

4 Sed sine fundamento hunc Iudam Essenum fuisse asseritur. Constat enim ex Iosepho locis relatis, ex quo alij id sumere potuerunt, ipsum fuisse secta *Sophistam*, vel *Pharisæum*, siquidem eius sequaces, vt idem Iosephus testatur, *in vestitu, in habitu, cæterisque alijs Pharisæis consentiunt*. Vt propterea Sigonius *de Repub. Hebræorum lib. 5* in fine, eos Pharisæis adiungat. Deinde, cum Esseni sapientissimi essent, probatissimi, & selectissimi inter Iudæos, ignorare non potuerunt dogma illud etiam lumine naturali notum: *Principibus esse parendum*, quod & ipse Christus postea intimauit, dicens: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* & S. Petrus 1. *Petr. 2. v. 13.* dicens: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus, &c. quia sic est voluntas Dei.* & S. Paul. *ad Rom. 13. v. 1.* dum ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi a Deo.* Accedit quod, vt notat Salianus *sub hoc anno num. 3.* ex Iosepho *lib. 2. de bello Iudaico cap. 7.* Essenorum doctrina erat, *Fidem omnibus seruare, maximè verò Principibus.* Cuius rationem adiungit: *Neque enim absque voluntate Dei cuiquam posse Principatus potentiam contingere.* Quam etiam Petrus, & Paulus Apostoli relati etiam tradiderunt. Maneat ergo hunc Iudam huius hæresis auctorem a nostro Essenorum collegio procul abfuisse, nec inter eos enumerandum. Qui autem potiori iure inter ipsos sub hoc tempore numerari possent, in sequentibus dicemus.

Dogma certissimum de obediendo Principibus.

Annus

Annus mundi 4064. Christi 12.

1 
N SIGNIS est hic annus Christi Domini duodecimus, non tam Ierosolymitana cum parentibus suis profectione, cum ea singulis annis frequentaretur, quam eius inuentione inter Doctores, & manifestatione in Templo, quam *Luc.* 2. postquam dictum est: *Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illa*, sic descriptam habemus: *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset annorũ duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos, & non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*, Quæ Mantuanus noster in suo *Parthenices Marianæ lib.* 3. sic piè decantabat:

Iuuẽtio Christi inter Doctores.

Virginis Matris pia querela.

Mantuanus.

Post lustrum expulso dulci cum pignore mater
Longæuusque senex ad primi maxima veri
Orgia: quem typico faciunt solemniter agno
Conuenere: puer subitò sese abdidit vmbra
Nubis, ab aspectu matris sublatus: in alta
Templa Sacerdotes inter Legisque Magistros
Mirantem vario tenuit problemate turbam
Tres illum gemebunda dies, tres anxia noctes
Agnatos, notosque inter per rura, per vrbem
Cum tremulo consorte parens quæsiuit, & auras
Questibus impleuit: lacrymisque tepentibus ora
Sæpius hæc iterans, magni mi nate Tonantis
Progenies si terram habitas, te ostende parenti

An potes ardorem hunc afflictæ spernere mentis?
Si Cælos, æterna Patris si regna petisti:
Me quoque depositis in sydera collige membris.
Vel viuam me tolle precor: quo veneris, æquum est
Me quoque nate sequi; tuus est ex sanguine sanguis,
Ex membris tua membra meis; ex corpore corpus.
Quod toties alimenta dedit tibi lactea pectus
Ferre potes tantis curarum molibus angi?
Tertia lux aderat, cum se quærentibus vltrò
Obtulit, & media sese monstrauit in æde.
Tunc illum formosa parens amplexa, quid, inquit,
Nate tot in lacrymas, tanta in suspiria mittis
Me miseram, tristemque virum, tum lumina tollens
In matrem genitus, dulces se misit in vlnas.

De Christi mendicitate.

2 Circa quæ, omissis multis, quæ sacris Doctoribus, & Expositoribus explananda relinquimus, duo nobis inuestiganda sunt, quorum alterum commune est omnibus Religiosis, qui mendicitatem profitentur. An videlicet Christus hoc triduo ex stipe ostiatim mendicata vixerit, alterum Ordini Prophetico proprium, an scilicet isti Doctores Legis, cum quibus puer Iesus disputans inuentus fuit, ex Essenorum collegio fuerint.

Iesus an ostiatim mendicauerit.

3 In priori ergo dubio valde pium, & probabile est, aliquo saltem ex ijs tribus diebus ostiatim per Ierosolymam mendicasse. Id suadet primò, quod cum omnes nostras miserias, quæ cum peccato coniunctæ non sunt, Christus assumpserit, iuxta illud Apostoli ad *Hebr. 4. vers. 15. tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*, par erat, vt istam, quæ inter eas minima non est, non respueret. Accedit illud *psal. 39. vers. 18.* quod non incongruè de ipso dicitur: *Ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus solicitus est mei.* Maximè accedit, quod huiusmodi satis laudabile humilitatis, & mortificationis exercitium, quod in Lege noua futurum erat, proculdubio ipsius exemplo commendari postulabat. Fauent & Patres, ex quibus Bernardus *homil. infra octauam Epiphan.* sic scribit deuotissime: *Per illud triduum vbi eras Domine Iesu? Quis cibum, aut potum ministrauit? quis detraxit calceamenta?* & infra: *Quid dicam Deus meus? An, vt te per omnia nostræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi vnus è turba pauperū stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarū sic mendicatarū fieri participem? vel saltem diuini illius edulij reliquijs saginari?* Sanctus Thomas etiam 2.2. q. 187. art. 5. expressè asserit Christum mendicasse, quod congruen-

S. Bernardi verba.

gruentius ad hoc tempus spectare videtur. Refertur etiam sanctus Bonauentura *interrogat.* 262. & ex Scholasticis Alensis 4. *par. quæst.* 107. *ar.* 1. Bonauentura in *Apologetic. Pauperum respons.* 3. *ar.* 1. Sequitur & Ioannes Nouatus in *lib. de eminentia Deiparæ Virginis cap.* 16. *quæst.* 2. Nec obstat illud *Deuteronomij* 15. quod afferri potest in contrarium, videlicet: *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.* Quia, vt inquit sanctus Thomas loco relato, *ex illo præcepto Legis diuinæ non prohibetur alicui mendicare, sed prohibetur diuitibus, ne tam tenaces sint, vt propter hoc aliqui egestate mendicare cogantur.* Maneat ergo, quod quemadmodum in hoc Christi exemplo, quod a parentibus se absconderit, iacta sunt fundamenta Religionis, quantũ ad hoc, quod liceat filijs sine consensu parentum Religionem ingredi, prout ex Salmerone affert relatus Nouatus, sic etiam ex hac Christi mendicitate Religiosorum mendicitas commendata sit. Religiosorum mendicitas commendata.

4 Ad secundum dubium, quamquam nihil certi asseuerari possit, si tamen ea, quæ in superioribus sæpius diximus, recolamus, constanter asserendum videtur, vel plures vel aliquos saltem ex ijs Legis Doctoribus, cum quibus puer Iesus disputans a sanctissima Matre inuentus est, ex Essenorum Collegio fuisse. Si enim iuxta dicta in superioribus Esseni erant Sapientes illius populi, ita vt veluti per antonomasiam tales crebriùs vocitentur a Gorionide, & alijs, cur aliquos saltem ex istis Legis Sapientibus ex Essenis fuisse refragabimur? Deinde cum Esseni, seu Assidæi Templi veluti continui, & assidui fuerint, vt ab hac assidua assistentia Assidæi credantur nuncupati, iuxta dicta *sub anno* 3847. sanè fuisse Iesum inuentum *in Templo sedentem in medio Doctorum*, vt inquit textus, arguit hos Doctores, vel ipsorum aliquos ex prædictis Essenis, seu Assidæis fuisse. Fauet & id, quod Barradas *to.* 1. *lib.* 10. *cap.* 14. ex S. Antonino, & Montano refert, fuisse videlicet in Templo Salomonico locum quemdam determinatum, portam videlicet, seu porticum illius, in quo Doctores docerent; Hoc enim etiam arguit vel aliquos ex istis Assidæos fuisse, quibus talis iugis assistentia ad Templum plusquam alijs competebat. Accedit denique, quod Theophylactus in hunc Lucæ locum, huiusmodi Doctores *Scribas* appellat, quod etiam ex parte sequitur Maldonatus; Scribas verò Ordinis Prophetici alumnos denotare dictum est *sub anno* 3230. Maneat ergo vt probabile assertum nostrũ, videlicet, quod aliqui ex ijs Doctoribus ex Essenis fuissent, etsi non omnes, cum plerique forsan essent Pharisæi, & ex illis deprauatis Scribis, qui viam suam corruperant, & de quibus *sub eo anno* 3230. n. 4. locuti sumus.

Quinam hi Doctores.

An ex Essenis seu Assidæis.

Pari

An potes ardorem hunc afflictæ spernere mentis?
Si Cœlos, æterna Patris si regna petisti:
Me quoque depositis in sydera collige membris.
Vel viuam me tolle precor: quo veneris, æquum est
Me quoque nate sequi; tuus est ex sanguine sanguis,
Ex membris tua membra meis; ex corpore corpus.
Quod toties alimenta dedit tibi lactea pectus
Ferre potes tantis curarum molibus angi?
Tertia lux aderat, cum se quærentibus vltrò
Obtulit, & media sese monstrauit in æde.
Tunc illum formosa parens amplexa, quid, inquit,
Nate tot in lacrymas, tanta in suspiria mittis
Me miseram, tristemque virum, tum lumina tollens
In matrem genitus, dulces se misit in vlnas.

De Christi mendicitate.

2 Circa quæ, omissis multis, quæ sacris Doctoribus, & Expositoribus explananda relinquimus, duo nobis inuestiganda sunt, quorum alterum commune est omnibus Religiosis, qui mendicitatem profitentur. An videlicet Christus hoc triduo ex stipe ostiatim mendicata vixerit, alterum Ordini Prophetico proprium, an scilicet isti Doctores Legis, cum quibus puer Iesus disputans inuentus fuit, ex Essenorum collegio fuerint.

Iesus an ostiatim mendicarit.

3 In priori ergo dubio valde pium, & probabile est, aliquo saltem ex ijs tribus diebus ostiatim per Ierosolymam mendicasse. Id suadet primò, quod cum omnes nostras miserias, quæ cum peccato coniunctæ non sunt, Christus assumpserit, iuxta illud Apostoli ad *Hebr. 4. vers. 15. tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*, par erat, vt istam, quæ inter eas minima non est, non respueret. Accedit illud *psal. 39. vers. 18.* quod non incongruè de ipso dicitur: *Ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei.* Maximè accedit, quod huiusmodi satis laudabile humilitatis, & mortificationis exercitium, quod in Lege noua futurum erat, proculdubio ipsius exemplo commendari postulabat. Fauent & Patres, ex quibus Bernardus *homil. infra octauam Epiphan.* sic scribit deuotissime: *Per illud triduum vbi eras Domine Iesu? Quis cibum, aut potum ministrauit? quis detraxit calceamenta?* & infra: *Quid dicam Deus meus? An, vt te per omnia nostræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi vnus è turba pauperũ stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarũ sic mendicatarũ fieri participem? vel saltem diuini illius edulij reliquijs saginari?* Sanctus Thomas etiam *2.2. q. 187. art. 5.* expressè asserit Christum mendicasse, quod con-

S. Bernardi verba.

gruen-

gruentius ad hoc tempus spectare videtur. Refertur etiam sanctus Bonauentura *interrogat.* 262. & ex Scholasticis Alensis 4. *par. quaest.* 107. *ar.* 1. Bonauentura in *Apologetic. Pauperum respons.* 3. *ar.* 1. Sequitur & Ioannes Nouatus in *lib. de eminentia Deiparae Virginis cap.* 16. *quaest.* 2. Nec obstat illud *Deuteronomij* 15. quod afferri potest in contrarium, videlicet: *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.* Quia, vt inquit sanctus Thomas loco relato, *ex illo praecepto Legis diuinae non prohibetur alicui mendicare, sed prohibetur diuitibus, ne tam tenaces sint, vt propter hoc aliqui egestate mendicare cogantur.* Maneat ergo, quod quemadmodum in hoc Christi exemplo, quod a parentibus se absconderit, iacta sunt fundamenta Religionis, quantũ ad hoc, quod liceat filijs sine consensu parentum Religionem ingredi, prout ex Salmerone affert relatus Nouatus, sic etiam ex hac Christi mendicitate Religiosorum mendicitas commendata sit. Religiosorum mendicitas commendata.

4 Ad secundum dubium, quamquam nihil certi asseuerari possit, si tamen ea, quae in superioribus saepius diximus, recolamus, constanter asserendum videtur, vel plures, vel aliquos saltem ex ijs Legis Doctoribus, cum quibus puer Iesus disputans a sanctissima Matre inuentus est, ex Essenorum Collegio fuisse. Si enim iuxta dicta in superioribus Esseni erant Sapientes illius populi, ita vt veluti per antonomasiam tales crebriùs vocitentur a Gorionide, & alijs, cur aliquos saltem ex istis Legis Sapientibus ex Essenis fuisse refragabimur? Deinde cum Esseni, seu Assidaei Templi veluti continui, & assidui fuerint, vt ab hac assidua assistentia Assidaei credantur nuncupati, iuxta dicta *sub anno* 3847. sanè fuisse Iesum inuentum *in Templo sedentem in medio Doctorum*, vt inquit textus, arguit hos Doctores, vel ipsorum aliquos ex praedictis Essenis, seu Assidaeis fuisse. Fauet & id, quod Barradas *to.* 1. *lib.* 10. *cap.* 14 ex S. Antonino, & Montano refert, fuisse videlicet in Templo Salomonico locum quemdam determinatum, portam videlicet, seu porticum illius, in quo Doctores docerent; Hoc enim etiam arguit vel aliquos ex istis Assidaeos fuisse, quibus talis iugis assistentia ad Templum plusquam alijs competebat. Accedit denique, quod Theophylactus in hunc Lucae locum, huiusmodi Doctores *Scribas* appellat, quod etiam ex parte sequitur Maldonatus; Scribas verò Ordinis Prophetici alumnos denotare dictum est *sub anno* 3230. Maneat ergo vt probabile assertum nostrũ, videlicet, quod aliqui ex ijs Doctoribus ex Essenis fuissent, etsi non omnes, cum plerique forsan essent Pharisaei, & ex illis deprauatis Scribis, qui viam suam corruperant, & de quibus *sub eo anno* 3230. n. 4. locuti sumus.

Quinam hi Doctores.

An ex Essenis seu Assidaeis.

Pari

Iudas,& Matthias.

5 Pari quoque probabilitate idem affirmari posse videtur de duobus alijs Iudæorum Sapientibus, Legisque Doctoribus, Iuda, & Matthia, qui paucis ante hoc tempus annis floruerant, & qui ab Herode Rege vinculis, & morti addicti sunt, eo quòd iuuentutem, quam instruebant, incitassent ad auferendam aquilam quamdam auream grandem, quam ipse Rex super portam Templi collocauerat, de quo Iosephus *lib.17. antiquit. cap. 8. & 1. de bello Iudaico cap. 21.* Cum enim isti, vt idem Iosephus dicto *lib.antiquit.* inquit, essent *Iudæorum eruditissimi, populo etiam amabiles propter iuuentutis eruditionem* (quæ duo notæ sunt, & signa Essenorum, iuxta dicta in præcedentibus) ideo videtur probabile eos tales fuisse. Nec refert, quòd ipse Iosephus eos appellet *Sophistas*, hoc enim Sophistarum nomen antiquitus veros sapientes, & veræ Philosophiæ doctores denotabat, vt pro confesso apud omnes est. Res tamen pro incomperta maneat.

De alijs.

6 De alijs autem, qui potiori, & certiori iure inter Essenos referri merentur, in sequentibus dicemus.

Anni mundi 4065. vsque ad 4080. Christi 13. vsque ad 28.

Temporis ratio.

1 OTVM hoc tempus, quod est inter Iesu duodecim annorum in Templo manifestationem, vsque ad Ioannis Baptistæ prædicationem, quæ anno decimo quinto Tiberij Imperatoris, & 4081. mundi contigit, altissimo silentio in Euangelica historia obuoluitur, vt nihil de Christo, Maria, Ioanne, aut alijs de his annis in ipsa scribatur. Idcirco id tempus in vnum coniungimus, & quæ in eo dicenda sunt, non tam ex sacra historia, quam ex varijs Doctorum placitis, ac probabilibus coniecturis delibanda erunt, si tamen prius ab humana historia, quæ Augusti Cæsaris mortem, & Tiberij Imperium affert, nos expediamus.

Augusti Cæsaris mors.

2 Cæsar igitur Octauianus Augustus nuncupatus hoc tempore, circa annum videlicet mundi 4066. vel 4067. Christi 15. vel 16. Nolæ mortuus est annos natus septuaginta quinque, in pluribus felix, felicior tamen, quod sub ipsius Imperio Christus Dominus, Deipara, & Ioannes Baptista nati fuerint: successorem sui Imperij habuit Tiberium ipsius priuignum ætatis quinquaginta quinque annorum,

Tiberij successio.

non sic felicem, vt eius facta ostendunt. Specie enim amoris solitudinis, & quietis in Insulam Caprearium se abdidit, magno cum deco-

decore Imperij, nec minori discrimine. De his Tacitus, Suetonius, Dio, & alij Romanarum rerum Scriptores: nos enim ad alia propriora gressum facimus.

3 Inter quæ memorandum illud primò occurrit, quòd de vita, gestis, & actibus Christi Redemptoris nostri hoc tempore nihil Euangelistæ scripserint, nisi quod Lucas 2. v. 51. & 52. habetur, scilicet: *Et descendit cum eis* (Maria, & Iosepho) *& venit Nazareth, & erat subditus illis. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Circa quæ bene perdoctus Torniellus *sub anno 4062. num. 2.* sic discurrit: *Itaque si quis quærit, quænam egerit Christus ab hoc vsque ad annum vitæ suæ trigesimum, in quo seipsum manifestare cœpit tanquam verum humani generis Redemptorem: dicimus ex hoc, quod cum parentibus discendisse traditur, & subditus fuisse illis, colligi posse ipsum nihil deinceps, tanquam hominum Redemptor, agere voluisse, sed in communi hominum sui status actionibus tantummodo se exercuisse, donec præstitutum tempus adueniret palam manifestandi hominibus, ad quid ipse in hunc mundum venisset. Et propterea Sanctus Euangelista loco citato breuibus perstringens, quid interim egerit Christus, nihil aliud memorandum duxit, nisi quod* descendit cum eis *(nimirum parentibus)* & venit Nazareth, & erat subditus illis. *Et post pauca:* Et Iesus, *inquit*, proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines: *Quia nimirum licet æquè semper fuerit plenus sapientia, & gratia, successiuè tamen, crescente ætate, maiorem quoque exterius in humanis actibus, hoc est, in verbis, & operationibus suis sapientiam, & gratiam ostendebat, & proportionem augescentis ætatis, maioribus in dies sapientiæ, & gratiæ operibus incumbebat, quæ reuera tum coram hominibus, tum etiam coram Deo erant perfectiora, vt rectè exponit Cardinalis Toletus super loco Lucæ citato. Igitur si verum est, quod diximus, Iesum intra prædictum tempus nullum opus ad redemptionem nostram specialiter pertinens agere voluisse, cuiusmodi sunt miracula facere, discipulos conuocare, & quę ad æternam salutem consequendam pertinent, publice docere, & his similia, proculdubio inferri potest falsa omnino esse, & conficta, quæ de infantia Saluatoris, ac de miraculis in ætate puerili ab eo factis in apocryphis quibusdam libris tradita inueniuntur; quos sane libros meritò sancta reprobat, reijcitque Ecclesia, & contra ea, quæ de miraculis Christi in ipsis afferuntur, latè disputat S. Io. Chrysostom. homil. 20. in Ioannem.* Hæc Torniellus.

4 Nihilominus certissimum est, pijssimam, sanctissimam, & veluti Religiosissimam vitam quoad mores, actus, & exercitia hoc tempore egisse. In hoc enim conueniunt Patres, & Doctores, etsi

Euangelistarũ silentium.

Torniellus.

Pijssima, & sanctissima Iesu vita.

Sacra

An fabrilem artem exercuerit.

Sacra historia taceat. An fabrilem artem, sicut & pater putatiuus ipsius Ioseph, exercuerit, in controuersia est. Quidam enim affirmatiuam partem tuentur, quales sunt Iustinus Martyr in *dialogo cum Tryphone*, Lyranus, & Caietanus *Marc. 6.* in illis verbis: *Nonne hic est faber?* Alij verò probabilius sentiunt oppositum, & illa verba solùm in improperium ipsius, quòd pater existimatus illius talis erat, dicta putant. Hi sunt Paulus Burgensis *Marc. 6.* Simon de Cassia *de vita Domini Saluatoris lib. 4. cap. 2.* dum inquit: *Artem nullam discebat, vnde captaret necessaria vitæ, sed vt paternis, aut maternis lucris, & interdum quæstu, vita frugali, & parca humiliter fouebatur.* In eamdemque sententiam propendet Barradius *to. 1. lib. 10. cap. 15. in fine* dicens: *Instar Religiosi viri verisimile est vitam duxisse Dominum, & orationibus, ieiunijs, spiritualibusque rebus potius, quam fabrili arti vacasse.*

Quorundam opinio de Essenatu Christi.

5 Addunt alij (quod in gratiam nostrorum Essenorum omittendum non est) Christum Dominum Essenum vocari posse, proculdubio quia vita ipsius Essenorum Institutum sapiebat. Ita doctissimus Nicolaus Serarius *in opusculo, cui titulus est Mineruale lib. 5. c. 26.* clariùs Iacobus Boulducus *in lib. 1. de Ecclesia ante legem cap. 13. §. De istis amplissimè*, sic habens: *Facilè crediderim Christum ipsum, & Ioannem eius præcursorem Essenorum duxisse vitam.* Quod & confirmat *ibid. cap. 16. §. Præterea quod diximus*, & *cap. 17. §. Sexto quia Lucianus.* Item *in lib. de Ecclesia post legem. cap. 1. §. Triplex igitur & c. 7. §. Tertio licet*, habet: *Ipse Christus Essenorum vitam ducere voluit.* Quod fermè repetit *cap. 8. §. 1.* Propterea etiam *lib. 1. de Eccles. ante legem. cap. 5. §. Præterea S. Lucas*, ait quòd multi eum *ipsum Eliam, aut Eliæ discipulum, vel sectatorem arbitrabantur.* Fauet & Barradius superius relatus, dum inquit: *Instar Religiosi viri verisimile est vitam duxisse Dominum.* Fauet etiam & congruentia, quod cum Christus Dominus, prout ex Euangelica historia cernitur, a Pharisæis, Saducæis, Herodianis, & Scribis, alijsque huiusmodi hominibus plura perpessus fuerit, ipsorumque vitia acriter sæpius reprehenderit, de Essenis tamen, qui eodem tempore, & loco vigebant, nihil tale scribitur, neque enim Christi doctrinæ vnquam aduersati sunt, nec ab ipso vnquam; sicut alij, reprehensi. Hoc namque denotare videtur eiusdem Instituti cum illis fuisse, ac propterea nunquam cum illis contendisse. Addit relatus Boulducus *l. 1. de Eccles. ante leg. cap. 16. §. Ab illo ergo*, hoc voluisse indicare Pharisæos, cum Christum *Matth. 11. v. 19.* vini potatorem appellabant, non enim volebant illi exprobrare, quod ebriosus esset, quem sciret temperantissimum, sed quod

Esse-

Essenorum vitam ageret,& vino vteretur, quod Esseni,seu Rechabitæ non faciebant.

6 Verumtamen cum communis Ecclesiæ sensus sit Christum Dominum, vtpotè omnium communem Doctorem,& Magistrum, communem quoque vitam cum alijs hominibus quoad exteriorem conuersationem, vt omnes lucrifaceret, egisse; non videtur vllo modo asserendum Essenorum Instituta, quæ a communi aliorum hominum vita alienissima erant,obseruasse. Quis etiam ex vetustis Patribus,& Doctoribus de ipso id asseruit? Aut quando Essenorum ritibus, aut cerimonijs vsum demonstrari potest? Quòd cum eisdem nunquam contentiosè egerit, causam assignauimus *sub anno 3545. num. 11.* non quia eiusdem cum illis viuendi formæ esset, sed quia, vt Scaliger ibi relatus scripsit, *nec ambitiosi, aut fraudulenti erant, sicut Pharisæi, nec impij, sicut Saducæi,& in locis desertis habitabant*, propterea non fuit Christo negotium cum illis. An verò tempore quadragesimalis Christi ieiunij, quo in Quarantenæ desertis habitauit cum Essenis, aliquam communicationem habuerit, vt proinde illorum Instituti consors dici potuerit (quod forsan solùm Doctores relati intenderunt) *sub anno 4082.* dicemus. Quid de ea sentiendum.

7 De sanctissima etiam Deipara Virgine, eiusque gestis, ac conuersatione sub hoc tempore altissimum silentium apud sacros Euangelistas cernitur. Sed non apud Ecclesiæ Patres, & Doctores, qui ipsius cælestem prope vitam, mores, & eminentissimam sanctimoniam miris laudibus, ac encomijs, nec omnino dignè pro materiæ celsitudine, prædicarunt. Ad quos deuotum lectorem libenter remittimus, nostræ pusillitatis memores, & tantæ magnitudinis splendoribus offuscati. Illud,quod nostri Instituti specialius est, omittere non debemus, de hoc tempore, quo eadem sanctissima Dei Genitrix in Nazarethana ciuitate cum filio morabatur, verificari posse, quod sacra Congregatio Rituum non semel pro nostris fratribus in lectionibus *Commemorationis solemnis eiusdem Beatissimæ Matris* approbauit, videlicet *ipsius colloquijs, & familiaritate feliciter frui potuere*. Cum enim Nazarethi vrbs propinqua Carmelo, vt sæpe dictum est, fuerit, nullus refragrabitur id fuisse possibile. Accedit Ioannes Ierosolymitanus *lib. de Instit. Monachor. cap. 23. in fine*, dicens: *Priusquam ipsa Dei Genitrix ab hoc seculo migraret, fuit in Nazareth, & in Ierusalem, & alibi a Professoribus huius Religionis multoties visa.* Quod & præsenti tempori adaptari posse inficiabitur nemo. Accinit Armacanus apud Vvaldensem *to. 3. tit. 9. cap. 89.* dum inquit Carmeli Eremitas *in vno latere montis ipsius primò Ecclesiam, siue Oratorium in hono-* De Sanctiss. Virginis gestis. An cum Carmeli incolis vnquam cómunionem habuerit.

rem B. Virginis construxisse, in loco illo scilicet, in quo didicerant ipsam in vita sua cum sodalibus Virginibus habitasse. Et Ioannes Grossus Generalis priscus Ordinis Pater *in suo viridario claui* 1. sic inquiens: *Ipsa Virgo gloriosa Mater tanquam suos, ipsos filios Prophetarum visitauit sæpius vt fratres, & ipsi primi ad honorem ipsius gloriosæ Virginis cappellam fabricauerunt.* Accedit etiam egregius auctor Baptista Mantuanus, qui in Apologia pro Carmelitis ad Cardinalem Gonzagam Ordinis Protectorem, postquam dixit: *Quoniam Carmelus erat sanctitatis nomine diffamatissimus, accedebant illuc frequenter, cum vacabat, ex vicinis locis Religionis amatores viri, & mulieres.* Et paucis interiectis, de Deiparæ Virginis erga eiusdem Carmeli Eremitas pijssima deuotione loquens, tantam ait fuisse, vt quoties poterat, vel ad eos accederet, vel eos ad se accersiret, subministrans etiam eis secundum facultates multa necessaria, *erant enim pauperes, ac mendici, contemplationi diuinorum penitus addicti.* Quæ etiam eximiæ eiusdem Virginis pietati satis congruere dubium non est. Consonant & alia nostrorum historicorum circa hoc testimonia. Ex quibus Martinus Italus apud Palæonydorum *lib. 2. cap.* 8. sic: *Ad eos autem, qui ineunte tempore superioribus ex Prophetis originem traxerant, sanctam Dei Genitricem, cum in humanis ageret, sicut matrem ad filios sæpenumero venisse legimus.* Ipse etiam Palæonydorus ibidem: *Annales enim, & Patrum nostrorum historiæ plenæ sunt, quòd ab initio, & per incrementa temporum Carmelicolas visitando vnice sincerissima Virgo Maria semper adoptauit. Nec dubium est ob veterem loci sanctitatem, eam sæpenumero cum suis sodalibus Carmelum visitasse.* Alia præterea subiungit ex Ardinachano, quæ etsi cum meditationes sint, veritati forsan omnino non cohærent. Illud certius nemini mirum videri posse sanctissimam Virginem, quæ pietatis, & Religionis operibus intentissima semper fuit, Carmelum sibi vicinum sæpius sacris gressibus consecrasse, & ob veterem loci sanctitatem, Eliæ, & Elisæi, & aliorum Prophetarum meritis commendatam, & ob Anachoretarum, seu Essenorum eo tempore ibi degentium piam, & laudabilem conuersationem. Quibus fauent dicta *sub anno* 3143. de deuotione Hebræarum fœminarum ad hunc sacrum Montem, etiam a tempore Elisæi, & *sub anno* 3976. de pijs hominibus eius loci habitatoribus, ac Emerentiana eiusdem Virginis progenitrice.

Mantuanus. Martinus Italus.

8 Porro, vt ad Essenos nostros sermonem iam conuertamus, plures ipsorum credimus sub hoc tempore fuisse memoria nostra dignos. Primus iure censetur Ioannes Baptista, de quo in superioribus dictum est. Proculdubio enim iuxta ibidem dicta his maximè

Ioannes Baptista.

annis,

annis, si aliquando Essenorum Institutum amplexatus fuit. Item Agabus ille, de quo post repulsam, quam perpessus est, ad Carmelitas se contulisse, quæ *sub anno* 4051. diximus, sufficienter ostendunt. Pariter etiam credibile est hoc tempore superstitem fuisse Simonem illum Essenum, qui Archelai somnium interpretatus est, de quo ex vtroque Iosepho *sub anno* 4061. sermo nobis fuit. Idem de Iacobo Alphæi fratre Domini appellato, & postea Christi Apostolo, necesse namque est hoc tempore in humanis fuisse. Inter Essenos verò numerandum ea, quæ attulimus *sub anno* 4019. satis indigitant. Agabus. Simon. Iacobus Alphæi.

9 Meritò inter illos numerandus venit Scariothus, seu Chariathotus Abbas, de quo Magister Historiæ Ecclesiasticæ *in Histor. Euangel. cap.* 178. hæc scripsit (loquens de illis, qui surrexerunt tempore mortis Christi, prout *Matth.* 27. habetur) *Quorum corpora adhuc quiescunt in Ierusalem, & sanctus Scarioth vnus eorum fuisse perhibetur*. Bartholomæus etiam Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi* 4. *par. considerat.* 53. loquens de Monachis veteris Legis, consequenter sic habet: *In volumine Ecclesiast. historia in Rubrica de signis in morte Domini habetur de S. Scarioth, qui Abbas monasterij fuisse dicitur: quo mortuo eius monachi sub eius obedientia degentes inconsolabiliter doluerunt: Ex quo comprehenditur, quòd Scarioth Abbas fuit, & non simpliciter Abbas, sed sub se monachos habuit*. Similiter Brocardus *in Terræ Sanctæ descriptione p.* 1. *cap.* 7. §. 70. de illo hæc dixit: *Ex Bethlem vna leuca, & amplius in via, quæ ducit Thecuam est sepulchrum S. Cariathot Abbatis cum suis monachis, quo migrante omnes migrauerunt, & fuit illuc magnus populorum concursus*. Pariter etiam Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ tom.* 6. *verb. Religiosus Religio*, dum Ordinis Carmelitarum diuorum Catalogum refert, hic Scariothus sic censetur, *Scariothus Abbas, & Propheta*. Historici etiam nostri eum proinde inter Essenos huius temporis referunt, specialiter Palæonydorus *lib.* 1. *cap.* 5. Coria *l.* 7. *cap.* 2. Munozius *in Propugnaculo Eliæ lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 2. *ar.* 3. *num.* 6. Palæonydori hæc sunt verba de Essenis, seu Assidæis loquentis: *De horum congregatione erat ille magnus Abbas, & Propheta Scariothus, qui (teste Magistro historiarum) fuit vnus illorum, qui Christo resurgenti consurrexit*. Coria verò vlterius addit fuisse S. Ioannis Baptistæ discipulum, & Præsidem Cœnobij Essenorum apud Engaddi. Ex his autem habetur hoc tempore claruisse Scariothum, istum Ioanni, & alijs Essenis associatum; de quo iterum redibit sermo. Scariothus Abbas.

10 His etiam Essenis eodem tempore claris adiungit alios quasi eiusdem Instituti alumnos Iacobus Boulducus *in l. de Ecclesia post legem cap.* 7. Primo enim §. *Et quia isti*, recenset Simonem Christi Alij numerantur.

Apostolum vocatũ *Canaum*, quem dicit corruptè vocari talem, sicut & *Cananaum*, sed legitimè vocandum *Cinaum*; quo cognomine Essenos denotari sæpius diximus in hoc Opere. Deinde §. *Alij Saducaorum*, recenset inter ipsos Nathanielem, de quo *Ioann. 1. v. 45.* quem fuisse eumdem ac Bartholomæum tenet ex sententia Ruperti, Iansenij, Montani, Feri, Salmeronis, & aliorum, dicitque fuisse ex prisca Prophetarum congregatione, quæ appellabatur *Thalmaorum*, & propterea vocatum *Bar Tholomaum*, id est, filium *Thalmaorum*, seu *Tholomaorum*, *Bar* enim Hebraicè filium denotat. Item §. *Alia item erat*, inter eos numerat Apostolum Iudam, quem dicit fuisse ex Synagoga *Labiorum*. Vnde §. *Ex dictis quoque*, sic habet: *Ex dictis quoque colligere licet saltem quatuor ex Apostolis, nempe Bartholomaum, Iacobum Minorem, Iudam, & Simonem ex huiusmodi societatibus* (scilicet Essenorum, seu Enoscenorum) *fuisse*.

Quid de illis sentiendum.

11 Verumtamen etsi grato animo audiamus quatuor ex Apostolis Christi Instituti Esseni, & per consequens Eliani Professores fuisse, & saltem de Iacobo Minori id probabilissimum sit, iuxta dicta *sub anno* 4019. de alijs tamen, Iuda videlicet, Simone, & Bartholomæo, non ita facilè asseuerari potest; cum nec in sacra Euangelica historia, nec in Patribus, aut Doctoribus priscis aliquid de hoc reperiatur, quin potius *Matth. 10.* vbi nomina, & aliqua cognomina Apostolorum referuntur, Simon vocatur *Chananaus*, & Iudas *Thadaus*, Bartholomæus autem hoc solo nomine sine alio cognomine; nec videatur credibile, vel vnum ipsorum titulo Esseni non cognominari, si tales fuissent, quia tamen nec hæc omnino conuincunt intentum, vt facilè intuenti constare poterit, sub dubio Boulduci sententia relinquenda est, & aliorum iudicio examinanda.

Quid de S. Andrea.

12 Pari iure loquendum videtur de Sancto Andrea Apostolo, qui cum fuerit ex discipulis Ioannis, vt habetur *Ioan. 1. v. 37. & 40.* eiusdem Instituti Esseni, & Prophetici, sicut ipse Ioannes fuisse creditur ab aliquibus ex nostris, specialiter Coria *lib. 2. cap. 12.* & fauet Palæonydorus *l. 2. c. 1.* Imò de exteris Laurentius Beyerlinck *in Theatro vita humana lib. 16. cap. 6. verbo Religiosus Religio*, dum de Ordine Carmelitarum agit, & Diuorum eiusdem catalogum censet. Idemque dicere possent eodem fundamento de alio eiusdem Ioannis discipulo, & Andreæ condiscipulo, qui dicto loco *Ioann. 1.* suppresso nomine refertur, quisquis ille fuerit, de quo Expositores. Sed etsi hæc non sine probabilitatis specie dicta videantur, incerta tamen sunt, & ideo etiam doctiorum iudicio relinquenda. De alijs, de quibus id affirmari potest, annis sequentibus dicemus.

Annus

Annus mundi 4081. Christi 29.

1 VNC annum assignamus cum Saliano hic Ioannis Baptistæ prædicationi, quam Euangelista Lucas *c.* 3. *vers.* 1. sic describit: *Anno autem quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræ, & Traconitidis Regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem Regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini: rectas facite semitas eius: & omnis vallis implebitur, & omnis collis, & mons humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei.* Paulo aliter in Matth *cap.* 3. *vers.* 1. sic rem habemus: *In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim Regnum Cælorum. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini: rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel silvestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.* Ex quibus omnibus simul collatis habemus Ioannem Baptistam, qui iam ab infantia sua, iuxta dicta superius, eremi cultor extiterat, hoc anno qui decimus quintus erat Imperij Tiberij Cæsaris, pilis camelorum indutum, ac zona pellicea præcinctum (vt vel in hoc etiam Eliani Instituti Professor demonstraretur, cum Elias, & filij Prophetarum simili indumentorum genere vterentur, prout dictum *sub anno* 3183.) a Deo inspiratum prædicasse Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum in deserto Iudeæ, & in omni regione Iordanis, *non longe* (inquit Beauxamis *in hunc locum tom.* 1. *Harmon. Euangelic. fol. mihi* 131.) *ab eo, vbi filij Prophetarum sibi habitacula erexerunt, vt legitur* 4. *Reg.* Erad eum audiendum, baptismumque ipsius suscipiendum plures ex Ierosolyma, totaque Iudæa, ea præsertim regione, quæ circa Iordanem erat, exijsse. Disponebantur autem Iudæi ea Ioannis prædicatione, baptismo, & peccatorum confessione ad Christum, de quo illis testificabatur, & eius sacramenta facilius

Io: prædicatio.

Ex Matthæo.

Eliæ imitator.

lius acceptanda, propterea enim de illo dixit Zacharias pater ipsius, *Luc. 1. v. 76. Praeibis ante faciem Domini parare vias eius.* De hoc tamen Expositores, & Theologi.

Quod baptizauerit Essenos.

2 Quod autem ad nostram propriùs spectat historiam, illud est, valde certum esse, inter eos, qui tunc Ioannis prædicatione, baptismum ipsius susceperunt, & ad Christum suscipiendum præparati sunt, plures Essenos fuisse. Hoc enim manifestum fiet ex dictis, si enim Ioannes ipse vnus ex Essenis, immò inter illos Princeps erat, iuxta dicta *sub anno* 4052. plusquam credibile erit, eos fuisse ex primis eius auditoribus, & doctrinæ ipsius susceptoribus. Eo præsertim quod Regio illa circa Iordanem antiqua ipsorum habitatio erat, etiam a tempore Elisæi, iuxta alibi etiam dicta. Colligitur præterea ex testimonio Ecclesiæ in lectione 4. officij *commemorationis solemnis B. Mariæ Virginis*, sæpius a sacra Congregatione Rituum approbati. De illis enim, de quibus ibi dicitur: *Viri plurimi, qui vestigijs sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisæi institerant*, subiungitur: *Et Ioannis Baptistæ præconio ad Christi aduentum comparati fuerant.* Quo denotatur Eliæ sectatores (Essenos videlicet) Ioannis prædicatione ad Christum suscipiendum præparatos fuisse. Clariùs id habet Ioannes noster Ierosolymitanus *in lib. de instit. Monachorum cap. 29.* ea, quæ diximus sic elucidans: *Hic Ioannes venit in testimonium, vt perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Præiuit enim ante faciem Domini parare vias eius. Anno siquidem quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris factum fuit verbum Domini super Ioannem habitantem in deserto apud fluenta Iordanis, vbi prædicti Religiosi, filij Prophetarum manebant: & venit in omnem Regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Tunc, sicut testatur Euangelista, exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua. Propter quod Religiosi, filij Prophetarum montis Carmeli, & alij in tabernaculis prope fluenta Iordanis, & in cæteris Eremis Terræ promissionis habitantes, fuerunt tunc a sancto Ioanne duce eorum, sicut & cæteri de populo baptizati. Præparabantur autem ipsi per hoc ad vnigenitum Dei Filium dignè cognoscendum, qui tunc inter homines ignotus conuersabatur, sicut iste Baptista palam reuelauit tunc Iudæis, dicens: Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venturus est, & ante me factus est, cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti eius. Cum ergo prædicti Religiosi voce præconis intellexissent vnigenitum Dei Filium esse in mundo præsentem, quem ex totis eorum præcordijs cupiebant videre, & a cæteris hominibus discernere, posuerunt Baptistæ inseparabiliter assistere, scientes in eius baptismo Filium Dei*

S. Congreg. Rituum.

Io. Ierosolymitanus.

Dei manifestandum esse, sicut ipse Baptista testabatur, dicens : vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Ex quibus non solum habetur, Essenos Iordanis incolas, sed & alios etiã tum in Carmelo solitudine, tum in alijs Terræ sanctæ Eremis habitantes, a Ioanne eorum duce (vt Ierosolymitanus inquit) baptizatos fuisse, & ad Christum suscipiendum præparatos. Quod tenent Palçonydorus *lib. 2. cap. 1.* & alij ex nostris Historicis, ac de exteris Petrus Caluus Dominicanus *in defension. Religion. lib. 2. cap. 13.* Baptizauit & alios.

3 Sed quinam tales fuerint, coniecturis potius probabilibus, quàm certis fundamentis ducti, disquirere debemus, & quidem ex his, quos sub annis præcedentibus retulimus, Agabus ille, de quo ibi proculdubio videtur inter ipsos numerandus, testante enim Mantuano nostro in *Parthenic. Mariana lib. 2.* a Ioanne Baptista baptismum ipse cum socijs suscepit. Inquit enim: Quinam ij fuerint. Mantuanus.

Vertice Carmeli posuit, sociosque vocatos
Ad Iordanis aquam lustralibus abluit vndis,
Cum Baptista nouæ iaceret primordia gentis
Hispidus hirsutæ villoso tegmine capræ.

Immo ex eo, quod dicat *Sociosq; vocatos abluit*, &c. indicare videtur veluti ministrum Ioannis fuisse in conferendo illis baptismate, quod satis rationi conforme est, cum vix posset solus Ioannes tot hominum myriadas, qui tunc baptizabantur, sine aliorum ministerio aquis abluere. Censendus etiam inter eos videtur & ille Abbas Scariothus, de quo ex Magistro historiæ, Cassaneo, & alijs eodem loco egimus. Quod idem credimus de Simone illo, de quo ibidem, si forsan tunc in humanis erat, quod est incertum. Palçonydorus etiam *l. 2. cap. 2.* alios recenset, videlicet Sylam Apostoli Pauli comitem, Martialem filium Addi Petri Apostoli consanguineum, & Episcopum postea Lemouicensem, Saturninum primum Tholosanum Episcopum, Frontonium Pictagoricensem Episcopum, Nathanaelem, & Enochum de Amathi, de quibus in sequenti Tomo quid sentiendum sit, dicemus.

4 Sed quomodo tam facilè (dubitabit quisquam) ad vnius deserticolæ incogniti, nec forsan vnquam visi, Ioannis, vocem, *Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem*, vt ait Matthæus Euangelista *cap. 3. vers. 5.* exibat, *& baptizabantur ab eo homines in Iordane confitentes peccata sua*. Quomodo tam repente exauditus? Quo probæ vitæ testimonio roboratus? Quibus miraculis famosus? Cur non a Iudæis duræ ceruicis hominibus reiectus potius, quam exceptus fuit? Sanè inter alia, quæ Patres, & Doctores ad hoc quæsi- Ratio cur tam facilè creditus Ioannes.

quæsitum respondebunt, id quod Iacobus Zeglerus aliàs relatus in *Descript. Palæstinæ in monte Addumim* (quem portionem vocat Hengeddi) *fol.* 38. *in Vatic. Bibliotheca sub num.* 4450. ad hoc intentum dicit, valde probabile est, & pro ijs, quæ diximus de Essenis, ac de Ioanne Baptista sub eorum institutis enutrito, in desertis præcipuè illis Hengeddi, aptissimum. Sic enim habet: *In huius solitudinis parte sedit Eliahu Propheta, & Eliasab construxit cellas Prophetis. Manauit institutio, & loci Religio ad posteros. Fuitque desertum hoc vsque ad Hengeddi habitatum ab Essenis hominibus incredibilis continentiæ, sub quorum institutis educatus fuit Ioannes Zachariæ, & habitus in Essenis vnus prædicatæ sanctitatis. Quod inde opinari licet. Non enim ætate illa Anachoritæ sub Iudæis, ita vt postea sub Christianis vulgati erant, neque temere quodlibet desertum insessum; neque Esseni alio deserto habitabant. Et Ioannes si solitarius extra humanum consortium, quales Honuphrios nostri prædicant, annis prioribus vixisset prorsus ignoratus, vbi tandem ad munus prædicationis repente prodijsset, non receptus esset. Ergo præcesserat genus vitæ probatę publicè, accesserat testis sanctitatis Collegium Essenorum. Fama vitę eius vulgata erat per eos, qui hęc loca adibant. Ab his rebus impetrata auctoritas ipsi tanto ante fuerat. Quare tota Iudęa ab eo pependit, statim atque munus prędicationis obiuit.* Hęc ille, satis, vt diximus, ad intentum nostrum.

Zegleri verba.

5 Ex loco etiam, in quo baptisma suum Ioannes Iudæis conferebat, circa Iordanem scilicet, vt colligitur ex Matthæi, & Lucę testimonijs relatis, infert idem Zeglerus ipsum ex Essenis deserta illa loca incolentibus fuisse. Sic quippe ait vt supra: *Baptizauit quoque ijsdem locis, vno Iordane transmisso, vt hoc etiam argumentum sit eum in ipso suæ consuetę conuersationis limine peregisse functionem.*

Quo loco baptizabat.

Annus mundi 4082. Christi 30.

Christus baptizatus.

1 
OC anno iure celeberrimo, iuxta Saliani computum (quod rationi, & auctoritati conforme esse multis ipse probat) contigit sanctissimus Christi Baptismus. Cum enim ad Ioannis Baptisma suscipiendum tota fermè Iudæa conuolaret, Christus ipse non dedignatus est, quasi vnus de plebe hunc humilitatis actum exercere. A Galilæa ergo, vbi erat, in Iordanem venit, prout sanctus Matthæus Euangelista *cap.* 3. *vers.* 13. sic enarrat: *Tunc venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens*

autem

autem Iesus, dixit ei: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam venientem super se. Et ecce vox de cælis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Contigisse autem die 6. Ianuarij pro vera sententia tenendum, quam sequuntur Baronius in *Apparat. ad Annales* §. *Tertia opinio*. Barradius *tom. 2. lib. 1. cap. 12.* & alij, etiam ex Patribus, & quod magis est, Ecclesia ipsa, quæ in die Epiphaniæ, quæ est etiam sexta Ianuarij, dicit: *Hodie cælesti sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina, currũt cum muneribus Magi ad regales nuptias, & ex aqua facto vino lætantur conuiuæ*. An verò vicissim etiam Christus Ioannem baptizauerit, res est satis ambigua, nec Hieronymus *in cap. 3. Matthæi*. Auctor imperfecti (seu potius Ioannes noster Ierosolymitanus, a Petro Vvastelio nouissimè vindicatus) apud Chrysost. *hom. 4. in Matth.* clarè id explicant, dum inquiunt Ioannem a Christo in spiritu baptizatum, seu baptizandum. Potest enim id de aliquo spirituali baptismo, vel infusione gratiæ cum Tostato *quæst. 78. in cap. 3. Matthæi* explicari, qui in partem negatiuam inclinat. Etsi tamen res, vt diximus, incomperta sit, placet tamen affirmatiua sententia cum Guidone nostro in *Concord. Euangel. in cap. 3. Matthæi*.

Qua die. An Christus Ioannem baptizauerit.

2 Quæ autem eo tempore contigerint, qualiter scilicet Ioannes Christum ad se venientem pro baptismate suscipiendo suis discipulis Essenis præsentem annunciauerit, de quo absente iam illis prolocutus fuerit, eius baptismatis excellentiam prædicauerit, & quod & baptizandi essent, prædixerit, ex Ioanne nostro Ierosolymitano *dicto libro cap. 29.* sic habemus: *Quemadmodum autem Iesum absentem Ioannes eis euangelizauerat, ita postmodum ipsum præsentem eis manifestauit. Venit enim Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo, videns autem Ioannes venientem ad se, indice eum omnibus prodens, ait:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Vt autem hoc Præcursoris testimonium credibilius redderetur, baptizato Iesu in Iordane a Ioanne, confestim aperti sunt cæli, & descendit Spiritus sanctus corporali specie in ipsum tamquam digito quodam fidei omnibus demonstraret hunc esse illum, qui eis a Ioanne in baptismo manifestandus prædicabatur. Denique hunc, super quem columba mansit, verum esse Dei Filium vox Patris de cælo tunc facta eos etiam docuit, dicens:* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. *Quamobrem Baptista testimonium iterum perhibens de Christo, extollebat eius baptismũ,* di-

Quæ Ioannes egerit. Ioannes Ierosolymitanus.

dicens: Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, & manentem super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Ne itaque prædicti Religiosi spem salutis ponerent in Præcursoris baptismo, ipse perfectiori baptismo (scilicet Christi) eos fore baptizandos prophetauerat, dicens eis: Ego baptizaui vos in aqua, ille verò, *scilicet Christus*, baptizabit vos Spiritu sancto, & igne. *Quamquam, vt Ioannes Euangelista testatur, Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. Verum, quod ille dicitur præcipue rem aliquam facere, cuius auctoritate, & nomine eam alius facit: & quia Apostoli post acceptum Spiritum sanctum baptizabant homines in nomine Domini Iesu, sicut Beatus Lucas testatur, & sub inuocatione eius nominis descendebat Spiritus sanctus super baptizatos in specie ignis visibilis: ideo dixit Ioannes Religiosis prædictis:* Ille (*scilicet Christus*) baptizabit vos Spiritu sancto, & igne. *Innuebat autem per hoc eis, quo tempore essent ipsi baptismo Christi baptizandi, quo scilicet tunc Apostoli baptismum conferrent in nomine Iesu Christi, & Spiritum sanctum in specie ignis visibilis acciperent illi, qui ab eis baptizarentur sub inuocatione nominis Christi. Quod ante Christi resurrectionem, & gloriosam eius in cælos ascensionem factum non fuisse Ioannes Euangelista euidenter testatur, dicens:* Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

Quid Ioannes discipulis prænunciauerit.

Apostoli quomodo baptizarent.

Verba: Ecce Agnus Dei, &c. quibus dicta.

3 Ex quibus ad intentum deducimus illa verba Ioannis Baptistę de Christo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi, &c.* De quibus *Ioann. vers.* 29. & 30. eiusdem Ioannis discipuli dicta esse, esto alijs audientibus etiam dicta sint. Cum enim credibile valde sit Ioannis discipulos, ipsius inseparabiles comites semper fuisse, saltem vt ministros, vel cooperatores baptismi, quem ad se venienti plebi Iudæorum præstabat, proculdubio illis dicta fuerunt, vt Ierosolymitanus affirmat. Idem dicendum propter eamdem causam de illis: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam, &c.* de quibus *Ioann.* 1. *vers.* 32. & 33. Illa quoque, quæ idem Euangelista refert ibidem *vers.* 35. videlicet: *Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantem, dixit: Ecce Agnus Dei, & audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum,* etiam ad discipulos eiusdem Ioannis dicta fuisse testatur Palęonydorus *lib* 2. *cap.* 1. & colligitur ex eo, quod Andreas, & alius, qui erat cum eo, qui etiam Ioannis discipuli erant, fuerunt ij, qui Iesum secuti sunt, vt ibi habetur.

4 Ante hæc tamen, & immediatè post baptismum Ioannis receptum

ceptum Christus Dominus ductus est in desertum a spiritu, vbi quadraginta dierum ieiunio præmisso diaboli tentationem trinam sustinuit, ac superauit, prout *Matth. cap. 4. vers. 1. & Marc. 1. vers. 12.* habetur. Et cum Matthæus immediatè post auditam illam vocem factam in baptismo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, dicat: *Tunc Iesus ductus est in desertum*. Et Marcus: *Statim spiritus expulit eum in desertum*; ideo merito Torniellus *sub anno* 4080. *num.* 6. inquit, quod eodem sexto die Ianuarij, quo baptizatus est, vt diximus, in desertum ductus sit. Quia verò huius gloriosissimæ Christi victoriæ de Sathana, & sanctissimi sui ieiunij mysteria Patres, & Doctores diligentissimè tractant, ideo illis relictis, solum aliqua, quæ nostræ historiæ propria sunt, discutiemus; de loco videlicet huius deserti, vbi se tentari post ieiunium a diabolo permisit, & de ijs, cum quibus hoc tempore conuersatum fuisse existimari possit.

Christus ductus in desertum.

5 Et quidem pro priori quæsito plures adstant auctores asseuerantes in deserto, *Quarantana* vocato, Christum hoc tempus quadragesimalis sui ieiunij peregisse, ibique diaboli tentationes superasse. Audiamus Abulensem *in cap. 4. Matth. q. 1.* sic dicentem: *Istud desertum est in terra Iudæ, & non est multum longe a Iordane, & solet vocari vulgariter* Quarantana, *id est, locus, in quo Christus ieiunauit quadraginta diebus, & solent ire peregrini ad locum illum ex deuotione. Et nō longe ab ipso loco est mons excelsus, ad quem diabolus duxit Iesum, vt ostenderet ei omnia regna terræ. Est autem* Quarantana *circa Galgala, mons tamen, in quo Christus manebat, siue desertum, vt hic dicitur, est in latere vrbis Bethel, & Hai non longe ab vrbe Iericho, & sunt istæ vrbes in tribu Beniamin*. Idem fermè Brocardus *in descript. Terræ sanctæ par. 1. cap. 7. §. 28.* sic: *Ex Galgala ad dimidiam leucam tendendo in Iericho ad dexteram iuxta viam est mons dictus Quarantana, vbi mundi Saluator quadraginta diebus, & noctibus cibum nullum sumpsit. Altus est nimis, & ascensu difficilis. Sub Quarantana ferè iactu duorum arcuum oritur fons Elisei, &c.* Item Adrichomius *in descript. Terræ sanctæ in tribu Beniamin n. 97.* hæc: *Quarantana desertum est inter Ierusalem, & Iericho, incipit ab Anathot, & extenditur vsque ad desertum Thecue, & Engaddi, iuxta mare mortuum. Hic commoratus est Ioannes Baptista, inibique in eius memoriam extructa fuit Ecclesia, & Monasterium. Ibi venientem ad se, vt baptizaretur, Christum demonstrauit Ioannes digito. In hoc Christus ieiunauit, &c.* De quo etiam Barradius *tom. 2. lib. 2. c. 1.* & alij; specialiter Zeglerus sub anno præcedenti relatus, loquens enim de monte Addumim, quem vocat portionem Engaddi refert

Quo loco erat hoc desertum

Quarantana.

Brocardus.

Adrichomius

refert, *Christum in huius solitudinis parte fecisse ieiunium dierum quadraginta*.

6 Cum autem hæc loca ab his auctoribus designata, desertum nempe Thecue, & Engaddi, iuxta Iericho, & fontem Elisæi, vetusta filiorum Prophetarum, & Essenorum huius temporis habitacula fuerint, iuxta dicta sub annis superioribus, idcirco pro comperto videtur, hoc tempus suæ tentationis inter Essenos peregisse Christũ, ac proinde cum ipsis aliquoties congressum, & conuersationem habuisse. Fauent aliqui, quos suppresso nomine refert Abulensis in cap.4. Matth.9. 15. dicentes, quod eo tempore aliqui de regionibus circumstantibus veniebant ad eum, vt audirent verbum ipsius, vel vt sanarentur a languoribus. Fauet & Guillelmus Postellus in sua Cosmographia, dum inquit, Christum *fuisse in Salim ad Iordanem vnà cum Essenis, vero est simile*. Ipse tamen Abulensis oppositum censet, Christum omnimode solitarium mansisse credens, quod & sequitur Simon Cassianus de *vita Domini Saluatoris li.4.cap.4.* Quorum sententia proculdubio veritati conformior est, & proinde amplectenda, præsertim cum Marcus *cap.1.v.13.* de ipso dicat: *Eratque cum bestijs, & Angeli ministrabant illi*. Quo denotatur nullum cum hominibus commercium habuisse. Hac tamẽ limitatione temperanda, vt si qui ex hominibus ad Christum hac temporis occasione accessisse existimandi sint, eos ex Essenis maximè fuisse credatur, vtpote eiusdem Eremi cultores, ac vitæ probitate tam insignes, quòd idcirco Christum cum ipsis quandoque conuersari nõ respuisse merito sit existimandum, præsertim cum sciret ipsos Eliæ, & filiorum Prophetarum sectatores, & Ioannis Baptistæ in Eremitico Instituto consortes esse. Ad quod accedunt graues duo S. Paginæ nobiles indagatores, Nicolaus Serarius, & Iacobus Boulducus: ille enim in *Iudic.1.v.16.* & iste de *Eccl. ante Legem l.1. cap.16.* suspicantur desertum hoc, in quo Christus hoc tempore morabatur fuisse, in quo olim Cinæi, prout ex loco relato *Iudic.* habetur, mansiones habebant, Rechabitarum vitam, de qua *Ierem.35.v.7.* inchoantes. Ex hoc enim magis roboratur totum id, quod diximus, videlicet in eo deserto habitasse etiam Essenos, Cinæorum, & Rechabitarum posteros, ac proinde si cum aliquibus vel raro Christus conuersatus fuit, eos fuisse putandum esse.

An inter Essenos.

7 Hic tamen prætermittenda non sunt, quæ præcitatus Zeglerus in libro de *descrip. Terræ sanctæ*, quam in S. Bibliotheca Vaticana sub num.4450. legimus, ad hoc intentum scripsit: etsi enim non omnino a nobis probentur, nisi iuxta modò dicta, vtilia valde sunt, tum quia

Quam vitæ ratione Christus gesserit in deserto.

quia in Essenorum commendationem, tum quia aliqua ex ijs, quæ diximus, per ipsa robur accipient. Loquens ergo de Christo Domino, de quo dixerat in ea solitudine, vbi Esseni commorabantur, ieiunium quadragesimale peregisse, subdit: *Nos & illud addimus, eum vsque in Collegium concessisse Essenorum: quid enim illud erat hactenus intra limen venisse, neque congressum fuisse genti? Quod si ab omni humano conuictu segregatus solus conscius sibi, & ieiunij, & tentationis vixit, quis rem gestam euulgauit? Christus? Qua narrandi occasione oblata? Nā hoc nimis humanum est, & nimis populare, quempiam suas pugnas, & fortiter res gestas narrare. Quo etiam alio ipsius simili exemplo? Christus a tempore ostensionis suæ ad plebem Israel nihil vsquam gessit extra arbitros, quodque ignoratum fuisset, nisi ipse vulgasset. Ergo sub conscientia Essenorum vixit, quibus; ætate illa, nihil innocentius omnium opinione habebatur: neque alij testes æquè incorrupti pariter ad plebem, & Legis interpretes, & Templi præsides, vt vulgarent fuisse hominem apud se, qui Mosech, & Eliahu exemplum ieiunij ipsemet præstitisset, habebat hæc prædicatio præcipuum fructum, quod iam inter initia dictorum, & factorum Christi, plebs exemplo admonita excitaretur, impleretur que spe se præcipuum aliquid circa Religionem expectare debere ex Christo, quia summorum prophetarum, qui pietatem erga Deum & erexissent, & asseruissent, ieiunium præstitisset.* Subdit infra: *Adeoque in sententia manemus, Christum Essenis & congressum esse, atque ab his historiam vulgatam, quam Euangelij scriptores litteris mandarunt.* Hæc ille. Quæ ex eo nobis non prorsus probantur, quod gesta Christi in deserto non aliunde nouisse Euangelistas suadere denotent, nisi ex Essenorum testimonio; cum æquè bene vel ex diuina reuelatione, vel ex ipsius Christi manifestatione propter instructionem nostram ea discere potuerint, sicut & alia occultissima, colloquium videlicet Beatiss. Virginis cum Angelo, somnium Ioseph, & similia.

Zegleri placitum ad intentum.

8 De vitæ ratione, quam eo tempore egerit, piè satis Simon Cassianus relatus sic discurrit: *Quid faciebat Rex Regum, et Dominus dominantium, factus incola in deserto humana consolatione priuatus, squallida facie ab inedia, et ieiunio cruciatus, non secum patrem, non matrem, non aliquem habens in illo deserto sodalem? sed Angelorum non carebat consortio, qui hominum consortia deuitabat. Non fouebatur vt homo, supra hominum naturam agebat. Carebat lectulo, nec puluinar supponebatur diuino capiti humanitus quiescenti. Sedile non erat ei, terra verò stratum erat, et sella, non operiebatur nocturno tempore pannis. Carebat tugurio, nullas habebat ædiculas, nec aliquo tecto tegebatur ab intemperie aeris. Hyems nempe frigoribus algens erat, cum in deserto squal-*

Quid Christus gesserit in deserto.

lido versabatur. Locus deserti, aut arboribus infrondosis praeditus erat, prohibebat certe hyems in plantis viriditatem, atque amoenitatem foliorum, aut totus squallidus erat locus, aut bipartitus erat, vt sibi esset quedam peregrinandi varietas in deserto. Habitaculum fecisse non legimus, vbi stetissent firmi penitus pedes eius, & omnino sibi poenam dabat locus, & tempus, cum a quinta Ianuarij die, vsque ad quartam decimam Februarij, in deserto fuerit mora eius, quod tempus aut imbribus, aut est frigoribus aptum. Nihil verò ad remedium de ciuitatibus tulit, aut quicquam postulauit a matre, pauperes enim erant. Pauper accessit, pauperque moratus, nec igne aliquando calefactus est.

An Essenorũ instituto vixerit.

9. Ex hac porrò vitæ summa austeritate, qua Christus ea præsertim occasione vsus est, ansam forsan arripere potuerunt auctores superius *sub anno* 4065. relati, asseuerantes ipsum Essenorum vitam duxisse: quibus adhærere videtur Venerabilis P. Ioannes Soreth *in Præfat. ad exposit. Paraenet. Regul. Carmelitar.* Verumtamen etsi omnino certum sit, ipsum quidquid pietatis, religionis, & aliarum virtutum in Essenorum Instituto reperiri poterat, eminentiori, & perfectiori modo, maximè hoc tempore in ea eremi solitudine amplexatum fuisse. Quod verò ipsorum ritibus, cerimonijs, lauacris, & similibus humanis institutionibus, etsi aliàs pijs, quæ de ipsis referunt Philo, Iosephus, Solinus, Porphyrius, Plinius, & alij, etiam pro breui horum 40. dierum tempore addictus fuerit, nullo fundamento affirmari potest, nec de hoc aliquid Patres, aut prisci Doctores dixerunt.

Quid post hoc tempus.

10. Maiori probabilitatis specie id videtur asseuerari posse de reliqua huius anni parte post regressum è deserto, ieiunio scilicet peracto, diabolique tentationibus deuictis. Etsi enim immediate post hæc in Galilæam, & Nazareth ad matrem venerit, vt colligitur ex *Luc. cap.* 4. *v.* 14. & Epiphan. *heres.* 51. duosque dies ibi manserit, vt ex eodem Epiphanio habetur, de reliquis tamen huius anni gestis vsque ad primum ipsius publicum signum de conuersione aquæ in vinum in nuptijs Cana Galileæ, quod anno sequenti sub sexta Ianuarij die contigit, nihil ex sacris Litteris constat; & probabile valde est eo tempore sæpius Ioannem visitasse, & cum eo crebrius conuersatum fuisse; ac perinde suspicari nos posse ea occasione Essenorum veluti vitam cum eodem Ioanne, etsi altiori, & eminentiori ratione, tanquam totius perfectionis magistrum, pariter ducendo consecrasse. Visitasse autem sæpius Christum suum Baptistam hoc tempore expressè habent Caietanus *in Ioann.* 1. & Barradius *to.* 2. *lib.* 2. *cap.* 16. quos sequitur Salianus *sub hoc anno n.* 43. qui omnes id desumere potuerunt

fuerunt ex Sophronio, seu Auctore libri *Pratum Spirituale* nuncupati *cap.* 1. cuius verba, quæ etiam Baronius *sub anno Christi* 31. §. *Prædicto itaque*, refert, hic afferimus: *Erat senex quidam habitans in Monasterio Abbatis Eustorgij, Ioannes nomine, quem S. Elias Episcopus Ierosolymorum voluit ducem Monasterij constituere. Ille verò non acquiescebat dicens: In montem Sina orationis causa pergere volo. Archiepiscopus autem cogebat eum, vt prius Abbas fieret, & postea pergeret, quò vellet. Cum verò senex non acquiesceret, dimisit eum spondentem se, postquam reuersus esset, susceptarum regiminis curam. Et ita salutato Archiepiscopo iter arripuit, vt ad Sina montem proficisceretur, assumpto secum & discipulo suo, transuadatoque Iordane fluuio, cum vix vno lapide processissent, cœpit senior rigore detineri, ac post paululum inuasit eum febris. Cum verò in tantum excresceret ardor febris, vt ambulare non posset, inuenerunt speluncam paruulam, in quam ingressi sunt, vt requiescerent. Cum verò febris ita inualuisset, vt se vix mouere posset, in ipsa spelunca tres dies commorati sunt. Tunc senex in somnis aspexit quemdam adstantem sibi, & dicentem: Dic senex, quò ire vis? Respondit: In montem Sina. Dicit ei: Ne quæso recedas hinc. Cum vero seni id persuadere non posset, abscessit. Febris verò seni acriùs infesta erat. Rursus nocte sequenti idem seni adstitit eodem habitu, & ait: Quid senior affligi vis? audi me, & nusquam hinc proficiscaris. Ait illi senex: Tu quisnam es? respondit is, qui apparuerat: Ego sum Ioannes Baptista, & ideo tibi iubeo, vt nusquam recedas: nam spelunca ista breuis maior est monte Sina, quippe in hanc sæpius Dominus noster Iesus Christus, cum me visitaret, ingressus est. Pollicere mihi, quòd hic habitabis, & ego mox tibi sanitatem restituo. Quod senex audiens, libenter spopondit se in eadem spelunca permansurum, & continuo sanus effectus, perseuerauit ibidem toto vitæ suæ tempore. Speluncam vero illam fecit Ecclesiam, congregauitque fratres. Appellatur locus ille* Sapsas. *Fuit in eodem loco* Sapsas *commorans in specu Leo senex alius tantæ virtutis, vt leones secum in eadem spelunca susciperet, atque cibum in sinu suo præberet*. Ex ijs autem deduci videtur, Christum sæpius sub hoc tempore Ioannem inuisisse, ac perinde pariter cum eo Essenorum more victitasse, præsertim cum ille locus *Sapsas* appellatus prope Iordanem fuerit (vt & ipse Baronius attestatur) vbi Essenorum mansio erat, vt sæpius inculcatum est.

Pratum spirituale.

Spelunca Ioannis Baptistæ.

11 De reliquis Christi gestis sub hoc anno consuli possunt Beauxamis, Iansenius, Barradius, Maldonatus, alijque Euangelicæ historiæ Expositores.

De alijs Christi gestis.

Annus mundi 4083. ante Christum 31.

1 VIVS anni initium, sextus videlicet Ianuarij dies, eximio illo miraculo conuersionis aquæ in vinum in nuptijs Cana Galilçæ, de quo Ioannes *cap. 2.* agit, consecratur. Hoc enim anno contigisse ea, quæ adduximus, sufficienter ostendunt, auctoritas præsertim Ecclesiæ relata, qua dicitur, hac die baptismum Christi, & hoc miraculum facta esse. Cum enim eodem anno id euenire non posset, cum immediatè post baptismum tentatio Christi, & alia, quæ *sub anno præcedenti* diximus, euenerint, necesse est affirmare anno præsenti id actum esse. Affuit huic insigni miraculo Mater Iesu Maria, non Iosephus sponsus, qui iam obijsse creditur. Affuerunt & ex discipuli eius pauci illi, quos iam collegisse Christum commemorat, idem Euangelista Ioannes *cap. 1. v. 37.* scilicet Petrus, Andreas, Philippus, & Nathanaël, quod eo libentius dicimus, cum aliqui existiment Andream, & Nathanaelem Prophetici, seu Esseni Instituti alumnos prius fuisse. De quo *sub anno 4065.* Huius porro miraculi historiam expositores Ioannis accurate discutiunt.

Conuersio aquæ in vinum

2 Post hæc Iesus cum Matre, & discipulis in vrbem Capharnaũ descendit, mansitque ibi non multis diebus. Paschatis namque festo appropinquante ascendit Ierosolymam, venitque in Templum, indeque ementes, & vendentes flagello eiecit. Cum autem Iudæi signum aliquod ab ipso peterent, quo probaret se potestatem habere negotiatores illos eijciẽdi, sola suæ mortis, & resurrectionis prædictione illis tunc respondit, postea verò plura signa fecit, propter quæ multi in ipsum crediderunt, specialiter Nicodemus Pharisæus, qui ad eum nocte quadam veniens, de baptismo Christi ab ipso vicissim institui meruit. Venit postea in aliam Iudçæ prouinciam. De quo *Ioan. 2. & 3.* ac expositores ibidem.

Iesus in Capharnaum.

3 Accidit tunc querimonia illa discipulorum Ioannis Baptistæ, de qua *Ioann. 3. v. 22.* Cum enim Iesus in ea prouincia, in qua erat, baptizaret, etsi non per se, sed per suos discipulos, çgrè id ferentes eiusdem Ioannis discipuli, & forsan inuidiæ aliqua labe tabescentes, ad suum magistrum, qui in *Ænon* iuxta *Salim*, vbi erant aquæ multæ, etiam baptizabat, venerunt, & dixerunt ipsi: ***Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimoniũ perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.*** Ioannes verò, congrua hac nacta occasione, pręclarissimum de Christo testimonium dedit suis discipulis, quo illum

Discipulorum Ioannis ęmulatio.

asseruit

afferuit de cælo venisse, Dei esse Filium, Ecclesiæ Sponsum, & omnibus præcellendum, omniaque in potestate sua habere, vt proinde verissima esset eius doctrina, & digna, cui ab omnibus fides adhiberetur. De quo *Ioann.* 3. *capitis* Expositores.

4 Fuisse huiusmodi Ioannis discipulos inter Essenos computandos non solum deducitur ex eo, quod ipse Ioannes talis esset, sed & ex ijs etiam, quæ *sub anno* 4052. attulimus. Quibus iungitur, non incongrue id etiam deduci ex eo, quòd tam feruentes zelatores pro suis lauacris, seu lustrationibus tuendis etiam contra Christum, & eius discipulos demonstrentur. Illi enim teste Iosepho de *bello c.* 7. huiusmodi cerimonijs addictissimi erant. Aliqui ergo ex discipulis Ioannis cum Christo abierant, alij verò cum ipso iuxta Iordanem manserunt, vt colligitur ex huiusmodi historia Euangelica, & docere videtur Palçonydorus *lib.* 2. *cap.* 1. An Esseni.

5 Circa idem tempus Herodes Antipas Herodis senioris filius, cui Galilæam Imperator Tetrarchiæ nomine commiserat, iuxta dicta in superioribus, & qui Rex appellabatur latiori quadam significatione, sicut & frater ipsius Archelaus, vt notat rectè Torniellus *sub anno* 4052. *num.* 1. & *sub anno* 4081. *num.* 11. Ioannem Baptistam in carcerem coniecit. Causa fuit non ea, quam affert Iosephus *l.* 18. *antiquit. cap.* 10. scilicet quod vereretur Herodes, ne tanti viri auctoritas defectionem aliquam in populis parere posset; hæc enim causa vera non est, sed ficta, & prætexta ab Herode, & Curialibus suis, ne iniustè viderentur occidisse tantum Prophetam. Rectè enim Torniellus *sub anno* 4083. *n.* 3. inquit: *Nihil non faciunt mali Principes, vt praua ipsorū opera cōmunibus huiuscemodi rationibus ad sui statue conseruationem spectantibus cohonestari curent. Sed numquid Deum Iudicem fallere poterunt?* Causa ergo vera vinculorum, sicut & mortis Ioannis, ea fuit, quæ in Euangelistis *Matthæo cap.* 14. & *Marco cap.* 6. deducitur. Duxerat Herodes palam, & magno cum bonorum omnium scandalo tenebat apud se Herodiadem Philippi fratris tum adhuc viuentis vxorem. Arguebat Herodem sanctus Ioannes illis verbis: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*. Ille verò, tametsi non ignoraret Herodiadem hac de causa valde admodum commoueri, & indignari vehementer, nihilominus libenter quandoque eum audiebat, quandoque autem eumdem è medio tollere cogitabat, prout solent, qui peccati occasionibus impliciti manent. Interdum enim rationis ductum sequentes, quæ recta sunt, cogitant, cupiuntque, interdum verò inordinata cupiditate, ac passione dominante ad quælibet mala perpetranda procliues inueniuntur, semper-

Herodes sæuit in Ioanné.

Vinculorum causa.

que instabiles, atque inconstantes sunt in omnibus vijs suis. Sic Herodes aliquando, nempe cum sedato erat animo, libenter audiebat Ioannem vitia sua corripientem, & timore quodam, quem reuerentialem appellant, erga illum afficiebatur, & custodiebat eum, ne scilicet ab Herodiade insidijs peti posset; sciens, vt ait sanctus Marcus *cap. 6. v. 20. ipsum esse virū probū, & sanctum*, ac iusta, salutique consentanea loqui, atque ad id non nisi sancto diuini honoris, salutisque animarum zelo impelli. Vnde in gratiam eius multa quidem alia faciebat, sed tamen numquam valuit a se scortum abdicare, quin

Herodis scortum. potius eius querimonijs, blanditijsque delinitus, voluit aliquando Ioannem occidere, sed timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant, vt testatur S. Matthæus *cap. 14. v. 5.* Denique morositati insanæ illius mulieris cedens amasius Rex, sanctum virum iussit vinctum detrudi in carcerem, atque cum aduenisset lætus natalis sui dies, in conuiuio, quod Proceribus Regni splendidissimè exhibuerat, idem Rex (casu ne id acciderit, an re inter adulteros clam composita, incertum est) ecce eleganti filia Herodiadis saltatione mirum in modum delectatus, iurat se, quicquid illa petierat, largiturum. Quæ consulta prius impia matre, volo, inquit, *vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ*. Quibus auditis Rex, quod temerè iurauerat, impie statim impleri curauit.

Discipuli Ioannis. 6 Non deseruisse Ioannem in vinculis commorantem suos discipulos, quos ex Essenis fuisse in superioribus vidimus, quin potius illum comitatos fuisse, vel ex eo manifeste deducitur, quod, vt dicemus anno sequenti, ex carcere misit duos ex eis ad Christum, vt interrogarent eum, *quis esset*. In quo sicut Ioannis charitas erga discipulos rectè instruendos ostenditur, propterea enim ipsos ad Christum remisit, sic & illorum erga magistrum suum pietas, & amor manifestè relucet, quæ in tanta miseria constitutum cum proprij capitis periculo non relinquebant. Quæ etiam ex Essenorum schola fuisse denotatur, cum ij obseruantissimi erga suos maiores essent, prout ex Philone, Iosepho, & alijs auctoribus habetur.

Christi gesta. 7 Post hæc Iesus iterum abijt in Galilæam, transiens per Samariam, & in ciuitatem Sichar veniens Samaritanam conuertit, & deinde Samaritanorum plures. Cum autem venisset in Cana Galilææ, vbi iam primùm aquam in vinum conuerterat, sanauit absentem Reguli filium in Capharnaum ægrotantem. De quibus *Ioann. 4.* & Expositores ibidem. Reliqua autem Christi gesta ad annum sequentem spectare videntur.

Annus

Annus mundi 4084. Christi 32.

1  ABITASSE creditur Christus cum suis sub hoc tempore, relicta ciuitate Nazareth, quia nullus Propheta acceptus in patria, in Capharnaum vrbe posita in finibus Zabulon, & Nephtalim secus stagnum Genesareth, quod paulo ante mare Tiberiadis in honorem Tiberij Cæsaris ab Herode appellatum fuerat, vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam *cap. 9. vers. 2.* de his tribubus loquentem: ***Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: ambulantibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis.*** Cœpit exinde Christus publicè prædicare, prædicationum, & miraculorum administros Apostolos Petrum, & Andream, Iacobum, & Ioannem piscatores assumere, atque in Synagogis Sabbathum populum docere. Ibi Dæmoniacum curauit, socrum Petri a febre liberauit, & infirmos varijs languoribus oppressos, qui ad se afferebantur, mirabiliter incolumes reddidit. Diluculo inde surgens abijt in desertum locum, ibiq; orabat, & a suis inuentus, in proximos vicos, & ciuitates ad prædicandum secessit. Iussit etiam discipulos præire, & præparare nauiculas, vt transfretarent. Quæ omnia *Matth. 4. Marc. 1. & Luc. 5.* latius ab Euangelistis describuntur, & a Patribus, & Doctoribus rectè dilucidantur. Vbi habitaret Christus.

2 Quæ postea Christus egit, quia specialiter ad Monastici, & Religiosi status perfectionem spectant, specialiori indagine expendenda sunt. Dictum est in superioribus, maxime *in Apparatu cap. 4.* quod etsi Elias primus eiusdem status institutor, & auctor fuerit, quadamtenus scilicet, & prout Legis veteris imperfectio sustinere poterat, quoad perfectionem tamen, & complementum illius Christum Dominum primum Auctorem, Ducem, & Antesignanum appellandum esse. Quia ergo sub hoc anno, & hac eadem occasione, de qua scribimus, quando scilicet transfretare parabat, huic excellentissimo operi consummando manum sua doctrina adhibuit, ideo sigillatim, quæ tunc gessit, discutienda. Tunc igitur accedens vnus Scriba (vt refert Euangelista Matthæus *cap. 8. vers. 19.*) dixit ad Iesum: ***Magister sequar te, quocumque ieris.*** Cui Christus respondit: ***Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.*** Alius autem discipulus, eodem Matthęo ibidem testante, dixit ad Christum: ***Domine permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum,*** & Christus illi: ***Sequere me, & dimitte mor-*** Monastici status perfectionis auctor Christus.

tuos

tuos sepelire mortuos suos. Lucas verò *cap.9. vers.61*. prædictis relatis subiungit de alio dicenti ad Christum: *Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renunciare his, quæ domi sunt*; Christus verò ad illum: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei*. Ex his autem tribus Christi dictis manifestè conuincitur ad eiusdem Christi perfectam sequelam necessariam omnino esse omnimodam rerum omnium renunciationem, ac per consequens status Religiosi perfectionem, quæ in sequendo Christum versatur, eam prorsus requirere. Quia verò talis renunciatio perfecta in trium votorum obseruantia posita est, nam per obedientiam propriæ volũtati, per castitatem propriæ carnis inclinationi, & per paupertatem omnibus temporalibus bonis renunciatur, ideo tribus præfatis documentis, quę tribus votis non incongruè applicari possunt, modus perfectè sequendi Christum in statu Religioso stabilitus est. Lege Concilium Senonense *decreto 9*. Bellarminum *lib.2. de Monach. c.21*. & Barradium *tom. 2. lib. 5. cap. 14*. ac nota meritò propterea apud Theologos eam inualuisse sententiam, quæ astruit Christi Apostolos, vtpotè veros, ac perfectos ipsius sectatores, tria vota prædicta Religionis emisisse. Ita enim inter plures alios docuerunt Theologiæ principes S. Augustinus *de Ciuitate Dei lib. 17. cap. 4. circa med.* S. Thomas *2.2. q.88. art.4. ad 3*. quos sequuntur Sotus *de iust. & iur. lib.7. q.2. art.5*. Castro *de hæresib. verbo votum*, & alij plures.

Christi sequela.

3 Post hæc dicta trans lacum perrexit, tempestatem, dum dormiret, excitatam sedauit, in regione Gerasenorum, quò appulit, dęmoniacos duos a dęmonum potestate eripuit, ipsósque Spiritus malignos in porcorum gregem ingredi permisit, vt propterea in mare præcipitati fuerint. Hinc illius regionis incolæ Christum rogauerunt, vt discederet a se, ne scilicet, vt creditur, illa clades porcorum ipsis tribueretur a Syris, ad quos illa pertinebant. Ascendit ergo in nauiculam, & venit Capharnaum, vbi paralyticum per tegulas demissum curauit, & inde transiens Matthæum è telonio ad Apostolatum euocauit, ac Scribas, & Pharisæos murmurantes, quod cum publicanis manducaret, sapienter repressit. *Matth. 8. & 9. Marc. 5. Luc. 5. & 8.*

Christi miracula.

4 Contigit eodẽ anno querimonia illa discipulorum Io: Baptistæ aduersus Christi discipulos, de qua *Matt. 9. v. 14. Marc. 2. v 18. & Luc. 5 vers. 33*. eo quòd non ieiunarent, aut tam continuò orarent, sicut ipsi. Ex ea autem satis suaderi eos ex Essenorum schola fuisse expendimus *sub anno 4052. num. 15*. Quibus iungimus id indicari ab Abulensi in *Matth. 9*. dum *quæst. 66. & 71*. inquit hos Ioannis discipulos fuisse

Discipulorum Ioannis querimonia.

ex alia

ex alia secta Iudæorum a Pharisæis diuersa. Hæc enim secta non potuit alia esse, nisi Essenorum, iuxta ibidem dicta. Nec dici potest Ioannis discipulos constituisse specialem Iudæorum sectam a reliquis omnibus discretam; hoc enim prorsus sine fundamento dicitur, cum constet ex Iosepho, & alijs tantùm tres eo tẽpore apud Iudæos principales, & solemnes sectas extitisse, Essenorum videlicet, Pharisæorum, & Saducæorum, primam quidem piam, & Religiosam, tertiam impiam, & hæreticam; secundam specie quidem bonam, re tamen ipsa improbam, & superstitiosam. Erant quidem & aliæ minores, & veluti nouitiæ tunc Iudæorum sectæ, Herodianorum scilicet, & Galilæorum, ad quas tamen Ioannis discipulos non spectasse nullus in dubium reuocare poterit, cum & illi improbi, ac hæretici fuerint, Ioannis verò discipuli pij, & Religiosi. Maneat ergo ex Essenorum sanctiori secta, quæ magna ex parte deserta Iordanis incolebat, & cuius ipse Ioannes professionis erat, suos discipulos selegisse. Indicat & hoc relatus Aqulensis *dicta quæst. 66.* dum inquit hos Ioannis discipulos fuisse *circa ieiunij obseruantiam* famosissimos. & *quæst.* 72. dicens, hæc ipsorum ieiunia fuisse *deuotionis, & supererogationis* supra communia alia Iudæorum ieiunia, quæ nullatenus alijs, nisi Essenis adaptari possunt, propterea, quæ de ipsorum abstinentia, & ieiunijs referuntur ab auctoribus, maximè Philone in *libro de vita contemplatiua*. Hac etiam de causa proculdubio inter alias, quas refert Abulensis *quæst.* 73. Christus Dominus huic discipulorum Ioannis querimoniæ, non nisi blandè, & leniter, ac sine ipsorum acri reprehensione (quali vti solebat contra Scribas, Pharisæos, & alios calumniatores) satisfecit, prout legitur apud relatos Euangelistas. Cum enim eos ex Essenis fuisse nosset, quorum laudabilem conuersationem rectè compererat, eorum imperfectioni compatiens, nihil duri, aut asperi illis respondit, prout alijs facere solitus erat.

An Esseni.

Ex Essenis magna ex parte.

5 Post hæc Christus filiam Archisynagogi iam mortuam ad vitam reuocat, Hęmorrhoissam solo tactu fimbriæ sanat, cęcos duos post se clamantes illuminat, & dæmoniacum mutum sibi oblatum a dæmonis potestate liberat. Deinde dum Ierosolymam Pascha celebraturus ascendisset, ibi manens ægrum 38. annorum ad probaticã piscinam sanitati restituit, & postea manum hominis aridam sanauit in Synagoga, & exorta contra eum Scribarum, Pharisæorum, & Herodianorum seditione, illos declinans, ad mare Galilæę perrexit. De quibus Matthæus *cap. 9. &* 12. *Marc. cap. 3. &* 5. *Luc. cap. 6. & Ioann. cap. 5.* vbi & Expositores.

Christi alia miracula.

Sub-

6 Subſecutus eſt celeberrimus ille ſermo Chriſti in monte, de quo *Matth.* 5. & *Luc.* 6. in quo cum primo loco commendetur paupertas ſpiritus, ipſiuſque ſectatorum dicatur eſſe Regnum Dei, proculdubio aſſerendum videtur ſanctam, & religioſam paupertatem ſtatus Regularis, veluti primum fundamentum hoc Chriſti teſtimonio ſtabilitam fuiſſe, vt inter alios indicat S. Baſilius in *Regulis breuior. interrogat.* 205. ac proinde complementum, & perfectionem ab ipſo accepiſſe, etſi primitus in Eſſenis, & alijs Ordinis Prophetici cultoribus a tempore Eliæ, & diſcipulorum, iuxta dicta in ſuperioribus, aliquatenus originem habuerit.

Sermo Chriſti in monte.

7 Inter alia Chriſti ſub hoc anno geſta refertur leproſi mundatio, de qua *Matth.* 8. *Marc.* 1. & *Luc.* 5. ſerui Centurionis curatio, de qua etiam *Matth.* 5. & *Luc.* 7. item adoleſcentis filij viduæ a mortuis excitatio, quæ eodem *cap.* 7. *Lucę* narratur. De quibus Expoſitores.

Alia miracula

8 Cum autem, eodem Luca dicto *cap.* 7. *verſ.* 18. teſtante, diſcipuli Ioannis (quos ex Eſſenis fuiſſe in ſuperioribus diximus) vidiſſent ea ſigna, quæ fecerat Chriſtus, illud præſertim de adoleſcentis rediuiui reſurrectione, & ad magiſtrum ſuum in carcere detentum zelo forſan amoris in ipſum ſuccenſi, vel quod ſtuperent ipſi ſignis præferri, deruliſſent, Ioannes tunc, vt illos potius in fide, & amore Chriſti ſolidaret, & ad ipſum tanquam ad verum Meſſiam aggregaret, duos ex illis ei nuncios miſit, vt interrogarent: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* hoc autem facto, & Chriſti reprehenſione Ioannem intentum ſuum aſſecutum fuiſſe pro comperto videtur, vt propterea ex ijs Ioannis auditoribus plures in die Pentecoſtes baptizati ab Apoſtolis meritò credantur, iuxta dicenda eo loco.

Diſcipuli Ioannis.

9 Inter hæc, & alia Chriſti ſigna, & geſta, de quibus *Matth.* 12. & *Marc.* 3. *Luc.* 7. 8. & 11. Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ, iuſſit in conuiuio interfici Ioannem Baptiſtam propter cauſam aſſignatam ſub anno præcedenti. Quam metricè ſic deſcribit Poeta Mantuanus noſter *de ſacris diebus in menſe Auguſti in decollatione eiuſdem S. Ioannis:*

Ioannis mors.

Mantuanus.

Herodes Herode ſatus veſana propago
De patre veſano, fratris conſorte Philippi
Vſurpata, ingens ſcelus, immanemque rapinam
Auſus erat: tantumque nefas iactabat in horas.
Id Baptiſta palam facinus reprehendere adortus
Iram Herodiadis (nam Regis adultera nomen
Hoc habuit) ſubito incurrit, crudelior hydra

Illa

Illa sacro insidias Vatis, laqueosque tetendit
Huic erat eximio vultu, viridique iuuenta
Filia: qua cum Rex proceres ad festa vocasset
Natali celebranda die, saltauerat inter
Solemnes epulas, & regia pectora tantum
Mouerat, vt se Rex, peteret quaecumque, daturum
Dixerit: haec sceleri vox est via facta nefando.
Nam tum consuleret matrem, petitura quid esset,
Mater ait; pete Baptistae, pete filia nobis
Funestum, dirumque caput, linguamque procacem
Ipse autem dudum Vates in vincula missus
Ob regale odium fuerat, vinctusque iacebat.

Subiungit post alia, quae omittimus. Sed haec non, de quibus postea:

Tunc caput ablatum, tunc aduenere nepotes, &c.

10 Quae post Ioannis Baptistae necem euenerunt, Euangelista Matthaeus *cap. 14. v. 12.* sic refert: *Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nunciauerunt Iesu*. Circa quae primum occurrit solum corpus Ioannis truncum sine capite, traditum esse discipulis Ioannis sepeliendum, illis, vt est verisimile, postulantibus, quemadmodum Ioseph ab Arimathea corpus petiuit Christi. De Ioannis verò capite cum nihil ibi dicatur, opinio est, quam ex Nicephoro *lib. 1. hist. cap. 19.* approbat Baronius *sub anno Christi 33. §. idem ait*, nequaquam cum corpore traditum esse ad sepeliendum: sed ab Herodiade in abstrusiore regiae loco remotis arbitris reconditum, sed id Abulensi *in cap. 14. Matth. quaest. 44.* non videtur arridere. Dicit enim: *Sed fortè postea illud discipulis Ioannis concederet, quia ad nihil erat sibi vtile, cum semel saturasset iram suam videndo illum truncatum, & cruentum caput, & tunc etiam possent caput recondere discipuli Ioannis*. Quomodo etiam illud in Galliam, & in Italiam reportatum fuerit, idem Abulensis ibidem dubitat. Ostenditur autem Romae in Ecclesia sancti Siluestri. A quibus sepulturae traditus.

11 Deinde de loco, vbi corpus Ioannis a discipulis conditum est, communis astruit sententia fuisse Samariam, seu Sebastem, quae in honorem Augusti ab Herode *Augusta* nominata est. Ita Abulensis relatus, & alij referendi. Causam tradit Baronius superiùs, quòd ciuitas ea sub Herodis potestate non esset, ac propterea occasio Herodiadi amputabatur cogitandi de trunco. Sepultum autem in monumento Elisęi, & Abdiae, testis est sanctus Hieronymus *ep. 27. et in Abdiam Prophetam*, quem Volaterranus *in Geograph. lib. 11.* & alij sequuntur. Quo loco.

quuntur. Nec ſine cauſa magnus hic Ordinis Prophetici Dux inter alios eiuſdem Ordinis Anteſignanos a commilitonibus recondi debuit, prout bene Mantuanus *de ſacris diebus in menſe Augusti in decollatione eiuſdem Ioannis* ſic celebrat:

Tunc caput ablatum, tunc aduenere nepotes
Eliæ viuentis adhuc, raptumque cadauer
Adiunxere ſuis Patribus, tumuloque dedere,
Atque duos inter vates poſuiſſe feruntur,
Scilicet Abdiam, Carmelicolamque Eliſæum.

12 Eadem fermè Palæonydorus *lib. 2. cap. 1.* ſic inquiens: *Iſti* (ſcilicet Ioannis diſcipuli) *audito quod Ioannes decollatus fuiſſet in carcere, tulerunt corpus eius; & in ſepulchro Patrum eorum Eliſæi, & Abdiæ honorificè ſepelierunt.* Qualiter deinde S. Præcurſoris reliquiæ ſub Iuliano Apoſtata ſacrilegè igni traditę, etſi ex parta ereptæ ab incendio fuerint, Tomo ſequenti dicemus. Pariter quomodo curſu temporis Ianuam cineres translati, tum Mantuanus noſter *loco relato*, tum Petrus Sarracenus *in vita ſancti Eliſæi* referunt.

Quid poſtea

13 Sed vocant nos, quia propriùs noſtram tangunt hiſtoriam, verba illa *Matthæi* 14. ſupra relata de Ioannis diſcipulis, videlicet quòd poſt ipſius ſepulturam *venientes nuntiauerunt Ieſu*, proculdubio eius necem: quæri enim poteſt, qua de cauſa id fecerint. Huic quæſito reſpondens Abulenſis *Matth.* 14. *q.* 45. inter alias cauſas, quę ad noſtrum intentum minus conducunt, tradit duas, ex quibus habebimus eos poſt Ioannis mortem Chriſti diſcipulos, & familiares effectos fuiſſe. Abulenſis verba en damus, quia ſatisglorioſa Eſſenis noſtris, quales Ioannis hoc diſcipulos exiſtimamus: *Tertiò fuit, quia dum Ioannes viuebat, iſti habebant magiſtrum, nunc verò orbati magiſtro, nullum habebant, ad quem recurrerent, niſi ad Ieſum, quia erat Doctor morum, ſicut Ioannes; ideo familiares ei effici voluerunt, & adhuc habuerunt occaſionem, ſcilicet, vt annunciarent ei, quid factum erat de Ioanne. Et hoc erat veriſimile, quia Ieſus erat valde excellentior, etiam in conſpectu plebis, quam fuerat Ioannes, propter miracula multa, quæ faciebat, & Ioannes nullum fecerat, Ioann.* 10. *ideo multò plures diſcipuli veniebant ad eum, quàm ad Ioannem, vt patet Ioann. cap.* 8. *Iſti nunc igitur vellent venire ad eum. Quartò fuit, quia forte Ioannes oſtenderat eis, antequam occideretur, veniendum eſſe ad Ieſum, quia forte fuerunt iſti, qui nunc venerunt, illi duo, quos ante hoc Ioannes miſerat ad Ieſum, dum maneret in vinculis, quærens per eos: Tu es, qui venturus es, ſupra* 11. *& per hoc Ioannes oſtenderet diſcipulis ſuis, quod Ieſus eſſet Meſſias, vt ibidem declaratum eſt. Cognito ergo diſcipuli illi, quod Ieſus eſſet Meſſias, ad*

Nunciatur Chriſto Ioannis mors.

Qua de cauſa.

illum

illum venerunt, quia Messias erat tota expectatio Iudaeorum. De his dicit Hieronymus super Matthaeum: Intende autem, qualiter discipuli Ioannis iam magis familiares facti sunt Iesu, ipsi enim fuerunt, qui annunciauerunt ei, quod factum est de Ioanne, etenim vniuersos dimittentes ad Iesum confugiunt, & ita paulatim post calamitatem, & responsionem a Christo dispensatam directi sunt, & ita credendum, quod istos susceperit nunc Iesus in numero discipulorum suorum. Ex hoc ergo Abulensis testimonio probabile satis erit, hos Ioannis discipulos, quos ex Essenis fuisse sępius commemorauimus, post ipsius mortem Christi Collegio aggregatos esse. Ioan. discipuli Christi alumni effecti.

14. De alijs Christi Domini sub hoc anno gestis doctè satis Expositores, & Annalistæ. Illud solùm nobis restat notatu dignum, tantam fuisse tunc inter homines sanctitatis Ioannis vulgatam opinionẽ, vt Herodes ipse audiens mirabilia opera Christi, quæ prius, vel quod esset in bello contra Arabiæ Regem occupatus, vel alijs negocijs distentus, non audierat, vel si audierat, incredulus, & socors homo neglexerat, vt habet Baronius *hoc anno*, crescente tandem ipsorum fama, & alijs de Christo opinantibus, quod esset Elias, aut alius ex Prophetis, ipse tamen crediderit esse Ioannem rediuiuum, & ea operantem miracula, *Matth.* 14. *vers.* 1. *&* 3. *Marc* 6 *vers.* 14. *&* 16. Ex quo duo elici videntur, vnum, tantam fuisse apud Herodem, & alios de Ioanne existimationem, vt eum a mortuis resurrexisse putarent: alterum, quod Christus post obitum Ioannis multa patrauerit miracula a SS. Euangelistis prætermissa. Torniellus *sub anno* 4083. *num.* 3. Alia Christi gesta. Christus putatus Elias.

Annus mundi 4085. Christi 33.

1 VIC quoque anno plura, ipsaque egregia Christi gesta, & miracula merito adscribuntur. Cuius sub initio, proxime scilicet ad Paschę festum solemnissimum illud miraculum de quinque hominum millibus ex quinque panibus, & duobus piscibus saciatis patrauit, prout referunt Euangelistæ Matthæus *capite decimo quarto*, Marcus *cap.* 6. & Ioannes *cap.* 6. cum autem cognouisset, quod turbæ propter tam insigne miraculum venturæ erant, vt ipsum vel inuitum facerent Regem, iussit discipulos transfretare, mare videlicet Galilæę, seu Tiberiadis, cui proximè aderant, ipse verò fugit in montem solus orare. Orta deinde discipulis tempestate, terrore nimio afflictis affuit ambulans supra mare, & a periculo eripiens. Applicuit deinde in terram Genesareth, vbi plura miracula Christi miracula.

tactu fimbriæ suæ perfecit. Postea a turbis quæsitus, & inuentus cœpit eis de Pane cœlesti disserere, multis etiam ex discipulis non credentibus, Petro autem, & Apostolis in ipsius famulatu perseuerantibus, prout in præfatis Euangelistis legitur.

Christus cum Pharisæis.

2. Post hæc morante Iesu in Galilæa cum venissent ad eum ab Ierosolymis Pharisæi, & quidam de Scribis interrogabant eum, cur discipuli eius non lotis manibus manducarent? Qua occasione accepta cœpit Iesus eos arguere, quod in exterioribus, ac leuioribus quibusdam cerimonijs ab hominibus institutis essent supra modum diligentiores, de mandatis verò diuinis accurate obseruandis, & de corde ab immundis cogitationibus mundando, nihil penitus curarent. Ex hac verò Pharisæorum calumnia, & Christi ad illos reprehensione, magis roboratur id, quod diximus *sub anno 3807. num. 3.* & sequentibus, Pharisæos videlicet ex Essenis orrum habuisse, non quidem, vt legitimos ipsorum alumnos, sed veluti adulterinam prolem, eis in quibusdam externis cerimonijs similes, in spiritu autem, & Religione prorsus difformes. Vtrumque enim hoc facto denotari videtur, illud de cerimonijs externis in lotione manuum, de qua tam soliciti erant, quæ forsan ab Essenis ortum duxit, qui, vt sæpius vidimus, talibus lustrationibus videbantur addicti, illud autem de toruo, & prauo spiritu, in Christi verbis eorum vitia redarguentis, *Matth. 15. vers. 3.* clariùs *Marc. 7.* vbi vtrumque expressius continetur. Dicit enim Euangelista: *Et conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis venientes ab Ierosolymis, & cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperauerunt. Pharisæi enim, & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum. Et a foro nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & locorum, & interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?* At ille respondens, dixit eis: *Bene prophetauit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. In vanum autem me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata vrceorum, & calicum, & alia similia his facitis multa.* Propterea enim hunc lotionis manuum vsum apud vtrúque Euangelistam Pharisæi *traditionem seniorum* appellare videntur, quia ex priscis Essenis, seu Enoscenis originem traxisse videbatur. Narrantur post ista inter Christi gesta liberatio filiæ Cananeæ a dæmonio

Pharisæi adulterina proles Essenorum.

Christi verba ad Pharisæos.

monio in partibus Tyri, & Sydonis; surdi, & muti curatio versus mare Galilææ, & quatuor millium hominum ex septem panibus saturatio, de quibus *Matth. 15.* & *Marc. 7.*

3 Accesserunt postea ad ipsum Pharisæi, & Saducæi tentantes ipsum, signumq; petentes, qui non solum ab eo repulsam passi sunt, sed & acrem, & vehementem reprehensionem, monitione etiam discipulis adiuncta, vt cauerent ab ipsorum doctrina, quam Christus *fermentum* appellat. Hinc collige iustè Abulensem in *cap. tertium Matth. q. 63.* Baronium *tom. 1. Annal. sub anno Christi 64. §. verum nec hic*. Serarium in *Tribaref. lib. 3. cap. 9.* & *in Minerual. lib. 5. cap. 7.* & alios, inferre potuisse Essenos, vtpotè viros probos, & sanæ doctrinæ nunquam a Christo reprehensos, cum tamen è contra Pharisæi, & Saducæi, quia improbi, & falsorum dogmatum sectatores, sæpius ab ipso reiecti, & improbati fuerint. Qualia verò fuerint tam Essenorum, quam Pharisæorum, & Saducæorum dogmata, vt propterea illi probari, isti verò reprobari meruerint, ex dictis *sub annis 3545. 3716.* & 3807. elici valet. Pharisæi & Saducæi.

4 Veniens mox Christus in Bethsaidam, lucem reddidit cæco, & circa partes Cæsareæ Philippi Tetrarchæ *Panneadam* vocatæ, ac ad fontes Iordanis sitæ, cum interrogasset discipulos suos, quem homines ipsum esse dicerent, & illi dixissent, quod quidam putarent ipsum Ioannem, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, Petrusque omnium discipulorum nomine respondisset: *Tu es Christus Filius Dei viui*: Iesus vicissim ei dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. De quo *Matth. 16. Marc. 8.* & *Luc. 9.* Alia Christi miracula.

5 Quærit hic Abulensis *in Matth. 16. quæst. 48.* qua de causa putabant aliqui Christum esse Eliam, & reiecto modo dicendi Historiæ scholasticæ, quod scilicet putaretur Elias, quia baptizabat, Elias enim, & Elisæus, quia transierunt Iardanem, *4. Reg. 2.* baptismum denotabant, eo quod ille transitus leuis esset assimilatio ad hoc, quod Christus putaretur Elias. Reiecto etiam aliorum placito dicentium, quod Christus crederetur Elias, propter feruorem zeli, quo vterque fulgebat: nam *ista* (inquit Abulensis) *parua similitudo est*. Aptiorem causam ipse assignat, & satis Eliæ gloriosam, quod scilicet cum Iudæi crederent Eliam esse venturum, iuxta Malachiam 4. ideo *quando videbant* (ait ille) *aliquem virum excellentem, putabant, quod ipse esset Elias*. Propterea enim idem quæsierunt a Ioanne, *Ioann. 1. vers. 21.* Sed nos aptissimam huius rei causam eam putamus, adeo videlicet similem magnum nostrum Prophetam Eliam Christo Domino vita, Cur Christus putatus sit Elias. Ratio Abulensis.

 moribus,

moribus, signis, prodigijs extitisse, vt errandi ansam inde arripere potuerint plures ad existimandum Christum esse Eliam. Quæ porrò fuerint hæc, in quibus Elias typum gessit Saluatoris; alijs relinquimus, qui de hac re luculenter, quales sunt Cyprianus *lib. de Spiritu sancto.* August. *de Ciuit. Dei, & serm.* 201. *de tempore.* Rupertus *in lib. Reg.* Hugo Cardin. *ibid.* Dionys. Carthus. in 3. *Reg.* 17. quos alij ex recentioribus ęmulantur.

Quis ille vnus ex Prophetis.

6 Quærit vlterius idem Abulensis *quæst.* 50. quis erat ille vnus ex Prophetis, quem Christum esse existimabant aliqui. Et reiecto auctore historiæ scholasticæ, qui per *vnum ex Prophetis* intelligit Eliseū, propter rationem superius assignatam, subiungit ipse: *Sed dicendum, quod si putaretur Eliseus, melius esset hoc propter operationem miraculorum, quam propter aliquid aliud, quia nullus Prophetarum veteris testamenti tanta miracula patrauit, duos quippe mortuos suscitauit,* 4. *Reg.* 4. *cap.* 2. *vsque ad* 13. *& Eccles.* 48. *Christus autem iam duos mortuos suscitauerat, sicut Eliseus, scilicet filium Archisynagogi, supra nono capitulo, & filium viduæ in Naym, Lucæ* 7. *Lazarum autem nondum suscitauerat, quia paucis diebus ante mortem suam illum suscitauit, vt colligitur Ioann.* 11. *in cæteris etiam miraculis magis Christus similabatur Eliseo, quàm cæteris, licet eum incomparabiliter Christus excederet, quia fecit opera, quæ nemo alius fecit, Io.* 15. *ideo putari poterat Eliseus.* Addit per *Prophetam* intelligi hic indeterminatè aliquem ex Prophetis, quia omnia, quæ requirebantur ad esse Prophetam, apparebant, in eo. verba ipsius sunt hæc: *Dicendum quod putabant eum verè esse Prophetam, & tamen dicitur, quasi vnum de Prophetis; quia quasi non dicit solam similitudinem, sed interdum dicit identitatem, vt Ioann.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre, *& tamen ille erat verè vnigenitus, sed dicitur* quasi vnigeniti *ad ostendendam, quod totum, quod apparere debebat in vnigenito vero ad hoc, quod putaretur vnigenitus, apparuit in illo. Ita Christus putabatur, quasi vnus de Prophetis, quia omnia, quæ requirebantur ad esse Prophetam, apparebant in eo.* Collige hinc, mi lector, honorificum valde Prophetici Ordinis professorum encomium, vt Christus Dominus ipsorum veluti prototypus esset, ita vt vita, moribus, gestibus, & actibus eidem similes crederentur.

Abulensis responsio.

Transfiguratio Christi.

7 Gloriosæ Christi Transfigurationis mysterium, quod hoc tempore in Thabor monte, præsentibus Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis celebratum est, vel ex eo, quod illius socius, & testis fidelis noster Patriarcha Elias, & ab eodem Christo vocatus fuerit, vt in eo aliquantulum immoremur, iure suadet. Inuestigandum ergo no-

bis

bis est, cur tanti sacramenti comes adhibitus Elias cum Moyse fuerit, prout ex *Matth. 17. vers. 3. Marc. 9. v. 3. & Luc. 9. v. 31.* habetur. Ex ea namque non pauca, nec exigua ipsius encomia elicere poterimus. Cur adfuit Elias.
Primò, plures asserunt ideo Moysem, & Eliam huic mysterio celebrando adfuisse, vt ostenderetur Christus viuorum, & mortuorum simul Rex, & Dominus esse, qui ex viuis Eliam, ex mortuis verò Moysem suæ gloriæ testes afferebat. Sic fermè Beda, Theophylactus & Euthymius, ac Guido noster in *Concord. Euangel. in cap. 17. Matth.* cum alijs, quos sequitur Abulensis *in Matth. 17. quæst. 51.* vbi inter decem, quas huius rei causas tradit, pro sexta istam adducit, referens & Chrysostomum. Ex hoc autem non modo infertur verissimum esse id, quod *sub anno 3139. num. 9.* diximus, videlicet inter superstites, & viuos, qui nondum mortis debitum exsoluerũt, numerandum Eliam, sed etiam magnam sanctitatis ipsius excellentiam in hoc maximè cognosci, quippe, viuente adhuc Dei Genitrice Maria ipso valde sanctiori, nihilominus sicut Moyses pro omnibus, qui diem suum clauserunt, testis a Christo assumptus est, sic & Elias pro cunctis, qui in hoc seculo morabantur, ac per consequens, etiam pro eadem Beatissima Virgine.

8 Secundò, idem Abulensis, *vt supra*, inter eas, quas, vt diximus, causas tradit, tertiam sic assignat: *Tertiò, & præcipuè, quia ad* Abulensis responsio.
Transfigurationem testificandam nulli magis apti erant, quam isti duo, eo quod in Transfiguratione apparuit claritas vultus Christi & vestium, & tamen in istis apparuerat aliquid simile, & non in alijs Patribus veteris Testamenti: nam Moyses habuit aliquando faciem fulgentem, sicut nunc Christus, scilicet quando descendit de monte; nam erat facies eius cornuta ex consortio sermonis Domini, Exodi trigesimo quarto. Moyses etiam vidit sæpe gloriam Domini: nam de nube, & nebula, in qua ostendebatur gloria Domini, loquebatur Deus Moysi, Exodi 33. & 34. & Numer. 12. Elias etiam vidit gloriam Dei in igne, & commotione, & spiritu auræ lenis, tertio Regum decimo nono, quod aliquo modo pertinebat ad gloriam claritatis Transfigurationis. Ideo isti potius, quam alij assumpti sunt ad Transfigurationem. Hoc etiam valde gloriosum Eliæ est, quippe illa eius, qualis ea fuerit gloriæ vmbra in Horeb, de qua *sub anno 3127.* diximus, expressa veluti figura extiterit claritatis Christi in Thabor. Quod maximè verum esset, si cum aliquo fundamento affirmari posset visionem, quam tunc habuit, similem fuisse beatificæ, quod alijs relinquimus discutiendum. Aliam adijcit idem Abulensis rationem, quam ipse primo loco ponit, quæ a nobis omittenda non est. Dicit igitur conueniens fuisse Moysem, & Eliam cum Chri- Alia responsio Abulensis

sto in Transfiguratione apparuisse, propter excellentiam personalem, quia isti videntur fuisse excellentiores inter Patres veteris Testamenti: nam Moyses fecit multa miracula, quia dicitur *Deuter.* 34. quod non surrexit vltra Propheta in Israel, sicut Moyses in omnibus signis, & prodigijs. Elias etiam fuit potens in miraculis, ipse enim primus fuit, qui mortuum suscitauit, 3. *Reg.* 17. ipse a coruis diuinitus quotidie longo tempore pastus est, *eodem cap.* ipse ignem de cælo descendere fecit super sacrificia, 3. *Reg.* 18. & super duos quinquagenarios 4. *Reg.* 1. & multa alia. Ideo isti duo tanquam præcipui habiti sunt in veteri Testamento. Vt ergo ostenderetur magna Christi potestas, & dignitas, isti duo, qui maximi fuerunt in veteri Testamento, adstiterunt ei familiares in Transfiguratione. Ex hoc verò Abulensis placito, illud rectè sequitur Eliæ nostro valde honorificum, cum scilicet Prophetis cunctis, etiam Samueli, Dauidi, Isaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, ac Danieli sanctitatis, & excellentiæ prærogatiua præponendum esse. Quod etsi ex alijs capitibus comprobari possit, non incongruè tamen ex eo elici valet, quod inter omnes illos *ipse ad* hanc dignitatem consortij gloriæ Christi in Transfiguratione solus vocatus fuerit.

Communior responsio.

9 Communior tamen, & applausibilior ratio, nec a nostro instituto aliena, quare ad id munus ipse cum Moyse a Christo fuerit electus, est, quia oportuit Christi doctrinam testimonium habere a Lege, & Prophetis, & ita pro Lege ipsius Legislator Moyses, & pro Prophetis Elias in Transfiguratione apparent. Sic fermè Tertullian. *lib. aduersus Marchionem* 4. Hilarius, Chrysost. Hieron. Beda, & Euthym. *in Matth.* 17. Adde Ambrosium *in cap.* 9. *Lucæ*, & Augustinum *in lib. de quinq hæresibus cap.* 7. ac Guidonem nostrum relatum, & ex recentioribus Maldonatum *in Matth.* 17. & *Barrad. tom.* 2. *lib.* 10. *cap.* 28. sed illud clariùs exprimit Abulensis loco relato, subiungens & causam, quare pro omnibus Prophetis Elias Trãsfigurationi affuerit, quia (inquit) *Princeps Legis fuit Moyses. Princeps autem Prophetarum Elias.* Chrysostomus etiam *homil.* 57. *in Matthæum*, ferè eamdem assignauit: *Quoniam turba, inquit, alij Eliam, alij Ieremiam, alij priscorum Prophetarum vnum opinabantur. Idcirco Moysem, & Eliam, cæterorum Prophetarum vertices, &c.* Ex eo autem deducimus id, quod *in Apparatu cap.* 4. *num.* 23. diximus, Eliam videlicet Principem, & caput Prophetarum appellari posse, eo quod Ordinis Prophetici, cuius auctor Samuel extiterat, ipse fuerit primus propagator, & in ratione status Religiosi, qualiter in Lege illa esse potuit, inuentor, ac promotor. Nulla enim congruentior clarissimi huius tituli assignari potest causa,

causa, vt discurrenti per singulas constare poterit.

10 Quæ autem gesserit Elias, dum Christo transfigurato præsens adfuit, ex Euangelico textu *Matth.* 17. *vers.* 3 habetur, dum dicitur: *Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias loquentes*. Et *Marc.* 9. *vers.* 3. sic: *Et erant loquentes cum Iesu.* Clarius *Luc.* 9. *vers.* 30. his verbis: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*. Ex quibus deducitur, Moysem, & Eliam cum Christo transfigurato sermones habuisse, & maximè de morte, quam passurus erat. Est etiam id satis rationi conueniens, tum quia, si nihil cum Christo loquerentur, sed essent veluti simulacra muta, æstimari potius possent ab Apostolis phantasmata præstigiosa, quam veri Moyses, & Elias; tum quia vix possent eos pro talibus agnoscere, nisi loquentes audijssent, & ex sermonibus eorum, qui essent, coniecissent. Vnde Theophylactus ex colloquijs, quæ inter se miscebant ab Apostolis cognitos fuisse putat. Nam forsitan, inquit, Moyses dicebat: *Tu es, cuius ego passionem occiso agno, & celebrato Pascha præfiguraui. Elias vero: Tu es, cuius ego resurrectionem suscitato viduæ filio significaui, & talia quædam*. Et Euthymius: *Colloquebantur autem cum eo, ostendentes, quod Lex, quæ per Moysem data erat, ac sermo, qui per Prophetas de morte eius fuerat, conformiter cum illo præsignauerant*. Item Abulensis *quæst.* 57. dum quæreret, quid loquerentur cum Christo, respondet: *Dicendum, quod fortè multa loquebantur, per quæ ostenderent excellentiam Christi, nam ad hoc venerant, vt testificarentur de Christo coram discipulis, ideo tam in verbo, quam in opere, &c.* Et *quæst.* 58. sic: *Dicendum, quod locutio eorum erat valde conueniens, nam ad hoc præcipuè erat eorum assistentia ad Christum transfiguratum, vt loquerentur, nam si non loquerentur, non appareret, quid testificarentur de Christo: nam sicut vox Patris, quæ audita est, fuit ad hoc, vt agnosceretur Christi excellentia, ita & assistentia Moysi, & Eliæ, & tamen nesciretur, quid testificabantur Moyses, & Elias de illo, si non loquerentur, ideo debuerunt loqui*. Quod etiam in sequentibus probat, tum quia fortè non agnoscerentur, nisi loquerentur, tum quia esto agnoscerentur, non tamen ita determinatè, sicut si aliquid loquerentur. Subiunxit alia, quibus & eos locutos cum Christo, & pleraque locutos satis ostendit. Videantur apud ipsum.

Quid Elias in Transfigurat.

Theophylacti doctrina.

Abulensis.

11 **Hæc verò idcircò a nobis prænotanda fuerunt, vt reuelatio quædam Beatissimæ Virginis Beato Petro Thomæ Ordinis nostri clarissimo alumno, & Patriarchæ Constantinopolitano facta credibilior redderetur. Vt enim habetur ex ipsius gestis, quæ Ioannes de**

Beatiss. Virg. reuelatio.

Hil-

Hildenshein Saxo eiusdē socius, ac discipulus in *lib. contra Detractores Ordinis cap. 5.* descripsit, cum B. Pater a Beatissima Virgine Religionis suæ patrocinium, & conseruationem postularet, ab ipsa audire meruit: *Petre non timeas, quia durabit in finem Carmeli Religio vestra, nam & pro ea supplicauit etiam Filio meo primus Ordinis Patronus Elias in Transfiguratione, & impetrauit*. Quam reuelationem non solum historici nostri, sed & exteri receperunt, & quod magis est, a sacra Congregat. Rituum anno 1628. sub Vrbano Octauo Pont. Max. magna ex parte, etsi non quoad singula, approbationem obtinuit, in Officio eiusdem B. Petri pro die 29. Ianuarij lect. 5. Non rectis oculis eam vidit modernus quidā vitæ eiusdem sancti compilator, quod in ipsa Carmeli Religionis Institutor Elias vocetur, & quod inter Transfigurationis arcana breuissimo temporis interuallo peracta, talis Eliæ intercessio importune referatur. Sed quia mihi rem examinandam relinquit, onus libens accepto, idque faciam circa ann. Christi 1351. quo visio eidem B. Petro Thomæ facta creditur, dum tamē interim de Eliæ patronatu in Ordinem nostrum auctor iste, aliàs doctus, & amicus non dubitet, vel propter dicta *in Apparatu cap. 5. & 6.* & legat Petrum Vvaltellium *in vindic. lib. de instit. Monach. Ioann. Ierosolymitan. ar. 14* ac credat de multis tunc collocutos fuisse Moysem, & Eliam cum Christo, prout ex Doctoribus relatis deducitur, ac opportune ea occasione & Moysem pro Synagoga, cuius Princeps erat, ac Eliam pro suo Prophetico Instituto, cuius fuit caput, Christum interpellare potuisse, quem sciebant communem esse hominum aduocatum apud Patrem.

Interrogatio discipulorum, de Elia.

12 Redit iterum in Euangelica historia Elias noster a Christo Domino vocatus. Cum enim post Transfigurationem ex Monte reuerterentur, rogarunt discipuli magistrum *Matth. 17.* dicentes: *Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire?* seu, vt *Marc. 9.* habetur: *Quid ergo dicunt Pharisæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?* occasione videlicet arrepta, quod eum in Thabor cum Moyse vidissent. Christus verò ait illis: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit,* seu, vt apud Marcum dicitur: *Elias cum venerit, primo restituet omnia, & quomodo scriptum est in filium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur. Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi, quæcumque voluerunt*. Quibus verbis, vt ex fere communi PP. expositione constat, duos Elias distinguit Christus, alterum typicum, alterum realem, de illo dicit, *iam venit*, de isto, *venturus est*, ille fuit Ioannes Baptista, iste erit verus Elias venturus in fine mundi ad restituendum

Duo Eliæ, vnus realis, typicus alter.

omnia

omnia, id est, conuertendum homines ad Christum, vt exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Theodoretus, Guido noster, & alij, conformiter ad illud Malach. 4. *Vt conuertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Ex his autem duo habemus ad nostræ historiæ intentum. Primum, hoc Christi Domini testimonium, quo Ioannem vocat Eliam, satis probare id, quod in superioribus diximus, eum videlicet eiusdem cũ Elia Instituti Monastici, & Eremitici fuisse. Tanta enim vtriusq; similitudo id sufficiẽter suadet, de qua Abulen. *in Matth. 17. q. 138.* sic: *Sed dicendum, quod Ioannes fuit Elias per similitudinem, & auctoritatem, & primo propter similitudinem vitæ: nam sicut fuit Elias vir Eremicola, qui in monte Carmeli morabatur; ita Ioannes semper habitauit in Eremo ex annis teneris, vsque ad trigesimum annum, quando cœpit prædicare, vt colligitur Lucæ primo, & tertio. Secundò, in similitudine victus, & vestitus: nam sicut Elias manens in deserto comedebat cibos deserti, ita & Ioannes vinum, & siceram non bibit, sed nec comedebat quicquam, nisi locustas, & mel siluestre, supra tertio. Sic et in vestitu: nam Elias accinctus erat zona pellicea circa lumbos, et vestibus de pellibus, quarto Reg. 1. sic & Ioannes vestiebatur pilis camelorum, et zona pellicea circa lumbos accingebatur, supra tertio capitulo.* Secundum, hoc, quod Christus de Elia venturo dixit, manifestè quoque confirmare id, quod diximus *sub anno 3139. num. 10.* Eliam nempe in fine mundi venturum, Iudæos tunc conuersurum, Antichristum expugnaturum, & vitam pro Christo tandem expositurum: nunc ad alia Christi gesta mirabilia, quæ sub hoc anno facta sunt, progrediamur. Ioannes, & Elias simillimi.

13 Post hæc enim ad preces cuiusdam filium eius dæmoniacum, ac lunaticum curauit, decem leprosos deinde a cõtagioso morbo eripuit, mulierem in adulterio deprehensam misericorditer absoluit, cæco nato lucem concessit, & hydropico in Sabbatho cum Iudæorum confusione, qui nefas id putabant, sanitatem restituit. Cum autem in festo Encæniorum Iesus esset in Templo in porticu Salomonis, & instanter admodum a Iudæis interrogaretur, vt palam diceret eis, si esset Christus, ac ipse inter respondendum dixisset: *Ego et Pater vnum sumus*, tulerunt lapides, vt iacerent in eum; sed ipse exiuit de manibus eorum, & venit in fines Iudææ trans Iordanẽ, vbi dudum Ioannes baptizarat. De his, & alijs Christi gestis, quę huic anno correspondent, Matthæus *cap. 17. et* 18. Marc. 9. Luc. 9. 10. *et* 17. & Ioan. 10. Mansit Christus vsque ad Pascha subsequentis anni in hac Regione trans Iordanem, prout ex D. Augustino *tract. 49.* colligit Torniellus *sub anno 4084. num. 2.* Cum autem illa fuerit Essenorum Alia Christi mirabilia.

norum habitatio iuxta sæpius repetita, ansam hic arripere potuerunt auctores *sub anno* 4065. relati, ad asseuerandum Christum Seruatorem illorum Institutum amplexatum fuisse, sed qualiter id moderandum, eo loco dictum manet.

Annus mundi 4086. Christi 34.

Annus Christi postremus.

1  NNVM istum vltimum fuisse Christi Domini mansionis in terris sub carne visibili, & mortali, cum cómuniori DD. sententia tenemus. Docet ipsam venerabilis Beda *lib. de ratione temporum cap.* 45. Marianus Scotus *in Chronic.* Baronius *in Apparat.* Onuphrius *in Fastis*, & plures alij, quos sequuntur Annalistæ Torniellus, & Salianus. Hic ergo annus Christi vltimus, postremus etiam erit Tomi istius Annaliũ primi, in quo & Christi gesta compendiosè, & quæ ad nostrę historiæ cognitioné specialiter spectant, fusius expendéda erũt.

Christus Religionis status promotor.

2 Ergo circa huius anni initium, cum esset Christus in Regione illa Iudææ trans Iordanem, non semel, sed sæpiùs, mirisque modis, Religiosi, seu Monastici status, cuius Elias fundamenta iecerat, perfectionem, etiã quoad tria essentialia vota ipsius, prout ex *Matth.* 19. habetur, roborauit, & confirmauit. Nec temerè suspicabimur ideo Christum Regionem hanc trans Iordanem, in qua tunc erat ad Religiosi status perfectionem hominibus commendandam inter alias selegisse, quia in ipsa, & ipsius desertis, vt sæpiùs dictum est, Esseni habitabant, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quantum Lex vetus patiebatur, obseruatores solertissimi. Sic enim verbo, & exemplo tum suo, tum Essenorum hanc vitæ rationem carnis legibus contrariam facilius valde mundo persuadere posset. Nacta ergo occasione quorumdam Pharisæorum de diuortio ipsum sciscitantium: *Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa*, dum multa de indissolubilitate matrimonij dixisset, in laudem postea castitatis, seu virginitatis *vers.* 12. in hæc prorupit: *Sunt Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, et sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter Regnum Cælorum. Qui potest capere, capiat.* Quibus verbis virginitatem, seu castitatem cœnobialem commendasse Christum, testes sunt sancti Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, & alij, quos referunt contra sectarios Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap.* 23. & Suarez 3. *tomo de Relig. lib.* 3. *cap.* 1. & *lib.* 9. *cap.* 1. de quo *sub anno* 3341. *num.* 3. scripsimus. Vbi etiam non solum de futuris Eunuchis spiritualibus, sed etiam de illis,

Eunuchi spirituales.

qui

qui tunc erant, locutum fuisse Chrisum diximus. Et suadetur ex vi verborum, *sunt Eunuchi, qui se castrauerunt*, quæ referunt tempus præsens, & præteritum. Loqui autem hoc loco Christum de spiritualibus Eunuchis, qui voluntariam castitatem, vel ex voto seruant, vlterius probatur ex vtraque glossa. Interlinealis enim eos intelligit, qui voluntate deuouerunt se castitati. Ordinaria eos, *qui propter Christum continent*. Item ex Theophylacto dicente: *Qui autem seipsos Eunuchos faciunt propter Regnum Cælorum, non sunt hi, qui verenda sibi ipsis amputant (maledictum enim hoc) sed qui continentes sunt*. Et infra: *Sua sponte ad continentiam inclinatur*. Vide & Abulensem ibi, *quæst.* 92.

3 Deinde eodem tempore, & *cap.* 19. *Matth. vers.* 21. cum quidam adolescens ad Christum venisset, & de modo consequendi vitam æternam interrogasset, eique respondisset: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, cum hæc custodijsse adolescens incunctanter obiecisset, subiecit Christus: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me*. Quibus etiam Religiosam paupertatem confirmasse Christum ex PP. & DD. consensu habetur: immò etiam omnia tria vota ibi denotari rectè probat Suarez *tom.* 3. *de Religione lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 5. Nam votum paupertatis illo verbo, *vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, exprimitur; obedientiæ in illo, *sequere me*; castitatis in eodem etiam verbo, *sequere me*, cum non possit quis sequi liberè Christum vxori alligatus. De quo videndi S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 4. *ad* 3. noster Guido *in Concord. Euangelic. super hunc locum*, noster item Vvaldensis *to.* 3. *tit.* 9. *cap.* 83. & 84.

De adolescēte

Quid illi consuluerit Christus.

4 Consequenter eodem etiam tempore, prout idem Matthæus *d. cap.* 19. *vers.* 27. refert, cum Petrus Apostolus omnium Apostolorum nomine dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Iesus subiunxit: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*. Pro alijs autem omnibus subiecit: *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Quibus etiam verbis Religiosi status perfectionem commendasse Christum communi Expositorum sensu recipitur. Sed pro omnibus vnus Bernardus sufficiat, dicens: *Hæc nempe sunt verba, quę contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuascre hominibus paupertatem. Hæc sunt, quę Monachis clau-*

Quid Petrus egerit.

stra

stra replent, deserta Anachoretis. Hæc (inquam) sunt verba, quæ Ægyptum expoliant, & optima quæque eius vasa diripiunt. Hic sermo viuus, & efficax conuertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli. Vide & Vvaldensem nostrum *tom. 1. lib. 3. art. 1. cap. 13.*

An Christus institutor.

5 Ex his verò inferunt plures Christum appellandum primum status Religiosi Institutorem, immo & propterea aliqui addunt, primum Monachorum Abbatem nuncupari posse. Ita enim colligitur ex Alberto Crantzio *Metropol. 8. cap. 47.* Gersone *Alphab. 42. in serm. de Cœna Domini*, & habet Tamburinus *de Iure Abbatum to. 1. disp. 2. quæst. 9.* Sed hæc qualiter accipienda sint, ex dictis *in Apparatu cap. 4.* constare poterit.

Lazari suscitatio.

6 Contigit eodem anno (vt ad historiæ seriem redeamus) magnum illud, & celeberrimum Christi miraculum de suscitatione Lazari hoc modo. Dum Iesus moraretur trans Iordanem, vbi Ioannes baptizarat, & quo a festo Encæniorum fuerat profectus, vt apertè ostendit Ioannes ipse in fine *cap. 10.* Illuc Maria, & Martha sorores Lazari miserunt, qui nunciaret morbum fratris sui. Ille autem, qui non sanare ægrum, sed mortuum, & sepultum quatriduanum excitare cupiebat a mortuis, distulit biduum profectionem, eoque peruenit cum discipulis, cum quartum iam diem esset mortuus Quē nihilominus eodem imperio potestati mortis eripuit, quo dæmones ipsos peccati, & mortis auctores, è corporibus, animisque pellebat. Eo tam insigni miraculo multi ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, crediderunt in Iesum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & retulerunt tam miraculum, quam multitudinem eorum, qui eo persuasi, se illi adiunxerant. Quare moti Pontifices, & Pharisæi collegerunt Concilium, in quo de sententia Caiphę Pontificis statutum est Christum occidendum esse, immò & edictum, vt si quis sciret, vbi esset, indicaret ipsis, vt apprehenderent eum. At Iesus ad modicum secessit in ciuitatem, quæ dicitur *Ephrem*, & ibi morabatur cum discipulis suis, vt ait Euangelista. Quæ sit ista ciuitas Ephrem, discurrunt multi: alij *Ephraim* tribum existimant, alij *Ephratam*, quæ & Bethleem; alij *Ephron*, alij vrbem in tribu Ephraim. Libera proinde cuique est coniectura in re dubia, vt ait Maldonatus in *Ioann. 11.* dum tamen dicatur esse hanc ciuitatem *iuxta desertum*, vt Euangelista loquitur, ac proinde non longe a loco, quem nostri Esseni incolebant.

Credunt aliqui Iudæi.

Abit Iesus in Ephrem.

Cæcum illuminat.

7 Post hæc Paschali festo appropinquante, Ierosolymam pergit, & in itinere ante ingressum Iericho, cæcum illuminat, prout

Marc.

Marc. 10. & *Luc.* 18. describitur. Ex quo magis firmatur id, quod diximus de deserto illo Ephrem, quod esset locus, vbi Esseni morabantur. Eorum namque habitatio iuxta Ierichuntinam ciuitatem erat, vt diximus in superioribus. Egrediens autem è Iericho, vbi a Zachęo Publicano alacriter exceptus est, lucem restituit duobus cæcis, testante Matthæo *cap.* 20. *vers.* 29. venit postea Bethaniam, vbi Lazaro, quem suscitauerat, discumbente, & Martha ministrante, Maria Magdalena ipsum valde pretioso vnxit vnguento, factum defendente Iesu contra Iudam murmuratorem. De quo *Matth.* 26. *vers.* 6. *Marc.* 14. *vers.* 3. *Ioann.* 12. *vers.* 1.

8 Venit postea Ierosolymam, vbi passurus erat, & nostræ redemptionis mysteria sæuissima passione completurus, Quam, quia nostri instituti propria non est, & a tot, tamque celeberrimis Ecclesiæ prçconibus celebrata, sigillatim discutere omittimus, rei celsitudinis, & incapacitatis nostræ haud immemores. Illud tamen gratum pijs Religiosis, pro quibus præsertim hoc Opus scribimus, futurum speramus, si ipsius Passionis mysteria, quæ per hebdomadam maiorem ab Ecclesia recitantur, eo die, &, si fas fuerit, hora, quibus peracta sunt, grauium auctorum vestigia secuti, denotauerimus: sic enim aptiùs, & commodiùs eo tempore ipsorum meditationi vacare poterunt, prout debent. Venit Ierosolymam. Passionis Christi mysteria recitantur.

9 Die ergo Dominica, quæ erat Martij vigesima, & quinta ante festum Paschæ, ingressus est Christus Ierosolymam asinæ insidens, turbis viam sternentibus, & ipsum cum ramis palmarum, partim præcedentibus, partim subsequentibus, faustaque illi acclamantibus, illis verbis: *Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis*. Videtur autem mane ingressus, quia vespere redijt in Bethaniam cum discipulis. *Matth.* 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19. *Ioann.* 12. Die Dominica ingreditur Ierosolymam

10 Sequenti die 21. Martij, quarta ante festum Paschæ, & feria secunda, iterum redijt Ierosolymam, ficulneam non habentem fructum (Synagogæ typum) maledictione arefecit, & ingressus in Templum, ementes, & vendentes illinc secundò eiecit, frementibus Pharisæis. Quod etiam mane contigisse videtur, vesperè enim iterum reuersus est Bethaniam. *Matth.* 21. *Marc.* 11. & *Luc.* 19. Die Lunæ, quæ gesserit.

11 Feria tertia sequenti, quæ erat 22. Martij, & tertia dies ante Pascha, venit iterum Ierosolymam, & cum ambularet in Templo, circumsteterunt eum Scribæ, & Seniores, interrogantes, qua potestate eijceret vendentes de Templo, ac permitteret sibi a turbis acclamari. Sed Dominus altera interrogatione de baptismo Ioannis os Die Martis quæ egerit.

illis obstruxit. Addidit etiam parabolam hominis, qui habebat duos filios, vnum verbo inobedientem, alterum facto; & rursum aliam de patrefamilias, qui vineam, quam plantauerat, agricolis locauerat; & tertiam de homine Rege, qui fecit nuptias filio suo. Post hęc soluit quæstionem de tributo Cæsari soluendo callidè sibi a Pharisęis, & Herodianis propositam; item difficultatem de mortuorum resurrectione a Saducæis obiectam, & egit illa, de quibus *Matth. 21. & 22. Marci 11. et Lucæ 20. et 21.* hæc omnia horis diurnis proculdubio a Christo gesta. Nocte enim in montem Oliueti secessit, vt ex *Luc. 21. vers. 37.* colligitur.

Die Mercurij Concilium fit contra Christum.

12 Feria quarta, quæ 23. Martij fuit, & biduo ante Pascha, prædixit Iesus discipulis suis post biduum, in Pascha scilicet, fuisse crucifigendum. Quo die Principes Sacerdotum, & Seniores congregati in atrium Pontificis Caiphæ, de eo dolosè comprehendendo, & occidendo consultabant. Tuncque Iudas venit ad eos, & pactus est se precio 30. argenteorum eum traditurum. *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Hinc emanauit* (inquit Torniellus *sub anno 4084. num. 7.*) *vetus illa fidelium consuetudo, qua etiam nunc apud multos Religiosos, aliosque deuotos vtriusque sexus homines studiosè obseruatur, ieiunandi, vel saltem ab esu carnis abstinendi singula quaque feria quarta ob venditionem Christi eo die factam, siue (vt magis placet Beato Augustino, in epistola 86, quæ est ad Casulanum) ob initum eodem die a Iudæis concilium de perdendo Iesu.* Hæc verò a nobis omittenda non erant, cum præcipuè Ordinis nostri Religiosos tangant, quæ a multis seculis hunc sanctum morem obseruant. Nec dici potest solum a tēpore Io. XXII. Summi Pontificis, qui bullam Sabbathinam concessit, in qua hæc abstinentia habetur, hunc vsum incepisse. Constat enim ex vita sancti Angeli per Enochum Patriarcham Ierosolymitanum descripta *cap. 5.* quod ipse sanctus Angelus, & Ioannes ipsius germanus *feria 2. 4. et 6. nihil nisi crudarum, et mollium fabarum modicum sumebant, a festo quoque resurrectionis ad Pentecostem 4. et 6. ferijs solo, et eodem modico pane, et aqua contenti erant.* Erat autem hoc paulo post annum Christi 1200. pluscentum annis ante Ioannem XXII. Idemque non difficilè probari posset de anterioribus seculis, de quo aliàs.

Die Iouis ad vesperam Pascha.

13 Sequenti feria quinta, quæ erat 24. Martij, & pridie ante Pascha, misit mane Christus duos de discipulis suis, Petrum nempe, & Ioannem in Ierusalem, vt præpararent Pascha, hoc est, agnum Paschalem, qui edendus erat ad vesperam. Erat enim dies illa 14. mensis primi, qui dicebatur *Nisan*, in cuius diei vespera immolandus agnus erat, *Exod. 12. vers. 6.* Cum autem illi, paratis omnibus, quæ pro

Phase

Phase celebrando necessaria erant, ad Iesum reuersi essent, venit cum eis, & alijs in Ierusalem ad vesperam, id est, inclinante iam die, hora videlicet quinta, vel circiter post meridiem, & immolauit agnum Paschalem, occidente iam sole, manducauitque illum ritu consueto nocte illa, id est, post solis occasum. A cœna post surgens, discipulorum pedes lauit, & veluti morti proximus, veteri antiquato, nouum, æternumque suum condidit Testamentum, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, singulis distribuit, ministros idoneos illius, Episcopos scilicet, & Sacerdotes, designauit, & ab vno ipsorum tradendum prædixit. In quibus, & alijs, quæ Matthæus *cap.* 26. Marcus *cap.* 14. Lucas *cap.* 22. & Ioannes *cap.* 13. referunt, duas noctis horas expendisse probabile satis est.

14 Secunda noctis hora expleta, exiens de domo, & cœnaculo, vbi Pascha celebrauerat, in montem Olíueti trans torrentem Cedron perrexit, & cum peruenisset ad villam, seu prædium *Gethsemani*, relictis ibi discipulis, vt orarent, tres solos secum duxit, cœpitque pauere, & tædere, ac mœstus esse, atque ab eis auulsus, quantum ictus est lapidis, positis genibus procidit in faciem suam, sicque semel, & iterum, ac tertiò orauit. Dumque prolixiùs oraret, in talem incidit agoniam, vt guttæ sanguinis instar sudoris ab ipso defluerent, Angelo Dei nihilominus ipsum confortante. Illicò ad discipulos rediens, eisque a somno excitatis, obuiam Iudæ processit, a quo fraudulento osculo traditus Iudæis, ductus est Ierosolymam, primò ad Annam Caiphæ socerum, deinde ad ipsum Caipham Pontificem, vbi Scribæ, ac Seniores conuenerunt. Matthæus *cap.* 26 Marcus *c.* 14. Lucas *cap.* 22. & Ioannes *cap.* 18. Quæ omnia, & alia, quæ ijdem Euangelistæ referunt, satis probabiliter suadent, sexta noctis hora, id est, media nocte, cum esset tunc æquinoctium, ad domum Caiphę vectum fuisse.

Post secundã noctis horam pergit in montem Olíueti.

Traditur a Iudæis.

15 A media autem nocte vsque ad mane, hoc est, sex circiter horarum spatio, in domo Caiphæ primò ab impio ministro grauiter in maxilla percussus est; deinde a Pontifice adiuratus reus mortis tanquam blasphemus est iudicatus, & a ministris plurimis affectus iniurijs, diuersimodè illusus, sputis fœdatus, facie velatus, alapis, & colaphis cæsus, & multipliciter vexatus, nec minus afflictus trina Petri negatione. De quibus ijdem Euangelistæ locis relatis.

Quę passus est a media nocte vsq; ad mane

16 Feria sexta, quæ 25. fuit mensis nostri Martij, 15. *Nisan*, & primus dies azymorum, mane, prima scilicet diei hora, Concilium congregauit Caiphas, Iesum iterum, an esset Christus, interrogando,

Feria 6. quę gesta.

& vt blasphemum, ac mortis reum condemnando. Hinc a ministris vinctus, ductus est ad Pilatum, apud quem accusatus, & innocens inuentus, nihilominus ad Herodem Antipam Galilææ Tetrarcham, qui tunc Ierosolymis aderat, missus, & ab eo tanquam fatuus illusus, iterum ad Pilatum remissus est. Matth. c. 27. Marc. c. 15. Luc. 23. Io. 18. Hæc ad octauam fermè horam post mediam noctem computando peracta sunt.

Barrabas præponitur Christo.

17 Post quæ cum Pilatus Christum liberare intenderet, ac Iudæis proponeret, quem sibi eo tempore Paschæ, prout moris erat, liberum donari vellent, Iesum, an impium homicidam Barrabam; ipsi, Iesu relicto, Barrabam postularunt. Flagellatur deinde Iesus dirissimè, & spinis coronatur, ac sic ostenditur populo a Pilato, dicente: *Ecce homo*. Illique succlamant: *Crucifige, Crucifige eum*, vt propterea mortis sententiam in eum ferret. Hæc ex Euangelistis relatis locis habentur, & circa horam diei tertiam contigisse videntur.

Gesta alia.

18 Quæ verò sequuntur in eisdem Euangelistis de Crucis gestatione vsque ad Caluariæ montem, Crucifixione, & eis, quæ dixit, & gessit Christus in Cruce pendens, ac alijs ad meridiem circiter illius diei spectant. Agunt de huiusmodi temporis passionis Christi distributione Torniellus *sub anno* 4084. & Salianus *sub hoc anno*.

19 Ex ijs autem, quæ ab Euangelistis de Christi passione, & gestis referuntur, id vnum ad nostram pertinens historiam, quod aliàs *sub anno* 4085. *num.* 3. fecimus, iterum expendere debemus, quod cum apud omnes compertissimum sit, hoc tempore inter Iudæos Essenorum Institutum, vitæ probitate, & auctoritate valde celebre viguisse; nihilominus nulla de ipsis mentio facta sit, sicut factam constat de Pharisæis, Saducæis, Herodianis, Sacerdotibus, Principibus Sacerdotum, Scribis &c. Ex hoc enim satis denotari videtur, ideo ab Euangelistis solos Essenos non commemoratos, quia ipsi nullatenus, sicut prædicti alij numerati, verbis, aut factis eidem aduersarij extiterunt. Vt enim rectè Baronius tom. 1. sub anno 64. §. *Verum, nec in his* de Essenis dixit: *Sanè quidem omnes sectas, quę erant in Palæstina Christum Dominum aliquando auersatas esse, nempe Pharisæos, Saducæos, Herodianos, & Samaritas Euangelica attestatione exploratum habetur. De Essenis verò, quod aliquando vel Domino, vel eius Apostolis, atque discipulis vel minimum negotium fecerint, nusquam legitur.* Id etiam notauit Adrianus Adrianius ex Iesuiticis Patribus celebris auctor *lib. de orig. vitæ Monast. cap. 2.* vbi non incongruam huius rei causam tradit; quam q; refert Vvastelius *in vindic. Ioann. Ierosolymit. lib. de Instit. Monachorum, art. 9. §. 2.* Quod etiam corroborat id, quod & in superio-

Nihil passus est Christus ab Essenis.

rioribus prænotauimus, aliquos videlicet ex Essenis Christi discipulos fuisse, quosdam præsertim ex illis, qui primitus sub Ioannis disciplina eruditi erant.

20 Suadet & intentum, quod de Abbate illo Scariotho Esseno, & Essenorum Abbate diximus *sub anno* 4065. *num.* 9. videlicet cum Christo Domino inter alios consurrexisse. Hoc enim denotat ipsum nullo pacto Christo aduersatum esse, nec eius discipulos. Maximè si verum est, quod Scipio Lancellottus Cardinalis in *Allegat. pro Canonic. Regularibus S. August. num.* 132. quę extat apud Tamburinum *de Iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 25. *q.* 1. refert, scilicet huius Scariothi Monachos mortem Christi deplorasse, & quod Coria *in Chronic. Carmelitar. lib.* 7. *c.* 2. etiam sequitur, videlicet illum ob mortis Christi dolorem è vita cessisse. Hoc enim etiam arguit eidem Christo deuotissimè famulari solitos esse. Quid de Scariotho Esseno

21 Ex eo etiam, quod Christus in Cruce pendens ea verba Matth. 27. *vers.* 46. proferens: *Eli, Eli lamma Sabacthani*, hoc est, *Deus meus, vt quid dereliquisti me*, existimatus fuerit Eliam inuocasse, quidam enim illic stantes, & audientes, dicebant: *Eliam vocat iste*, non incongruè elicitur id, quod & nos *sub anno* 3139. *num.* 14. diximus, Eliam nostrum in eo statu, & loco, quomodo est, ritè, & iure posse a fidelibus inuocari; accedente maximè Ecclesiæ auctoritate, quæ sub Gregorio Decimo tertio, Sixto Quinto, Clem. VIII. Paul. V. & Vrbano Octauo officium Ecclesiasticum ipsius approbauit. Ex Euangelica namque historia deducitur, Ecclesiam illam populi Hebraici putasse Christum iam ferè exanimem Elię adiutorium postulasse, ideoque illorum vnum acceptam spongiam, & aceto plenam Christi ori obtulisse, vel vt citiùs moreretur, vt Theophylactus, & Recentiores volunt, antequam Elias suppetias Christo dedisset, vel, vt accepto aceto recrearetur, vitamque vsque ad Eliæ aduentum differret, vt Maldonatus exponere visus est. Quodcumque autem horum dicatur, intentum nostrum non leui suspicione suadetur, nempè, vt credamus Eliam in eo statu a populo Iudaico semper reputatum esse, quo ab hominibus inuocari, & illis opitulari posset. Quod adhuc corroborat sententia ab Hieronymo, & Beda non improbata, existimantium verba illa, *Eliam vocat iste*, non ab imperito Hebræorum vulgo, vt Theophylactus asseruit, sed a doctis Iudæorum, Sacerdotibus nempe, Scribis, & Pharisæis prolata fuisse. Quin etsi diceremus Romanos milites, qui inter Iudæos morabantur, Eliam inuocasse Christum credidisse, vt putant Hieronymus, Beda, Strabus, & Euthymius, adhuc suspicioni adductæ locus relinquitur. Cur dictũ sit Eliam vocat iste. A quibus prolata illa verba

Cum enim gentiles illi Hebræorum opinionem cognitam haberent de Eliæ inuocatione, & patrocinio postulando, poterant simul cum illis, cum Christus *Eli Eli, Lamma sabacthani* protulit, credidisse Eliam compellasse, vt sibi adiutorium moribundo præberet: ex quo, vt diximus, non euidens indicium habetur, Iudæorum Synagogam constanti semper traditione tenuisse, Eliam ab illis compellari, & ipsis in angustia positis suffragari posse. Addit Boulducus *lib. 1. de Eccles. ante legem, cap. 5. §. Praeterea S. Lucas*, ideo Hebræos putasse Christum Eliam vocasse, quia multi *ipsum Eliam, aut Eliæ discipulum, vel sectatorem arbitrabantur*.

In quo paradiso fuerit latro.

22 Sed vocant nos verba alia eiusdem Christi in Cruce *Luc. 23. vers. 43.* ad Latronem pœnitentem: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*. Cum enim Paradisus locus ille sit, in quo, iuxta communem Patrum, & Doctorum sententiam, Parens Elias viuus reseruatur, ambigi potest, an ille Paradisus fuerit, in quo Christus dixit se ea die cum Latrone futurum. Si enim id dicatur, gloriosa valde dies illa Eliæ fuit, qua Christi animæ præsentia, vel ex Dei reuelatione feliciter perfrui potuit. Sed hoc negotium sacræ Paginæ Expositoribus exactiùs examinandum remittimus. Sanè cum Iustinus *q. 76. ad Orthodoxos*, Euthymius *in Lucam*, Nicephorus *in histor. cap. 21.* quos sequitur D. Bonauentura *in Meditationibus*, & alij asserant ea Christi verba: *Hodie mecum eris in Paradiso*, de terrestri Paradiso, ex quo Adamus eiectus est, esse accipienda, idque persuadeat vocis *Paradiso* proprietas, quæ non nisi impropriè, aut metaphoricè visioni beatæ accommodari potest; ideo, vel vt tam difficilem scopulum effugiamus, asseuerandum videtur, satis probabile esse de vero, & proprio Adamico Paradiso intelligi debere, ac proinde hoc triduo mortis Christi Eliam nostrum eiusdem Paradisi colonũ Christi animæ consortio, ac aliarum, quas ipse è Limbo extraxerat, & inter eas boni Latronis, cui hoc promissum fuerat, vel pro aliquo spatio temporis gaudere feliciter potuisse.

An terrestris Paradisus.

23 Idem quoque pari, aut etiam potiori iure de quadragenario illo dierum spatio, quo Christus post Resurrectionem, & ante Ascensionem in terris mansit, affirmari potest, quod scilicet eo tempore, vel magna ipsius parte, cum Elia nostro in Adamico Paradiso, iam glorificatus conuersatus fuerit. Cum enim omne ens (multo magis corpus) in aliquo loco semper assignato consistere debeat, *omne enim, quod est, alicubi est*, vt tota schola Philosophorum constanter defendit, Christus ideo in intermedio illo Resurrectionis, & Ascensionis in Cœlum tempore aliquo in loco semper fuit. Quis igitur talis locus?

Quo loco Christus post resurrectionẽ manserit.

cus? Secundum fidem fatendum est, eo tempore, quo Virgini Matri, Magdalenæ discipulæ, Apostolisque apparuit, cum illis simul locali præsentia fuisse. Sed quid de interiecto tempore, inter huiusmodi iteratas, & interruptas apparitiones censendum est? numquid Cœlum occupauit? Absit tale assertum ante quadragesimalem dierum impletum numerum, Luca *Actorum* 1. *vers.* 3. dicente: *Per dies quadraginta apparens eis*: Et postea. *Videntibus illis eleuatus est*. Num infernum? Hæreticum sanè, & horribile dictum. Respondet Theologorum apex S. Thomas 3. *par. quæst.* 55. *art.* 3. *ad* 2. sic: *Incognitum est, quibus in locis corporaliter esset Dominus, cum hoc Scriptura non tradat, & in omni loco sit dominatio eius*. Sed tamen, etsi verissimum sit *incognitum* hoc esse, si de cognitione certa agatur, si verò de coniecturali loquamur, quid dicetur? certè probabilissima est sententia aientium verisimile esse Christum Dominum è Limbi tenebris animarum trophæum reportaturum, eas in Paradiso terrestri intulisse, in eodemque Paradiso noctu, dieque permansisse, illo excepto tempore, quo Virginem Matrem, cæterosque discipulos inuisebat. Hęc est sententia D. Anselmi *in elucidario*, Quærit enim, vbi mansit Dominus illis quadraginta diebus, & respondit: *In Paradiso terreno, vt creditur, cum Elia, & Enoch, & cum ijs, qui cum eo surrexerunt*. Est etiam D *Thom. in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 3. *art.* 2. affirmantis, quod *animæ Sanctorum* (illis quadraginta diebus) *erant cum Christo, vt de eius corporali præsentia gauderent, vel erant in Paradiso terrestri, quamuis locus ille non sit propriè locus spirituum, sed erant ibi dispensatiuè ad tempus*. Idem etiam docuit Bonauentura *in vita Christi cap.* 81. & 91. Ante illos autem id docuerat Nicephorus *lib.* 1. *cap.* 31, dum ait, *Christum eduxisse animas Sanctorum ex sinu Abrahæ, & in Paradiso terrest i collocasse*. Referuntur Irenęus, & Iustinus, sed clarè id docet pius auctor Simon de Cassia *lib.* 13. *de passione Domini cap.* 112 sic loquens: *Pie autem, & non incongrue credi poterat, quod cum illam animarum multitudinem de Limbo Christus volens resurgere a mortuis eduxisset, quod in terrestrem Paradisum induxerit, vt Adam cum misera sobole reuocaretur in signum æterni fœderis, atque pacis, a quo per inobedientiam èxulauerat. Et tandiu anima Adæ cum cæteris seruaretur, quousque Christus corporaliter cælorum alta conscenderet, post se illam turmam lætantium animarum subuecturus*. Sequitur ex recentioribus Sebastianus Barradas 4. *tom. in Euangel. lib.* 8. *cap.* 14. *ad finem*, rationem subiungens: *Animæ enim illæ non vagabantur huc, atque illuc; certum ergo habebant locum, nullum autem habere potuerunt digniorem, quam Paradisum terrestrem, vbi Elias, & Enoch. Vbi autem animæ manebant, ibi*

An fuerit cum Elia.

D. Bonauent.

& Chri-

& Christus. Vide & Cornelium *in Act. Apostolorum, cap. 1. num. 3.* Merito ergo inter eximiæ Eliani sanctitatis encomia, quibus singularissimè præ pluribus alijs Diuis decoratus est, illud recensebimus, quod hoc quadragenario dierum spatio inter Resurrectionē Christi, & eius Ascensionem interiecto, eiusdem gloriosa præsentia felicissimè frui, & gaudere poterit, vt propter hoc, & alia peculiaria ipsi a Deo collata, quam maxima beneficia possimus ei cum Ecclesiastico *cap. 48. vers. 4.* dicere: *Quis potest similiter sic gloriari tibi?* Et etiam: *Amplificatus est Elias in mirabilibus*,

Magna Eliæ dignitas.

23 Quamuis etiam de Christi rediuiui apparitionibus agere nostri Instituti ratio non patiatur, ea tamen prætermittenda non est, vtpote ab eo non aliena, quam refert Apostolus *1. Corinth. 15. v. 6.* vbi post relatas eas, quę Petro, & vndecim Apostolis factę sunt, subiecit: *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo.* Inquirendum enim est de istis quingētis fratribus, quibus Christus post Resurrectionem visus est, & de Iacobo. Et quidem de illis satis clarè Augustinus *in psalm. 132.* qui incipit: *Ecce, quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum,* Monachos fuisse dicere videtur. Ait enim hæc exponens: *Ista enim verba psalterij, iste dulcis sonus, ista suauis melodia tam in cantico, quam in intellectu etiam Monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt.* Et infra: *De illo pariete Circumcisionis, prius nata est ista benedictio.* Et post pauca: *Vnde illi quingenti, qui Dominum post Resurrectionem viderunt, quod commemorat Paulus?* Si autem hæc de monachis illius temporis dicta sunt, planè sequitur ad Essenos pertinere, qui veluti Monasticam vitam ducebant, ac proinde dicendum inter hos quingentos, aliquos Esseni Instituti professores numerandos. Id clariùs colligitur ex Baronio *sub hoc anno §. iam vero,* vbi hanc apparitionem cum alijs credit eam celeberrimam, de qua Matth. *cap. 28. vers. 16.* dicens: *Vndecim discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt;* dicit ope ad eam congregatos fuisse non solum Apostolos, & discipulos Domini, sed etiam alios ex ijs, qui Christo crediderant. Ex ijs enim aliquos Essenos fuisse non videtur dubitandum. Vnde id expresè profitetur Richardus Hall perdoctus, & pius auctor in *lib. de propriet. Monachor. cap. 4.*

De Christi apparitionib.

Qui fuerint quingenti fratres.

24 Quod attinet ad Iacobum, cui Christus, Apostolo teste, rediuiuus apparuit, compertissimum est fuisse Iacobum minorem, fratrem Domini vocatum, quem ex ipsis Essenis fuisse *sub anno 4019.* pro-

probauimus. Sed quo tempore hanc Christi visionem habuerit, cópertum non est, cum ex citato Apostoli loco non constet, nisi eam contigisse post proximè commemoratam de quingentis illis viris. Absque dubio tamen ante Ascensionem Christi contigit, sicut & aliæ, quæ ab Euangelistis referuntur. Quia verò a D. Hieronymo *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Iacobo*, & Euangelio Nazaręorū habetur, S. Iacobum iurasse se non comesturum panem ab illa hora, qua calicem Domini biberat, donec videret eum a mortuis surrexisse, ac propterea illi apparuisse, &, vt fertur, dixisse: *Frater mi, comede panem tuum, quia surrexit filius hominis*; ideo hæc visio diuersa videtur a præcedenti, & facta paulo post Christi Resurrectionem, ne amici ieiunium adeo protraheretur, quod sine miraculo fieri non posset. Propterea plures hanc historiam, vt apocrypham, vtpotè ex libro apocrypho ab Hieronymo relatam censent, & dubiæ fidei: de quo Torniellus *sub anno* 4084. *num.* 40. Cornelius *in* 1. *Corinthiorum cap.* 15.

Quid de Iacobo fratre Domini dicto.

25 Die præterea post Resurrectionem Christi quadragesimo, cum iam discipulos suos de his, quæ deinceps eos facere oportebat, docuisset, manifestisque apparitionibus veritatem suæ Resurrectionis demonstrasset, Ascensionis quoque testes esse voluit, *& videntibus eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*, vt inquit sacer textus *Actuum Apostolorum cap.* 1. *vers.* 9. Subiungitur autem: *Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est a vobis, &c.* Ex eo autem, quod Angeli isti albis induti visi fuerint, Nazaręorum, & Rechabitarum more, & discipulos Christi Galilæos appellauerint, infert rectè Iacobus Boulducus *in lib. de Ecclesia post Legem cap.* 4. §. *Quia verò*, denotatum fuisse impletum esse iam tempus, quo antiquorum Galilæorum, id est, Prophetarum (Eliæ, & Elisæi, Rechabitarum, & Cedmonçorum videlicet, vt ipse Boulducus §. *præcedenti* dixerat) sanctitas, & doctrina reuiuiscere, ac mirum in modum per orbem diffundi deberet. Quod quia valde gloriosum Ordini Prophetico, ac Eliano est, satisque conforme ijs, quæ die Pentecostes, & temporibus sequentibus, vt dicemus, contigerunt, ideo ipsius Boulduci verbis id roborandum: *Quia verò post Christi Ascensionem impletum erat tempus, quo in Christi discipulis antiquorum Galilæorum, hoc est Orthodoxorum in Galilæa Prophetarum, qui a seculo erant (vt loquitur Scriptura) sanctitas, & doctrina reuiuisceret, ac mirum in modum omnibus illucesceret, perque totum orbem diffunderetur, ideo illi duo viri, seu Angeli*

Ascensio Christi.

geli in vestibus albis (quibus vtebantur Nazarei, & Rechabitæ) in signum mutatę in gloriam ignominiæ, stantes iuxta discipulos, qui intuebantur in cælum euntem Christum, tanquam valde honorifico nomine vocauerunt eos viros Galilæos.

Pentecostes solemnitas.

26 Dies tamen decima ab Ascensione Christi, & quinquagesima a Paschate, sicut Hebręis valde solemnis fuit propter festum Pentecostes, quod ea die more solito celebratur, sic, & maximè Christianis, solemnissima, & sacratissima est, propter aduentum Spiritus sancti in Christi discipulos, iuxta ipsius promissionem *Luc. 24. vers. 49. & Act. 1. vers. 5.* quæ tunc contigit. Nostri quoque Prophetici Ordinis Professoribus gloriosissima esse debet propter miram pluriũ ipsorum eodem tempore ad Christi fidem conuersionem, baptismiq; receptionem, quæ noua, & spiritualis ipsorum generatio initium dedit secundo eiusdem Ordinis statui, quo sub Christi vexillo primum clarescere cœpit, sicut finem priori, quo sub Synagogæ Ecclesia floruerat. De singulis ergo agendum, & primo de Spiritus sancti in discipulos missione, ex qua ortum habuit hic nouus Ordinis status. Eam ergo sanctus Lucas *in Actibus Apostol. cap. 2.* sic describit: *Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus est repente de Cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Colligitur autem ex eodem libro *Act. Apostol cap. 1. vers. 15.* eos, super quos Spiritus sanctus cecidit, fuisse ex illis centum viginti, qui ibi numerantur. Quia verò illorum aliqui ex Essenis erant, vt habet Richardus Hall *in lib. de propriet. Monac. cap. 4.* idque satis credibile sit, cum proculdubio illi erant ex Christi, & Ioannis sectatoribus, inter quos Essenos numerari debere in superioribus diximus, idcirco probabile etiam erit aliquos Prophetici Ordinis alumnos hoc cælesti dono perfrui potuisse, vt habet Grossus in Viridar claui 1. Confirmat intentum egregius auctor Vvaldensis, qui *tom. 1. lib. 3. art. 2. cap. 6.* loquens de illa Religione, quam *cap. 4.* dixerat ex D. Hieronym. incepisse ab Elia, & Elisæo, & cuius alumnos vocauerat Rechabitas *cap. 5.* quamq; eodem *cap. 6.* in principio dicit approbatam esse a Christo, quę sanè indicant se loqui de Ordine Prophetico, subiungit: *Videtur ergo magnam partem tunc conuersorum fuisse eiusdem Religionis, maximè autem illos 120. qui simul manserunt in vno loco orantes continuo in Templo die, ac nocte, audeo dicere fuisse Religiosos peculiares, etiam voto Religionis constrictos.* Quod & confirmat

Super quos Spiritus sanctus descenderit.

ex

ex S. Augustino *in psalm.* 132. vbi inter alia: *Vnde Apostoli filij Prophetarum, filij excussorum?* Et infra: *Vnde illi 120. qui simul erant in vno loco post Domini Ascensionem in cælum? Quibus in vno loco constitutis superuenit Spiritus sanctus in die Pentecostes missus de cælo, sic missus, sicut promissus.* Quæ si rectè expendantur, maximè quia eo loco eos Monachos appellare videtur Augustinus, cum vtatur verbo *Monasteria*, indicant, vt diximus, illorum aliquot fuisse ex Ordine Prophetico. Id quoque indicant vetusta aliquot Ordinis monumenta, in quibus inter eos, qui hac sacra die Spiritum sanctum accepisse cũ Apostolis notantur, depicti etiam cernuntur aliqui Eliani Instituti professores; & quod ex veteri, & immemoriali Ordinis ritu antiphona: *Veni sancte Spiritus*, & quotidie ferme hora diei tertia, quando Spiritus sanctus super Apostolos igneis linguis visibiliter descẽdisse creditur, ante Conuentualem Missam etiam flexis genibus cantatur, vel tanti beneficij recolendi gratia, vel pro nouo spirituali in animos Numinis descẽsu expostulando. Emmanuel Romanus *Elucidat.* 14. Fauet valde Laurentius Beyerlinck *in Theatro vitę human. to.6. verbo Religiosus Religio, § in Lege autem gratia*, vbi per viros *Religiosos*, quos sacer Textus denunciat Spiritum sanctum recepisse, Eliæ discipulos intelligit. Fauet etiam Ioannes Vineta noster vetustus historicus, dum *cap.2.* inquit, quod *tempore prædicationis Christi, fratres de monte Carmeli in Ierusalem accesserunt.* Cur ergo isti de illis non essent, super quos Spiritus sanctus descendit? Maximè fauent sequentia.

27 Cum enim Pentecostes festum vnum ex tribus illis solemnioribus apud Hebræos esset, quæ solum in Ierosolymitano Templo celebranda erant, vt constat ex *Deuteronom.* 16. *vers.*2. 11. *&* 15. vbi ea in loco, *quem elegerit Dominus*, celebrari præcipiuntur, adiuncto illo 2. *Paralipom.*7. *vers.*12. vbi Deus ad Salomonem de Templo ab ipso extructo dixit: *Elegi locum istum mihi in domum sacrificij*, ideo hoc anno mortis, & Resurrectionis Christi ad præfatum Pentecostes festum Ierosolymis conuenerant Iudæi *ex omni natione, quæ sub cælo est*, vt dicitur *Act.*2. *vers.*5. quæ non hyperbolicè, sed quodammodo propriè intelligenda expresè habet Baronius *sub hoc anno*, §. *elapsis iam*, id probans ex Philone *lib. contra Flac. & de legat. ad Caium*, dicente nõn in Palæstina tantum, sed in Asia, Africa, & Europa magno numero habitare consueuisse. Et colligitur ex Textu *cap.*2. *v.*9. vbi illi dicuntur *Parthi, Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Aegyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes.* Hi ergo cum

Ad Pentecostes festũ conueniebant Iudæi.

cum viderent sonum repente de cœlo factum, *tanquam aduenientis Spiritus vehementis* super domum, in qua discipuli Christi manebant, subitò illuc *conuenit multitudo*, ipsorum nempe, *& mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes*. Stupebant autem, & mirabantur, tum ex sonitu illo de cœlo facto, quem audierant, tum præcipuè ex eo, quod viderent Christi discipulos, qui Galilæi erant, linguis suis exteris loqui, & ideo musto plenos eos existimabant. Petrus autē Apostolorum Princeps, Christi Vicarius, & summus Ecclesiæ Pontifex, hac comperta occasione, gregem suum a tali calumnia vindicans, Christum Crucifixum, & rediuiuum prædicare cœpit, ea verborum energia, ijsque veteris Testamenti testimonijs, vt Iudæi, qui illa audiebant, corde compungerentur, & ad Christum conuersi baptismi susciperent plures Sacramentum. Appositæ autem sunt *in die illa* (inquit Textus) *animæ circiter tria millia*.

An ex Essenis aliqui.

28 Inter hos ergo, qui hac felicissima die Christi fidem, & baptisma susceperunt, plures fuisse ex Ordinis Prophetici cultoribus, & Essenis, vt propterea ipsorum noua ex Iudaismo ad Christum conuersio nouum eiusdem Ordinis statum, iuxta dicta, inchoare possit, multis conuincimur auctoritatum fundamentis, præter adducta supra ex D Augustino, Vvaldensi, & alijs. Primò, ex eo, quod idem sacer Textus *Act. 2. vers. 5.* dum sermo est de illis Iudæis, qui Spiritum sanctum repentino, & vehementi sonitu aduenisse audierunt, & qui de insolito Apostolorum variarum linguarum sermone admirati sunt, & qui postea ad Petri concionem fidem, & baptismum receperunt, eos vocat viros Religiosos: *Erant autem* (inquit) *in Ierusalem habitantes Iudæi viri Religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est*. Verbum namque *Religiosi* propriè, vt decet, sumptum denotat non quidem eos, qui communi, & veluti ordinario modo Deum colunt, aliàs omnes Iudæi eo tempore, & omnes Christiani nunc Religiosi appellari possent, sed illos, qui specialiter ex speciali munere Deo, & cultui ipsius dicati, & deuoti sunt. Hæc enim est huius nominis propria, & rigorosa vsurpatio. Vnde isti tales vocantur a Lyrano in *cultu diuino deuoti*, ab Abulensi *in c. 27. Leuitic. quæst. 7. Qui se valde tradebant diuino cultui*, a Dionysio Carthusiano: *Diuino cultui dediti, seu deuoti*. Clarius Iacobus Boulducus in *libro de Ecclesia post Legem, cap. 7. §. Quod si prædicta*, vbi illos dicit ortum habuisse ex Enoscæis, seu Essenis, & vocat Cœnobitas, ac Religiosos Instituto Prophetas nostris Monachis, ac Religiosis similes. Boulduci en verba: *Quod si prædicta omnes cognationes ortum habent ab Enoscæis, quos verè*

Cœno-

Cœnobitas, ac Religiosos Instituto Prophetas, extitisse dubitari iam non licere videtur. Iam quoque patet de similibus viris intelligendum esse, quod habet sanctus Lucas, cum historiam refert missionis Spiritus sancti in die Pentecostes: Erant, *inquit*, in Ierusalem habitantes Iudæi, viri Religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est. *Nempe Religione Iudæi, sed insuper, iuxta Latinæ vocis vsum Ecclesiasticum, pro certo in Ecclesia hominum statu, erant Religiosi, qui peculiari ratione in Dei cultu versabantur, alienam a communi vitam agentes. Quorum hic, & multitudinem, & appellationum diuersitatem, & in vna communi fide cum cæteris fidelibus conuenientiam, non sine stridore dentium, & oculorum offendiculo plane coguntur Nouatores in nostris Monachis, ac Religiosis aspicere.* Si autem præfati, vel saltem plures ex illis tales erant, vt Religiosi nomenclatura digni essent, plane sequitur ex Essenis, & Ordinis Prophetici professoribus fuisse, qui soli eo tempore hoc titulo decorari potuerunt. Prout etiam tenent Ioannes Ierosolymitanus, Ioannes de Malinis, Grossus, Palæonydorus, & alij infra referendi. Ad quos accedit Nicolaus Serarius, qui *in Triheres. lib. 3. cap. 17.* dum quærit, an Esseni fuerint Christiani, probat eorum aliquos Christianos fuisse ex ijs, quæ *Actorum* 2. in die Pentecostes accidisse referuntur, quo manifestè denotat aliquos ex Essenis tunc baptizatos existimasse. Iunge Soriam in *Hom. de laudibus Carmelitarum*: & Grauinam in *lib. de voce Turturis par. 2. cap.* 15. vbi Essenos, quos filiorum Prophetarum successores agnoscit, *Apostolorum prædicatione ad fidem Christi instructos* adstruit. Boulduci verba.

29 Accedit secundo, eiusdem *cap. 2. Act. Apostolor.* Textus *v.* 44. vbi de illis eisdem, qui crediderant, & baptizati erant, dicitur: *Omnes etiã, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia cõmunia. Possessiones etiam, & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Cum enim modus iste paupertatis, & vitæ communis proprius esset Esseni, & Prophetici Ordinis, iuxta dicta *sub anno* 3545 infertur, aliquos ex illis, qui tunc crediderant, & in isto paupertatis modo ab Apostolis, Christi, & ipsorum exemplo firmati, roborati, & perfecti erant, iamprimum in eo exercitatos, & versatos fuisse, vtpote Esseni Instituti professores. Vt enim Baronius *tom. 1. Annalium anno Christi* 64. §. *Verum nec in his*, rectè dixit de eisdem Essenis: *Si quod natura insitum est, vt habentium symbolum sit facilis communicatio; quomodo non magis ex his, quam aliarum sectarum Iudæis Christiana Religio potuit propagari?* Quod argumentum inferius magis vrgebimus. Paupertas primitiua Eccl.

30 Tertiò accedit Ecclesiæ testimonium in lectionibus ab ipsa

pro Ordine nostro, & Officio Commemorationis solemnis Dei Genitricis approbatis. Lectione enim quarta sic dicitur: *Cum sacra Pentecostes die Apostoli cœlitus afflati varijs linguis loquerentur, & inuocato augustissimo Iesu nomine mira multa patrarent: viri plurimi, qui vestigijs sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisæi institerant, & Ioannis Baptistæ præconio ad Christi aduentum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atq; probata, Euangelicam fidem confestim amplexati sunt.* Aliqui ergo ex Eliani Ordinis alumnis, quales Esseni erant, ea die Christi fidem amplexati fuerunt.

S. Congreg. verba.

31 Constat id quartò ex Ioanne nostro Ierosolymitano Patriarcha *in lib. de Instit. Monachor. cap.* 30. vbi hanc historiam fusè descriptam simul cum pluribus circumstantijs valde ad ipsius intelligentiã, & sacri Textus expositionem necessarijs, causis videlicet, cur Iudæi illi linguas illarum nationum nossent; cur sonum illum, dum Spiritus sanctus mittebatur, factum audijssent; & cur ad recipiendum Apostolorum baptismum moti essent, his verbis habemus: *Temporibus ante Baptismum Ioannis præcedentibus gens Iudæorum, a diuersis gentibus, & Regibus multas perpessa fuerat captiuitates, & dispersa in diuersas gentium nationes, maxime autem ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ durissimas sustinuerat in Lege persecutiones. Sicut namque refert sacra libri Machabæorum historia Antiochus ad tantum Iudæos deduxit opprobrium, vt Legem Dei obseruare volentibus mortis infligeret tormentum. Quisque enim cogebatur Idolis offerre sacrificium, vel necis pati supplicium. Propter quod multos promiscui sexus de populo Iudæorum has oppressiones, & abominationes ferre non valentes, oportuit propriam patriam relinquere, & in alijs diuersis mundi Regionibus dispersos habitare. Qui in dispersione genuerunt filios loquentes idiomata, & linguas gentium illarum Regionum, in quibus nascebantur, & educabantur. Ex his autem Iudæis natis in Regionibus illis multi deuotione terræ promissionis tracti tempore Imperij Tiberij Cæsaris ad terram illam cum pacis teneretur tranquillitate, remeantes studebant religiose illic viuere, copulantes se prædictis Religiosis, habitantibus in terræ promissionis vrbibus, & præsertim illis, qui manebant in Ierusalem, quorum meminit Beatus Lucas in Actibus Apostolorum dicens:* Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri Religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est. *Habebant siquidem prædicti Religiosi tunc mansionem maxime in Ierusalem, quia cum esset ciuitas insignis, & Metropolis Iudæorum, in qua cultus diuinus præcipue vigebat, reperiebant in ea plures deuotos Iudæos, qui se ad eorum Religionem conuertebant. Quos postquam prædicti Religiosi in rudimentis disciplinæ Prophetica, & Monastica vitæ Eremiticæ erudierant ad Eremos*

Io. Ierosolym.

Qui isti Religiosi.

mos transferebant. Præceperat autem in Lege veteri Deus tres festiuitates peculiares (scilicet Paschæ, Pentecostes, & Scenopegiæ) debere per Iudæos solemniter celebrari, quas Iudæis alibi celebrare non licebat, quàm in loco, quem elegerat Deus nomini suo, sicut mandauerat Moyses in Deuteronomio. Et sicut ex libro Paralipomenon docemur, Templum, quod erat in Ierusalem constructum, fuit locus ille, quem Deus elegit nomini suo. In quo loco annuatim tribus vicibus (scilicet in prædictis festiuitatibus) omnes masculi stirpis Iudaicæ debebant ex præcepto Legis in conspectu Domini apparere. Quamobrem Religiosi viri filij Prophetarum, Eremitæ montis Carmeli, & alij iuxta fluenta Iordanis, & in cæteris Eremis, & suburbanis ciuitatum terræ promissionis habitantes, ne præcepta Legis transgrederentur, annis singulis in Ierusalem venire consueuerant: vt iuxta Legis præceptum festiuitates peculiares Paschæ, Pentecostes, Scenopegiæ illic celebrarent. Et ob hoc quammaxime mansionem Religiosorum filiorum Prophetarum habebant in Ierusalem, vt in dictis festiuitatibus conuenirent ad eam. Anno ergo, in quo Christus Iesus ascendit ad Cælum, omnes prædicti Religiosi, mox post eius Ascensionem conuenerunt in Ierusalem, vt ibi instans festum Pentecostes celebrarent. Habitabant autem tunc in Ierusalem Apostoli Domini nostri Iesu Christi prope mansionem dictorum Religiosorum, scilicet in cænaculo grandi, & strato, in quo Christus in die Cœnę fecit sibi parari Pascha, vbi Sacramentum Eucharistiæ instituit, corpus suum sub speciebus panis sumendum discipulis tradidit, eosque Sacerdotes ordinauit. Quod cænaculum erat in monte Sion, in illius montis parte, quæ dicitur Mello, *vbi olim erat Palatium, quod Rex Dauid sibi construxerat, & ita prædicti Religiosi fuerunt habitationi Apostolorum tunc vicini. In die itaque Pentecostes, sicut beatus Lucas refert, factus fuit de cælo* repente sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum *illius cænaculi, vbi erant Apostoli Christi, & discipuli, &* apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Repleti sunt autem omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. *Religiosi autem præfati in monte Sion non multum remoti a prædicto cænaculo, vt præmittitur, habitantes, obstupuerunt audientes prædictum sonum insolitum resonare in cænaculo Apostolorum. Et scire cupientes quidnam hoc esset, ad illud cænaculum Apostolorum accesserunt. Qui cum illic peruenissent, stupebant omnes, & mirabantur, quoniam non solum illi ex Religiosis, qui in terra promissionis, sed etiam omnes illi ex eis, qui extra dictam terram in diuersis Regionibus fuerant nati, audientes Apostolos linguis suarum Regionum loquentes, & Deum magnificantes, & propterea Re-*

Filij Prophetarum conueniebant Ierosolymis.

Mansio illorum quæ?

ligiosi magis stupebant, scientes Apostolos Galilaeos, qui numquam extiterant in eorum Regionibus, neque a quoquam homine docti fuerant, loqui eorum linguis, seu idiomatibus. Alij autem ex Iudaeis, qui superuenerant, audientes Apostolos loqui diuersis linguis, & eos minime intelligentes, irridebant, dicentes eos esse ebrios. Beatus verò Petrus Apostolus cernens Religiosos, & quosdam alios ex superuenientibus esse scientes, incepit detrahentibus obuiare, ostendens Apostolos non esse ebrios, & per scripturas Prophetarum eos Spiritu sancto repletos. Euangelizauit quoque Religiosis Iesum a mortuis resurrexisse: & ipsum esse Deum, qui Apostolis Spiritum sanctum effudit, exhortans, vt a praua generatione Iudaeorum segregarentur. Auditis ergo sermonibus Petri, Religiosi compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & caetum Apostolorum: Quid faciemus viri fratres? Ad quos Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti: *alijsque pluribus verbis exhortatus est illos Petrus. Multi ergo ex praedictis Religiosis videntes, quod illi, quos Apostoli baptizabant in nomine Iesu Christi, recipiebant in specie ignis visibilis Spiritum sanctum, recordati fuerunt aduenisse tempus, de quo dux eorum beatus Ioannes Baptista Christum prophetans eis praedixerat:* Ille (*scilicet Christus*) baptizauit vos in igne, & Spiritu sancto. *Quamobrem acceperunt sermones Apostoli Petri, & baptizati sunt ipsa die in Christo recipientes in signo ignis visibilis Spiritum sanctum.*

Cogniti a sancto Petro.

Multi baptizati.

32 Eamdem historiam, quasi per manus sibi ab antiquioribus traditam Historici, & Chronologi Ordinis etiam vetustiores vnanimiter receperunt, ex quibus Ioannes de Malinis grauis, & antiquus Ordinis pater, de quo *in Apparatu cap. 10. num. 12.* diximus, *in libro*, cui titulus *Speculum historiale cap.* 4. sic eam describit; notans primò causas, propter quas Iudaei in varias Regiones dispersi erant, persecutionem praesertim sub Antiocho Rege, de qua in superioribus egimus. Deinde, qualiter pacis tempore ad Iudaeam reuerti soliti essent, & in Eremis vitam piè agere, in Ierosolymis praecipuè. Item quomodo, ne Mosaicae Legis transgrederentur praecepta, singulis annis pro Paschae, Pentecostes, & Scenopegiae solemnibus, in Iudaeam quoque conuenirent. Ac denique, quod hoc anno Christi Ascensus in coelum id fecissent, & cum Ierosolymis circa Apostolorum coenaculum mansionem habuissent, sonum aduenientis Spiritus sancti audirent, locum conuenerint, Petri concioni astiterint, & fidem, ac Christi baptisma susceperint. Auctoris en verba:

Io. de Malinis.

Tem-

Temporibus autem praecedentibus Iudaea in diuersas inciderat captiuitates, sed his diebus desolationis Antiochi Epiphani Regis Syriae recolebatur memoria recentius; qui ad tantum Iudaos redegerat opprobrium, vt Legem Domini, & eius iustificationes obseruantibus mortis infligeret tormentum. Quisque verò cogebatur Idolis offerre sacrificium, vel mortis pati supplicium. Multos ergo Iudaeorum abominationes has ferre non valentes, oportuit propriam patriam relinquere, & in alijs diuersis mundi Regionibus habitare, quorum plurimae progenies in eisdem Regionibus natae ad Iudaeam, cum alijs temporibus in tranquillitate teneretur pacis, remeantes, religiose studebant viuere. Aliqui enim in Eremis religiosam vitam Eremiticam erant gerentes, alij verò in ciuitatibus, & maxime in Ierusalem ad cœnobialem vitam se religantes. Religiosi autem Eremitae de monte Carmeli, & alij in Eremis, & tenebris commorantes, ne praecepta Legis transgrederentur, singulis annis in Ierusalem ter venire consueuerant, vt iuxta Legis praeceptum tres festiuitates peculiares, Pascha, & Pentecostes, & Scenopegia ibidem celebrarent. Anno ergo eodem, in quo Christus ascendit in Cœlum, Religiosi in Iudaea ex omni natione, quae sub cœlo est, in Ierusalem conuenerunt, vt festum Pentecostes ibidem celebrarent, Apostoli autem Domini nostri Iesu Christi habitabant tunc in Ierusalem prope loca horum Religiosorum, scilicet in cœnaculo grandi, & strato, in quo praecepit Dominus sibi parari Pascha, quod erat in monte Sion, scilicet in illa parte, quae dicitur Mello, *vbi erat palatium, quod Dauid sibi construxerat. Itaque in die Pentecostes factus fuit repente in dicto palatio de cœlo sonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totum Cœnaculum, vbi erant Apostoli, & discipuli sedentes. Repletique sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Audito isto fragore insolito sonante in Cœnaculo obstupuerunt, & scire cupientes, vnde istud tonitruum processerat, ad Cœnaculum Apostolorum accesserunt. Qui cum illuc peruenissent, stupebant omnes, & mirabantur, quoniam audiebat vnusquisque linguam suam, in qua natus fuerat, Apostolos loquentes. Quidam autem irridebant, dicentes Apostolos vehementer esse ebrios. Beatus autem Petrus Apostolus cernens Religiosos, & alios Iudaeos, qui superuenerant, Legem non ignorare, incepit detrahentium opinionibus obuiare, ostendens Apostolos non esse ebrios, & probans per scripturas Prophetarum eos Spiritu sancto esse repletos; euangelizans etiam Religiosis Iesum a mortuis resurrexisse, & Iesum esse Deum, qui de Cœlo Apostolis sanctum effudit Spiritum. Auditis ergo sermonibus istis, Religiosi compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad Apostolorum cœtum: Quid faciemus viri fratres? Ad quos Petrus:* Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque

Conueniebāt singulis annis.

Ad Cœnaculum Apostolorum accesserunt.

vestrum in nomine Domini Iesu Christi in remissionem peccatorũ, & accipietis donum Spiritus sancti, *alijsque pluribus verbis exhortatus est eos Petrus. Qui acceperunt sermones eius, & baptizati sunt ipsa die in Christo recipientes Spiritum sanctum, & loquentes diuersa genera linguarum.*

Alij auctores. 33 Eam quoque, saltem quoad præcipua capita ipsius, recipiunt ex auctoribus relatis a nobis *in Apparatu cap.* 10. Ioannes de Ciminecto grauis etiam, & vetustus Ordinis auctor circa annum 1336. in paruo opusculo *Speculum Ordinis* nuncupato *cap.* 3. Ioannes Grossi Generalis in *Tractatulo Viridarium* dicto *claui* 1. Venerabilis Pater Soreth *in Præfat. ad exposit. Paraenetic. Regul. Carmelitar.* Palæonydor. *lib.* 2. *cap.* 1. & plures alij, qui post ipsos scripserunt.

Congruentia. 34 Estque id valde rationi congruum, non solum si verum sit id, quod probabile esse *num.* 26. diximus, videlicet quod aliqui ex Essenis Spiritus sancti descendentis participes effecti fuerint, sed quia cum, prout ex ipso cõtextu dicti *cap.* 2. *actuum Apostolorum* colligitur, inter eos, qui huic Petri concioni adfuerunt (qui viri etiam Religiosi vocantur) proculdubio plures essent viri docti, & in sacræ Scripturæ intelligentia versati. Propterea enim ad ipsis veritatem Euangelicam persuadendum vsus est idem Petrus testimonijs Ioelis, & Dauidis Prophetarum; sanè credendum est plures quoque ex ipsis fuisse, vel ex Pharisæis, aut Saducæis, Herodianis, Samaritis, Scribis, vel Essenis. Legis enim peritos, & doctores ex aliqua secta istarum fere necesse est fuisse. De quibus ergo id prudenter existimandum? Sane de Essenis, qui soli inter illos Christi, & Ioannis Baptistæ, & ipsorum discipulorum beneuoli erant, alij verò hostes infensissimi. Iure ergo credendum plures saltem ex illis tribus mille, quos facit Textus ea die ad Christum conuersos dicit, Esseni Instituti cultores extitisse. Simili argumento probat Baronius *tom.* 1. *Annal. anno* 64. §. *Verum nec in his*, Essenos præsertim fuisse primos illos Christianos, per quos Christi Religio propagata est. Cuius verba, quia satis ad intentum, hic apponimus: *Si quod natura insitum est, vt habentium symbolum sit facilis communicatio, quomodo non magis ex his, quàm aliarum sectarum Iudæis Christiana Religio potuit propagari? Sanè quidem omnes sectas, quæ erãt in Palæstina Christum Dominũ aliquando auersatas esse, nempe Pharisæos, Saducæos, Herodianos, & Samaritas, Euangelica attestatione exploratum habetur. De Essenis verò, quòd aliquando vel Domino, vel eius Apostolis, atque discipulis vel minimum negotij fecerint, nusquam legitur. Immò quo magis hi a Pharisæis, ac Saducæis dissentirent, eò faciliùs Christianis consensisse, quos illi vehementer auersarentur, facile credi potest.*

Nec

35 Nec solum hac sacratissima Pentecostes die Essenos nostros, seu Ordinis Prophetici alumnos Christi fidem, & baptisma amplexatos fuisse, Etiā alia die. sed & sequenti etiam occasione, videlicet miraculo sanitatis restitutæ a sancto Petro claudo cuidam, qui ad Templi portam eleemosynam ab introeuntibus petebat, & concionis ab ipso Petro habitæ, ita vt ex quinque mille viris, qui tunc crediderunt, aliqui ex eisdem Essenis essent; prædictus Ioannes Ierosolymitanus *dicto libro de Instit. Monachorum cap.* 31. sic describit: *Altero autem die cum illi ex* Io.Ierosolym. *prædictis Religiosis, qui nondum erant ab Apostolis baptizati, essent causa orandi in Templo cum reliquis de populo ad horam orationis nonam, suppliciter a Domino Deo postulabant, vt per signum eis ostenderet, si aduenerat tempus, de quo dux eorum Ioannes Baptista prædixerat, quod Christus Iesus Spiritu sancto, & igne baptizaret. Titubabant enim de hoc nonnulli eorum, qui nec viderant, nec audierant Christum Iesum manibus suis quemquam baptizasse, cum ipsi Ioannis vaticinium non perfectè intelligentes, sperarent, sicut Ioannes suis manibus eos baptizauerat, ita Christum proprijs manibus eos baptizaturum. Exaudiuit autem tunc Deus orationem eorum, & ad rectum intellectum vaticinij Ioannis eos perduxit. Contigit enim eadem hora, sancto instigante Spiritu, Apostolos Christi Petrum, & Ioannem ascendere in Templum, & ad portam Templi, quæ dicebatur* Speciosa, *obuium habere hominem quemdam annorum amplius quadraginta, ex vtero matris suæ claudum, rogantem eos pro eleemosyna: quem intuens Petrus cum Ioanne dixit:* In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera leuauit eum, qui protinus exiliens ambulauit, & intrauit cū illis in Templum, laudans Deum. *Videntes autem prædicti Religiosi,* & omnis populus eum in Templo ambulantem, & laudantem Deū, & cognoscentes, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad *Speciosam* Templi portam, repleti sunt stupore, & ecstasi in eo, quod contigerat illi. Et cum viderent Petrum, & Ioannem in Porticu, quæ appellabatur *Salomonis*, cucurrerunt omnes ad eos. *Quibus Petrus prædicauit Iesum, quem populus per ignorantiam interfecerat, a mortuis resurrexisse: in fide cuius, & nomine, & non propria Petri virtute claudus curatus fuerat. Propter quod Petrus eis dicebat:* Nomen Christi, & fides, quæ per eum est, dedit isti integram sanitatem *in conspectu omnium vestrum. Exhortabatur quoque eos Petrus, vt pœniterent, & conuerterentur ad fidem Christi, vt delerentur eorum peccata, probans per scripturas Prophetarum fidem Christi, & doctrinam esse ab eis suscipiendam, & omnes eos renuentes, fore exterminandos. Vt autem Religiosos vehementius attraheret, cognominans eos proprio titulo, quem a pro-*

phetis

vestrum in nomine Domini Iesu Christi in remissionem peccatorũ, & accipietis donum Spiritus sancti, *alijsque pluribus verbis exhortatus est eos Petrus. Qui acceperunt sermones eius, & baptizati sunt ipsa die in Christo recipientes Spiritum sanctum, & loquentes diuersa genera linguarum.*

Alij auctores. 33 Eam quoque, saltem quoad pręcipua capita ipsius, recipiunt ex auctoribus relatis a nobis *in Apparatu cap.* 10. Ioannes de Cimineto grauis etiam, & vetustus Ordinis auctor circa annum 1336. in paruo opusculo *Speculum Ordinis* nuncupato *cap.* 3. Ioannes Grossi Generalis in *Tractatulo Viridarium* dicto *claui* 1. Venerabilis Pater Soreth *in Præfat. ad exposit. Parænetic. Regul. Carmelitar.* Palæonydor. *lib.* 2. *cap.* 1. & plures alij, qui post ipsos scripserunt.

Congruentia. 34 Estque id valde rationi congruum, non solum si verum sit id, quod probabile esse *num.* 26. diximus, videlicet quod aliqui ex Essenis Spiritus sancti descendentis participes effecti fuerint, sed quia cum, prout ex ipso cõtextu dicti *cap.* 2. *actuum Apostolorum* colligitur, inter eos, qui huic Petri concioni adfuerunt (qui viri etiam Religiosi vocantur) proculdubio plures essent viri docti, & in sacræ Scripturæ intelligentia versati. Propterea enim ad ipsis veritatem Euangelicam persuadendum vsus est idem Petrus testimonijs Ioelis, & Dauidis Prophetarum; sanè credendum est plures quoque ex ipsis fuisse, vel ex Pharisæis, aut Saducæis, Herodianis, Samaritis, Scribis, vel Essenis. Legis enim peritos, & doctores ex aliqua secta istarum fere necesse est fuisse. De quibus ergo id prudenter existimandum? Sane de Essenis, qui soli inter illos Christi, & Ioannis Baptistæ, & ipsorum discipulorum beneuoli erant, alij verò hostes infensissimi. Iure ergo credendum plures saltem ex illis tribus mille, quos facit Textus ea die ad Christum conuersos dicit, Esseni Instituti cultores extitisse. Simili argumento probat Baronius *tom.* 1. *Annal. anno* 64. §. *Verum nec in his*, Essenos præsertim fuisse primos illos Christianos, per quos Christi Religio propagata est. Cuius verba, quia satis ad intentum, hic apponimus: *Si quod natura insitum est, vt habentium symbolum sit facilis communicatio, quomodo non magis ex his, quàm aliarum sectarum Iudæis Christiana Religio potuit propagari? Sanè quidem omnes sectas, quæ erãt in Palæstina Christum Dominũ aliquando auersatas esse, nempe Pharisæos, Saducæos, Herodianos, & Samariteas, Euangelica attestatione exploratum habetur. De Essenis verò, quòd aliquando vel Domino, vel eius Apostolis, atque discipulis vel minimum negotij fecerint, nusquam legitur. Immò quo magis hi a Pharisæis, ac Saducæis dissentirent, eò faciliùs Christianis consensisse, quos illi vehementer auersarentur, facile credi potest.*

Nec

35 Nec solum hac sacratissima Pentecostes die Essenos nostros, seu Ordinis Prophetici alumnos Christi fidem, & baptisma amplexatos fuisse, sed & sequenti etiam occasione, videlicet miraculo sanitatis restitutæ a sancto Petro claudo cuidam, qui ad Templi portam eleemosynam ab introeuntibus petebat, & concionis ab ipso Petro habitæ, ita vt ex quinque mille viris, qui tunc crediderunt, aliqui ex eisdem Essenis essent; prædictus Ioannes Ierosolymitanus *dicto libro de Instit. Monachorum cap.* 31. sic describit: *Altero autem die cum illi ex prædictis Religiosis, qui nondum erant ab Apostolis baptizati, essent caussa orandi in Templo cum reliquis de populo ad horam orationis nonam, suppliciter a Domino Deo postulabant, vt per signum eis ostenderet, si aduenerat tempus, de quo dux eorum Ioannes Baptista prædixerat, quod Christus Iesus Spiritu sancto, & igne baptizaret. Titubabant enim de hoc nonnulli eorum, qui nec viderant, nec audierant Christum Iesum manibus suis quemquam baptizasse, cum ipsi Ioannis vaticinium non perfectè intelligentes, sperarent, sicut Ioannes suis manibus eos baptizauerat, ita Christum proprijs manibus eos baptizaturum. Exaudiuit autem tunc Deus orationem eorum, & ad rectum intellectum vaticinij Ioannis eos perduxit. Contigit enim eadem hora, sancto instigante Spiritu, Apostolos Christi Petrum, & Ioannem ascendere in Templum, & ad portam Templi, quæ dicebatur* Speciosa, *obuium habere hominem quemdam annorum amplius quadraginta, ex vtero matris suæ claudum, rogantem eos pro eleemosyna: quem intuens Petrus cum Ioanne dixit:* In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera leuauit eum, qui protinus exiliens ambulauit, & intrauit cũ illis in Templum, laudans Deum. *Videntes autem prædicti Religiosi*, & omnis populus eum in Templo ambulantem, & laudantem Deũ, & cognoscentes, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad *Speciosam* Templi portam, repleti sunt stupore, & ecstasi in eo, quod contigerat illi. Et cum viderent Petrum, & Ioannem in Porticu, quæ appellabatur *Salomonis*, cucurrerunt omnes ad eos. *Quibus Petrus prædicauit Iesum, quem populus per ignorantiam interfecerat, a mortuis resurrexisse: in fide cuius, & nomine, & non propria Petri virtute claudus curatus fuerat. Propter quod Petrus eis dicebat:* Nomen Christi, & fides, quæ per eum est, dedit isti integram sanitatem *in conspectu omnium vestrum. Exhortabatur quoque eos Petrus, vt pæniterent, & conuerterentur ad fidem Christi, vt delerentur eorum peccata, probans per scripturas Prophetarum fidem Christi, & doctrinam esse ab eis suscipiendam, & omnes eos renuentes, fore exterminandos. Vt autem Religiosos vehementius attraheret, cognominans eos proprio titulo, quem a prophetis*

Etiã alia die.

Io. Ierosolym.

Filij Prophetarum vocati.

phetis traxerant, dixit eis: Vos estis filij Prophetarum, & testamenti, quod disposuit ad Patres vestros, dicens ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque a nequitia sua. *Igitur Religiosi præfati viso miraculo claudi, & audito sermone Petri, intellexerunt, quod sicut Christus suo nomine per Petrum inuocato dederat integram sanitatem claudo: ita illos baptizabat in igne, & Spiritu sancto, super quos Apostoli effuderunt aquam nomen eius inuocando. Hinc ergo perpenderunt, quod ideo Ioannes Baptista dixerat eis Prophetice:* Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igne. *Quia Apostoli aquam infundendo inuocabant super eos nomen Iesu Christi, & illos baptizabant tribuentes eis Spiritum sanctum in specie ignis de cœlo missi. Quamobrem crediderunt perfectè in Iesum quinque millia hominum: qui postmodum ab Apostolis baptizati, receperunt in signo ignis visibilis Spiritum sanctum.* Sic ille doctè satis, & aptissimè pro sacri Textus explanatione.

36 Hęc historia a Ioanne hic notata de claudi curatione, Petri concione, & quinque millium hominum ad fidem conuersione, habetur in Actibus Apostolorum *cap.* 3. & 4. Animaduertit autem rectè ideo sanctum Petrum dixisse in sua concione: *Vos estis filij Prophetarum*, quia scilicet cognouit inter eos, qui aderant, fuisse aliquos ex prædictis Religiosis, qui a tempore Eliæ, & Elisæi hoc titulo cognominabantur iuxta dicta *in A. parat. cap.* 7. *num.* 4. hoc enim sensu accipiendus est hic auctor. Pariter cum inferius dicit quinque millia hominum in Christum tunc credidisse, non vult significare omnes illos fuisse ex prædictis Religiosis, sed aliquos duntaxat, alios verò ex communi populo Iudæorum. Animaduerti etiam potest in ea Petri concione, dixisse: *Omnes Prophetæ a Samuel, & deinceps,* quo denotatur id, quod *in Apparatu cap.* 2. & 3. diximus, Ordinem scilicet Propheticum, vt cœnobialem saltem, & collegialem a Samuele cœpisse, licet quoad institutionem, quasi Religiosum non nisi ab Elia, iuxta ibidem *cap.* 4. dicta. Hoc autem sensu, & non alio locutum fuisse D. Petrum in hac concione non solum elicitur ex eo, quod Samuelem velut caput Prophetarum refert, sed etiam, quia si solum intendisset ab eo incepisse Prophetas loqui, de Christo non videretur id veritati consonum, cum constet (vt alios omittamus) Iacob in filij sui Iudæ benedictione de Christo prophetasse, *Genes.* 49. *vers.* 10. illis verbis: *Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Moysem quoque illis verbis ab eodem Petro ibi relatis: *Prophetam suscitabit vobis Dominus*, Eo ergo solummodo sensu *Prophetæ* dicti

Ordo Propheticus quomodo a Samuele.

sunt

sunt *a Samuele*, quia scilicet ab ipso in vnum Ordinem collegialiter congregati cœperunt, iuxta dicta.

37 De modo autem, rituque viuendi horum, qui ex Instituto Esseno, & Prophetico ad Christianam fidem nuper conuersi erant, conformiter ad ea, quæ de alijs discipulis *act. 2. vers. 42.* dicũtur (quo etiam denotatur pro Regula, normaque vitæ Religiosæ habuisse tum volumina Scripturarum, tum Leges priorum Prophetarum, & Patrum, traditione, vel scriptura conseruatas) sic loquitur idem Ioannes *dicto lib. cap. 31.* in fine: *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, in communione fractionis panis: quotidie quoque perdurantes in orationibus vnanimiter in Templo cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum. Quibus omne spatium diei in studiorum exercitijs, & eruditione sacri Euangelij ducebatur. Habebant quoque tractatus sacrorum voluminum, Leges Patrum in allegoricam intelligentiam deducentes. Quoniam omnis Lex vetus eis videbatur animali esse similis, eo quod extrinsecè nihil nisi vt corpus habeat ipsam litteram, & ea, quæ secundum litteram designantur; intrinsecè autem sub littera tanquam anima lateat cuiusdam profundi, diuinique, mysterij sensus inuisibilis, & spiritalis. Quem illi ab Apostolis edocti, sublimius, & nobilius, velut per speculum inspicientes, & ex ipsis litteræ nominibus admirandas quasdam species intelligentiæ concipientes, diuina, & profundiore sapientia sacrorum voluminum tanquam copiosis dapibus imbuebantur.*

Quis modus viuendi illorũ

38 Prosequitur idem Patriarcha Ioannes *cap. 32. 33. 34. & 35. dicti libri*, qualiter prædicti Ordinis, & Instituti Esseni, ac Prophetici professores, postquam ab Apostolis baptizati, & in fide Christi instructi fuerunt, plenè intellexerint mysterium illud eorum Parenti Eliæ in Carmeli monte reuelatũ *3. Reg. 18. vers. 46.* de nubecula parua simili vestigio hominis de mari ascendenti, visa ab Elia postquam puer ipsius per septem vices contra mare prospexerat, ipsaque denotari tum Incarnationis mysterium, & quo tempore adimplendum esset, tum purissimam Virginis Mariæ Verbi incarnati Matris Conceptionem, ac Virginitatem, etiam voto firmatam, prout & ipse Elias, & filij Prophetarum etiam obseruauerant. Ioannis verba, quibus hæc fusius describit *sub annis 4037. & 4038. & 4042.* retulimus; propterea nunc ab ipsorum repetitione abstinemus. Id solum animaduertentes, huius visionis intelligentiam, dignitatisque, ac sanctitatis eminentissimæ eiusdem sanctissimę Virginis Matris notitiam causam veluti primordialem illis fuisse, vt eam specialissimè, & assidua deuotione venerari cœperint, & sibi in patronam eligere, vt propterea gloriosus titulus fratrum Beatæ Mariæ Virginis de monte Car-

Mysterium de nubecula parua.

Carmeli, quo vsque ad hoc tempus hæc Religio gaudet, ab eo tempore cœperit. Singula ergo, Dei adiutorio, & ipsius Virginis, cuius causa agitur, patrocinio, ex eiusdem Ioannis, & aliorum testimonijs comprobare studebimus.

Magni cultores Deip. Virg.

39 Primo igitur hos Eliani Ordinis alumnos post ipsorum ad Christum conuersionem, Deiparam Virginem singulari affectu deuotionis venerari cœpisse, vel ex Ecclesiæ testimonio, prout in quarta lectione commemorationis solemnis eiusdem Dei Genitricis in Breuiario Carmelitano approbato constat, vbi sic: *Cum sacra Pentecostes die Apostoli cœlitus afflati varijs linguis loquerentur, & inuocato augustissimo Iesu nomine, mira multa patrarent, viri plurimi, qui sanctorum Prophetarum Eliæ, ac Elisæi instituto institerant, & Io: Baptista præconio ad Christi aduentum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atque probata, Euangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu Beatissimam Virginem (cuius colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere) adeo venerari cœperunt, vt primi omnium in eo montis Carmeli loco, vbi Elias olim ascendentem nebulam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerint.* Quod hic tangitur de primo Virgini Beatissimæ ab Eliæ discipulis in Carmeli monte Oratorio erecto, in secundo Tomo suo tempore discutietur. Nunc enim solum comprobare intendimus singularem ipsorum post baptismi susceptionem erga eamdem Virginem deuotionem, quę in verbis relatis sufficienter notatur.

Io. Ierosolym.

40 Idem ergo intentum suadet Ioannes Ierosolymitanus *lib. relato cap.* 36. illis verbis: *Recensentes ergo Religionis huius professores, Deum prædecessoribus eorum per visionem prædictam specialiter reuelasse, Infantulam quamdam nascituram, quæ ex vtero matris suæ munda ab omni peccati sorde egrederetur, & instar eorum spontaneam virginitatem amplexaretur, de qua Virgine Deus homo nasceretur: contemplantes etiam ipsi hæc omnia postmodum fuisse adimpleta, & genus humanum per hanc Virginem accepisse a Dei Filio desideratum ab eis pluuiæ (id est, gratia diuina) beneficium, curauerunt cum deuotione assidue deseruire huic Virgini, dudum eorum professoribus reuelatæ, ac desideratæ, & postea eis exhibitæ.*

Generalis Grossus.

41 Fauet Generalis Grossus *in suo Viridario claui* 1. hæc dicens: *Ipsi tamen Eremitæ propter eorum vitam Legem Domini non prætermittentes, singulis annis ter in Ierusalem veniebant, ibidem festa celebraturi, scilicet Pascha, Pentecostes, & Scenopegiæ, & ob hoc dum Spiritus sanctus venit super Apostolos, dicitur, quod erant viri Religiosi in Ierusalem habitantes ex omni natione, quæ sub cœlo est, Actuum 2. & tunc recepto vna*

to vnà tum Apostolis Spiritu sancto, baptizati sunt ab Apostolis, Virgine Matre, ad cuius honorem se in contemplatione posuerunt, ibidem præsente. Quibus non solum id, quod modo intendimus, sed & alia, quæ superius diximus, lucem accipiunt.

42 Quod autem ipsam Christiani facti non solum colere, & venerari cœperunt, sed etiam in sui Ordinis tutelarem Patronam tunc elegerint, ex eodem Ioanne relato *cap. 36.* sic habemus: *Et studuerunt hanc specialiter Virginem ideo sibiipsis in Patronam eligere, quia nouerunt ipsam singulariter eis conformem in primitijs Virginitatis spontaneæ. Quemadmodum enim Virginitas spontanea fuit primo per priscos professores huius Religionis inchoata, & in viris introducta, ita eadem Virginitas fuit postmodum per Dei Genitricem primo in fœminis introducta, & incepta, sicut supra commemorauimus.* Hæc ille. Non tamen credendum est ea solum de causa Beatissimam Virginem ab ijs nostris priscis Patribus in Patronam electam fuisse, quod ipsius Virginis similitudinem in virginitate spontanea, seu voto Deo dicata ipsi præferrent; plures enim aliæ ad id faciendum congruitatis rationes aderant. Quam enim non solum Dei Saluatoris Genitricem, sed & hominum Mediatricem, Religionis magistram, virtutum Scholam, Angelorum, & hominum Reginam, & mundi Dominam nouerant, quidni & ipsi eam in Tutelarem, & Patronam specialem sibi solicitè desiderarent? Aderat & alia vrgentissima ad id ratio, quod scilicet eamdem Virginem, quam tunc in terris degentem videbant, a Parente Elia sub specie nubeculæ paruæ de maris ascendentis a multis seculis præuisam, in sui, & posterorum Patronam adoptatam, & veluti scopum, & finem Religionis a se institutæ prælectam fuisse facilè ex priscorum traditione nosse deberent. Porro ad ipsius honorem Propheticum Ordinem in Religionem instituisse Eliam, quod promisimus tractandum *sub anno 3127. num. 15.* hoc loco discutiendum venit. Electa in Patronam Ord B. Virgo.

43 Diximus in præcedentibus, *sub anno videlicet 3124.* eo tempore Eliam in Carith Torrente a facie Iezabelis abscondìtè manentem cum quibusdam pijs & deuotis viris, qui ad ipsum recurrerant, Ordinem suum inchoare cœpisse, non quidem perfectè instituendo, hoc enim pro commodiori tempore, & loco reseruabat, prout fecit post triennium, sub anno scilicet 3127. sed veluti delineando, & adumbrando, periti pictoris instar, qui priusquam viuis coloribus imagines perficiat, fuscis, subobscuris, & vmbraticis eas delineat. Quia ergo tempore hoc intermedio, quo de eo, quod in Carith inchoauerat, perficiendo proculdubio meditabatur, sub anno videli- Quando inchoatus Ordo ab Elia.

cet

cet 3126.celebrem illam nubeculę in Carmelo visionem habuit, prout ibi diximus, per eamque, iuxta sæpius dicta, Incarnationis mysterium expressius cognouit, & Verbi Incarnati Matrem futuram purissimam, tum corpore, propter virginitatem, quam spontanee secutura erat, tum spiritu, propter præseruationem ab omni peccato, etiam ex vtero matris, nullus dubitabit, quin in tantæ Virginis Matris Messiæ futuræ amorem, reuerentiam, & deuotionem pijssimus Propheta veluti æstuans, & succensus, quicquid in ipsius obsequium facere posset, opere perfecisset. Ordinis igitur institutionem, quam tunc cogitabat, proculdubio in Virginis Beatissimæ gloriam, & honorem direxit. Expendunt aliqui ad intentum illud *Isaiæ 35. vers.2.* vbi inter ea, quę per accommodationem saltem, data Virgini dicuntur, numeratur *decor Carmeli.* Quid ergo, inquiunt, *decor Carmeli*, nisi virorum cœtus, qui ibi inhabitabat, Eliæ nempe posteritas? Hæc ergo Virgini Matri dicata. Expendunt alij illud *cantic.7. vers.5.* Sponsæ, ac proinde Virgini sanctissimæ dictum: *Caput tuum vt Carmelus*. Cum enim per Carmelum eadem Virgo decoretur, dignum est credere, quod Carmeli Religio ipsi a primo fundatore oblata fuerit. Sed de ijs, & alijs ad intentum doctè Palæonydorus *lib.2. cap.8.* Omittere tamen non possumus, quæ sanctus Methodius *in homil. festi Purification. in tom.3. Bibliothec. magnæ Coloniensis* scripsit, quibus id, quod intendimus, denotatur. Virginem namque Deiparā alloquens, hæc dixit: *Puritatis etiam tuæ Elias Propheta præscius, atque imitator spiritu cum esset, vitæ illius ignifera sibi coronam colligauit*. Ergo Elias Virginis Mariæ intuitu & virginitatem seruauit, ac cœtum hominum cælibem vitam agentiū instituit, occasione sumpta ex nubeculæ visione, prout ex nostris tenet Petrus Sarracenus in *Menolog. Carmelit. in vit. S. Eliæ*: & de exteris vir pius, & doctus Hippolytus Maraccius Lucensis in lib cui titulus *Fundatores Mariani c.1* Sumere id potuit ex Carthagena *tom.4.homil.lib. 17. homil. 3.* Nec incongruè id dicitur ex Ioanne Geometra antiquo Deiparæ Virginis laudum Ecclesiaste, qui *in Hymn. 1.* eiusdem Federico Morello interprete *in tom.8. Biblioth. edit.4. Parisiens.* sic scripsit:

Gaude Thesbitæ viue, & clarissime currus,
Virtutum rapidis concite quadrijugis:

Hæc enim aptè satis accommodari possunt intento nostro. Cui etiam fauet Thomas Ferrarius Iesuatus Bononiensis in *histor. Imag. Beatiss. Virg. Mariæ cap.1.*

Ord. instit.

44 Id verò, quod dicimus, Eliam videlicet, Ordinem suum Beatiss. Virginis honori nuncupasse, ac proinde hac etiam de causa eiusdem

Elias Ord. suū B. Virg. dedicauit.

eiusdem patronatu iure gaudere, ex nostrorum priscorum Patrum testimonijs habemus. Ex quibus Ioannes Grossus relatus Ordinis Antistes in lib. illo Viridarium vocato claui 1. sic dixit: Elias Propheta assumens in socios Elisæum, Abdiam, Ionam, & multos alios Prophetas, quos docuit viuere in virginitate ad honorem prædictæ gloriosæ Virginis, quæ sine corruptione parere debebat mundi Saluatorem, cuius caput debebat esse vt Carmelus, Cantic. 7. & ob hoc Eremitę dicti montis Carmeli fratres Virginis Mariæ dicti sunt, cum ad honorem ipsius Ordinem inceperunt ante eius aduentum. & natiuitatem. Ad idem Ioannes Bac- Ioann. Bacco.
co inter scholasticos Doctores illustrissimus in compendio historiarum, & iurium pro defensione Ordinis, quod incipit Inprimis attende, sic habet nullatenus prætermittendum: In primis attende, quod B. Maria per Carmelum decoratur, & commendatur. Cum enim Isaias de Christi Incarnatione prophetaret, promisit, quod sola Virgo ipsum foret paritura, pariterque decorem Carmeli possessura. Vnde de Virgine dicitur Isaię 35. Solitudo florebit sicut lilium. Sequitur: Datus est ei decor Carmeli. Sic de ea Glossa hæc exponit, Canticorum primo: & Bernardus in sermone Loquamur, dicens: Datus est ei decor Carmeli, dum virtute Altissimi est obumbrata; & sine corruptione fœcundata. Per Carmelum commendatur. Salomon enim commendans pulcherrimam mulierum per Carmelum, ait, Canticorum 5. & 6. Quam pulchra es, & quam decora charissima, caput tuum vt Carmelus. Canticorum 7. Sed & hæc de Beata Maria canit Ecclesia: & quia per Carmelum honoratur, & commendatur, dignum est, quod in Carmelo ei dato Carmelitas habeat eam specialiter venerantes, & sic habuit ab antiquo, nam prophetia per facta aperiuntur. Sed & Saul Carmelus Saulis.
in Carmelo Beatę Marię dato, fornicem suum triumphalem, idest, signum victoriæ erexit, 1. Reg. 15. Elias ibi sacrificauit, tertio Reg. 18. & Achab per hoc experimento ibi didicit, quis esset Deus. Elisæus ibi sedem suam collocauit, 4. Reg. 4. Ecce, quod Prophetas, & Reges habuit Carmelitas, & eorum factis dominam loci beatam Mariam venerantes. Pro veneratione quoque Beatæ Marię in eius Carmelo continuanda, orta est fratrum de Carmelo Religio: Veneratio enim, quę fit in locis sanctorum, ipsis sanctis sub Deo attribuitur, vt de veneratione dedicationis, de consecrat. dist. 3. cap. Pronunciandum. Sed licet omnes saluandi tempore Prophetarum Filium Beatæ Mariæ venturum venerati sint secundum August. in epist. 29. ad Deo gratias, fratres tamen de Carmelo tempore Eliæ, & Elisæi venturum venerantes, in Carmelo Beatæ Mariæ Religionem suam inceperunt, vt habetur in historia de antiquitate Ordinis. Ad eius igitur venerationem, originem habuerunt, & antiquis Patribus Ordinis de ortu eiusdem tempore Prophetarum credendum est. Nam in negotijs Eccle-

starum illi potissimum in testes assumendi sunt, qui eadem negotia tractauerunt, decimaquarta quæstione prima super prudentiam: & huic antiqua eius venerationi in Carmelo consonant Prophetæ. Generalis planctus Prophetarum cõmunis vox. *Prophetarum est, si Carmelus sit desertus habitatoribus, aut si eius honor ab eo auferatur. Ieremiæ secundo, & quarto. Isaiæ decimo sexto. Amos primo. Michææ septimo, & Naum primo. Ergo in spiritu Dei generaliter optant Prophetæ, quod post Eliam, & Elisæum Beata Maria a Carmelitis semper in Carmelo sibi dato honoretur, quod verum est ratione tituli, licet recedere cogerentur. Sicut Patriarcha Ierosolymitanus in Ecclesia Ierosolymitana semper sedem suam tenere censetur, licet compulsus alibi moram trahebat.* Accedat vir grauissimus, & inter luminaria Ecclesiæ iure censendus Thomas VValdensis, qui *tom. 3. de Sacramentalibus tit. 9. cap. 89. num. 9.* contra VViclephum impiè latrantem, & Patronatum Virginis sanctissimæ in Ordinem nostrum refragantem, expresśe ait Eliam ipsum inchoasse *ad sanctæ Virginis Patronatum*, proculdubio cum ipsam in nubeculæ paruæ symbolo futuram Dei Matrem agnouit. Accinit Palæonydorus *dicto lib. 2. cap. 8.* vbi primo dicit ex traditione Ordinis: *Super hæc tradiderunt nobis seniores nostri, Mariam Virginem futuram Christi Matrem, ab Elia primo, hinc ab Eliæ successoribus ab illo edoctis electam fuisse in Patronam sui, atque suorum posterorum.* Deinde assignans rationes hu- Congruentiæ. ius Patronatus: *Prima*, inquit, *propter primariam Ordinis Carmelitarum in laudem Virginis Mariæ institutionem. Nam Elias eorum Monarcha in monte Carmeli orationi incumbens, dum septima vice de mari nubecula conscenderet, septima ætate Virginem nascituram, & Filium Dei parituram intellexit. Ex tunc in virginitate sua, & Elisæi, ac plurium filiorum Prophetarum ad honorem eiusdem Virginis in Carmelo Religionem fundauit. Istud valde ad longum declarat Ioannes 44. Episcopus Ierosol. Sic ergo Elias ad nascitura Virginis, & Deum paritura honorem, primordialiter Ordinem prædictum in monte Carmeli locauit. Secundo pro se, & suis in Patronam suæ Religionis elegit.* Et infra: *Vt ergo Virgo Maria in mundo nata gauderet, & honoraretur de sua propria, & singulari Religione, Elias suam Religionem in eius honorem instituit.* Multa ibi ad intentum, illudque amplectitur Thomas Beauxamis *in Harmon. Euangelic. tom. 2. fol. 565.* Plura etiam in nostris historijs, vt propterea vir pius, & doctus Angelus de Paz Minorita *tom. 1. in symbol. lib. 5. c. 22.* dixerit, ex illis haberi Beatissimam Virginem a nostris *veneratam, antequam notam*. Plura quoque nos in sequenti Tomo, vbi alias quoque rationes Patronatus sanctissimę Dei Genitricis in Carmeliticum Ordinem proferemus; ea enim, quę modò attulimus, necessaria fue-

runt

runt pro explicatione eorum, quæ prius dixeramus, de veneratione videlicet, & deuotione primorum ad fidem conuersorum huius Instituti erga eamdem Virginem. Nunc ad alia pergendum.

45 Ex hac enim singulari ipsorum ad sanctissimam Matrem amoris, & reuerentiæ deuotione ortum habuisse dicitur, vt ipsi illam sororem, & seipsos fratres beatæ Mariæ nuncuparent. Ita habent Ioannes Patriarcha *dicto lib. cap. 36.* & Palæonydorus *lib. 2. relato cap. 8.* quod tamen moderatione eget, cum ex lectionibus Officij approbati commemorationis solemnis eiusdem Dei Genitricis, & alijs Ordinis historicis, quos secundo Tomo afferemus; immo ex ipso Ioanne Patriarcha *eodem cap.* relato. constet hunc titulum fratrum beatæ Marię Virginis de monte Carmelo nostris concessum non fuisse, saltem communiter a fidelibus, nisi postquam in ipsius honorem Oratorium, seu Cappellam construxerunt, prout dicto secundo Tomo dicemus. Pariter & quod ipsam sororem, & seipsos fratres beatæ Mariæ appellarent, non nisi in profundissima eiusdem Virginis humilitate, & in vsu illius temporis, quo omnes fideles fratres, & fœminæ sorores appellarentur, fundari potest: aliàs enim quomodo credi potest humiles Eremitas Saluatoris Matrem, Angelorum Reginam, Apostolorum Magistram, & totius mundi Dominam, *Sororem* appellare potuisse, cum potius Matrem, Dominam, seu Patronam compellare deberent? Piè ergo auctores relati exponendi erunt, vt verum sensum contineant. Deuotio, & reuerentia erga B. Virginē

46 Verius tamen, & credibilius est eamdem sanctissimam Dei Genitricem, veluti matrem filios, Carmeli montis vicinitate, ac sanctitate, ac priscorum Prophetarum, qui ibi commorati sunt, deuotione allectam, eos quandoque visitasse, sanctumque illum montem propria præsentia non tam decorasse, quam consecrasse. Indicatur hoc in lectione illa Breuiarij nostri ab Ecclesia approbati, dum dicitur: *Beatissimam Virginem, cuius colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere*. Indicat & Ioannes Patriarcha *libro relato cap.* 33. dicens: *Sed prius quam ipsa Dei Genitrix ab hoc seculo migraret, fuit in Nazareth, & in Ierusalem, & alibi a professoribus huius Religionis multoties visa*. Clariùs Grossus Generalis *in suo Viridario claui* 1. illis verbis: *Ipsa Virgo gloriosa tãquam suos ipsos filios Prophetarum visitauit sępius*. Clarissimè Ioannes de Cimineto in tractatulo, qui *Speculum Ordinis* appellatur *cap.* 4. sic: *Ipsa etiam* (scilicet Deipara Virgo) *personaliter in ipso monte Carmeli cum sanctis Virginibus, & Religiosis eiusdem loci frequenter dicitur habitasse, tum propter sanctitatem loci, & deuotionem ibidem habitantium, tum propter vicinitatem locorum. Distat enim ciui-* An Carmelū sua præsentia decorauerit.

tas Nazareth a monte prædicto per tria milliaria. Decebat igitur, vt mater virtutum locum tantæ sanctitatis, & deuotionis filios per suam personalem præsentiam decoraret. Clarissimè etiam Palæonydorus *cap. 8. lib. 2.* vbi inter rationes, quare sancta Dei Genitrix Ordinis nostri Patrona nuncupetur, pro sexta adiungit istam: *Sexta ratio habetur ex Virginis Mariæ personali visitatione. Ipsa enim in noua Lege tanquam magistra Religionis, schola virtutum, ac Legislatrix, vt soror, & Patrona prius præuisa, & adoptata visitando fratres in monte Carmeli, in mysterijs fidei, & perfectæ Religionis continuatione ipsos instruxit, instituit, & innouauit. Nam teste Hieronymo Nazareth a Carmelo tribus distat milliaribus tantum. Annales enim, & Patrum nostrorum Historia plenæ sunt, quod ab initio, & per incrementa temporum, Carmelicolas visitando vnice sincerissima Virgo Maria semper adoptauit. Nec dubium est ob veterem loci sanctitatem, eam sæpenumero cum suis sodalibus Carmelum visitasse.* Et infra ex Martino Italo hæc scribit: *Ad eos autem, qui ineunte tempore superioribus ex Prophetis originem traxerant, sanctam Dei Genitricem, cum in humanis ageret, sicut matrem ad filios sæpenumero venisse legimus.* De hoc etiam aduentu Virginis in Carmelum Baptista Mantuanus in *Parthenic. Marianæ lib. 3.* sic habet:

Palæonydorus

Huc igitur, si quando quies vacuumque negoci
Tempus erat, veniens curas leuibat, & ipsa
Maiestate loci large oblectata redibat.

Plura alia in Apologia pro Carmelitis de hac crebra eiusdem Virginis cum illis conuersatione scribit, sed quia loquitur de tempore post Christi passionem, quando Apostolis a Iudæa pulsis ipsa Virgo sola in patria illa remanebat, ideo ad alium locum, & tempus, quo illa contigerunt, spectant.

Auctores exteri.

47 De exteris etiam hanc Deiparæ cum Carmeli incolis familiaritatem admittunt Armacanus Hiberniæ primas *in sermone quodam* apud Vvaldensem *Tomo 3. de Sacramentalibus tit. 9. c. 89.* Ascensius Badius, & Sebastianus Murrho commentatores Mantuani in locum relatum; Ioannes Carthagena *tom. 4. homiliar. homil. pro Carmelit.* Flauius Cherubinus *in Compend. Bullar. in Innoc. IV. bulla 6.* Indicat id Trithemius *de Laudib. Carmelitar. lib. 1. cap. 7.*

Quinam illi fuerint.

48 Qui porrò fuerint hi primi Prophetici Ordinis professores, qui Christianæ Religioni Petri prædicatione excitati nomen dederunt, non satis compertum est, historijs de eo nihil ferme dicentibus. De ijs tamen, quos probabili fundamento fuisse affirmari potest, in secundo Tomo susius agemus. Extat tamen testimonium Luitprandi, seu Eutrandi in Tractatu ipsius nomine insigni (qui vocatur

Frag-

Fragmenta) ex Bibliotheca Thomæ Tamaio de Vargas Regis Catholici Historici eruto, & ex variorum exemplarium fide recensito, vbi *num.* 101. sic habetur: *S. Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit, & in prima Petri concione conuersus ad fidem, cum socijs multis venit in Hispaniam, & Toleti fundauit Monasterium Virginum, & Monachorum, vbi postea fuit Agaliense, quod fuerat B. Virgini curæ Monialium harum matri.* Ibidem etiam *num.* 171. sic legitur: *Magna pars eorum, qui dispersi in persecutione sancti Stephani, ad varias partes traiecerant, & ad Hispaniam plurimi venerant, erat ex Monachis montis Carmeli prædicationibus Christi, & Apostolorum ad fidem conuersis, in quibus Elpidius, & socij Pontifices a sancto Iacobo creati, & post martyres effecti.* Sed, vt diximus, tam de hoc Elpidio, quam de ipsius socijs, & illis, quos prudenter, ac probabili coniectura ex primis Apostolorum prędicationibus conuersis fuisse existimare possumus, in secundum Tomum remittimus discutiendum. An S. Elpid. & socij.

49 Pro comperto tamen cunctis Historicis nostris, & pluribus exteris est, hos Ordinis Prophetici asseclas, Petri, & aliorum Apostolorum doctrina instructos, eam, quam ab ipsis acceperant fidei rationem, eisdem associatos per Phœniciam, Palæstinam, & alia loca Christi dogmata prædicantes, feliciter propagasse. De hoc Ioannes Ierosolymitanus *libro relato cap.* 31. loquens de eisdem nuper ad Christum conuersis, ait: *Denique eorum multi ea, quæ ab Apostolis hauserant, cæteris effundentes, fidem Christi per Phœniciam, & Palęstinam prædicabant, dilatantes dogma fidei, & moribus vitæ Monasticæ conuersationem Ecclesiæ Dei insignissimam demonstrantes.* Ioannes Grossus Generalis in *suo illo Viridario claui* 1. sic: *Vnà cum Apostolis in multis regionibus fidem Christi constanter prædicauerunt.* Celebris auctor Thomas Vvaldensis *tomo primo doctrinalis fidei lib.* 4. *articulo secundo, cap.* 27. idem confirmat testimonio Iosephi Antiocheni inferius referendi, & Ioannis Ierosolymitani relati, sic concludens: *Nec dedignentur Clerici moderni Monachos Religiosos in Ecclesia Dei coadiutores habere, quos sancti Dei Apostoli dedignari nolebant, cum tamen pręsentes Clerici non sint suis Patribus peritiores, sed nec sanctiores Apostolis.* Accedit Ioannes de Cimineto in tractatulo *Speculum Ordinis* vocato *cap.* 3. hæc habens: *Perseuerantes in doctrina Apostolorum, habentes gratiam ad omnem plebem veritatis Euangelicæ nuncij fideles, ac fidei Christianæ legitimi defensores effecti sunt.* Id quoque conformiter omnes Ordinis recentiores scriptores acceperunt, vt propterea illos sigillatim recensere superfluum sit. Apostolis sociati.

50 De exteris primus occurrit Iosephus Antiochenus, de quo *in Apparatu, cap.6. num.2.* plura diximus, a pluribus ex nostris auctoribus relatus *in Speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ c. 12. & 72.* per hæc verba: *Perfectorum militum Christi Apostolorum coadiutores surrexerunt viri strenuissimi, solitarij, contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi sequaces. Qui de monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt, quique in Virginis Mariæ honore in Carmeli montis declinio fabricantes Oratorium Saluatoris Matri specialiter seruierunt.*

Iosephus Antiochenus.

Item Sigisbertus Gemblacensis relatus etiam a nostris *in historia Ierosolymitana*, dicens: *Cum Carmelitæ in sancta pænitentia perseuerassent a tempore sanctorum Eliæ, & Elisæi Prophetarum, tandem Christum prædicantem audierunt. Qui Religiosi fidem Catholicam confitentes in Christo baptizati sunt. Deinde perseuerantes in doctrina Apostolorum habentes gratiam ad omnem plebem veritatis Euangelicæ nuncij fideles, & Religionis Christianæ legitimi Confessores legitimè effecti sunt.* Colligitur id etiam ex testimonio Luitprandi supra *num.48.* relati. Habetur quoque ex antiquissima Romanorum Chronica apud Philippum Ribboti *in Speculo Ordinis lib.5. cap.vlt.* Ioannem de Ciminetο relatum, Ioannem de Vineta *in Tract. cum quidam fratres cap.2.* & alios Ordinis historicos, vbi sic: *Ipsi* (scilicet fratres de Monte Carmeli) *tempore B.Petri Antiochiæ Cathedrati in circumquaque regione adiacente diuersis locis Catholicæ pro fide insistebant.* Item ex Armacano apud Vvaldensem *tom.3. de Sacramental. lib. tit.9. cap. 89.* illis verbis: *Insuper in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicando Euangelium solicitissimè laborauerunt.* Idem sequuntur Iodocus Badius, Ascensius, & Sebastianus Murrho Commentatores Baptistæ Mantuani circa illa eiusdem Mantuani *lib.3. Parthenices* ea de re carmina:

Namque ipsi sese mox vt vulgata salutis
Fama fuit, Christi magnis iunxere ministris
Fautores operis sancti, sociosque laborum.

Ioannes Bonifacius *de histor. Virgin. lib.2. cap.1.* vbi post alia: *Neque solum se Apostolorum beneuolos, & dociles auditores, sed etiam adiutores præbuerunt, & cum ex monte Carmelo descendissent Christi fidem per Galilæam, Samariam, & Palæstinam vniuersam constantissimè prædicauerunt.* Ioannes Carthagena *tom.4. homiliar. homil. pro Carmelit.* ex testimonio relato Iosephi Antiocheni.

51 Qui tamen ij Apostolorum in Euangelij prædicatione consortes fuerint, quæ mirabilia gesserint, quam orbis partem peragrauerint, & alia, quæ ad ipsos spectant, commodius secundo Tomo, Deo

Qui tales fuerint.

Deo aspirante, & Virgine sanctissima fauente, dare promittimus. Interim id pius Lector a nobis accipiat (ne anxius forte, quomodo Eliæ Religionem post hæc ad tempora nostra continuare possimus, exquirat) huiusmodi Essenos, seu Prophetici, aut Eliani Ordinis alumnos, qui primi Apostolorum doctrina imbuti, ipsi cooperatores in opere Euangelico extiterunt, duces, Antesignanos, ac vexilliferos, simul cum eisdem Apostolis omnium Monachorum, quales temporibus sequentibus Antonius, Pachomius, Hilarion, & Basilius, præcipui fuerunt, extitisse, ex quibus, ac illis Anachoretis, qui iugiter in Carmeli montis cauernis, alijsque locis, Syriæ præsertim, & Ægypti, Eliam parentem imitati sunt vsque ad tempora Aymerici Antiocheni Patriarchæ, qui circa annum Domini 1141. eorum Institutum reformauit, & initium statui Cœnobitico, quem modo profitemur, Ordini dedit, cursum hereditarium dicto secundo Tomo prorogabimus. Christus ergo Nauarchus sapientissimus, sub cuius ductu signifera in puppe ex Elia vsque ad ipsius ascensionem, & sancti Spiritus missionem cursum fecimus, ad futurum portum nos feliciter peruenire faciat.

52 Pro huius demum primi Tomi coronide, & eorum, quæ in ipso diximus, clariori notitia, studioso Lectori dabimus sequentia. Primo, Catalogum Regum Israel a primo vsque ad vltimum. Secundo Catalogum pariter Regum Iuda. Tertio, Christi, & Deiparæ Virg. Mariæ Cognationem, seu Parentelam. Operis finis.

Ad laudem Omnipotentis Dei, Virginis Matris, Eliæ Parentis Ordinis, & Theresiæ eiusdem Reformatricis, in cuius festiuitate die 15. Octobris anni 1638. hæc scribebamus.

CATA-

CATALOGVS

REGVM ISRAEL, CVM NOTIS ANNORVM MVNDI circa quos regnare cœperunt.

Regnarunt super omnes duodecim Tribus Israel quatuor Reges.

1 Saul circa ann. 2962. 1. *Reg.* 10.
2 Dauid circa ann. 2980. regnare incipiens cum Isbosetho Saulis filio. 2. *Reg.* 2.
3 Salomon circa ann. 3020. 3. *Reg.* 2.
4 Roboamus circa ann. 3060. etsi exiguo tempore, propter defectionem populi, & creationem Ieroboami in Regem. 3. *Reg.* 12. post quam

Regnarunt super decem Tribus viginti Reges, Israelis Reges nuncupati.

1 Ieroboam prædictus circa ann. 3060. 3. *Reg.* 12.
2 Nadab circa ann. 3081. 3. *Reg.* 14.
3 Baasa circ. ann. 3082. 3. *Reg.* 15.
4 Ela circa ann. 3105. 3. *Reg.* 16.
5 Zambri circa ann. 3106. 3. *Reg.* 16.
6 Thebni circa idem tempus 3. *Reg.* 16.
7 Amri circa idem tempus 3. *Reg.* 16.
8 Achab circa ann. 3117. 3. *Reg.* 16. Huius Regis tempore prædicare cœpit Elias noster. 3. *Reg.* 17.
9 Ochozias circ. ann. 3137. 3. *Reg.* 22.
10 Ioram circa ann. 3139. 4. *Reg.* 1.
11 Iehu circa ann. 3151. 4. *Reg.* 9.
12 Ioachaz circa ann. 3179. 4. *Reg.* 13.
13 Ioas circa ann. 3195. 4. *Reg.* 13.
14 Ieroboam 2. circa ann. 3211. 4. *Reg.* 14.
15 Zacharias circa ann. 3263. 4. *Reg.* 15.
16 Sellum circa idem tempus 4. *Reg.* 15.
17 Manahem circa idem tempus 4. *Reg.* 15.
18 Phaceias circ. ann. 3275. 4. *Reg.* 15.
19 Phacee circ. ann. 3277. 4. *Reg.* 15.
20 Osee circ. ann. 3297. 4. *Reg.* 15. Sub quo Salmanasar Assyriorum Rex Israelitas in Assyriorum Regionem captiuos duxit, ipsorum Regnum penitus destruens. 4. *Reg.* 17.

CATA-

CATALOGVS

REGVM IVDA, CVM NOTIS ANNORVM, CIRCA quos regnare cœperunt.

Reges Iuda fuerunt numero 20.

1 Roboamus filius Salomonis circa ann. 3060. 3. *Reg.* 12.
2 Abias circa ann. 3077. 3. *Reg.* 14.
3 Asa circ. ann. 3079. 3. *Reg.* 15.
4 Iosaphat circ. ann. 3120. 3. *Reg.* 15.
5 Ioram circ. ann. 3137. 3. *Reg.* 22.
6 Ochozias circa ann. 3150. 4. *Reg.* 8.
7 Athalia circa ann. 3151. 4. *Reg.* 11.
8 Ioas circa ann. 3157. 4. *Reg.* 11.
9 Amasias circa ann. 3197. 4. *Reg.* 14.
10 Ozias, siue Azarias circa ann. 3226. 4. *Reg.* 14.
11 Ioathan circa ann. 3278. 4. *Reg.* 15.
12 Achaz circ. ann. 3293. 4. *Reg.* 16.
13 Ezechias circ. ann. 3309. 4. *Reg.* 16.
14 Manasses circa ann. 3338. 4. *Reg.* 21.
15 Amon circ. ann. 3393. 4. *Reg.* 21.
16 Iosias circ. ann. 3395. 4. *Reg.* 21.
17 Ioachaz circ. ann. 3425. 4. *Reg.* 23.
18 Ioachim, siue Eliacim circa ann. 3426. 4. *Reg.* 23.
19 Ioachim 2. siue Iechonias circ. ann. 3436. 4. *Reg.* 24.
20 Sedecias, seu Mathamas circa idem tempus 4. *Reg.* 24.

AIIA COGNA-

COGNATIO,

Seu Parentela Christi, & eius ſanctiſſimæ Matris ex S. Hippolyto Mart. apud Nicephorum *in Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 2. cap. 3.* & Torniellum *ann.* 4037.

Mathan Sacerdos, & Maria de Tribu Iuda genuerunt tres filias, videlicet

MARIAM

quæ nupſit Cleophæ, ex quo genuit alteram Mariam, quę *Ioan.* 19 *v.* 25. dicitur *Maria Cleophæ*, & *ſoror*, id eſt, cõſobrina *Matris* Ieſu. Et hęc ex Alphęo viro eius genuit Iacobum Minorem, & Ioſeph, & Simonē, & Iudam, qui dicuntur fratres, hoc eſt, conſobrini Christi; & ſorores eius Mariam, & Salome.

TOBE

quæ ex alio Sacerdote genuit Eliſabeth, quæ propterea *Luc.* 1. *verſ.* 5. dicitur *de filiabus Aaron*. Porrò Eliſabeth ex Zacharia pariter Sacerdote genuit S. Ioannem Baptiſtam.

& ANNAM

quæ de Ioachimo viro ſuo, & ex Tribu Iuda genuit Beatiſſimam Virginem Mariam, quæ de Spiritu ſancto genuit Ieſum Chriſtum Filium Dei, & Saluatorem mundi.

ALIA

ALIA COGNATIO,

Seu Parentela Christi, & eius Matris sanctissimæ, ex alijs auctoribus, præsertim Guidone nostro in *Concord. Euangelic. in cap. 27. Matthæi*; Petro Dorlando *in vita S. Annæ cap. 1. 2. & 7.* Ioanne Eckio *in serm. S. Annæ*, Rudolpho *in vit. Christi par. 1. cap. 3. de desponsat. Virgin.* Petro Sutore Carthus. *in libell. de triplic. Connub. sanctæ Annæ*, & multis alijs.

Stollanus, & Emerentiana vxor genuerunt

ISMERIAM quæ genuit Elisabeth, ex qua genitus est Ioannes Baptista Domini Præcursor.	& ANNAM quæ ex Ioachimo genuit SS. Virginem Christi Matrem, ex Cleopha alteram Mariam, quæ Alphæo nubens, genuit Iacobum Minorem, Iosephum Iustum, Simonem, & Iudam; & ex Saloma alteram etiam Mariam, quæ Zebedæo nubens, genuit Iacobum Maiorem, & Io: Euangelistam.

FINIS.



INDEX
COPIOSVS

Rerum, ac Perſonarum præcipuarum, quæ in hoc primo Tomo Annalium continentur, quarumue geſta narrantur.

Particulæ, quæ compendij cauſa præciſæ ponuntur, hæc ſignificant. *appar.* Apparatum ad Annales, qui in capita, & numeros diuiditur. *ann. mun.* Annos mundi, qui etiam in numeros ſeiunguntur. *in fin.* ea, quæ in fine huius primi Tomi ponuntur.

A

An-

C

D

Sicut

E

quoad

com-

H

An

M

Vir

N

Qua-

Q

Saul

T

Tem-

agit

Haca-

FINIS.



